
6
40 N
15



GLOSSA
IN SACRAM SCRIPTURAM.
TOMUS SECUNDUS.

A.R.P. BARTHOLOMÆI DE BARBERIIS
A CASTRO-VETRO
PROVINCIÆ CAPUCCINORUM
Lombardiæ Definitoris, & S. Theologiæ Lectoris,

GLOSSA

SEU

SUMMA EX OMNIBUS S. BONAVENTURÆ
expositionibus in Sacram Scripturam exactè collecta, & in facilem usum Studiosis, ac Concionatoribus secundùm ordinem biblicum concinnata.

TOMUS SECUNDUS.
Continens omnes Psalmos.



LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS, & JOAN. POSUEL.

M. DC. LXXXI.

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

SUMMA EXPOSITIONUM IN PSALMOS EX DIVO BONAVENTURA EXACTE COLLECTA ET CONCINNATA,

AB ADMODVM REVERENDO PATRE BARTHOLOMÆO A CASTRO VETRO CAPUCCINO.

PROOEMIVM.

PRIMO nota, quod hic Liber apud Hebræos dicitur Liber Hymnorum: quia Hymnus est, ubi habentur verba, & laus cum cantico, quod in Psalmis invenitur. Intitulatur etiam liber soliloquiorum: Soliloquium enim dicitur quando aliquis secum rimatur, & à nullo discit, nisi à virtute sibi interius præsidente: Et hæc sunt duo nomina hujus libri apud Hebræos: Dicitur etiam Psalterium græcè, quia est instrumentum ad similitudinem litteræ græcæ, quæ dicitur Delta: Et ab hoc musico instrumento, per quod modulatum fuit hoc opus nomen sibi sumpsit: sicut ipsi Psalmi dicuntur à sono Psalterij, qui dicitur Psalmus: Et licèt aliqui dixerint non omnes Psalmos à David fuisse compositos, non tamen sunt audiendi, ait D. Hieronymus, quia David fuit omnium Psalmorum, qui sunt 150. Auctor, qui tamen in ipsorum modulatione usus fuit voce, sono, & cantu quatuor millium virorum, quibus præfuit Eman, Ethan, Asaph, & Idithan, & ideò divino consilio factum est, ut plures Psalmi intitulatentur in personis aliorum ad denotanda varia mysteria, ut proprijs locis dicetur.

2. Notandum est, quod in hoc libro non habetur respectus ad ordinem historiæ, secundùm quam fuerunt compositi, sed ita ordinati postea fuerunt ab Esdra instinctu divino.

3. Nota, quod David dicitur eximius Prophetarum propter tria, scilicet propter regiam potestatem, seu dignitatem: propter humilitatis eximiam abundantiam, & propter promissionem ei factam de ortu Christi ex suo semine.

4. Nota, quod Ecclesia plus utitur his Psalmis, quàm alia quacumque materia Sacræ Scripturæ veteris Testamenti: quia plus etiam reperitur multiplicitas mysteriorum expressa in hoc Psalterio, quæ spectant ad legem, Prophetas, & Evangelium, & maximè de adventu Christi in mundum.

5. Nota, quod in quinque partes à Divo Hieronymo describitur hic Liber, quæ

ſunt diſtinctæ per Fiat, Fiat, in quatuor Pſalmis: ſcilicet in Pſalmo, *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*: In *Deus judicium Regi da, &c.* In *Miſericordias Domini.* In *Confitemini Domino.* Hæc ex præfatione Seraphici Doctoris in Pſalmos, & apud Lyranum: Nota etiam, quod in pluribus Pſalmis proponitur Titulus: Tituli autem ſumuntur quinque modis, ſcilicet vel à tranſumptione, vel à loco, vel à tempore, vel à nomine, vel à re geſta. *Pſal.* 3.

6. Nota tandem, quod licèt Seraphicus Doctor expoſitionem aliqualem tradiderit ex profeſſo in proprio opuſculo, tamen valdè mutilam: Unde inferius inſerentur omnes expoſitiones, quibus omnia ſua ſcripta reſperſit verè mirabiles, & ſublimes.



PSALMUS PRIMUS.

1. Primo nota, quod iſte Pſalmus eſt ſine titulo: Unde titulus eſt ipſe Pſalmus: cujus intentio eſt nos informare Deo per virtutes, quarum finis eſt beatitudo: ideò à beatitudine incipit.

2. *In ſchola Chriſti prius addiſcenda veritas ſanctitatis, poſtea doctrina.*

B*EATUS vir, qui non abiit in conſilio impiorum, &c. Sed in lege meditatur die, ac nocte.* Cur incipit liber Pſalmorum hoc modo, appellans beatum, qui non abiit in conſilio impiorum, ſed in lege Domini meditatur? Cur in legis Domini meditatione eſt beatitudo? Sed nota, quod hic Pſalmus eſt veluti præludium omnium aliorum, in quo ſuadetur ſapientiæ ſtudium: Unde infra dicitur, *Pſal.* 9. *In capite libri ſcriptum eſt de me*; & ideò docetur, quod à volente addiſcere in ſchola Chriſti ſapientiam cœleſtem, debet abigi impietas, & veritas bonorum operum addiſci, ut hinc perveniatur ad veram ſapientiæ veritatem apprehendendam. Prius igitur diſce quid facias, ſcilicet mundare conſcientiam, poſt quære quid ſcias: ſapientia enim cœleſtis fundatur in bonis operibus, non in ſpeculationibus. *Pſal.* 118. *v.* 1. *& ſerm.* 17. *Hexaem.*

3. *Per tres noctes deſcenditur in profundum vitiorum: per tres dies fit reverſio ad beatitudinem, & fruitionem divinam.*

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Nota iſtum proceſſum: primò abiit: ſecundò ſtetit: Tertiò ſedet: quia iſte eſt trinus gradus, per quem in nocte peccati deſcenditur in profundum vitiorum, ſcilicet primò per vanitatem ſuperbiæ, qua Deum deſerit homo: Secundò per concupiſcentiam, qua alia præter Deum appetit: Tertiò per obſtinationem, qua in alienis præter Deum requieſcit: In ſuperbia eſt vanitas, qua recedens à Deo vadit ad ſe, ut requieſcat in ſe: hoc eſt conſilium impiorum: In concupiſcentia eſt delectatio, qua homo deſcendit ſub ſe, ut requieſcat in carne: In obſtinatione conſenſus firmus, quo homo extrahitur extra ſe, ut requieſcat in viſibilium ſpecie, & permaneat in delectatione. E contra homo ad Deum redit per tres dies contrarios, ſcilicet ab alienis ad propria, à malis ad bona, & à ſtudio virtutis ad perceptionem internæ, & æternæ dulcedinis. *In Pſal.* 1.

4. *Nomine viri virtute præditi venit etiam mulier.*

Beatus vir, qui non abiit, &c. Vir ergone tantum hæc beatitudo promittitur viris? Anne mulier eſt excluſa ab ipſa? minimè: Vir non à ſexu dicitur, ſed à virtute, & ideo tam mulieribus, quàm viris, ſi in virtutis operibus ſe exerceant, promittitur hæc beatitudo. *l.* 4. *d.* 44. *p.* 1. *dub.* 1.

5. *Conſilium impiorum conſilio Spiritus Sancti opponitur.*

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum. Quodnam eſt conſilium impiorum? Eſt id, quod opponitur conſilio dono Spiritus Sancti: Conſilium donum Spiritus Sancti eſt omne id, quod à Spiritu Sancto inſpiratur à Chriſto, & à Sanctis dictatur in corde. Conſilium impiorum eſt id, quod à propria voluntate procedit, eſtque eorum, qui ſibi ſapientes videntur, & magni ignorantes Dei juſtitiam, oriturque à ſuperbia, ex quo pullulant diviſiones, rixæ, vanitates, & omnia mala. O infelices amatores ſæculi quantum diſtat veſtrum conſilium à conſilio juſtorum. *op. de dono Conſilii, c.* 3.

6. *Gradus malitiæ ad tria capita reducuntur, ſuntque abire, ſtare, & ſedere.*

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Nota hic, quod tria verba in deſcriptione mali ponit, ſcilicet abiit, ſtetit, & ſedit: plus enim eſt ſtare, quàm abire, & plus eſt ſedere, quàm ſtare: Abire eſt citò tranſire, ſcilicet malis conſiliis ad modicum conſentire: ſtare eſt quadam ſtabilitate manere; ſcilicet malis operibus operam dare: At ſedere eſt perfectè quieſcere, ſcilicet in conſuetudinem durare: primum eſt malum: ſecundum majus malum: Tertium peſſimum, quia fit, ut ratio ſemper prona ſit ad malum: prima duorum malorum genera faciliter corriguntur, ſed tertium eſt difficillimum, quia ferè in alteram naturam vertit. *Serm.* 7. *de Apoſtol.*

7. *Receſſus à malo, & bonum operari ſunt partes juſtitiæ, quibus ad beatitudinem pervenitur.*

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, &c. Sed in lege ejus meditatur, &c. Vide quibus gradibus ad perfectum ſtatū juſtitiæ, ſcilicet ad beatitudinem viæ, & patriæ poteſt pervenire: primò eſt declinatio mali: Unde dicitur: *qui non abiit in conſilio impiorum, &c.* & deinde boni operis exercitium: Unde ſubdit: *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, &c. op. de dono conſilii c.* 3.

8. Felix,

8. *Felix, qui in societate malorum existens, non fœdatur eorum malo consilio.*

Beatus vir, qui non abiit in consilio malorum. Vide, quàm sit felix, qui cum malis moratur, & eorum pravis consiliis non consentit: nam iste graditur ad statum beatitudinis. *In Luc. cap. 23. vers. 5.*

9. *Qui per ambitionem se ad dignitates evehit; in cathedra pestilentiæ sedet.*

Et in cathedra pestilentiæ non sedit. Quænam est hæc cathedra pestilentiæ? Nota, quod cathedra pestilentiæ est dignitas, ad quam evehitur ambitiosus: iste in cathedra sedet, non veræ excellentiæ, sed pestilentiæ, quia sibi & aliis pestilens est; & hæc est super quam Scribæ & Pharisæi sedebant. *In Luc. c. 11 v. 43.*

10. *Legis doctrinæ meditatio quàm utilis, & quomodò à bono opere scientia divina oritur.*

Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte. Nota hunc sublimissimum ordinem: post recessum à malo ponitur in lege Domini voluntas ejus, & postea meditatio: Cur non prius ponitur meditatio, ad hoc, ut agnita veritate, voluntas operetur bonum? nonne voluntas est cæca, si non illuminatur ab intellectu? Sed respondetur, quod optimè, & optimo ordine hic proceditur in schola Christi: Qui enim vult pervenire ad agnoscendam sapientiam divinam, debet prius bene operari, & ab operatione procedere ad studium sapientiæ: Qui vult ergo ad beatitudinem pervenire, prius operetur bonum, postea meditetur legem Domini, quia per ipsam addiscit homo quid credendum, quid sperandum, quid amandum, quid orandum, quid loquendum, quid fugiendum, quid Deo, quid sibi, quid proximo impendendum. *Serm. 7. de Apostol.*

11. *Prædicator prius in se operetur, postea aliis prædicet: Et fructum suum non alienum in tempore suo dabit, non ante tempus.*

Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte, & erit tanquam lignum plantatū secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Nota, quod ista diriguntur quidem omnibus hominibus, sed tamen speciali titulo instruunt Concionatores verbi Dei, quorum munus super alios est habere voluntatem fixam, & radicatam in observantia legis divinæ, & in meditatione assidua ejusdem legis: Unde notandum, quod prius dicitur, quod ejus voluntas debet se exercere in lege Domini, quia debet prius in se opere complere, quod intelligit, & deinde meditari in lege Domini qualiter alios instruere debet: sicque erit lignum, & arbor plantata secus decursus aquarum, scilicet divinarum influentiarum, fructum suum dans in tempore suo: Ubi nota, quod dicit, *fructum suum*, non alienum, quia multi sunt, qui non dant fructum suum, eo quod volunt humeris aliorum onera gravia, & importabilia imponere, ipsi verò nolunt ea tangere: Nota etiam, quod dicit, *in tempore suo*, quia multi sunt, qui dant hunc fructum ante tempus suum, eo quod suâ auctoritate, volunt prius docere, quàm discere, & ideò verbum suum sæpe ratione scandali, & ignorantiæ, & malæ vitæ defluit in vanum per contemptum audientium: quia cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur. *Serm. 1. Dom. Sexages.*

12. *Cordis ardor, & amor in Domini legem qualem dulcedinem Animæ afferat.*

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur, &c. & erit tanquam lignum plantatū, &c. Nota, quod hic datur ordo, quo perveniri possit Anima ad fructus dulcissimos: prius voluntas, & cor debet esse in lege Domini: idest inflammetur incendiis divinorum desideriorum, deinde meditari legem Domini, ut intelligat, & opere exequatur: sic enim familiaritatem cum Christo Jesu acquirit, & cum familiaritate mirabilem dulcedinem dulcorantem Animam. *Serm. 1. Dom. Sexages.*

13. *Qui vult à Deo deliciis repleri, inhabitare debet cum sapientia.*

Sed in lege Domini voluntas eius, & erit tanquam lignū, &c. Vide, quod solùm fructus temporaneos dulcissimos reportat, qui cor, & voluntatem habet in lege Domini, ille qui cum sapientia inhabitat, iste à Deo diligitur ut amicus, & fructibus dulcissimis repletur. *In Sap. c. 7.* Sed quid est in lege Domini voluntatem habere? Nihil aliud, nisi sapientiam practicam legis Dei possidere, & hæc est sapientia Domini. *Ibid.*

14. *Ex contemplatione legis divinæ derivat plenitudo deliciarum cælestium.*

Et in lege eius meditabitur die ac nocte, & erit tanquam lignum, &c Nota, hic, quod ad productionem fructuum Spiritualium, præmittit meditationem legis divinæ die, ac nocte, ut intelligas, quod qui contemplantur divinas veritates, & inter frutera figurarum veritatis radium assiduè perscrutantur delicias cælestes ex influentia cælesti percipere merentur. *In Psal. 118. c. 1. v. 14.* Sed quid est, quod meditandum est in lege Domini? Respondetur quod in lege Domini tria sunt perscrutanda: nempe Dei mirabilia in se: Veritatis mirabilia relucentia in sacra scriptura, & vestigium bonitatis divinæ in creatura relucens. *Psal 18. c. 8. v. 5.*

15. *Homo fuit lignum, & arbor plantata in Paradiso terrestri.*

Et erit tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, &c. Nota, quod hic patenter loquitur Sacer textus de homine: Sed cur sub metaphora arboris hic proponitur? quia homo veluti arbor fuit formatus in principio, ut fructum suum in tempore daret: sed cur dicit, *& erit*, in tempore futuro, & non potius, & fuit, alludens ad Adam plantatum in Paradiso? Sed dicitur & erit, non fuit, quia de Adam non fit mentio in Psalterio, nisi per remotionem: quia fuit quædam arbor plantata in sui conditione, sed postea fuit folium in tentatione, in qua cecidit, & stipula in dejectione. Alluditur ergo ad hominem, qui secus

decurſus aquarum Spiritus Sancti ejus influentias recipit, à quibus defecit primus homo. *Pſal. prim.*

16. *Chriſti Humanitas eſt lignum plantatum in Paradiſo Eccleſiæ dans fructum in tempore.*

Et erit tanquam lignum, &c. Nota, dicit, *erit*: quia alluſio fit ad ſalvatorem, cujus humanitas irrigata à Spiritu Sancto plantara fuit in Paradiſo Eccleſiæ, dans fructum in omni tempore. *Pſal.* 1.

17. *Sanctiſſima Trinitas eſt lignum plantatum in Paradiſo cœleſti.*

Et erit tanquam lignum plantatum, &c Nota, quod non dicit erit lignum, ſed tanquam lignum. Quodnam eſt hoc lignum, ad cujus ſimilitudinem reducitur homo ſapientiam legis divinæ poſſidens? Hoc eſt lignum voluptatis, ſcilicet Paradiſi, ideò talis homo dicitur tedactus ad ſimilitudinem illius ligni, quod in Paradiſo cœleſti plantatum eſt; & hoc eſt ſanctiſſima Trinitas, ad cujus ſimilitudinem figuratur homo, ſi influxibus cœleſtibus Spiritus Sancti irrigatur. *Pſal.* 1.

18. *Qui innititur Spiritui Sancto, irrigatur cœleſtibus aquis.*

Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, &c. Quiſnam eſt decurſus aquarum? Et unde provenit? Nota, quod Spiritus Sanctus dicitur aqua propter tria, quia refrigerat, quia ſatiat, & ſitim ſedat, & quia liberè currit. Beatus ergo eſt, qui vivit ſecus decurſus aquarum, ideſt Spiritui Sancto, eique innititur, quia ejus decurſibus refrigeratur, ejus ſitis ſedatur, & in fluctibus reficitur. *Pſal.* 1.

19. *Prælati debent mentes ſubditorum rigare rore gratiæ, & divini verbi.*

Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Vide quid requiritur ad hoc ut homo det fructum ſuum in tempore: nempe, ut ſtet ſecus decurſus aquarum: Sed quis eſt iſte decurſus aquarum? eſt flumen in quo aqua ſemper decurrit: & ſignificat Prælatos, quorum munus eſt rigare mentes aridas ſubditorum rore gratiæ, & prædicatione divini verbi. *Pſal.* 118. Noten hoc Prælati: nam ſi ipſi ſint aridi, & rore cœleſti aridi, quid erit in ſubditis?

20. *Qui Chriſto, ejuſque vulneribus adhæret ſit lignum plantatum ſecus decurſus aquarum dans fructum in tempore.*

Et erit tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, &c. Nota, quod iſte decurſus aquarum fit in Eccleſia: Sed unde promanant iſtæ aquæ? A fonte, ſcilicet à Chriſto, ejuſque vulneribus: nam ejus influentiæ veluti aqua ſordes abluunt, ſitim extinguunt, & hortos humectant: Unde Iſaias dicit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: ex ipſis enim exit liquor Paradiſi, quo lavat nos à peccatis, potat nos aqua ſapientiæ & rigat Animas noſtras, ut poſſint ferre fructum ſuum in omni tempore: Hoc præcipue habemus à fonte lateris ſui, ex quo fluxerunt ſacramenta Eccleſiæ: Beatus ergo eſt, qui Chriſto adhæret. *Pſal.* 141. *& ſtim. divi. amor. p.* 1. *c.* 1. *&* 7.

21. *Crux Chriſti eſt lignum plantatum ſecus decurſus aquarum dans optimos fructus.*

Et erit tanquam lignum, &c. Nota hic myſticè alluditur ad lignum Crucis Chriſti, quod ex Societate Chriſti crucifixi dicitur plantatum ſecus decurſus aquarum, ſcilicet gratiarum abundantiam, quæ ſine menſura fuerunt in Chriſto: quod fructum ſuum dedit, & dat in tempore ſuo: Sed quiſnam eſt iſte fructus? Primus fructus fuit in tempore mortis ſuæ benedictæ, ex quo tot alii pullularunt; ſcilicet dæmonum expurgatio: cæteris Inferni confractio: mortuorum ſuſcitatio: captivorum redemptio: tepidorum, & frigidorum calefactio: deformium decoratio: ſitientium potatio, & refectio: Patris placatio: Januæ Paradiſi apertio: hæreditatis cœleſtis acquiſitio: duodecim fructuum Spiritus Sancti collatio. *Op. Diat. ſal. tit.* 10. *c.* 3.

22. *Lachrymarum, & contritionis fructus multiplex.*

Et erit tanquam lignum, quod ſecus decurſus aquarum plantatum eſt. Quis decurſus aquarum eſt iſte? Non alius, quàm defluxus lachrymarum, & Contritionis cordis: quia facit Animam producere fructus multiplices in tempore ſuo: Spiritum enim contritum lavat, ipſum devotum in altum levat: Spiritum malignum necat: terram cordis irrigat, ſitim ſedat, & orando efficacitet impetrat. *Op. Diat. tit.* 7. *c.* 5. O qualis virtus ineſt in lachrymis cordis.

23. *Qui irrigationibus gratiarum Domini Jeſu Chriſti ſe ſubjicit, fructum perfectiſſimum profert.*

Et erit tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarū, &c. Hic notanda ſunt tria, quæ in ligno plantato ſecus decurſus aquarum apparent: primum eſt productio fructus in tempore ſuo: ſecundum perpetuitas foliorum hujus ligni: Tertium eſt ſemper in melius proſperari: Homo igitur, qui ſe ſubjicit irrigationibus gratiarum profert fructum ſuum, ſcilicet Dominum Jeſum Chriſtum in corde ſuo cum perfectione vitæ, iſteque non negligit tempus ſuum, ſcilicet ipſi à Deo conceſſum: nec defluit in verbis inutilibus malè tempus expendendo, ſemper in melius proſperatur, cui per charitatem omnia in bonum cooperantur. *Op. Spec. Beatæ Virginis. lec.* 18.

24. *Homo divina gratia irrigatus, bibens ad fontem vitæ quaſi omnipotens redditur.*

Et erit tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum quod fructum ſuum, &c. Nota hic, quod non exprimit quales, & quot fructus parturit hoc lignum, & hoc cum maximo myſterio, quia loquens de homine qui ad fontem vitæ irrigatus eſt divinis aquis veluti ſe omnipotentem reddit, ad omneſque fructus adjuvante divina gratia extendit ſuam virtutem. *Op. Solil. c.* 2.

25. *Vir*

25. *Vir Spiritualis qualiter in tempore suo possit dare fructum suum.*

Et fructum suum dabit in tempore suo. Nota bene particulam, (*in tempore suo*:) hæc enim concetatio facit, ut irrigatio Spiritus Sancti cum fructu recipiatur: Debet enim Anima incumbere in considerationem super tempus tale à Deo creditum, nempe in se ipsam recolligendo cogitare qualiter tempus fuerit expensum, & in tempore isto quænam peccata, & negligentiæ subrepserint, qualem finem sibi præfixerit, eaque emendare, & corripere: sic enim in futuro tempore dabit fructum suum. *Op. de perfect. vitæ cap. 1.*

26. *Bonorum operum fructus optimi prodeunt malorum fructus pessimi.*

Et erit tanquam,&c. Quod fructum suum dabit in tempore suo. Ecce quàm verum est, quod ex fructibus cognoscitur arbor bona vel mala: nam verè justus irrigatus divina gratia arbor est fœcunda fructus optimos producens: Hique sunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, pietas,&c. Unde bonorum operum fructus gloriosus est; malorum verò nullus, imò pessimi fructus. *In Luc. c.6. v.43.*

27. *Qui tribulationes patienter tolerat, fructum suum dat Deo in tempore suo.*

Et erit tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum,&c. Nota etiam, quod mysticè per decursus aquarum potest intelligi decursus tribulationum, quas qui patienter tolerat, & stabiliter se circa eas conservat, hic fructus optimos producit Deo placentes. *Luc. c.21. v.30.*

28. *Impii à vento superbiæ, & castigationis divinæ projiciuntur, & conteruntur sicut pulvis.*

Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Qui sunt impii, qui sic à vento projeciuntur à facie terræ? Sunt illi, qui non irrigantur, sed sunt aridi rore gratiæ: isti à vento elationis projiciuntur, & conteruntur, sicut pulvis à Deo. *Psal.17. & 77. In Eccles. c.11. & Luc. c.9. v.5.*

29. *Impius ab igne concupiscentiæ redigitur in pulverem, & veluti ad nihilum redigitur.*

Non sic impii, sed tanquam pulvis,&c. Vide quomodò impius dicitur pulvis: Sed quomodò est pulvis? quia ab igne concupiscentiæ redigitur in cinerem, & pulverem, à ventoque dispergitur veluti ad nihilum. *Op. Dist. tit. 1. c.8.* Vide igitur finem voluptuosorum esse pessimum.

30. *Pœnitens per contritionem in pulverem redigitur, ut aliud vas fiat in honorem. Impius pariter in pulverem conteritur, ut dispergatur.*

Non sic impii, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus,&c. Si impius conteritur,&in pulverem redigitur, nonne etiam pœnitens per contritionem? Quomodò ergo hoc specialiter dicitur de impio? Sed nota, quod contritio conterit quidem in partes, sed cum unione charitatis: est enim partium tritarum unio: Unde pœnitens conteritur in pulverem, ut aliud vas fiat in honorem: At impius caret hac unione, & ideò in pulverem redigitur, sed à vento divinæ vindictæ, vel à cupiditate terrena, vel à Diabolo dispergitur in peius. *L.4. d.16. p. 1. a. 1. q. 1. ad 7. & In Luc. c.6. in fine, & c.10. v.18.*

31. *Impii quomodò dicuntur non resurrecturi in judicio.*

Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. Ergone impii non resurgent? Nonne omnes resurgent? Sed attende, quod dicit in judicio, & consilio sanctorum, scilicet ad judicandum: quia electi resurgent ad judicandum peccatores cum Christo judicio approbationis: impii autem tacebunt, & subjicientur sententiæ divinæ; In cujus signum Clerici in Ecclesia respondeot Sacerdoti, Amen, Laicis tacentibus. *Ritus Ecclesiasticus.* *In Psal. 1. & In Sap. c.3. & c.5. In Ioan. c.3. v.18. & c.5. v.29.* Nota etiam, quod postquam impii dicuntur pulvis, consequenter infertur, quod non resurgent in judicio, scilicet quia amplexati sunt terrena, & stercora terræ, ideò non resurgent in judicio, sed dispergentur ut pulvis. *Psal. 118. c.8. v.15.*

32. *Beatus vir dicitur, qui nomen Beatæ Virginis diligit, & gratia ejus irrigatur.*

Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit,&c. Quis est iste felix, qui non abijt in consilio impiorum? Ille est, qui relicto consilio,& societate impiorum,ad Mariam confugit: qui nomen Mariæ diligit, & veneratur: *Applicatio ad Mariam Virginem.* Beatus, inquam, quia aquarum fontibus irrigabitur, & in eo fructum justitiæ propagabitur. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 1.*

33. *Beata Virgo Maria est lignum plantatum secus decursus aquarum.*

Et erit tanquam lignum plantatum,&c. Quodnam est hoc lignum plantatum secus decursus aquarum, quod dedit fructum in tempore suo? Hoc est Beatissima Virgo Maria virga virtutis Dei, quæ secus decursus aquarum Spiritus Sancti omnibus gratiis irrigata, dedit Christum fructum in tempore suo, per quem omnia bona nobis provenerunt: nempe expiatio culpæ, & omnis gratiæ collatio. *Op. spec. B.Virg. lect.18.*

34. *Beata Virgo pulchritudine excellit omnes creaturas.*

Et erit tanquam lignum plantatum,&c. Nota, quod hic arbor proponitur pulcherrima, quæ fructum suum dat in tempore suo: Hæc fuit Beata Virgo Maria, quæ gratiis cœlestibus irrigata, pulchritudine, gratia, & misericordia superat omnes creaturas, fontemque suæ misericordiæ ubique extendit. *Op. Psalt. Beata Virg. ibidem.*



PSALMUS II.

1. Nota,quod hic Pſalmus ponitur ſecundo loco, ſed eſt primus quoad titulum, qui eſt Pſalmus David, ideſt modulatio de Chriſti regno, & de confuſione, & diſperſione ſuorum perſequutorum.

2. *Exprimitur congregatio malorum adverſus Chriſtum, quam pernitioſa, & Deo exoſa.*



VARE fremuerunt gentes, &c. convenerunt in unum, &c. Ecce, quod unio impiorum apparet notabilis, quia eſt contra Deum, ideò ſummè Deo exoſa. *Pſal. 47. & 54.* Vide ergo quàm ſit exoſa unio maiorum in peccatis, quàm pernitioſa: Deus enim eos irridet, & diſperdit.

3. *Gentes frementes contra Chriſtum, & populi meditantes inania ſunt intra nos. Vbi de perverſis & vanis cogitationibus.*

Quarè fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania Nota, myſticè iſtæ gentes, quæ Deum non colunt, ſed Idola, ſunt perverſæ cogitationes, & populi ſunt cogitationes vanæ, quæ in vanitatem deſluunt, iſtæ fremunt contra Chriſtum: fremere autem eſt proprium irrationabilium,quia fremunt inſurgendo pravo deſiderio contra rationem, & ad peccatum mortale inducunt. *In Pſal. 2.* Pernitioſæ igitur cogitationes in beſtiam inducunt hominem.

4. *Dæmones uniuntur ad ſubvertendum hominem cum fraudulentia, & aſtutia.*

Aſtiterunt Reges, & Principes convenerunt in unum, &c. Nota myſticè iſti ſunt Dæmones, qui appellantur Reges & Principes tenebrarum, in unum conveniunt ſimul ſe invicem adjuvando, ut hominem fraudulentia ſubvertant: & hoc maximè faciunt, dum aditum inveniunt in mente cogitationibus, & affectionibus malis occupata. *Pſal. 2.*

5. *Diabolus princeps, & Rex regens peccatores.*

Aſtiterunt Reges terræ, &c. Ergone Diabolus eſt Rex terræ, & non potius Deus? Eſt Rex terræ, ſcilicet peccatorum, qui nomine terræ exprimitur, *Pſal. 2.*

6. *Dæmones in homine per peccatum deſtruunt dona naturæ, & gratiæ.*

Principes convenerunt adverſus Dominum, & Chriſtum ejus. Nota, quod dicit (adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus) Ergone differt Dominus à Chriſto? Nonne Chriſtus eſt Dominus noſter? Reſpondetur, quod per Dominum intelligitur Creator: per Chriſtum Redemptor. & alluſio fit ad dona naturæ quæ nobis à Deo, ut Creatore conferuntur, & ad dona gratiæ, quæ ab ipſo ut Redemptore proveniunt, quia ſunt effectus redemptionis: Dum ergo Dæmones corrumpunt in nobis dona naturalia, & ſpiritualia per peccatum, tunc conveniunt ſimul cum peccatore contra Creatorem, & Redemptorem. *Pſal. 2.*

7. *Fratrem ſuum perſequens, Chriſtum perſequitur.*

Aſtiterunt gentes, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, &c. Hic loquitur de iis, qui conveniunt contra Chriſtum: Et qui ſunt? forſan Iudæi tantùm? minimè, ſed loquitur de malis Chriſtianis, qui in fratrem ſuum conveniunt: Iſti ſunt verè perſequutores Chriſti. *ſerm. 2. Dom 11 poſt Pentecoſt.*

8. *Diabolus hominem ligat, ne operetur bonum, ſub iugo ponit, ut occupetur ſemper à malo.*

Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugum ipſorum. Quænam ſunt vincula, & quodnam jugum Dæmonum, quæ ſunt à nobis dirumpenda, & projicienda? Nota quod vinculis retinemur, ne eamus, quò volumus, ſub jugo cogimur operari, quod nolumus: Alluſioque fit ad duo mala, quæ per peccatum operatur Diabolus in homine: ſcilicet impediunt à bono, & excitant ad malum: vincula igitur iſta ſunt cupiditatis, per quam ſubjicimur Diabolo tali jugo,per quod inducitur timor ad malum impellés, timor, inquam ne temporalia perdamus. *Pſal. 2.*

9. *Diabolus peccatorem iugo onerat, & vinculis ligat.*

Principes convenerunt in unum, &c. Dirumpamus vincula eorum. Qui ſunt iſti Principes? Sunt Dæmones principes tenebrarum, qui Chriſtum perſequentes hominem inducunt tentationibus in peccatum, eumque ſubjugant jugo, & vinculis peccatorum. *Serm. 1. Dom. 16. poſt Pentecoſt.*

10. *Impii dirumpunt vincula Chriſti: Iuſti conſervant, & conſtringuntur feliciter ab eis.*

Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugum ipſorum. Nota, quod ſecundùm Ambroſium hæc eſt vox iſtorum impiorum, qui conantur dirumpere vincula Chriſti, & juſtorum, & jugum ipſius ſuave excutere: Sed quænam ſunt iſta vincula Chriſti? Vincula Chriſti ſunt præcepta, & conſilia Chriſti: nam per præceptum attrahimur ad opera, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, per prohibitiones retrahimur ab iis, quæ non licet facere ſine diſpendio ſalutis, & per conſilia excitamur ad ea, quæ excedit fieri, ſed ſine culpa poſſumus præterire: ſunt igitur omnia hæc vincula dulcia, ſuavia, & ſalubria, quæ dirumpuntur ab impiis, ſed à juſtis conſervantur, & amantur. *Pſal. 2.*

11. *Impij conveniunt in unum contra Chriſtum: Iuſti pro Chriſti obſequio conveniunt.*

Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Chriſtum, &c. Vide quod duplex

duplex est conventio, & unio, scilicet in malum contra Christum, & in bonum pro Christo: prima est impiorum, superborum, & perversorum, qui conveniunt simul ad calumniandum & ad malum patrandum, & consummandum: Secunda est humilium, qui conveniunt ad addiscendum, & ad bonum operandum. *In Luc. c.10. v.11. & c.22. v.66. & c.23. v.12.*

12. *Judæi, & Gentiles convenerunt adversus Christum.*

Astiterunt Reges terræ, & Principes, &c. Nota quod dicit (*Reges terræ, & Principes, &c.*) Scilicet Gentiles & Judæi Pilatus & Synagoga cum Herode colligaverunt caudas veluti Vulpes Samsonis adversus Christum, & Christianam Religionem, sed frustra; nam evanuerunt in cogitationibus suis. *In Luc. c.23. v.12. & serm.2. Dom. 11. post Pentecost.*

13. *Vincula multiplicia sunt, quibus ligantur superbi, invidi & lascivi: à quibus cavere debent sequaces Christi.*

Dirumpamus vincula eorum, &c. Nota, quod dicit vincula in plurali, quia plura sunt vincula, quibus alligantur impii, quæ à nobis dirumpenda sunt; reducunturque ad tria capita: nempe vincula alia sunt superborum, quibus ligantur, ne moveri possint ad honorandum Deum, & inclinare se ad humilitatem: Alia sunt vincula invidiæ, ne moveri possint ad diligendum proximum: Et alia sunt vincula lasciviæ, ne moveri possint ad diligendum ordinatè se ipsos: Prima vincula dirumpenda sunt per humilitatem: Secunda per charitatem: Tertia per puritatem pudicitiæ. *serm.2. Dom.11. post Pentecost.*

14. *Deus superbos, invidos, & lascivos è cœlo irridet, & in judicio irridebit eos condemnando.*

Qui habitat in cœlis irridebit eos, & subsannabit eos. Nempe in judicio impios Deus irridet ut stultos, & postea eos subsannat, puniendo in Inferno. *In sap. c.4.*

15. *Christus habitare dicitur, ubi videtur, scilicet in habentibus fidem, in contemplativis, & in beatis.*

Qui habitat in cœlis irridebit eos, &c. Sed quomodò dicitur habitare in Cælis? nonne est ubique? Respondetur, quod licèt sit ubique per essentiam, dicitur tamen habitare tantùm, ubi videtur: ideò sic non dicitur esse in Inferno, nec in terra, idest in peccatore, sed in Cœlo, nempe in iis, qui per fidem eum vident, in contemplativis, qui eum contemplantur, & in Angelis, & Beatis, qui eum facie ad faciem vident, ergo tantùm habitare dicitur, ubi est sua gratia. *Psal.2.*

16. *Dominus Deus irridet, & subsannat superbos, & impios.*

Qui habitat in Cælis, irridebit eos, & subsannabit eos. Nota, quod irridendo fœditatem alicujus dissimulamus, subsannando naturam, quæ est simulamus: Deus autem deridere dicitur eos, qui de se magna præsumunt: subsannare, cum tam vana concipiunt de Deo, cum tam falsa, cogitant; irridet etiam Dæmones, cum se aliquid posse contra electos gloriantur, & subsanniant, cum contra Dei dispositionem aliquid facere arbitrantur. *Psal.2.*

17. *Christus constitutus est à Patre Rex super totam Ecclesiam, ut sit Iudex vivorum, & mortuorum, & præcipuè, ut homines instruat per se, & per concionatores.*

Unde dicit hic: *Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus*: Scilicet super montem Ecclesiæ homines regens, & eis communicando suam doctrinam: hoc enim est præcipuum munus Prælatorum. *In Luc. c.22. v.14. & 42. & c.13. v.2. & Psal.33. & In sap. c.9.*

18. *Generatio filij in divinis semper præsens, & perfecta ab æterno.*

Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te: Nota illam particulam, (*hodie, & genui*:) nam hoc præteritum, (*genui*) significat perfectionem generationis filii; & illa particula (*hodie*,) denotat eam æternam, & semper præsentem: hodie, idest in nunc hodie æterno. *In sap c.8. serm.2. Hexaem. In Psal.18. & 84. & 94. In Luc. c.3. v.22. & c 9. v.35.*

19. *Christus advocatus noster est apud Patrem ostendendo cicatrices suas, & interpellando pro nobis.*

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hoc dixit Pater Christo, & hinc ejus munus est postulare, & interpellare tanquam advocati apud Patrem, tum dicto, tum facto, ostendendo ei propria vulnera, & simul faciendo nos interpellare, & simul cum ipso rogare Patrem. *Psal.2.*

20. *Ecclesia est hæreditas Christi ab ipso exaltata, & Christum pascens.*

Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quænam est hæc hæreditas Christo promissa à Patre? Hæc est congregatio fidelium, scilicet Ecclesia quæ dicitur hæreditas Christi, quia eam possidet, eam colit, & quia ipsam pascit, ejus voluntatem faciendo. *Psal 2. & In Luc. c.10. v.14. & c.14. v.46. & In Ioan. c.19. v.21.*

21. *Proprium Christi munus est postulare à Patre pro nobis: aliorum autem est rogare.*

Postula à me, &c. Cur dixit, *postula*, & non roga? quia postulare est filiorum; rogare est servorum: Christus igitur, ut filius postulat à Patre, ad quod quatuor requiruntur: nempe indigentia respectu nostri: confidentia impetrandi: postulati largitas, & postulanti stabilitas: Ad hoc etiam admittuntur servi facti ex gratia adoptivi, ad hoc ut postulent sine hæsitatione. *Op. de dono sap. c.3.*

22. *Ant*

22. *Anima in peccato eſt vas confractum, quod in præſenti poteſt per pœnitentiam reparari, in morte erit irreparabile.*

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Nota illud (*tanquam vas figuli:*) ut diſcas, quod Anima per peccatum veluti vas confringitur, poteſtque reparari in præſenti per pœnitentiam, ſed in morte erit irreparabile. *In Luc. c.4. v.19.*

23. *Deus malos regit ad depreſſionem, & bonos ad exaltationem.*

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Ergone regimen Chriſti tendit tantùm ad depreſſionem, & ruinam, & non potius ad reparationem? Nonne ipſe eſt conſtitutus Redemptor hominum? Nota, quod Chriſtus conſtitutus eſt Rex ſuper bonos, & malos: ſuper bonos ad exaltationem: ſuper malos, & obſtinatos ad depreſſionem, & ruinam: cum ſancto enim eſt ſanctus, & cum perverſo pervertitur, *Pſal.55.*

24. *Chriſtus Iudex æquiſſimus.*

Reges eos in virga ferrea. Cur in virga ferrea dicitur regere Eccleſiam? Ut denotetur ejus æquitas, quæ eſt inflexibilis, ideò dicitur in virga ferrea. *Pſal.118. c.9. v.16.*

25. *Prælato eſt neceſſaria circumſpecta diſcretio, & provida faciendorum conſideratio, & cognitio.*

Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Vide quid neceſſarium ſit Regibus, & Prælatis, ſcilicet cognitio, & eruditio: nempe circunſpecta diſcretio, & faciendorum provida cognitio, & conſideratio: ut ſciant quid agendum ſit, & qualiter: non enim bonum eſt bonum niſi rectè fiat: & hoc totum facit diſcretio, ſine qua Zelus præcipitat, & degenerat in vitium, compaſſio ſub ſpecie pietatis nimia, patientia nimis remiſſa: debet eſſe etiam circumſpectus circa ſe, circa conſcientiæ ſerenitatem, & exteriores mores, & verba. *Op. de ſex alis Seraph. c.7.*

26. *Timor Domini eſt maximè habendus ob tria.*

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Cur ſerviendum eſt Deo cum timore, & non potius cum amore? quia omnis quantumcumque perfectus debet Deum timere, maximè propter tria, ſcilicet ob ſui inſufficientiam, ob culpam occultam, & propter futuram ruinam, ne in peccata cadat. *Pſal.2.*

27. *In Eccleſia ſtandum cum timore, & tremore.*

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Nota connexionem verborum: Quomodò exultatio ſtare debet cum tremore? Sed attende, quod loquitur ſervientibus Deo, nempe nobis, dum in Eccleſia adſtamus actu Deo pſallentes, & ſervientes: cum enim Deus ubique ſit præſens, maximè tamen in Eccleſia adſtat peculiari modo, ad cujus conſpectum debemus ſtare, & pſallere cum timore, ſcilicet cum reverentia interiori, & cum tremore, ſcilicet exteriori. *Op. ſpec. diſcipl. p.1. c.15.*

28. *Vult Deus, ut ſpontaneè aſſumamus mortificationem.*

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus. Nota, quod dicit, (*apprehendite*) quia cum duplex ſit tribulatio, & pœna: Alia aſſumpta voluntariè: Alia coacta: Primam à nobis exigit Deus, ut meritoriam, & ſibi placentem. *Pſal. 45. & 114. & Pſal. 118. v.66.*

29. *Diſciplina eſt antemurale cuſtodiens virtutem Animæ, & ipſam ab ira divina defendens.*

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, &c. Quænam eſt hæc diſciplina quam vult Deus, ut apprehendamus? Nota, quod diſciplina eſt converſatio honeſta, quæ vitare contendit malum, & in bonis actibus irreprehenſibilis apparet: Unde reſpicit bonos mores interius quoad Deum, & ad ſe, & exterius, quoad alios: Hanc exigit meritò Deus à nobis, quia eſt antemurale defendens Eccleſiam, & hominem ab omni malo. *Op. Declar. terminor. Theol. & Op. ſpecul. Diſcipl. p.1. c.7. & In Thren. c.1.*

30. *Diſciplina aſſumenda eſt à nobis, ne patientiæ divinæ limites tranſigamus.*

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus; Ideſt, ne furorem divinum concitemus: Deus enim patiens eſt in præſenti, quia malis multa bona præſtat, quia peccatores expectat, & quia conſolatione punit: quod non facit in alia vita. *Pſal.2.*

31. *Spes confidentiam in Deo confert ex promiſſionibus Dei.*

Beati omnes, qui confidunt in eo. Ergo, qui vult in hac vita eſſe beatus, & felix, debet in Deo confidere: ſed unde oritur hæc confidentia? ex ſpe in Deum, quæ innititur promiſſionibus divinis. *Op. de ſex alis Cherub.*

32. *Sub protectione Beatæ Mariæ Virginis fruſtra fremunt, & inſurgunt in nos Dæmones & hoſtes noſtri.*

Quare fremuerunt gentes, inimicique noſtri, & adverſum nos meditati ſunt inania? Cur ſub nota interrogationis incipit hic Pſalmus, tractans de perſecutionibus Regum, & Principum contra Chriſtum? Cur non modo purè narrativè hæc proponit? Sed adverte, quod tali pacto procedit, ut tandem concludat, quod furtim Diabolus, & perverſi homines tales perſecutiones movent, cum Deus eos de Cœlo irrideat, & ſubſannet eorum tentamenta vana? Et adhuc quæras, cur Deus eos irrideat, & qualiter dirumpit iſta tentamenta? Quia ipſis appoſuit virtutem protectionem, & mediationem Beatæ Virginis Mariæ: Ipſa enim protegit nos dextera ſua, ut Mater Dei ab inimicis noſtris, & ut acies terribilis

Applicatio ad Beatiſſimam Virginem.

eos

eos confundit, & destruit, & ideò frustra fremunt, & adversum nos meditati sunt inania. *Op. Psalt. Beatæ Virg. Psal.2.*

33. *Maria Virgo constituta est Regina totius mundi.*

Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum, &c. Hoc dicebat Christus: hoc idem suo modo dicit Maria constituta Regina totius mundi: Unde nobis dicitur: Venite ad Mariam, qui laborati, & tribulati estis, & dabit refrigerium Animabus vestris: Accedite ad eam in tentationibus vestris, & stabiliet vos serenitas vultus ejus. *Psalt. B. Virg. Psal.2.*

34. *Beata Virgo Maria Regina mundi regit Dæmones in virga ferrea.*

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli eos confringes. Hoc dicebat David loquens Christo: hoc idem in mysterio dicebat Beatæ Mariæ Virgini: nam Beata Virgo Maria est virga ferrea Dæmonibus & incorrigibilibus, quia ipsa imperat ipsis, compescit, ne nobis noceant. *Op. spec. B. Virg. Mariæ lect.12.*

35. *Serviendum est Mariæ Virgini, quia ejus misericordia plena est terra.*

Servite Domino in timore, &c. Si Domino servire debemus ergo & Mariæ Matri ejus: Benedicite igitur illam in toto corde vestro: Misericordia enim illius plena est terra. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.2.*



PSALMUS III.

Titulus: Psalmus David, cum fugeret à facie Absalon.

1. *Christus conqueritur de multiplicatione tot inimicorum.*

DOMINE *quid multiplicati sunt, qui tribulant me, &c.* Nota, quod hic Psalmus habet hunc titulum: Psalmus David, cum fugeret à facie Absalon: quia ab eo tunc fuit compositus: & fuit figura persequutionum inimicorum, de quibus conquerebatur Christus. *Psal 3.*

2. *Ecclesia conqueritur de tot hostibus, qui contra ipsam multiplicantur in dies.*

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me, &c. Nota, hæc est vox Ecclesiæ, quæ conqueritur de multiplicatione inimicorum contra ipsam quotidiè insurgentium *Psal.3.* Nota etiam, quod hæc est vox eorum, qui à Dæmone vexantur tribulationibus, & tentationibus: nam accurrunt, & concurrunt contra hominem die, ac nocte Dæmones ad obsidendum ipsum. *In Luc. cap.8. v.30. op. Instructio. Sacerd. ad Missam.*

3. *Mors Christi dicitur dormitio.*

Ego dormivi, & soporatus sum, &c. Nota hæc dicuntur in persona Christi, qui in passione sua dicitur obdormisse propter tria: primò propter facilem evigilationem: Secundò propter minimam moram, & propter integritatem, quia perfectè idem resurrexit. *In Psal.3. & 13. & 50. & in Luc. cap.14. v.6. & In Ioan. c.2. v.19.*

4. *Resurrectio Christi quarè à David, & cæteris sanctis desiderabatur ardentissimè.*

Exurge Domine salvum me fac, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: Hæc sunt verba Sancti David, qui cum cæteris sanctis Patribus desiderabat videre gaudium, & infinitum beneficium advenrasset gloriæ Christi suis diebus; & meritò, ut patefieret potestas, & virtus Christi, & daretur nobis exemplar nostræ resurrectionis. *Serm.1. in Pascha.*

5. *Christus nos liberavit sua passione, & resurrectione ab omni malo.*

Salvum me fac, &c. Ecce quid subdit David desiderans Christi resurrectionem, quia sciebat per Christi adventum salvandum esse hominem à culpa, à pœna, & calamitate præsentis miseriæ. *Serm.1. in Resurrectione.*

6. *Christus nos liberavit ab oppressione diabolica injusta.*

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. Qui sunt isti adversantes sine causa? Sine causa, idest injustè: nam licèt homo justè detineretur, tamen Diabolus injustè detinebat: Et ideò Christus exterminavit hanc persecutionem injustam justè triplici de causa: Primò, quia Diabolus fraudulenter usurpaverat dominationem super hominem: Secundò, quia sua malignitate suggessit Judæis occisionem Christi: Tertiò, ne per similem dominationis usurpationem destrueretur ordo universi. *Serm.1. in Resurrect.*

7. *Non solùm ad Christum, sed & ad Mariam Virginem recurrit Ecclesia, & Anima in tribulationibus posita.*

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me. Nota, hæc ad Mariam Virginem dirigenda sunt, dicendo, Domina quid multiplicati sunt, qui tribulant me? quia Maria Virgo est quæ dissolvit colligationes impietatis nostræ, dissipat inimicos nostros, tollit fasciculos iniquitatum nostrarum, sanat infirmitates nostras, & liberat nos ab omni malo in hac vita, & in morte, & deducit ad portum salutis. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.3.* *Applicatio ad Beatissimam Virginem.*



PSALMUS IV.

Titulus: In finem Psalmus Cantici.

1. *Ad Christum, & ad gloriam æternam, ut ad finem dirigenda sunt omnia nostra.*



OTA, hic est titulus hujus quarti Psalmi quia post canticum consecutus est iste Psalmus, litteraliter: Sed mysticè datur intelli

intelligi, quod ad finem noſtrum, ſcilicet ad Chriſtum, & ad æternam gloriam dirigenda eſt tota vita noſtra, & quælibet operatio. *In Pſal.4.*

2. *Deus ab interiori eſt invocandus ab eo, qui vult exaudiri.*

Cum invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ, &c. Nota illud verbum, (*Invocarem*) non dicit vocatem: Sed invocarem: quia invocare eſt ab interiori ad Deum recurrere, ut exaudiat, & ſit dator juſtitiæ ſuæ: qui enim ſic Deum invocat, facile exauditur. *In Pſal.95.*

3. *Deus in tribulatione, & pœnitentia dilatat cor, & lætificat Animam.*

In tribulatione dilataſti mihi. Nota in tribulatione dilatatus eſt: ſcilicet dum exiſtens in tribulatione, & pœnitentiam ageret, juſtificationemque affectaret, dilatavit Deus ejus cor ab interiori ad exterius per conſcientiæ lætificationem, quia pœnitentia, & tribulatio pro Chriſto tolerata, affert lætitiam cordi. *Pſal 118. cap.2. v.16. & c.4. v.8.* Et hinc ſubdit, *miſerere mei, & exaudi orationem, &c.*

4. *Peccatum grave onus.*

Filij hominum uſquequo gravi corde. Nota, quod dicit, (*gravi corde:*) Quid eſt, quod reddit grave cor? Hoc eſt pondus, cui ſubjicitur cor actibus malis intentionibus, nempe peccati, quod eſt graviſſimum pondus. *Pſal.34.*

5. *Diligere divitias, eaſque ſectari, eſt diligere, & ſectari vanitatem, & ventum.*

Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Qui ſunt, qui diligunt, & ſectantur vanitatem, & mendacium? Nonne omnes quærunt quæ ſua ſunt? Sed transfer mentem ad illud Eccleſiaſt. *capit.5.* ubi Salomon loquens de avaro divitias quærente, dicit, *Quid ergo prodeſt, quod laborat in ventum:* Ergo divitiæ rectè comparantur vento propter vanitatem: quia deficiunt, & relinquunt vacuum hominem ipſas quærentem. *In Eccleſ. c.5. & 6. & op. de contemptu ſæculi.*

6. *Ad amplexandam humilitatem, & veritatem, & ad fugiendum mendacium, quod in nobis eſt, nos invitat Spiritus Sanctus.*

Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Non ſolùm vult Deus, ut fugiamus vanitatem, ſed & mendacium: Sed quid eſt diligere mendacium? Nota diligere mendacium eſt abhorrere vanitatem, hic autem non loquitur de mendacio, quod prolatione verborum committitur, ſed de mendacio quoad exiſtimationem ſui: Vult enim Deus, ut homo ſe agnoſcat qualis eſt in ſe ipſo, nec ſibi mentiatur, ſcilicet, quod eſt vilis, infirmus, inops boni, vitioſus, peccator, & omnibus defectibus plenus, nec mentiatur ſibi, credens ſe eſſe aliquid, cum ipſe nihil ſit; & hic eſt primus gradus humilitatis. *Op. de perfect. religioſ. l.2. c.31.* Qui igitur ſe aliquid eſſe credit, cum nihil ſit, ipſe mendax eſt.

7. *Mendacium, & dolus Deo ſunt exoſa.*

Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis, &c. Ecce, quod Deus ſummopere abhorret ſectantes mendacia, & dolos? cum enim ipſe ſit ſumma veritas, per conſequens etiam vult, ut Chriſtiani ſint filii veritatis. *Serm.2. In feſto omnium ſanctorum.*

8. *Et ſcitote, quia Dominus ſanctum ſuum mirificavit, &c.*

Nota, quod hic eſt diapſalma, ſcilicet continuatio rerum diſparatarum: nempe aliud antea loquebatur, & aliud ad aliam ſpectans materiam ſubjungit; ſubdit enim mirificationem, & exaltationem factam à Patre de Chriſto ſancto ſanctorum. *In Pſal.4. & 16.*

9. *Ira, quæ eſt neceſſitatis, ſcilicet primus motus permittitur à Deo, quia ſine peccato eſt: Ira, quæ eſt contra vitium ſine offenſa charitatis eſt cum merito.*

Iraſcimini, & nolite peccare, &c. Ergone Deus præcipit iracundiam, quæ eſt vitium capitale? minimè: Sed attende, quod ira, quæ eſt neceſſitatis, ſcilicet primus motus eſt à Deo permiſſa, quia eſt ſine peccato: Unde dicitur, (*iraſcimini,*) ideſt permittitur vobis. *In Pſal.69.* Eſt etiam ira ſancta, & meritoria, quæ eſt contra vitium ſine læſione charitatis: & hæc à Deo diligitur, maximè in Prælatis. *Serm 1. Dom.5. poſt Pentecoſt. & Pſal.57. & 65. & 118. v.10. & 14. & l.1. d.47. a.1. q.1. & In Eccleſ. c.7. & op. expoſ. Regul. frat. min. c.7. & op. comp. Theol. l.3. c.14.*

10 *Perfecta cõpunctio oritur ex timore, & ſpe.*

In cubilibus veſtris compungimini. Quid eſt compungi in cubilibus? ſcilicet in conſcientiæ cubili debet oriri compunctio, quæ gignitur ex timore, ſcilicet culpæ & pœnæ, ſed erigitur ex ſpe in Deum, hæcque ei eſt perfecta, eſt ordinata ad dolorem peccatorum, & ad dilectionem Dei. *l.4. d.16. p.1. dub.3. & Pſal.62. & op. de ſex alis Cherub. & Ioan. collat.21.*

11. *Sacrificium Juſtitiæ quale ſit.*

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ. Quodnam ſacrificium eſt juſtitiæ? Nota, quod ſacrificium juſtitiæ eſt quando quæ Dei ſunt, Deo tribuuntur & quæ ſunt mundi mundo, nempe quod eſt Cæſaris Cæſari, quod eſt Dei Deo datur. *Pſal.65.*

12. *Juſtitia eſt velut Dea in mundo minori, ſcilicet in corde, cui offerri debet ſacrificium.*

Sacrificate ſacrificium. Sed quis eſt, cui offerri debet hoc ſacrificium? Ipſi Juſtitiæ: Nota igitur, quod juſtitia eſt veluti Dea noſtri Microcoſmi: ſicut enim Deus in Macrocoſmo, vel majori mundo diſponit omnia in numero, pondere, & menſura: Sic Juſtitia in homine facit, ut in omnibus meritis, & operibus noſtris ſit numerus

numerus bonæ operationis : pondus sanctæ affectionis,& mensura intentionis : unde ipsi debetur ut nobilissimæ Deæ sacrificium justitiæ. *Op Diet. sal. tit. 5. c. 8.*

13. *In Anima infusum est lumen innatum, quo possit intellectus omnia aliqualiter videre, amplexanda, & fugienda.*

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quodnam est hoc lumen in mente superiori impressum ? nisi quædam lux ad intellectum agentem spectans, quo imbutus intellectus possit omnia actu videre amplexanda, & fugienda, veluti habitu informatus. *l. 2. d 24. part. 1. art. 5. quæst 4. & serm. 3. & 4. Hexaem. & Luc. cap. 12. vers. 57.*

14. *Lumen divinæ veritatis aliud est extra nos, aliud intra nos, aliud supra nos.*

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, &c. Nota, quod dicit, (*super nos :*) quia habemus lumen extra nos, intra nos, & supra nos : primum est per vestigium, quo ducimur per creaturas ad Deum, secundum est imago sanctissimæ Trinitatis impressa in Anima : & tertium est lumen æternæ veritatis informans mentem, & eam introducens in sancta sanctorum contemplationis divinæ altissimæ. *Op. Intiner. ment. cap. 5. & Op. de septem Itiner. aeternit. Itiner. 6. d. 4. & serm. 12. Hexaem. & serm. 3. & Psal. 118. v. 41. & Op. de tribus ternar. peccat. cap. 8. In Ioan. c. 1. v. 9.*

15. *Dei gratia configurat Animam ad similitudinem vultus Dei.*

Signatum est super nos lumen vultus tui, &c. Nota, quod hoc lumen etiam dicitur gratia, quæ à Deo descendit, & imprimitur in Anima, ipsam configurans ad similitudinem vultus Dei. *Psal. 70. In Luc. c. 50. v. 24.*

16. *Crux Christi est lumen indicans nobis vultum, & qualitates Crucifixi.*

Signatum est super nos lumen vultus tui, dedisti lætitiam in corde meo. Nota hic, quod etiam à pluribus sanctis Patribus, & Doctoribus pro lumine indicante vultum Dei intelligitur mysticè sancta Crux Christi, quæ nobis in Baptismo imprimitur : & ideò rectè Ecclesia ordinavit, ut in legendo Evangelium, fiat Crux super librum, & in fronte & in ore, & in pectore, quasi dicat, hic est liber Crucifixi Crucifixum non erubesco, Crucifixum prædico, Crucifixum credo. *Sic apud Ugonem Cardinalem.* Meritò igitur dicitur lumen vultus Christi, quia est veluti speculum, & signum ducens mentem in cognitionem, & venerationem Crucifixi. *l. . d. 9. a. 1. q. 4.* Et hinc subdit Propheta, *dedisti lætitiam in corde meo,* quia mirabiles, & plurimi effectus redundant in Animam ex signo Crucis. *Serm. 1. in Invent. S. Crucis, & serm. in exaltatione S. Crucis & serm. 1. in Dedicat. Templi.*

17. *Ex sacra scriptura oritur fructus frumenti, vini, & olei.*

A fructu frumenti, vini & olei multiplicati sunt, Quænam est multiplicatio ista frumenti, &c. Sed attende, quod ex sacra scriptura totum hoc habetur, nempe multiplicatio maxima, & abundans omnium fructuum, scilicet frumenti quantum ad sensum allegoricum, Vini quantum ad tropologicum, & olei, quantum ad anagogicum, qui sicut oleum cæteris liquoribus supernatat, superiorque est cæteris omnibus. *Serm. 14. Hexaem.*

18. *Multiplicatio electorum in Ecclesia ex sacramento sanctissimæ Eucharistiæ.*

A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt. Ergone multiplicatio filiorum orta est à frumento, à vino, & oleo, & non potius à fœcunditate parentum ? Sed attende quod hic loquitur de multiplicatione filiorum Ecclesiæ, scilicet electorum, & prædestinatorum, quæ orta est à fructu frumenti vini, & olei, scilicet ab expositione facta in Ecclesia sacramenti Eucharistiæ, in quo est frumentum, scilicet corpus : Vinum, scilicet Anima, & sanguis, & oleum, scilicet Divinitas, & unctio Spiritus Sancti, ex ipso proveniens : Ab hoc fructu multiplicati sunt filii in Ecclesia, & multiplicata est Ecclesia in filiis. *Op. specul. B. M. Virg. lect. 16.*

19. *Ubi est pax, ibi Christus requiescit : Abest autem in corde rixoso.*

In pace in idipsum dormiam, & requiescam Quid est in pace in idipsum ? Nota, quod hæc sunt verba Christi, quibus dat intelligere, quod sicut in lecto spinoso nullus potest requiescere : è contra benè dormit, & requiescit in molli culcitra : sic in corde rixoso, & inquieto Christus non habitat, nec requiescit, sed dormit, & requiescit in mente tranquilla : Cor enim pacificum est locus, lectus, & habitatio Christi. *Op. Diat. Tit. 7. c. 6. In Psal. 52.* Addit autem in idipsum, per quod significatur permanentia immutabilis. *Ibidem.*

20. *Christus in dormitione mortis requievit in linteo, in Aromatibus, & in lapide, ut requiesceret in Anima his tribus qualitatibus prædita.*

In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Notandum, quod hic innuitur dormitio, scilicet mors Christi, ejusque sepultura : per quod significatur mysticè quod sicut tunc requievit in linteo, in aromatibus, & in lapide : sic hæc tria exigit Anima nostra, ut in ea requiescere possit : scilicet linteum munditiæ, aromata virtutum, & lapis perseverantiæ. Quando igitur hæc concurrunt, tunc Christus requiescit, & dormit in Anima. *Serm. 1. in Sabbato sancto.*

21. *Qui vult æternaliter requiescere dormire debet in lapide pænitentiæ.*

In pace in idipsum dormiam, & requiescam.

Nota, quod primò ponitur dormitio, poſtea requies: Dormitio mortem ſignificat: ergo debes dormire in pace: Sed quomodò in pace: Ad ſimilitudinem Chriſti, qui in morte poſitus fuit in lapide in ſepulchro: ſic homo debet deccedere in lapide duro pœnitentiæ: ſic enim in pace dormiet, & æternaliter requieſcet. *Serm. Dom. 2. poſt oct. Paſchæ.*

22. *Qui Chriſtum poſſidet, verè in pace dormit & requieſcit.*

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Quid eſt in pace in idipſum? In pace in idipſum, ſcilicet in Chriſtum, qui eſt pax. Hoc dicebat Simeon, quando præſentia Chriſti fuit ditatus: hoc & dicere poteſt, qui Chriſtum per gratiam poſſidet: Iſte enim in pace dormit, & requieſcit, quia omnis tranquillitas, & bonum ei advenit cum Chriſto. *In Luc. c. 2. v. 29.*

23. *Dormitio multiplex ſpiritualis Animæ proponitur.*

In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Nota hæc dicuntur ab homine juſto; ſed quia multiplex eſt ſtatus Deo ſervientium, ideò etiam multiplex dormitio ſpiritualis: quidam enim dormiunt in contemplatione: eſt enim dormitio deſiderabilis, quæ facit Animam tranquillam: quidam dormiunt in expectatione: & hæc eſt activorum, qui laborant in hac vita pro Chriſto expectantes tandem præmium; quidam in requie, & hæc eſt Beatorum, qui in cubili gloriæ dormiunt. *Pſal. 4.*

24. *Qui devotè invocant Beatam Virginem exaudiuntur ab ipſa.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Cum invocarem exaudivit me Deus, &c.* Nota hæc etiam poſſe verti ad Beatam Virginem Mariam: nam qui devotè invocant eam, etiam audiuntur, & exaudiuntur ab ipſa, quia ex ſublimi ſolio ſuo nos aſpicit, & ſuorum devotorum recordatur. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 4.*

25. *Beata Virgo in tribulationibus, & tentationibus liberat ſuos.*

In tribulatione dilataſti mihi. Ecce quid facit Beata Virgo: nam in tribulatione, & tentatione poſitos ipſam invocantes liberat à rugientibus præparatis ad eſcam, & de manibus quærentium Animam ipſorum. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 4.*

26. *Miſericordia Mariæ nos invitat ad ipſam invocandam.*

Miſerere mei, & exaudi orationem meam, &c. Hoc dicit homo ad Deum: hoc & dicere debemus Beatæ Mariæ Virgini: quoniam benigna eſt miſericordia ejus, & pietas in omnes, qui invocant nomen ſanctum ejus. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 4.*

27. *Homo reſpuat vanitatem, & mendacium rerum terrenarum, & ad benedicendam, & invocandam Mariam ſe convertat.*

Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, &c. Quaſi dicat: fugite, & dimittite mendacia, & vanitatem rerum terrenarum, nec in iſtis rebus vanis confidite: Sed benedicite Mariam Virginem, & glorificate eam in tota virtute, & extollite magnificentiam ejus, quoniam miſericordia ejus eſt benigna in omnes eam invocantes. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 4.*

28. *Multiplicatio filiorum Eccleſiæ eſt fructus Mariæ Virginis.*

A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt, &c. Sed unde or... eſt iſte fructus? A qua terra? Per quem multiplicati ſunt filii Eccleſiæ? Nota hæc terra benedicta, quæ dedit hunc fructum multiplicativum filiorum Eccleſiæ eſt Beatiſſima Virgo Maria: Nam omnes filii Eccleſiæ, ſunt hæreditas, & merces fructus Ventris Mariæ: Ipſe enim Dominus natus ex Virgine factus eſt fructus ventris, cujus aſſumpta humanitas hanc accepit mercedem, ut gentes vocatæ in filiis ſint hæreditas ejus. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 12.*

29. *Euchariſtia, ejuſque effectus ſunt fructus Beatæ Virginis Mariæ.*

A fructu frumenti, vini, & olei, &c. Nota, quod per frumentum intelligitur Corpus, per vinum ſanguis, per oleum Divinitas, & unctio Spiritus Sancti: quæ omnia ſunt fructus Ventris Beatæ Virginis, quia ipſa protulit nobis tot bona. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 12.*

30. *Maria Virgo terra benedicta, Vitis, & Oliva, quæ nobis protulit frumentum, vinum, & oleum Paradiſi.*

A fructu frumenti, vini, & olei, &c. Vide quales fructus Beata Virgo nobis protulit, ſcilicet frumentum, vinum, & oleum: eſt enim terra benedicta, vitis, & oliva, quæ nobis protulit Chriſtum, in quo eſt frumentum corporis, & vinum ſanguinis, & Animæ: & oleum, ſcilicet Divinitas, cum donis gratiarum Spiritus Sancti: O Beata Virgo Maria verè cœleſtis planta pretioſior cunctis, ſanctior univerſis: O verè lignum vitæ, quod ſolùm fuit dignum portare ſalutis fructum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 12.*

31. *Fructus Beatæ Virginis nobis expoſitus, quàm nobilis, quàm copioſus, quàm utilis.*

A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt. Si iſte fructus eſt nobis expoſitus per Mariam Virginem, conſidera, quàm ſit nobilis, quia provenit ab utero regali, & virginali, quàm delicioſus ſuavi odore, ſublimi decore, & dulci ſapore, quàm virtuoſus ad perditorum ſalutem, ad ſalvandorum multiplicationem, & ſanctitatis conſervationem: quàm copioſus ob refectionem pleniſſimam Animæ. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 12.*

PSAL

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

PSALMUS V.

Titulus : Pro ea , quæ consequitur hæreditatem.

1. *Ecclesia Catholica libera : Synagoga captiva.*



TITULUS hujus psalmi est hic : Pro ea , quæ consequitur hæreditatem : Ex quo patet, quod hic psalmus ordinatus ad prædicandam libertatem Ecclesiæ Catholicæ , ut hæredis legitimæ Christi : Dicitur enim libera , quia liberata est à peccato , ab onere legis, & à Diabolo : è contra Synagoga captiva , quia servit pro temporalibus, & pro timore mortis , & quia non poterat solvi à peccatis. *In Psal.5.*

2. *Deus vult perseverantiam in oratione, etiam si videatur non curare, vel attendere.*

Verba mea auribus percipe Domine , intellige clamorem meum, &c. Ad quid hæc intonat propheta ? nonne semper Deus audit orationem nostram ? Cur rogat , ut verba auribus percipiat ? Sed attende , quod Deus quasi aliis occupatus orantis affectum non curare videtur , quasi videat , & orantem tranquillè sustineat , sed non respondeat ei , aliis intentus : unde orans exit confidenter in hæc verba : ex quo intendit Deus à nobis perseverantiam in oratione. *Op. de perfect. Relig. l.2. c.67.*

3. *In oratione Anima debet respicere ad Deum , ut ad Dominum, ut ad Regem, & ut ad Deum.*

Intende orationi meæ Rex meus , & Deus meus. Nota quod Anima orans appellat Dominum, Deum suum , (Verba mea auribus percipe Domine,) Regem, & Deum : quia ut Domino debetur timor , ut Regi honor , & ut Deo amor : Sic Ugo : Exprimit autem per ultimam vocem, (*Deus meus*) immutabilitatem Dei, quia non mutatur per affectus , nec per loca, nec per tempora, sed tantum per affectus : & ideo Anima orans, ad majestatem Dei debet respicere. *In Psal.5.*

4. *Oratio matutina Deo charior.*

Mane exaudies vocem meam : Mane astabo tibi , & videbo , &c. Cur mane , & non in sero, vel in meridie ? Quia sciebat Propheta , orationem matutinam esse Deo gratiorem : Sicut enim manna colligebatur ante ortum solis , & post ortum liquefiebat , sic ad benedictionem gratiæ obtinendam , oportet prævenire solem , mane vigilando. *In Sap. c.16.*

5. *Proprium Angelorum , & iustorum est in conspectu Dei in oratione stare.*

Mane orabo tibi, & videbo, &c Cur astabo, & non potius prostratus , vel genibus flexis ? Nota, quod hoc est proprium Angelorum stare in conspectu Dei , non sedere , non jacere, sed fixos, & erectos super utrumque pedem stare , & sic viri angelici, & spirituales tendentes ad perfectionem debent stare ante Deum , nempe habere erectam affectionis , & intentionis elevationem ad cœlestia & ad finem, ac immobilem æternorum contemplationem : Sic dicebat David, *mane astabo, & videbo, &c.* *Op. Eccles. Hier. p.1. c.2.*

6. *Iuvenes religiosi orationi maximè incumbant : & hoc præcipuè in summo mane.*

Mane astabo tibi , & videbo , quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Notanda sunt diligenter hæc verba : nam Regius Psaltes , quod sibi proponit velle in mane adstare coram Deo, ipsumque videre , & hoc quia Deus odit iniquitatem; Sed cur eligit mane , & non potius vesperam ad ablegandam iniquitatem , & peccatum à se ? Optimè , & optimo ordine hæc dictantur à Spiritu Sancto : Dicit , *mane* , quod potest referri ad mane juventutis Deo dicatæ , ut intelligant Tyrones in via Dei , quod si voluerint à se abdicare iniquitates, & peccata, & cursum totius vitæ illibatè ducere , debent mane adstare coram Deo in oratione : hæc enim in horto Domini plantulam fovet , provehit & confirmat : Discant ergo una saltem diei , vel noctis hora tempus , & otium vendicare , quando ad se reversi , mentisque cubiculum ingressi orent in abscondito Patrem suum & in corde contrito , & humiliato universorum Domino familiariter adstent ; Hoc præcipuè faciant , sicut David, manè surripiendo carni aliquam partem requiei matutinæ , cum illâ hora Christus resurrexerit : tunc est tempus allidendis ad petram parvulis mortificandæ carni, & recreando spiritui opportunum : tunc spirituales aviculæ dulcem Deo in cordis organo exhibent melodiam : talesque opportunitates minimæ non negligendæ. *Op. Spec. discipl. part.2. cap.1. & In Psal.29.*

7. *Iusti adversa pro Christo tolerantes , adstare coram Deo dicuntur, ipsumque videre.*

Mane astabo tibi, & videbo, &c. Quid est astare mane coram Deo , nisi cum fortitudine vera adversa omnia tolerare pro Christo, & cum gaudio ? hoc enim causat menti lucem mirabilem. *Op. de dono fortitud. c.2.* Et hinc dicebat Job, *c.42. v.5. Auditu auris audivi te : nunc autem oculus meus videt te :* Nunc , scilicet dum patienter tolero pœnas, video te : sic exponit B.Gregor.

8. *Justi dicuntur astare coram Deo , & videre ipsum per donum consilii.*

Mane astabo tibi, & videbo, &c. Sic dicebat iste justus, & sic facere debent omnes Deo servientes: nempe mane astare coram Deo sollicitè inquirendo , & videre intelligendo quænam sit Voluntas Dei exequenda. *Op. de dono Consilii c.4.*

9. *Compunctio cordis illuminat mentem , holocaustumque perfectum Deo offert.*

Mane astabo tibi, & videbo , &c. Nota , quod mane est post tenebras noctis ; Prophetaque protestatur , quod post orationem vult astare

mane : quia ſciebat , quod effectus orationis eſt compunctio cordis , quæ tenebras peccarorum de lectulo conſcientiæ abſtergit , & facit aperire oculos mentis ad veri luminis radios , tuncque Anima perfectum holocauſtum ſui in ara amoris incendit. *Op. de Dono Intellect. c.6.*

10. *Reſurrectio mortuorum erit in mane, ſcilicet in fine noctis , & in principio diei.*

Quod etiam infertur ex his verbis : *Mane aſtabo tibi & videbo :* quod etiam figuratum eſt in ingreſſu Noe in Arcam facto in articulo , principioque diei. *Serm.15. Hexaem. & in Luc. c.17. v.21.* Dicitur autem (*mane*) quia electis erit initium gloriæ ſine fine. *In Pſal.62.*

11. *Deus non vult cohabitationem perverſorum cum ſuis ſequacibus.*

Neque habitabit juxta te malignus. Quid eſt malignus ? hic eſt malè operans : malignos igitur malè operantes non vult Deus ſecum cohabitantes, nec cum ſuis membris. *Pſal.118. c.8. v.3.*

12. *In Choro pſallentes , ſed malè tanquam malignos, & injuſtos Deus expellit.*

Neque habitabit juxta te malignus,neque permanebunt injuſti ante oculos tuos. Nota illud verbum (*juxta te, & ante oculos tuos :*) Quinam ſunt iſti, qui juxta Deum , & ante oculos ejus verſantur ? Nonne omnes homines ante oculos Dei ſunt ? Sed attende , quod hic loquitur de orantibus & pſallentibus,quia iſti peculiari modo juxta Chriſtum , & ante oculos ejus dicuntur morari : Si ergo inter iſtos erunt aliqui maligni , vel mala operantes , vel malis incumbentes , iſtos Deus ut inimicos , & injuſtos repellit à ſe. *Serm.1. in feſt. om. ſanct.*

13. *Mendacium quàm Deo exoſum.*

Perdes omnes , qui loquuntur mendacium. Si à Deo perduntur mendaces , ergo omne mendacium erit peccatum mortale ? Quod tamen non admittitur ? & ſi datur mendacium veniale, ergo non omnes mendaces perduntur ? Sed attende quod hoc eſt intelligendum ſecundùm ſubjectam materiam : nempe iſte textus verificatur de mendacio mortali , non de veniali : mendacium enim eſt indifferens de ſe ad mortale, & veniale : eſt mortale , ſi materia circa quam eſt mortalis, attamen & ſi ultimata perditio non immittitur à Deo ad venialiter peccantes , tamen valdè ſunt iſti Deo exoſi , quia Chriſti ſequaces debent eſſe filii veritatis , quæ eſt Deus. *l.3. d.38. a.1. q.3. & ſerm.2. in feſto om. ſanct. & ſerm.2. Dom.3. poſt Pentecoſt. & Diat. ſal. tit.3. c.7. & In ſap. c.1. & op. ſpec. an. c.2.*

14. *Deus quomodò odio habet peccatorem.*

Odiſti omnes , qui operantur iniquitatem. Quomodò dicitur Deus odiſſe peccatorem , ſi *in ſapientia c.11.* dicitur, quod *diligit omnia , quæ ſunt, & nihil odit eorum , quæ feciſti ?* Sed attende,quod in peccatore eſt natura , & iniquitas ; odit vitium , & diligit naturam, & quia odium Dei poteſt conſiderari quoad affectum & quoad effectum : primo modo non odit peccatorem , ſed ſecundo modo : ideò dicitur odiſſe,& abominari virum ſanguinum , & doloſum. *In ſap. c.11. & cap.14.*

15. *Domus Dei, & Eccleſia eſt multiplex.*

Introibo in domum tuam. In quam domum ? Nota, quod Eccleſia , alia eſt triumphantium , alia militantium , alia expectantium , alia ſtantium : Prima eſt Beatorum : Secunda eſt in terra : Tertia eſt in Purgatorio : Quarta eſt Angelorum : loquitur hic de Eccleſia triumphante , in quam confidebat , ſe intraturum in multitudine miſericordiæ divinæ , non ob merita propria. *In Pſalmo 5.*

16. *Eccleſia militans à Chriſto mirificè fabricata.*

Introibo in domum tuam. Quæ eſt domus Dei, & cur non potius dicitur in domum noſtram, cum ſit fabricata , ut à nobis habitetur ? Sed dicitur in domum tuam , quia à Chriſto fuit fabricata hæc domus , ſcilicet Eccleſia militans , cujus fundamentum eſt mors, & paſſio ipſius , lapides ſunt ſancti , quibus ædificatur , ut ad complementum reducatur. *In Pſal.5.*

17. *Templum myſticè eſt multiplex.*

Introibo in domum tuam , adorabo ad Templum ſanctum tuum. Nota hic , quod Templum poteſt ſumi materialiter pro Eccleſia materiali , & myſticè , ſcilicet allegoricè pro corpore Chriſti, moraliter pro Anima fideli , anagogicè pro empireo, & gloria cœleſti. *In Pſal.78.*

18. *Inſtitutio Templi materialis ad quid introducta ?*

Introibo in domum tuam , adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo. Cur David vult intrare in templum , ut adoret Dominum ? Et quid eſt , adorabo ad templum ſanctum tuum ? Nonne ubique poteſt adorari Deus ? Sed attende,quod templorum erectio ſanctè inſtituta eſt à Deo, non ut adorentur templa ipſa , ſed ad colendum ibi Deum ſpeciali modo : & ideò intrans ibi devotè , dirigit adorationem ſuam, non ad domum illam materialem , ſed ad Deum, & ad Chriſtum qui eſt templum Spiritus ſancti , cui eſt unita Divinitas. *l.3. d.9. art.1. quaſt.3. ad 3. & In Ioan. c.4. v.24. & collat.36.*

19. *Eccleſiarum fundatio quàm ſancta.*

Introibo in domum tuam. Ad quid introire vis in domum Dei ? Adorabo Deum , reſpondet : ergo fundatio Eccleſiæ materialis introducta eſt, ut ibi ſpeciali modo adoretur , & colatur Deus : Sed quia hic cultus eſt multiplex , ideò etiam introducta eſt pro audiendo verbo Dei , pro poſtulatione impetrationis gratiarum , pro refectione obtinenda corporis Chriſti , & ut faciliùs habeatur memoria Crucifixi , ut obtineatur ſocietas Angelorum , & pro conſervatione unanimitatis Chriſtianorum. *Serm. In dedicat. & iterum ſerm.1. de Dedicat.*

20. *Domus Chriſti eſt multiplex.*

Introibo in domum tuam, *&c.* Nota, quod Domus Chriſti eſt multiplex, in qua opportunè manet: prima eſt domus materialis pauperum, in qua manet in perſona pauperis: ſecunda eſt Baſilica materialis; in qua manet in ſacramento Altaris: tertia eſt Eccleſia militans, in qua manet in membris ſuis: quarta eſt Uterus Virginalis, in quem intravit per præſentiam carnis: quinta eſt domus conſcientiæ, in qua manet ſpiritu Sanctitatis: ſexta eſt ſcriptura ſacra, in qua manet in lumine veritatis: ſeptima eſt Cœlum, in quo manet in gaudio felicitatis. *In Luc. c.19. v.7.*

21. *Per orationem præcipuè adoratur Deus.*

Introibo in domum tuam, *adorabo ad templum ſanctum tuum.* Nota igitur, quod incitantur fideles ad templum Dei, ut adorent in Spiritu, & veritate, Deum: Sed tamen hoc præſtatur præcipuè per orationem, quia cæteri actus aliunde deſumentur: At orationem ſolam quaſi ſpeciale tributum Anima offert de ſuis viſceribus. *In Luc. c.11. v.1.*

22. *Qui in Templum Dei devotè intrant ducuntur à Spiritu Sancto.*

Introibo in domum tuam, *&c.* Sed quo ductore? illo ſcilicet, quo etiam ſanctus ſenex Simeon venit in Spiritu in templum, ſcilicet ductore Spiritu Sancto quia Spiritus Sanctus eſt qui ducit, & introducit fideles in templum. *In Luc. cap 2. verſ.27.*

23. *Qua reverentia intrandum eſt in templum domini.*

Introibo in domum, *&c. Adorabo in timore tuo.* Nota hanc particulam, (*in timore tuo*:) datur enim hic modus, quo debet homo intrare, & ſtare in Eccleſia; nempe quia cognoſcere, & conſiderare debet Chriſti potentiam, ſapientiam, & bonitatem, ideò cum humiliatione timoris, & reverentiæ in corde, cum expreſſione honoris, & magnificentiæ in ore, & cum oſtenſione amoris, & benevolentiæ in opere. *Serm.1. Dom.1. poſt oct. Epiph.* Unde intrans in Eccleſiam debes ſtare aperto capite cum timore, & humiliatione interiori, cum reverentia exteriori, evitando vanitatem omnem, & irreverentiam ſacri loci. *Op. ſpecul. Diſcipl. p.1. c.29.*

24. *Ad Chriſtum, qui eſt via clamandum, ut dirigat nos itinerantes in hac vita mortali.*

Dirige in conſpectu tuo viam meam. Vide, quod Propheta clamat ad Deum, ut dirigat ipſum in timore hujus vitæ: docens nos ad Chriſtum recurrere, qui eſt via ne erremus, & ut inſtruamur, quod ſine Dei auxilio nihil poſſumus. *Pſal.76. & 24. & Pſal.118. v.1.*

25. *Os malè, & immundè loquentis eſt ſepulchrum fœtidiſſimum alios inficiens.*

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, *&c.* Nota hanc comparationem oris immundi, & ſepulchri? ò quàm bene exprimitur peſſima qualitas malè loquentium: quia ſepulchrum plenum eſt fœtore, & vermibus: ſic cor malæ linguæ plenum corruptionibus: Voces enim, ait Philoſophus, ſunt earum quæ ſunt in Anima paſſionum notæ: & Chriſtus dicit, *Ex abundantia cordis os loquitur*: ergo quales ſunt cogitationes cordis, talia ſunt verba oris: ergo, qui de peccatis carnalibus libenter loquitur, qui detractionis verba dicit, qui alia mala profert ſignum dat, quod talis eſt in corde, nempe cor haber plenum ſpurcitiis, & fœtore alios inficiens, & ſicut ſepulchro nihil fœtidius, ſic nihil immundius immundo ore. *Serm.4. de Apoſtol. & ſerm. de S. Luca & in Luc. cap.1. v.64. & c.11. v.44.*

26. *Efficacia adventus Chriſti eſt duplex, ſcilicet juſtificatio peccatorum, & glorificatio eorum.*

In æternum exultabunt, *& gloriabuntur in te, qui diligunt nomen tuum.* Quid eſt, de quo gloriabuntur? nempe ob reconciliationem peccatorum per gratiam, & glorificationem juſtorum: hæc ſunt duo media, quibus homo gloriari debet in Chriſto. *In Luc. c.19. v.39.* Nota etiam quod hic exprimitur perfectio completa quam per Chriſtum habitui ſunt ſancti. *Pſal.118. cap.7. v.16. & c.10. v.16.*

27. *Bona voluntas protegit nos, & defendit à peccatis.*

Scuto bonæ voluntatis coronaſti eum. Vide, quod ſicut ſcutum defendit corpus, ſic & bona voluntas defendit animam à peccatis, ſimulque eſt medium recipiendi coronam à Deo. *Pſal.75. & op. Brevil. proœm. in fine.*

28. *Non ſolùm ad Deum, ſed ad Beatam Virginem dirigenda eſt oratio noſtra.*

Verba mea auribus percipe Domine, *&c.* Nota, ſi vis à Deo audiri, debes recurrere ad Mariam Virginem & dicere: Verba mea auribus percipe Domina, & ne avertas à me ſpecioſitatem vultus tui. *Op. Pſalt. Beatæ Virg. Pſal.5.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

29. *Beata Virgo Maria nos defendit ab inimicis noſtris*, *&c.*

Non habitabit juxta te malignus, *&c.* Hoc dici poteſt de Beata Virgine Maria, quia ad conſpectum ipſius corruunt ante pedes ejus inimici noſtri, eorumque capita conteruntur virtute ſua. *Ibidem.*

30. *Omnes creaturæ rationales benedicere debent & laudare Mariam.*

Lætentur omnes, qui ſperant in te: in æternum exultabunt, *&c.* Quaſi dicat: Benedicat te omnis lingua,

lingua, & nomen ſanctum tuum confiteatur omnis caro. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.5.*

31. *In Vterum Beatæ Mariæ Virginis intravit Chriſtus, ut in templum ſanctum.*

Introibo in domum tuam, adorabo, &c. Hoc dicebat Chriſtus, quia intrans in Vterum Beatæ Mariæ Virginis, intravit in templum ſanctum, & Deo conſecratum. *In Luc. c.19. v.17.*



PSALMUS VI.

Titulus: Pſalmus pro octava.

1. NOTA, quod hic Pſalmus habet hunc titulum, pro octava, & eſt primus pœnitentialium pſalmorum: cum enim Propheta egerit ſupra de hæreditate æterna, timens ab ea expelli, ideò pœnitentiam aſſumit, indicenſque, quod poſt curriculum ſeptem dierum, quibus hæc vita volvitur, incipiet judicium, & veniet reſurrectio. *In Pſal.6. & in Luc. c.2. v.21. & In Ioan. collat.71.*

2. *Deus, cum ulciſcitur dicitur arguere in furore.*

Domine ne in furore tuo arguas me. Quid dicis ò Propheta? ergone Deus furorem habet, & furore movetur, qui eſt ira inordinata? Sed nota quod dicitur hoc metaphoricè: cum enim ulciſcitur juſtè peccata, tunc dicitur iraſci, & in furore arguere peccatores, quoad effectum. *Op. de inviſibilitate Dei.* Et hoc præcipuè dicitur, cum in Infernum detrudit peccatorem: ideò David dicebat: Domine, ne in furore tuo arguas me, ideſt, ne in numerum damnatorum me intrudas. *Pſal. 57.*

3. Deus puniens in Inferno damnatos dicitur in furore punire: Et in Purgatorio dicitur in ira ſua corripere: Unde cupiens ab utroque liberari Propheta, dicebat: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Serm.1. Dom.3. poſt oct. Paſchæ. & Ioan. c.3. in fine.*

4. *Chriſtus eſt medicus ſanans Animam, ab infirmitate ſpirituali.*

Miſerere mei, quoniam infirmus ſum: Sana me Domine, &c. Vide quomodò David conſiderat Deum, ut Medicum: verè enim juſtificans Animam à peccato, eam ſanat à maxima infirmitate, & à veneno peccati. *Serm.4. Dom.1. Advent. & In Ioan. collat.14. & Pſal.72. & op. de ſex alis Seraph. c.4.*

5. *Vitia ſunt infirmitates Animæ à ſolo Deo curabiles.*

Miſerere mei quoniam infirmus ſum: Sana Animam meam, quia peccavi tibi. Infirmus erat David, ſed qua infirmitate? Nota, quod eam exprimit dicens; (*quia peccavi tibi*;) erat igitur hæc infirmitas Animæ: ſicut enim infirmitates corporis ſunt ex ſuperfluitate diſtemperante complexionem: ſic & infirmitas ſpiritualis oritur ex diſtemperantia affectionum, & defectione recti regiminis rationis: taliaque ſunt omnia vitia infirmam reddentia Animam. *In Ioan. coll.24.*

6. *Quot modis Deus miſeretur homini.*

Miſerere mei, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Nota, quod tribus modis Deus miſeretur homini: nam peccantem expectat, deſperantem conſolatur, congaudet pœnitenti: peccantem revocat dono gratiæ: deſperantem conſolatur per ſpem veniæ, & pœnitentem roborat exemplo gloriæ. *In Pſal.6.* Infirmi autem tales ſunt qui in diverſis virtutum ſtudiis ſæpe vacillant, & variis paſſionum febribus ſentiunt ſe pulſari, modò elationis, modò iræ, modò accidiæ, & invidiæ, concupiſcentiæ, gulæ, & aliorum vitiorum tam carnalium, quàm Spiritualium: Unde cum Propheta dicere debemus: miſerere mei, quia infirmus ſum, & remedia his infirmitatibus adhibere, ſubtrahendo omnes occaſiones peccandi. *Op. de ſex alis Seraph. c.4.*

7. *Confeſſio rectè facta in hac vita ſanat Animam: In Inferno, & poſt mortem ad nihil juvat.*

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: aut in Inferno quis confitebitur tibi? Ergone poſt mortem non erit locus confitendi peccata? Nonne dicitur de reprobis. *Sap. c.5. erunt dicentes intra ſe pœnitentiam agentes; & præ anguſtia Spiritus gementes?* Sed attende, quod hic loquitur de confeſſione meritoria, quæ habet locum tantùm in hac vita, quia meritoria eſt: Sed poſt hanc vitam erit fruſtratoria, & magis pœnam aggravans in reprobis. *In Luc. c.4. v.4. & ſerm.3. in Rogat. & in Pſal.6.*

8. *Deus libenter requieſcit in lectulo conſcientiæ contritione, & lachrymis purgato.*

Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Ad quid lavare tenebas lectulum tuum ò Propheta, & rigare ſtratum tuum? Sed attende, quod loquitur de lectulo interiori, ſcilicet de conſcientia: Sciebat enim, quod Deus requieſcit ſolùm in conſcientia munda: Unde vi contritionis, & lachrymarum eam lavare, & purgare intendebat. *Serm.6. Dom. infra oct. Epiph. & ſerm.3. Dom.18. poſt Penteceſt. & Pſal.62. & in Thren. c.2. & op. Diæt. tit.7. c.5. & op. de dono intellect. c.6. In Luc.c.19.v.41. & c.22. v.62. & In Ioan. c.5. v.8.*

9. *Conſcientia debet lavari per ſingulas noctes.*

Lavabo per ſingulas noctes lectum meum. Cur per ſingulas noctes? Nonne ſufficiebat una vice exire in actum contritionis generaliter amplexantem omnia peccata? Sed attende, quod per ſingulas noctes intelligit ſingula vitia, quæ noctem afferunt, & cæcitatem Animæ, & ideò ſingula vitia deplorabat: contritione enim tollitur cæcitas, & advenit lumen veritatis irradians Animam eapurgatam; ſicque virtutibus eam replet. *Serm.3. Dom.18.*

Dom.18. post Pentecost. & op. comp. Theol. l.6. c.29. in Ioan. c.11. v.38.

10. *Anima per peccatum fit carbone nigrior: Contritione nive candidior.*

Lavabo per singulas noctes lectum meum &c. Nota, quod dicit, *per singulas noctes*: indicans, quod sicut tenebra involuit nigredinem, sic peccatum fert nigredinem animæ, eam nigriorem carbonibus reddens: sed abluta lachrymis, fit nive candidior: ô mira virtus contritionis. *Serm. 2. in Cœna Dom.*

11. *Labor alius spiritualis, alius corporalis: primus debet assumi, maxime à pœnitente.*

Laboravi in gemitu meo &c. Quomodò laborare dicitur? nonne labor est corporis? Sed attende, quod labor alius est corporalis: alius spiritualis animæ, sicque actibus spiritualibus, præcipuè pœnitentialibus, in quibus Spiritus fatigatur, sed fatigatione, quæ affert quietem. *Op. de paupert. Christi in fine.*

12. *Qui vult perfectè evitare peccata, quotidie quærat ea lachrymis purgare.*

Lavabo per singulas noctes &c. Cur per singulas noctes? quia sciebat, quod qui non vult præcipitari in majora peccata, necessaria est continua purgatio. *In Ioan. c.13. v.8. & collat 45.*

13. *Ira, & furor excæcat rationis oculum.*

Turbatus à furore oculus meus &c. Quid est turbatio oculorum? Cur non dicit turbatum est cor meũ à furore? dicit, (*oculus*) scilicet rationis: Nam ira, & furor excæcat oculum rationis, & per consequens non potest videre quid justum, vel injustum: Unde ira reddit cæcum, & veluti stultum hominem. *Op. Diet. tit. 1. c.5.*

14. *Sensualitas turbat, & excæcat animæ oculum.*

Turbatus est à furore oculus meus &c. Nota hic, quod per furorem intelligit omnem motum sensualitatis, quæ inordinat omnes vires, & turbat, excæcatque animam. *Psal.41.* Dicit autem oculus in singulari, quia duo sunt oculi, animæ, scilicet, concupiscentiæ, & rationis: si unus aperitur, alter claoditur: si oculus concupiscentiæ aperitur, clauditur, & turbatur oculus rationis. *Psal.105.*

15. *Pœnitentia confutatur Dæmonis impudentia.*

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei: erubescant, & conturbentur vehementer inimici mei. Nota, quod hic pœnitens agens pœnitentiam, jamque correctus de vita sua mala convertit se ad diabolum, & dicit: discedite à me. Sed qua potestate à se discedere præcipit dæmones, & quomodò intendit, ut erubescant vehementer? quia sciebat vim pœnitentiæ: sciebat, inquam, quod per pœnitentiam confutatur dæmonis superbia: & quod tunc dæmones erubescunt de sua impudentia, quando peccator per pœnitentiam erubescit de culpa. *In Luc. c.15. v.10.*

16. *Infinita distantia est inter Deum, & peccatorem, & quomodò.*

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Nota hæc verba dici à Deo: sed tamen ingerit difficultatem hic discessus, quem præcipit Deus peccatori: quomodò à Deo possit discedere, si Deus est ubique? Sed tamen dicit optimè: discedite à me, non localiter, sed moraliter: quia infinita distantia est inter justitiam, & iniquitatem, inter Deum, & peccatorem. *In Luc. c.15. v.16.*

17. *Erubescentia peccati in conversione quàm utilis, & qualis requiratur.*

Erubescant, & conturbentur vehementer inimici mei: erubescant valde velociter. Nota, quod hic Propheta orat pro peccatoribus, ut à Deo imperret eorum conversionem: & quia perfecta conversio exigit erubescentiam, & pudorem de peccato commisso, dicit: *erubescant*: scilicet exterius, & interius: dicit *valde velociter*, quia erubescentia in hac vita est brevis, quia tollitur æterna erubescentia in inferno. *Serm.4. in die Cinerum.*

18. *Pœnitens recurrat ad Virginem Mariam, si vult evadere furorem Dei.*

Dicat igitur: Domina Virgo Maria, ne in furore Dei sinas me corripi, neque in ira ejus judicari: propter honorem nominis tui Domina propitietur nobis fructus gloriosi ventris tui. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.6.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

19. *In Cælo in æternum Beati laudent Mariam Virginem.*

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: & in inferno quis confitebitur tibi? Hoc dicebat David Deo: Hoc & dici potest ad Beatam Virginem Mariam: quia Beati, qui vitam æternam gratia Mariæ Virginis obtinebunt, enarrabunt in æternum mirabilia ejus, eam laudantes, & benedicentes: qui verò sunt mortui in peccato, & qui sunt in inferno, eam non laudabunt, sed maledicent: ô utinam nobis dignetur Deus concedere, ut possimus in æternum laudare Mariam. *Op. Psalt. B. Virginis ibidem.*



PSALMUS VII.

Titulus: In finem Psalmus David, quem cantavit pro verbis Chusi.

1. PRIMÒ nota in hoc titulo alludi ad id, quod pro David fecit Chusi, dum fictè transivit ad partes Absalon persequentis Patrem, ut pia, & necessaria proditione revelaret ipsi David ea, quæ moliebatur Absalon contra patrem; & ideò obtenta victoria, cantavit Domino hunc psalmum: Mysticè quinque notantur in hoc titulo facienda à pœnitente: primò bona operatio *Pœnitentiæ ordo instituitur à Deo qualis.*

operatio ſignificata in illo verbo, (pſalmus) Secundò operis fortitudo in illo verbo, David:) tertiò meritis hilaritas in verbo (cantavit:) Quartò Deo ordinata in verbo, (Domino;) Quintò perſeverantia in illo verbo, (in finem;) nempè pœnitens debet aſſumere bona opera, & eum perſeverantia ea in Deum ordinare. *In Pſal.7.*

2. *Confidentia in Deo ſuadetur in omnibus tam bonis, quàm malis eventibus, quia à Deo ordinantur in bonum.*

Domine Deus in te ſperavi: Salvum me fac ex omnibus perſequentibus me. Nota, quod hæc dicebat Propheta, dum actu patiebatur perſecutionem ab Abſalon filio, & à majori parte ſuorum ſubditorum, oſtendens ſe totaliter confidere in Deo: Sed quomodò tantam ſpem in Deo habebat, ſi videbat ſe immersū in tot tribulationibus? quia juſtus ſciebat merita Animarum ſic ordinari à Deo, ut pulchritudo univerſi nulla parte violetur, ideò in omnibus tam proſperis, quàm adverſis laudabat Deum, & in ipſo confidebat, ſciens Deum concurrere ad bonum ipſum ad utilitatem noſtram ordinando: malum autem non fuiſſe, ſed tamen ordinaſſe ad bonum univerſi: licèt enim Deus non faciat malum, illud tamen ordinat ad bonum: hinc ad Deum in tot malis recurrit, ut ejus voluntas in omnibus, & per omnia in ipſo exequeretur. *l.1. d.46. a.1. q.5.*

3. *Ob peccata mortalia, præcipuè ſuperbiam veniunt adverſa.*

Si feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis: decidam meritò ab inimicis meis, &c. Quid eſt, *iſtud?* Nota, quod iſtud eſt pronomen generale, & quodlibet peccatum poteſt demonſtrare, ſed tamen preſſius intelligitur de peccato ſuperbiæ, quod eſt generale, quia committatur omne peccatum mortale: omnis enim, qui peccat, Domino non obedit, quod provenit ex ſuperbia: & hinc ſubdit: *Decidam meritò ab inimicis meis:* ideſt juſtè, quia propter peccata mortalia, maximè ſuperbiæ innittit flagella. *In Pſal.7.*

4. *Bonum pro malo proximo reddendum, & quomodò.*

Si reddidi retribuentibus mihi mala. Ecce exemplum perfectæ charitatis in hoc Propheta, qui pro malis reddebat bonum: Sic debet quilibet facere, ſi vult eſſe Chriſti ſectator. Debent ergo omnes offenſæ quantæcumque, & quocumque; & quandocumque; & in quemcumque; & à quocumque fuerint factæ, dimitti, ſi humiliter pet veram pœnitentiam venia poſtulatur: Debet etiam perſequenti offenſa remitti, ſed aliter petenti, aliter perſequenti: petenti ſocia charitate conceſſa remiſſione communicari: Perſequenti nobis malum volenti, bona voluntate faciamus, quod poſſumus. *In Luc. c.17. v.4. & op. meditat. vita Chriſti c.5. & 75. Vide l.3. d.30. a.1. q.5. & 6.*

5. *Boni bonum pro malo: mali malum pro bono reddunt.*

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis. Hæc dicebat David, hæc & Chriſtus, qui bonum pro malo reddidit inimicis ſuis: At illi pro bono malum reddebant. *Op. meditat. vita Chriſti c.75.* Hoc igitur eſt diſcrimen inter electos, & præſcitos, quod illi bonum reddunt pro malis: iſti malum pro bono.

6. *Qui opera bona ex ſuperbia, vel cum ſuperbia facit, ea in pulverem tranſmutat.*

Gloriam meam in pulverem deducat. Quid eſt deducere gloriam in pulverem? Hoc nihil aliud eſt, niſi opera bona, quæ gloriam mereri debent, facere ex ſuperbia, vel cum ſuperbia, & vana gloria, hocque eſt ea in pulverem tranſmutare. *Pſal.77.* Hoc præcipuè dicitur de Prædicatoribus, qui prædicant ex vana gloria: tunc enim in pulverem, qui ſuis affectibus adhærent, gloriam deducunt. *In Luc. c.10. v.11.*

7. *Qui vult à ſe excutere ſuperbiam, & vanam gloriam, ſe pulverem reſpiciat.*

Gloriam meam in pulverem deducat. Nota, quod etiam dicitur hoc in bono, nempe exemplo David, quando ob aliqua opera bona quis laudatur adſpiciat ad pulverem, ſcilicet ad ſe ipſum, & conſideret ortum ſuum viliſſimum, & finem qui eſt viliſſimus pulvis. *In Luc. c.10. v.11. & ſerm.1. de uno mart.*

8. *Deus dicitur exaltari, cum à ſuis inimicis ſubtrahit cognitionem ſui.*

Exaltare in finibus inimicorum meorum. Quid eſt exaltari in finibus inimicorum? Nihil aliud eſt, niſi ſubtractio cognitionis ſui, quàm auferc hoſtibus ſuis. *Pſal.67.*

9. *Exempli boni efficacia qualis, & quanta in Chriſto, & in Prælatis, & in Prædicatoribus.*

Exurge Domine in præcepto, quod mandaſti, & Synagoga populorum circundabit te. Nota, quod David deſiderans converſionem morum in ſuis populis dicebat Deo: *Exurge in præcepto, quod mandaſti,* in quibus petebat adventum Verbi in carnem. *In Pſal.54.* Hoc eſt, ut addit Auguſt. humilitatem præcepti humilis appare, caſtitatem, patientiam, charitatem præcepti, appare caſtus, patiens, &c. Et Synagoga populorum circundabit te, credens in te, & te ſequens per imitationem: Hoc idem dicitur Prælatis, Religioſis, & Prædicatoribus, quia hæc eſt vis maxima boni exempli. *Serm.1. Dom.1. poſt oct. Paſcha. & ſerm.1. Dom.1. poſt Pentec. & ſerm.1. Dom.4. poſt oct. Paſcha. & op. de inſtitut. Novit. p.1. c.38. & op. Phar. l.1. c.12. & l.4. c.46. & ſerm.2. fer.4. Pentecoſt. & ſerm.3. Dom.19. poſt Pentecoſt. & ſerm.1. de Apoſtol.*

10. In juſtis magna confidentia in Deum, ex eo, quod noſcunt Deum eſſe juſtum, & quod juſtè judicat: ideò Propheta dicebat: *Dominus judicat populos, judica me ſecundum juſtitiam meam, &c. In ſap. c.5.*

11. *Triplex ſtatus juſtorum ſignificatur per vigilias, ſolemnitates, & octavas.*

Conſumetur nequitia peccatorum, diriges juſtum: juſtum adiutorium à Domino, qui ſalvos facit rectos corde. Nota, quod in his verbis tres ſtatus juſtorū enarrantur,

enarrantur: Primus est status pœnitentium, quia per pœnitentiam consumitur nequitia, & dirigitur homo in justitia: Secundus est perfectionis, & justitiæ, in quo Deus suum adjutorium speciali modo tribuit: Tertius est Beatorum, quos salvos faciet, & significantur primum per vigilias, secundum per solemnitates, tertium per octavas sanctorum. *Psal.7.*

12. *Deus solus scrutator cordium.*

Scrutans corda, & renes Deus. Nota, quod Deus propriè dicitur, scrutans corda, & renes, scilicet actus concupiscentiæ, quia solus est, & nullus alius potest hoc facere. *Sap. c.1. & Psal. 118. c.9. v.5. & In Eccles.c.10.& in Luc.c.12.v.2.*

13. *Deus diu sustinendo peccatores, se Deum patientia ostendit.*

Deus Iudex Iustus, fortis, & patiens: nunquid irascetur per singulos dies? Vide quomodò Propheta cognoscens Deum justum Judicem, & fortem, tamen ut patientem ipsum considerat, quia diu expectat peccatores: per quam considerationem Anima fortificatur in prælio, purgatur à vitiorum contagio, & fœcundatur à sanctorum operum exercitio. *Serm.1. Dom.2.Adv. & in sap.c.15.*

14. *Impii ex quo debent magis esse Deo grati, fiunt magis ingrati, & ideò Deus eos severius punit.*

Nisi conversi fueritis: gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit, & in eo paravit vasa mortis, &c. Nota, quod multæ pœnæ à Deo paratæ hic exprimuntur: Sed quibusnam? nempe iis, qui non convertuntur: notanter autem dicit, *nisi conversi fueritis*: Cur non dicit, si peccaveritis, gladium suum vibrabit, sed dicit, nisi conversi fueritis: ergo solùm pœnæ dicuntur paratæ non se convertentibus, & non potius peccantibus? Respondetur, quod in his verbis insinuatur ingratitudo maxima, quia cum peccator peccavit, statim deberet intrudi in Infernum, sed Deus, cum sit patiens, expectat ipsum ad pœnitentiam: Impii verò ex quo deberent esse Deo subjectiores, & ipsi magis obligati, dum vident Deum eos non statim punire, sed expectare ad pœnitentiam, inde fiunt pejores, & ingratiores non se convertendo, imò multiplicando peccata: Contra quos Deus vibrabit gladium ad vulnerandum: Arcum suum tetendit ad sagittandum, & in eo paravit vasa mortis ad puniendum eos æternaliter: ô magna peccatorum cæcitas. *Serm.1. de S. Matthæo.* Vide igitur, quod Deus magis detestatur vitium ingratitudinis quocumque alio gravissimo scelere.

15. *In peccatores obstinatos per Prædicatores Deus vibrat gladium, & arcum tanquam extremum remedium.*

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, &c. Vide qualis sit benignitas Dei nostri, qui adversus obstinatos vibrat gladium suum per Apostolos, & Prædicatores, tetendit arcum, scilicet scripturam veteris, & novi testamenti: ut sic compungantur, & conterantur inimici infernales, & convertantur peccatores: hoc enim est extremum remedium. *Psal.18, & 36.* Et ideò ut convertantur ostendit judicium gehennæ in gladio, & arcu, quibus significatur etiam damnatio Animæ & corporis. *Serm.4. Cinerum.*

16. *Sacra scriptura hæreticis est causa mortis æternæ.*

Paravit in eo vasa mortis? In eo scilicet arcu: Arcus, ut dictum est significat sacram scripturam: scilicet in chorda novum testamentum, in ligno vetus, quia chorda emollit lignum: In ipsa igitur hæretici eam pervertentes inveniunt mortem. *Psal.30.*

17. *Qui alteri, vel sibi foveam parat; justo Dei judicio, in eam se præcipitat.*

Unde hic à Spiritu sancto dicitur, *Lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foveam, quam fecit. Eccles.c.10.* Nota etiam, quod sibi homo lacum aperit, cum incipit peccare: effodit, dum multiplicat peccata: & tandem in foveam, quam fecit, incidit, cum moriatur in peccato. *Sic Ugo Card.*

18. *Confessio alia laudis, alia peccati.*

Confitebor Domino secundùm justitiam ejus, & psallam nomini Domini altissimi. Nota hic, quod duplex est Confessio: alia laudis: alia peccati: prima laudatur Deus de tot bonis, & beneficiis: secunda rogatur pro obtinenda remissione peccati, fitque gemitu, singultu, & fletu. *Psal.7.*

19. *Qui in Beata Virgine Maria spem suam collocat, ab inimicis liberabitur.*

Domine Deus in te speravi, salvum me fac secundùm misericordiam tuam. Vide quomodò qui vult liberari ab omni periculo, debet spem suam collocare in divino auxilio: Idem proportionaliter debet fieri in Beatam Virginem Mariam, nempe spem suam committere ejus virtuti, & bonitati: Sic enim liberabitur ab omnibus inimicis: cum enim ipsa sit Domina omnium creaturarum concludit ora leonum, & dentes ejus, & labia persequentium constringit. *Op.Psalt. B.Virg.Psal.7.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

20. *Diabolus vibrabit gladium iræ suæ in eos, qui non confugiunt ad Mariam.*

Gladium suum vibrabit, &c. In quem? In eos, qui non confugiunt ad Mariam: Dicamus ergo Mariæ: Splendor vultus fulgeat super nos, ut servetur conscientia nostra apud Altissimum: Si persequatur inimicus Animam meam, Domina adjutorio tuo confortetur, ne vibret gladium suum contra me. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.7.*



PSALMUS VIII.

Titulus: In finem: Psalmus David pro torcularibus.

1. *In Ecclesia multiplex separatio bonorum à malis fit: & Christus in judicio eandem faciet.*

PRIMO nota, quod hujus psalmi titulus est: In finem Psalmus David pro torcularibus: quia sicut in torculari sunt duo, scilicet vinum, & acinum, quæ tamen separantur, quia vinum ponitur in cellario, & acinum

C 4

acinum projicitur: Sic in Ecclesia sunt boni, & mali, quos Dominus separabit, bonos reponendo in Cœlo,& malos projiciendo in Infernum,de quo Propheta intendit laudare Dominum.

Nota etiam, quod separatio alia est generalis, alia specialis: generalis est futura in judicio: specialis modò fit in Ecclesia tum ad cautelam, ut quando quis intrat claustrum, ut fugiat occasiones peccati: tum ad medicinam, ut quando quis excommunicatur, ut tandem salvus fiat: & ideò iste psalmus dicitur pro torcularibus, id-est constitutionibus Ecclesiæ. *In Psal.8.*

2. *Nomen Dei multipliciter sumitur in sacra scriptura.*

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum, &c. Nota hic, quod nomen Domini aliquando stat pro invocatione Dei, ut ibi. *Matth. Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* aliquando pro manifestatione, aliquando pro efficacia. *Psal.8.*

3. *Nomen Domini Dei admirabile redditur multipliciter.*

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum. Verè admirabile est quantum ad Deum trinum, & unum: Item quantum ad Incarnationem. *Serm.5. Hexaem.* Nota etiam, quod licèt Deus sit de se à nobis innominabilis: tamen prout fides nobis exprimit, est nominabilis.*l.1.d.22. a.1. q.1.*

4. *Dei majestas innuitur in his primis verbis.*

Domine Dominus noster,quàm admirabile, &c. Nota quod hic per Dominum innuitur Divina Majestas à nobis benedicenda cum timore. *In Luc. c.1. v 68.& in Pater noster.*

5. Deus cum sit Dominus generalis omnium creaturarum, specialiter tamen dicitur Dominus creaturæ rationalis: Unde hic dicitur: *Domine Dominus noster.Op. Specul. B. Virg. lect.9.*

6. *Nominis Jesu mirabilia exponuntur.*

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. Quodnam est hoc nomen, quod dicitur admirabile? nonne jam ipsum appellaverat Dominum? Cur superaddit huic nomini Domini aliud nomen? Nota, hoc est Nomen Jesus: hoc enim dicitur admirabile,quoad efficaciam, & famam, seu notitiam, ut dictum est in *Psal.7.*Christus autem post passionem accepit clarificationem sui Nominis Jesu, quia clarificatus est per hoc nomen super omne nomen, quia cognitum fuit, quoad efficaciam, virtutem, & significationem, ideò admirabile est super omne nomen. *l.3. d.18. dub.2.*

7. *Jesus Nomen admirabile quoad se, & quoad nos.*

Quàm admirabile est nomen tuum. Nota, quod Nomen Jesus est admirabile multipliciter: & primò secundum se: In ipso enim sunt quinque litteræ J.E.S.U.S. quæ sic possunt explicari,nempe, quod Jesus est jucunditas mærentium, æternitas viventium, sanitas languentium: Ubertas egentium: Satietas esurientium: Item admirabile in ordine ad Christū,quia significat Divinam naturam simul cum humana natura unitam: itē admirabile quoad rem, quia salvat à peccato, à mundo, à Diabolo, & ideò efficaciam habet immensam quoad nos. *Op. Comp. Theol. l.4.c.1.*

8. *Item de Nomine Iesu.*

Quàm admirabile est nomen tuum. Vide quàm admirabile est nomen Jesus, quia est à Prophetis prophetatum, est virtuosum, gratiosum,gaudiosum, delitiosum, & gloriosum: Virtuosum, quia superat hostes, congregat cives, reparat vires, revocat mentes: Gratiosum, quia in ipso habemus fundamentum fidei, spei firmamentum, charitatis augmentum, Justitiæ complementum: Gaudiosum quia est jubilus in corde, melos in aure, mel in ore, splendor in mente: Delitiosum, quod pascit cogitatum, lenit prolatum, ungit invocatum, reficit scriptum, instruit factum: Gloriosum, quod dedit cæcis visum, surdis auditum, sermonem mutis, vitam mortuis, & gressum claudis. O Nomen benedictum, quod ostendit tantum virtutis effectum: O Anima, sivè scribas, sive legas, sive doceas, sive aliud quodcumque opus facias, nihil tibi sapiat, nihil tibi placeat, nisi Jesus: habeat sibi Iesus cum suis beatis communia, alia mirabilia aliorum nominum, quod sit Dominus omnium,Rex Cœli, Verbum Patris, &c. Sit tantùm tibi Iesus Salvator in hujus vitæ incolatu, & miseria: Salvet te à mundi vanitate, & Dœmonis falsitate, à carnali fragilitate: clama devota inter tot hujus vitæ flagella: O Iesu Salvator mundi salva nos qui per Crucem, & sanguinem redemisti nos: Salva dulcissime salvator confortando debilem, consolando flebilem, consolidando stabilem.*Op. de quinque festivitatibus pueri Iesu solemn.5.*

9. *Idem de Nomine Iesu.*

Quàm admirabile est Nomen tuum. O quot mirabilia in Nomine Iesu continentur! Nota igitur quod solùm in Circumcisione octavo die facta publicatur hoc nomen, ut intelligas, quod cum in septenario numero, qui includitur in octavario,Universitas divinarum, & moralium virtutum donorum, & bonorum significatur, in octava die vocatur Iesus, quia virtute hujus Nominis omnes virtutes exercentur, Dœmonia ejiciuntur,cœci illuminantur, infirmi curantur, mortui suscitantur, miracula cumulantur. O quam felix & beatum Nomen, quod tantam meruit habere virtutem, & efficaciam. *Op. de quinque solemnit. ibidem.*

10. *Idem de Nomine Iesu.*

Quam admirabile est Nomen tuum. Idest quàm venerabile, quàm sanctum: Admirabile est, quia est Nomen super omne Nomen: Nomen, quod os Domini nominavit, & postea ab Angelo declaratum est: Nomen, quod est primum 10 principio libri vitæ, quia est initium nostræ salutis. *In Luc. c.2. v.21. & c.3. v.23.*

11. *Idem de Nomine Jesu.*

Quàm admirabile est nomen tuum. Cur admirabile? Admiratio oritur ex aliqua re magna, & insolita: ergo aliquid insolitum, & stupendum continet hoc nomen, scilicet Jesus: & hoc est, quod Jesus Salvator interpretatur, & ideò in hoc nomine homo consequitur veniam, gratiam, victoriam: Veniam in conversione, gratiam in conversatione, victoriam in pugna, & gloriam in Cœlo: ergo veneremur hoc nomen, invocemus huc nomen Iesus, ad hoc nomen recurramus in tentationibus, petamus in nomine Jesu eleemosynam gratiæ, & gloriæ, ut taodem ejus virtute in Cœlo coronari mereamur. *Serm.4. In Circumcisione.* Portemus igitur hoc nomen in corde & in ore, in prædicatione; in oratione, in laudatione, in collocutione, in frequenti ruminatione. *Serm.4. Dom.3. quadrages.*

12. *Admirabilis Christus fuit in Ascensione.*

Quoniam elevata est magnificentia tua super Cælos. Quomodò super Cœlos? qualis locus est super Cœlos, nisi spatium imaginarium? Super Cœlos, idest super omnes Beatos, & Angelos in suprema, & nobiliori parte, quando scilicet Christus ascendit ad Cœlos: tunc enim admirabilem se reddidit, quia propria virtute ascendit. *In Luc. c.2. v.18. & Psal.67. & Psal.101. & 102.*

13. *Christi opera facta in terra ipsum reddiderunt magnificum in Cælo super opera creationis Cælorum.*

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra: quoniam elevata est magnificentia tua super Cælos. Vide quomodò ex admirabilitate nominis Christi, elevata est ejus magnitudo super cœlos. Quid est hoc? nisi, quia Christus se omnipotentem, omnisc ientem, & infinitè bonum ostendit in terra, scilicet redimendo, & iustificando peccatorem, ideò elevata est ejus magnitudo super Cœlos, idest majus opus fuit, quàm creatio Cœlorum, & mundi? & in Cœlis creavit gaudium in Angelis. *In Luc. c.15. v.7.*

14. *Christi dignitas inæstimabilis.*

Elevata est magnificentia tua super Cælos. Quid est, quod admirabilem se reddit in universa terra, & statim ostenditur exaltatus super omnes Cœlos? Sed nota, quod sicut firmamentum videtur conjungi cum terra, ut patet in nostro orizonte, & in terminis nostri visus, & tamen distat ab orizonte, quantum à nostro capite: Sic Christus visus est in terris in nullo differente ab aliis mortalibus; nisi per opera mirabilia, quæ fecit, & tamen ejus magnificentia elevata est super Cœlos. *Op. Ecclef. Hierar. p.4. c.6.*

15. *Christus supereminet omnibus, quia Caput est omnium.*

Elevata est magnificentia tua super Cælos. Nota quod Christus nobiscum habitavit ut homo, tamen cæteris hominibus sicut Cœlum supereminet, quia est caput cætera membra tegens. *Psal.27.*

16. *Sacra scriptura intelligentia solùm super Cælos, idest super justos, & illuminatos descendit.*

Elevata est magnificentia tua super Cælos. Quænam est hæc magnificentia? & unde resplendet? Magnificentia Dei resplendet in sacra scriptura: cujus intelligentia solùm super Cœlos communicatur, idest super justos, & illuminatos: non enim dandum est sanctum canibus, & Margarita porcis & indignis. *In Psal.8.*

17. *Mirabilem se reddidit Christus, dum per os imperitorum voluit manifestari.*

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas, &c. Vide aliud mirabile portentum à Christo patratum: nam ad manifestandam suam magnificentiam, & gloriam non elegit sapientes, & potentes, sed infantes, & imperitos, quibus dedit os, & sapientiam, cui non possent contradicere adversarii, ut destrueret sapientiam mundanam. *Sap.c.10. in fine Luc. c.2. v.36. & c.3. v.23. & c.8. v.35. & c.19. v.40.*

18. *Solùm innocentiatas ad gratiam pertinet.*

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Sed quæ laus potest exire ab infantium ore non valentium loqui? Nota, quod hic sumitur ætas, non corporis, sed quo ad mores, ut intelligamus, quod innocens, & simplex solùm ad laudandum Deum dignè est aptus, & ad gratiam pertinet: indigni autem excluduntur ab hoc Choro. *In Luc. c.18. v.15.*

19. *Christus assumpsit naturam humanam immunem à corruptione peccati.*

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, &c. Cur ad infantes lactentes recurrit Deus, ut laudetur, & cognoscatur? Nota, quod hic psalmus habet pro titulo separationem: hancque Christus exercuit in lacte, ubi est caseus, & Butyrum: in caseo peccatum: in Butyro natura sine corruptione: separando ergo peccatum, assumpsit lac purum, scilicet naturam puram, & innocentem, in qua laus Dei magnificatur. *Psal.8.*

20. *Anima per contemplationem in Deum erecta est veluti Cælum ornatum sole, luna, & stellis: Sed versa ad terram est veluti bestia.*

Quoniam videbo Cælos, lunam, & stellas, &c. Quodnam privilegium est hoc videre solem, lunam, stellas, & Cœlos? nonne hæc & irrationalia videot? quomodo ergo talis inspectio collocatur inter mirabilia omnipotentis Dei opera? Sed attende, quod non loquitur de aspectu materiali, sed de spirituali: Sciebat enim quod Anima in Deum coaversa per contemplationem suorum mirabilium in se intuetur solem, lunam, & stellas taoquam in peculiari Cœlo collocata, quia in ea refulgent virtutes mirabiles tanquam stellæ lucidissimæ, adspicitque elarè statum suum



ſuum, & Eccleſiæ militantis, & triumphantis in Deo: & è contra Anima ad terram converſa eſt veluti animal immundum. *Serm. 9. & 20. Hexaem.*

21. *Prælati debent eſſe Cæli, & Planetæ influentes in ſubditos formam virtutum.*

Quoniam videbo Cælos, &c. Nota quod ſicut Cœli ſunt terra, & elementis ſuperiores, influuntque quæcumque bona in ipſa: Sic Prælati myſticè dicuntur Cœli, & ſtellæ, quia quales ſunt influentiæ bonorum exemplorum, & doctrinarum, vel malorum, tales ſunt formæ, & effectus in ipſis redundantes ſubditis. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3.*

22. *Apoſtoli ſunt Cæli, & ſtellæ in Cælo Eccleſiæ ob patientiam mirabilem.*

Quoniam videbo Cælos, &c. Nota, quod infra Empireum ſunt Cœli, & ſtellæ: Sic in Eccleſia ſunt Cœli, ſcilicet Apoſtoli, qui in tormentis fuerunt ſtabiliſſimi, nolli cedentes penitus paſſioni. *Serm. 3. de Apoſtol.*

23. *Libri ſacræ ſcripturæ Cæli ſcripti, & ornati ſtellis digito ſanctorum ſcriptorum.*

Quoniam videbo Cælos opera digitorum tuorum. Nota myſticè digiti manus Dei ſunt Sancti ſcriptores, qui cœlos, ideſt libros ſacræ ſcripturæ ſcripſerunt, eoſque ornarunt ſtellis divinarum veritatum. *Op. de Immutabilit. Dei.*

24. *Sub poteſtate Chriſti ſubjecit omnia creata.*

Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, &c. Nota hic, quod primò dicit, Deum fuiſſe memorem hominis, & poſtea addit viſitationem filii hominis, per quod patet, quod loquitur de Incarnatione Verbi, quo viſitavit hominem & ſub quo omnia ſubjecit creata. *Serm. 16. Hexaem. & op. de inviſibilit. Dei.*

25. *Dei beneficia in hominem quantumcumque pauca videantur, pretioſiſſima ſunt.*

Quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? O digna, & plena, myſteriis cœleſtibus conſideratio: Vide quomodò Propheta exaltat qualitatem beneficiorum Dei ex triplici capite: Primò ex parte Dei dantis, ſcilicet ex dignitate ipſius, & liberalitate, & affectu, quo dat: Secundò ex utilitate, & pretioſitate doni: Tertiò ex vilitate ejus, cui dantur: Primus efficit, quod etiam parva debeant exiſtimari magna, & pretioſa: Secundum, quia quodcumque donum à Deo proveniens utiliſſimum eſt: Tertium facit cognoſcere maximè benignitatem Dei dantis: quid enim Deo cum luto? luttum ſumus viles, vitioſi, peccatores, ingrati, inopes omnis boni, & mortis rei, & tamen Deus memor eſſe noſtri dignatur: Nonne ſi Rex illius pauperi viliſſimi tantùm continuè habuit memoriam, hoc ipſi paoperi magnum videri deberet? Sic dicebat Propheta: *Quid eſt homo, &c. op. de profeſſ. Religioſ. lib. 2. c. 5. & In Pſal. 8.*

26. *Viſitatio divina conſolatur, & ſimul illuminat Animam.*

Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum. Quid eſt viſitas eum? quænam viſitatio eſt iſta? Sed nota, quod ſupra dixerat: *Quoniam videbo Cælos, &c.* ut intelligas, quod divina viſitatio, & illuminat Animam, & eam conſolatur: Sicot enim ſol oriens illuminat, & conſolatur ſedentes in tenebris: Sic Chriſtus oriens in mundo. *In Luc. c. 1. v. 78.*

27. *Nunc Deus memor eſt hominis dando beneficia: In futuro erit memor in dando præmia, vel pœnas.*

Quid eſt homo, quod memor es ejus: aut filius hominis, &c. In quonam Deus eſt memor hominis? Sed oota, quod Deus nunc memor eſt hominis dando ei bona: In futuro erit in dando vel præmia, vel pœnam ſecundùm merita, vel demerita. *In Pſ. 8.*

28. *Deus Pater, & Eccleſia gloria honoreque tripliciter coronavit Chriſtum: Et Synagoga ſpinis, & pœnis.*

Gloria, & honore coronaſti eum, &c. Nota, quod dicitur, diſcretivè gloria, & honore coronatus Chriſtus, quia etiam aliis coronis opprobrioſis corooatus eſt: Nam ſicuti antiquitus tres ſolemnitates celebrabantur, ſcilicet Nativitas Imperatoris: Secundò quando primò coronabatur: Tertiò Civitatis Romæ, quando muris munita & coronata fuit: Sic Eccleſia tres ſolemnitates celebrat principales, nempe Nativitatem Chriſti, in qua coronavit eum mater ſua humanitate: & diem Reſurrectionis, in quo coronavit eum Pater gloria, & honore: & diem Pentecoſtes, qui eſt natalis Eccleſiæ: Tunc enim roborata eſt Eccleſia miſſione Spiritus Sancti, & muris Apoſtolorum munita: E contra noverca ſua ſcilicet Syoagona coronavit eum ſpinis, & opprobriis. *Pſal. 8.*

29. *Triplex corona Chriſto præparata.*

Gloria, & honore coronaſti eum, &c. Nota, quod triplex corona fuit Chriſto præparata: prima eſt corona Spinea à Synagoga: Secunda eſt juſtitiæ, qua coronatur ab Eccleſia, & coronabitur in judicio, ſcilicet juſtorum, & ſanctorum: & corona gloriæ, qua in Reſurrectione fuit coronatus à Patre. *Pſal. 144.*

30. *Chriſtus quomodò ſimul ſit Dominus Angelorum, & Angelis inferior.*

Minuiſti eum paulominus ab Angelis. Si hic loquitur de Chriſto, quomodò minuit eum Pater infra Angelos? Sed nota, quod dicit, *paulominus*: nam Chriſtus, quia fuit paſſibilis, Angeli impaſſibiles in hac parte dicitur minoratus infra Angelos: Attamen cum hoc ſtat, quod ſit Dominus omnium Angelorum, quia gloria, & honore

honore dominii eum Pater sublimavit, & decoravir. *l.3. d.28. dub.4.*

31. *Homo in quonam inferior dicitur, & simul aequalis Angelis.*

Minuisti eum paulominus ab Angelis, &c. Nota quod loquens de homine, dicit, quod paulominus fuit minoratus ab Angelis: quia licèt quoad dignitatem naturae Angelus sit superior; propriè tamen non est supra hominem quoad rationem imaginis, & ordinem charitatis: Unde diligendi sunt à nobis, ut nostri proximi. *l.3. d.28. dub.4.*

32. *Justi quantum à Deo honorati.*

Gloria, & honore coronasti eum. Nota haec tria verba: primò dicit, *gloria*: Secundò, *honore*: Tertiò, *coronasti*: Primum respicit bonum collatum à Deo justo in hac vita interius: Secundum bonum exterius quoad honores: Tertium praemium coeleste. Et quoad bonum exterius, dicitur honore coronatus: Nam Deus honorari vult justum ab hominibus in hac vita: Sic enim Ecclesia tota ipsum extollit laudibus, & officiis veneratur: Vide igitur quanta sit benignitas Dei in suos amicos: Quis enim Princeps, quis Baro, quis Rex quis nobilis sic à mundo honoratur ut honorantur Sancti, & justi, imò eorum cineres, ossa, &c. Major honor inquam eis tribuitur, quàm Alexandro. *Serm.2. de uno sancto Mart.*

33. *Quantis coronis coronat Dominus Justos.*

Gloria & honore coronasti eum. Quem? Dei amicum, & Justum visitatum à Deo: ipsum enim in hac vita coronat, scilicet eligendo inter suos amicos: redimendo à peccatis, adjuvando in tentationibus, ipsique sua dona interius infundendo, & tandem praemio aeterno coronando: quis igitur non amabit tam benignum Dominum? quis ad has coronas amplexandum non currit. *Serm.2. de uno sancto Mart.*

34. *Corona gloriae, & honoris debetur Virginibus.*

Gloria, & honore coronasti eum. Quem tum? Sponsum Virginum: ergo corona pudicitiae Virginalis, & honoris debetur Virginibus. *Op.Diat. Tit.8.c.3. & Tit.10.c.2.*

35. *Christus quia minoratus est ab Angelis, ideò super ipsos exaltatus est.*

Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum. Nota quod haec dicuntur de Christo, qui humiliavit se infra omnes, ideò Deus exaltavit illum super omnes, & ideò de ipso dicitur: *Qui minor est in Regno Caelorum, major est*, scilicet qui humilior est in Ecclesia fit major. *Luc.c.7.v.28.*

36. *Honor à Deo procedens qualia bona secum afferat: A mundo, qualia mala.*

Gloria, & honore coronasti eum, &c. Vide quomodò verus honor à Deo proveniens est cum gloria: nempe Deus honorat suos reformando imaginem deformatam ipsum reponendo adoptatum ubi est unicus filius: honor verò qui non est radicatus in virtute est mundanus, & falsus. *In Ioan. c.12. v.26.*

37. *Deus constituit hominem Dominum omnium rerum.*

Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Vide in quantam altitudinem Deus collocavit hominem primum in statu innocentiae: nam omnia subjecit ei quoad cognitionem perfectam naturarum, & quoad voluntatem ad utendum, ut posset omnia vertere in usum, & utilitatem suam: & quoad gubernandum: quia enim ipsum fecit ad imaginem, & similitudinem suam, & per hoc ipsum convertendo sibi assimilavit omnibus praeponendo, & omnia ei subjiciendo: sed ipse per peccatum haec dona amisit. *l.2. in prologo. & d.23. a.2. q.*. *in fund.*

38. *Sub Christo subjecit Deus omnia.*

Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Hic loquitur de Christo, sub cujus potestate omnia subjecit; scilicet naturam angelicam, & humanam, & omnia alia creata, quae dignitas ei debebatur; ut filio, & ut homini: qui infra omnes humiliatus est. *Op. de invisibilit. Dei. In Luc. c.5. v.3. & c.7. v.28. & c.6. v.3. & c.8. v.32. & Psal.109.*

39. *Omnia Deus subjecit sub viro justo, superiora, aequalia, & inferiora.*

Omnia subiecisti sub pedibus, &c. Nota, quod hic loquitur propriè de viro justo, qui verè nomen hominis meretur: Vide igitur quantum Deus ipsum honorat: nam ei subjecit omnia scilicet superiora ad faciendum: aequalia, scilicet Angelos ad coadjuvandum, & inferiora ad utendum, & dominandum: Quanta dignitas amicorum Dei, quibus dicitur à Deo, *omnia mea vestra sunt. In Luc. c.15. v.31.*

40. *Deus quia speciali modo fuit Dominus Beatae Virginis Mariae, eam Dominam nostram fecit.*

Domine Dominus noster. Nota, quod Deus est Dominus generalis omnium rerum, & specialis creaturae rationalis: Sed speciali modo fuit Dominus Mariae, & ideo ipsam nostram Dominam constituit, & mediatricem nostram. *Op. spec. B. Virg. lect.9.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

41. *Dominium quale exercuit Deus in Mariam.*

Domine Dominus noster. Nota, quod verus Dominus debet esse piissimus, justissimus, rectissimus, & nominatissimus; & quia talis fuit specialis modo cum Maria cum qua est unitus: ideò Deus cum Maria fuit misericordiosissimus, & ipsa

ipfa cum Deo rectiffima : & quia Deus fuit rectiffimus, & fideliffimus cum Maria, & Maria cum Deo fideliffima, fcilicet mediatrix inter Deum, & hominem : & quia nominatiffimus, quia magnum nomen ejus : ideo & Maria cum Deo fuit famofiffima. *Op. Specul. B. Virg. l.9.*

42. Nomen Mariæ quàm admirabile.

Domine quam admirabile eft nomen tuum &c. Idem & dicere poffumus de nomine Mariæ : quia nec nominari poteft, quin accendat : nec cogitari quin recreet affectus diligentium eam, nec fine dulcedine divinitus fibi indita piæ memoriæ poteft pletas intrare : O quàm pium, quàm magnum, quàm laudabile eft nomen Mariæ. *Op. Specul. B. Virg. lectione 9.* ô nomen fuaviffimum, nomen jucundiffimum, nomen dulciffimum, nomen Mariæ. *Op. ftim. p.3. c.16.*

43. Idem de nomine Mariæ.

Quàm admirabile eft nomen tuum. Nota quod hoc nomen Mariæ admittit plures interpretationes : Interpretatur enim Maria amarum mare, ftella maris illuminata, vel illuminatrix & Domina : & ideò hoc nomen eft mare amarum diabolo, quia ad hujus nominis invocationem, & recordationem, & imitationem fluunt dæmones ficut cera à facie ignis, & fugiunt quafi ad caftrorum aciem ordinatam : Eft item ftella maris nos ducens ad viam falutis in hoc mari magno, & illuminans inter tenebras hujus vitæ ; eft & Domina protegendo. *Op. Spec. B. Virg. lect.3. & 11. & in Luc. c.1. v.27. & Op ftim. p.3. c.16.*

44. Per Mariam Deus nofter factus eft frater nofter.

Domine Dominus nofter &c. Verè Deus eft Dominus nofter: fed vide quàm admirabilis fuit Maria, quia per eam factus eft frater nofter, & falvator, ut non folùm ipfum timeamus, fed ut amemus : Defcendit enim in eam Verbum Dei, ut ros in vellere, obumbrante Spiritu fancto : Benedicamus ergo eam ; & dicamus, benedictus fit piiffima mater divinus conceptus tuus : benedicta fit munditia carnis tuæ : benedicta fit dulcedo gloriæ tuæ. *Op. Spec. B. Virg. Pfal.8.* Quid igitur gratiarum, quid laudis tibi retribuemus, ô Domina mater, per quam Christus eft frater nofter. *Op. fpec. B. Virg. lect.10.*

PSALMUS IX.

Titulus. Pro occultis filii Pfalmus David.

1. PRIMÒ nota, quod titulus hujus Pfalmi eft : Pro occultis filii Pfalmus David : Idеft hic Pfalmus explicat occultum adventum multiplicem filii Dei, & præcipuè in carnem : Quatuor autem adventus leguntur Chrifti : primus vifibilis in carnem : fecundus vifibilis ad judicium : tertius invifibilis in mentem : & quartus in morte cujufcumque. *In Pfal.9.*

2. Licèt lingua non valeat enarrare omnia beneficia Dei, corde tamen poteft, & defiderio.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Quomodò dicit Pfalmifta fe velle narrare omnia mirabilia Dei? Quis eft qui poffit hoc facere? Sed attende quod licèt lingua id non valeat, cum non fit in noftra poteftate, poteft tamen id in defiderio, & voluntate : Et hinc dicit, *Confitebor tibi in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua* : non quia lingua fufficiat exprimere, fed quia gratitudo cordis de omnibus cupit laudes exfolvere, & prædicare. *In Luc. c.8. v.39.*

3. Ex lætitia cordis oritur laus exterior Dei.

Lætabor & exultabo in te, pfallam nomini tuo altiffime. Vide quomodò hic præmittit lætitiam interiorem cordis, & poftea fubdit Pfalmum, quia ex lætitia, quam cor in Deo habet, oritur Pfalmus, & laus in ore, & hæc denuo auget exultationem. *Pfal.118. c.11. v.1.*

4. Chriftus in adventu in carnem quale judicium fecit de diabolo, & homine.

Quoniam fecifti judicium, & caufam meam. Ergone ô Propheta lætaris, & Deo Pfallis, quia fecit judicium caufæ tuæ? Nonne Deum graviter offendifti, ergo te condemnabit? Sed attende artem mirabilem hujus judicii : Tres veniunt in caufam hanc: Homo, Deus, & diabolus; diabolus injuriam Deo feciffe probatur, quia fervum ejus fraudulenter feduxit : homo fimiliter, quia Dei præcepta contempfit : diabolus homini fecit injuriam, quia eum decepit: Venit Deus factus homo patronus : diabolum in carcerem compulit : fed prius Deus cum homine placatus fuit, & quod placaret Deum, ex mifericordia homini conceffit : deinde ad juftitiam proceffit hominem liberando à diaboli fervitute, & diabolum addicendo pœnæ æternæ : Ecce quàm meritò Propheta lætatur de hoc judicio, & fructu adventus Chrifti in carnem. *In Thren. c.3. ad finem.*

5. Sedere in throno fpectat ad judicem, ideò attribuitur Chrifto.

Sedifti fuper thronum, qui judicas juftitiam. Nota, dicitur (*fedifti*) quia in judicio federe fpectat ad authoritatem judicantis, & ideò dicitur, quod Chriftus fedet in throno. *In Luc. c.5. v.3.*

6. Deus qualiter dicatur refidere fuper thronos.

Sedifti fuper thronum, qui judicas juftitiam. Quis thronus eft ifte, fuper quem dicitur Deus federe : Nota ifte thronus eft ordo thronorum, in quibus divina juftitia dicitur refidere, quia per ipforum minifterium divinæ æquitatis excellentia benignè, & fapienter judicans, univerfa hominibus innotefcit : & per quos univerfa

versa ordinat, & disponit, in ipsisque excellit eorum humilitas, & subjectio divinæ ordinationi. *Op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 4. & in Psal. 9.*

7. Humiles spiritu sunt thronus Dei, in quo requiescit.

Sedisti super thronum, qui judicas justitiam. Nota, dictum est, Deum residere super thronos: Sed mysticè isti throni figurant viros spirituales, & perfectos, qui ratione justitiæ, & humilitatis sunt thronus Dei, in quo Deus resider, & requiescit. *Op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 4. & in Psal. 9.*

8. *Apud Dominum nomina justorum conservantur: Impiorum verò delentur, & superborum.*

Nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi. Nota, quod apud Deum hoc discrimen inter alia est justorum, & impiorum; quod justorum nomen conservatur in æternum: illi verò, qui impiè vivunt, & qui per tyrannidem, & malitiam, & vanitatem vocaverunt nomina sua in terris à Deo veluti obliti sunt, eorumque nomen deletur in Cœlis. *Serm. 2. Dom. 4. post Pentecost. & in Luc. c. 13. v. 3.*

9. *Per pœnitentiam perit impietas, & in alium peccator convertitur.*

Increpasti gentes, & periit impius: nomen eorum delesti in æternum. Nota, quod hoc potest in bonum etiam sumi: Increpat enim Deus per correctionem peccatorum, & si convertitur, fiatque de malo bonus, tunc perit impietas: idest impietas per gratiam, & in alium convertitur, nec ulla memoria remanet de ipsius nomine. *Psal. 118. v. 113.*

10. *Innocentia præservatur homo à morte: Impietate destruitur, & moritur.*

Inimici defecerunt framea in finem, & civitates eorum destruxisti. Ecce quid facit ædificare, & quid affert destructionem munitionum nostrarum, nempe inimicitia cum Deo: nam nostra innocentia præservat à morte, impietas destruit. *In Luc. c. 13. v. 3.*

11. *Memoria impiorum cum sonitu volat.*

Periit memoria eorum cum sonitu. Vide quomodò nomen impiorum, eorumque memoria cum sonitu campanæ, vel tubæ transit, & ad nihilum redigitur: & si permanet; id est ad confusionem majorem, & ignominiam. *Sap. c. 2.* Benè dicitur igitur cum sonitu, quia viget quidem memoria divitum impiorum quandiù durat sonitus campanarum, & musicorum, cum quo sepeliuntur, sed postea pereunt in æternum.

12. *Christus subjiciendo se impiorum judicio, meruit fieri Iudex vivorum, & mortuorum.*

Paravit in judicio thronum suum, & ipse judicabit orbem terræ. Quomodò dicitur parare in judicio, & non potius in valle Josaphat thronum? &c. Respondent Patres: In judicio, scilicet, quia Christus seipsum subjecit judicio impiorum, meruit fieri judex vivorum, & mortuorum: & ideò, ut æquus judex judicabit in justitia omnes cujuscunque conditionis. *Serm. 3. Dom. 2. post Pentecost. & in Psal. 9.*

13. *Pauperes veri sub protectione Dei peculiari vivunt.*

Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione &c. Cur dicitur factus Deus refugium pauperi? Nonne est refugium omnium etiam divitum? Id dicitur, quia, cum sit refugium omnium, peculari tamen modo est factus refugium pauperi, ejus adjutor in necessitatibus in tempore opportuno: Gaudeant igitur pauperes, & lætentur, & in Deo confidant: cum Deus peculiare refugium ipsorum se profiteatur. *In Luc. c. 7. v. 22.* Et quia multiplex paupertas reperitur, scilicet paupertas spiritus, quæ etiam in divitibus potest esse, quando scilicet cor non apponunt ad divitias: paupertas item voluntaria eorum, qui relictis omnibus fugiunt à sæculo, intrantes in claustrum religiosum: alia est necessitatis: Deus dicitur factus refugium pauperi primi, & secundi ordinis, quia beati pauperes spiritu. *In Psal. 9.*

14. *Cognitio de Dei bonitate erigit spem, & facit Deum quærere.*

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum; quoniam non dereliquisti quærentes te Domine: O quàm verum est hoc: qui enim cognoscunt divinam bonitatem, & misericordiam, numquam in desperationem cadent, sed per spem se erigunt ad quærendum Deum: Spes enim est columna firma domum animæ firmans. *Op. Diat. tit. 5. c. 4. & serm. 5. in die cinerum. Stim p. 3. c. 19.*

15. *Studia Dei pro salute nostra qualia.*

Annunciate inter gentes studia ejus in universa terra. Quænam sunt ista studia, quæ exercet Deus? Incumbitne exercitiis studiorum, vel artium? Sed attende, quod loquitur modò, ut exprimat ejus ardens desiderium salutis nostræ: studium enim est vehemens applicatio animi cum desiderio magno ad agendum aliquid. *Prol. in Sap.* Sed hic perpende bonitatem Christi in nos, & quot studia exercuit in nos Christus, prò salute nostra: nam modò se doctorem & magistrum exhibuit, ut nos erudiret. *In Ioan. collat. 60.* modò pastorem ut nos pasceret, & à lupis defenderet. *In Luc. c. 5. v. 14. & serm. 3. in Nativit.* Modò medicum, ut curaret nos. *Serm 1. Dom. 1. post oct. Pascha.* Modò Hortulanum ut hortum animæ nostræ coleret. *In Ioan c. 20. v. 15.* modò venatorem, modò Piscatorem, ut nos apprehenderet. *Serm. 3. Dom. 4. post Pentec.* Attende tamen, quod præcipuum ejus studium est textoris, & sutoris, ut componat in nobis charitatis indumenta, quorum pretiositas commendatur ab artificio; quia magno studio componitur; commendatur item à materia: nam aliæ vestes sunt vel de velleribus animalium, ut vestis lanea; vel de corticibus herbarum, ut linea vestis: vel de visceribus vermium, ut vestis serica: sed vestis charitatis est de gratia Spiritus sancti: commendatur item à calore, scilicet byssino, & purpureo, scilicet à munditia, & fervore. *Op. Diat. 5. c. 2.*

Nota. Vestis charitatis est de materia cælesti: cæteræ virtutes de materia inferiori.

B 16. Christus

16. *Chriſtus vindex ſeverus in effundenſes ſanguinem innocentum, & pauperum.*

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: non eſt oblitus clamorem pauperum. Vide quomodò Chriſtus ſeverum vindicem ſe profitetur effuſionis ſanguinis, & oppreſſionis innocentum, & pauperum: ſanguis enim eorum clamat ad Deum vindictam. *In Luc.c.11.v.50.* & exauditur.

17. *Clamare debent pauperes ad Deum, quia eos exaudit libenter.*

Non eſt oblitus clamorem pauperum. Ergo clamare debemus ſicut mendici ad Dominum: Maximeque pauperes id debent facere, quia libenter eos exaudit. *Serm. Dom.2. quadrageſ.*

18. *Deus quoſnam exaltat de portis mortis, & quomodò?*

Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem laudationes tuas. Quid eſt exaltari de portis mortis? De portis mortis, ſcilicet peccati, & inferni ad Deum per pœnitentiam recurrit humiliatione contritionis in corde ex recordatione commiſſæ iniquitatis: Iſte exaltatur decore cœleſtis gratiæ delentis maculam peccatorum: Vide igitur quanta felicitas ſit pœnitentis verè, & toto corde, dum à portis mortis exaltatur ad portas Sion, ſcilicet cœleſtis gratiæ. *Serm.4.Dom.10.poſt Pentecoſt.*

19. *Peccatum eſt porta mortis, & Inferni: Bona actio porta Cœli.*

Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem laudationes tuas in portis Sion. Nota hic quod portæ mortis, & portæ Sion in medium afferuntur: Quænam ſunt iſtæ portæ? Sed reſpondetur, quod portæ mortis ſunt peccata, & actiones malæ, per quas intratur in Infernum: Portæ Sion ſunt bona opera, per quæ intratur in Cœlum: Primæ portæ ſunt verſæ ad Aquilonem.

20. *Annunciare laudationes Dei in portis filiæ Sion quid ſit.*

Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Quid eſt annunciare laudationes Dei in portis filiæ Sion? Ideſt mandata Dei intelligere, in memoriam habere, & facere: & hoc eſt, quod ſancti deſiderant, ſcilicet ut fruantur Deo, ut uniantur Eccleſiæ in portis filiæ Sion, & ut liberentur à malo, à diabolo, à peccato, & ab inferno: iſtæque ſunt laudationes, quas tribuunt Deo, ſcilicet deſideria, in quæ exeunt ſancti. *Pſal.9.*

21. *Affectio mala ligat animam: ſancta ſolvit.*

In laqueo iſto, quem abſconderunt comprehenſus eſt pes eorum Nota, quod pes animæ eſt amor, qui ſi eſt peſſimus ligat eam in manibus diaboli: ſi eſt bonus, ſic ſolvit, & ad Cœlum dirigit. *Op. de ſeptem itiner. æternit. itiner.1. d.1.*

22. *Sæpè magis cognoſcitur, & recognoſcitur Deus ab homine injurias vindicans, quàm patiens.*

Cognoſcetur Dominus judicia faciens Cur cognoſcitur Deus judicia faciens, & non potius miſericordiam exercens? quia hoc eſt proprium peccatorum: non enim cognoſcunt Deum injurias patientem, & miſericordiam exercentem, ſed magis injurias vindicantem, quia per flagella tantùm reducuntur ad Deum. *In ſap. c.16.* Et hinc ſubdit Propheta: *In operibus manuum ſuarum*, ſcilicet in flagranti comprehenditur &c. quia unuſquiſque peccator, dicit Hierem. portat ſecum funes, vincula, tormenta, unde puniatur.

23. *Væ impiis, maximè Prælatis, qui exaltantur, & laudantur, & continuant in peccatis.*

Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & benedicitur. Vide quomodò peſſimum ſignum eſt de eo, qui obtinet, quod deſiderat cum offenſa Dei, qui exaltatur, laudatur, benedicitur, & continuatur in peccatis, ac ſi eſſet juſtus: Hoc attendant Prælati. *In Eccleſ. c.8.*

24. *In fine vitæ uniuſcujúſque opus vel præmiabitur, vel punietur.*

Quoniam non in fine oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. Quomodò ſubſiſtit iſta ſententia cum alia Salomonis *Eccleſ.c.1. Quid habet amplius de labore ſuo, quo laborat ſub ſole?* Si iſti labores in vanum tolerantur, quomodò dicitur hic, quod patientia pauperum non peribit in finem? Sed attende iſta non eſſe contraria: Alii enim in vanum laborant ſub ſole, ideſt in caducis, & cum Dei offenſa: Alii laborant ſupra ſolem, ſcilicet pro Chriſto: Iſti præmiabuntur: Illi vacui meritis punientur. *In Eccleſ. cap.1.*

25. *Memoria mortis facit hominem deſpicere ſeipſum.*

Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt. Quiſnam legiſlator eſt iſte faciens cognoſcere gentes, quod homines ſunt? Sed attende ad legem jam à Deo factam in principio mundi, quando dixit, *pulvis es, & in pulverem ibis.* Orat igitur Propheta Deum, ut induat homines ad recordationem hujus legis à Deo factæ, ut cognoſcentes ſe homines, ſcilicet humo, & pulvere formatos, recordentur ſe morituros: talis enim recordatio facit hominem ſeipſum deſpicere, & à peccatis ceſſare: memorare enim noviſſima tua, & in æternum non peccabis. *Op. Diat. tit.7. c.1.*

26. *Iuſtus quo exterius dirius cruciatur, eo fuſius in patientia, & amore incaleſcit.*

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper. Vide quomodò contrarium ad præſentiam ſui contrarii concitatur, & fuſius incaleſcit: nam quò magis impius perſecutor ſuperbit, & juſtum perſequitur, eò pauper cruciatus, juſtuſque in amore Dei, & patientia incenditur. *Serm. 3. de plurib. martyrib.* Charitas enim dum pœnas ad malum allicientes adeſſe perſentit, & ad reſiſten

resistendum eis se recolligit totam, & majores ex hoc assumit vires. *Serm. 1. de pluribus Confessor.*

27. *Benedictio diaboli consecrat peccatores in malo, quia maledicta.*

Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Ergone datur benedictio iniquis, dum actu perpetrant mala? Et quis est iste benedicens? Attende, quod alia est benedictio Dei, alia diaboli: Illa consecrat bonos in bono: Ista consecrat malos, laudans eos in malo, & per adulationem deceptionis, eos in malo continuare faciens: Hæc est unctio extrema peccatorum, qua præparantur igni æterno, ut melius ardeant. *Serm. 4. Dom. Trinitatis.* Hæcque adulatio pessima est, quia malum nutrit laudando malum, & dicendo esse bonum. *Op. Centil. p. 1. sect. 14.* Est inquam pessima, & causa multorum malorum etiam sæpe apud Religiosos. *Op. de perfect. religios. l. 1. c. 9.*

28. *Continuatio in peccato quàm periculosa, & Deum exacerbans.*

Exacerbavit Dominum peccator; non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ ejus in omni tempore. Cur iste peccator dicitur exacerbare Dominum? Cur inquinatæ sunt viæ illius? Nota omni tempore; scilicet quia continuat semper totam vitam in peccato, scilicet in pueritia, in juventute, & senectute: Væ igitur tali misero. *Psal. 118. c. 4. v. 11.* Paveant igitur, qui ferè totum tempus vitæ suæ ducunt in peccatis numquam serió resipiscentes, & ad pœnitentiam seriam, emendationemque vitæ pervenientes.

29. *Exercitium præsentia Dei animam elongat à peccatis: defectus hujus exercitii reddit inquinatam.*

Non est Deus in conspectu illius; inquinatæ sunt viæ ejus in omni tempore. Ecce causa talis inquinationis, & lapsus continui in peccata: quia non est Deus in conspectu ejus: Jugis enim memoria præsentiæ Dei ante oculos cordis facit, quod anima semper proficit in via Dei, conservat devotionem in corde: ergo è contra defectus hujus exercitii facit, ut quis sæpe labatur in peccata, & deficiat in via Dei. *Op. de sex alis Seraph. c. 8. & op. stim. p. 2. c. 1. & 2. & 4. 7. & 9.*

30. *Qui judicium Dei alienat à mente sua, in omnia peccata præcipitat.*

Auferuntur judicia tua à facie ejus &c. Ecce alia causa, cur peccator præcipitat in peccata, quia vel putat se à Deo non puniendum, vel in oblivionem judiciorum Dei præcipitat: Talis erit Antichristus. *Op. Comp. Theol. l. 7. c. 8.*

31. *Superbi, detractores, & proximo nocentes tamquam furiosi plenum os maledictione habent.*

Cujus maledictione plenum est os, & dolo &c. *Sedet in insidiis, ut interficiat innocentem.* Cujusnam est os istud? scilicet superborum, & in proximum crudelium: Qui enim cogitat læsionem innocentis proximi ad modum leonis, vel potius canis furiosi insidiatur ei, cujus os plenum est amaritudine subversionis, & dolo deceptionis: Ideò quia sunt veluti malefici in Ecclesiam maleficium inducentes, sunt ab Ecclesia eliminandi, & puniendi, & expellendi, ne alios suo veneno, & maleficio inficiant. *Serm. 4. Dom 9. post Pentecost.*

32. *Prælati circumspecti sint, ne sint tamquam leones, vel canes attendentes in judiciis ut interficiant innocentes.*

Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Quid est sedere in insidiis, in occultis? Quis est iste? Nota, quod hoc maximum est periculum Prælatorum superborum: qui enim proprio sensui innititur, qui se solùm justum reputat, alios contemnens: hic enim deceptus à dæmone, sedet in occultis, scilicet occultè deceptus sedet, ut in subditis inveniat majores meritorum divitias, quàm par est: Sic enim innocentem inquirit, ut occidat, ubi se magis Deo obsequium præstare sperabat. Vide quomodò sub specie boni superbia destruit innocentiam, & totum subvertit. *Op. de sex alis seraph. c. 7. & in Psal. 9.*

33. *Dæmones ut venatores, & latrones insidiantur animabus, ut eas capiant assent, & coquant, & postea comedant.*

Sedet in insidiis cum divitibus: Insidiatur, ut rapiat pauperem in laqueo suo &c. Quis est iste insidiator, qui in occulto loco stat ut rapiat pauperem? Nota isti sunt dæmones, quorum omne studium est peccatum: Isti sunt aucupes, sicut venatores, sicut latrones in insidiis insidiantur animabus, ut eas rapiant, & in igne avaritiæ assent, vel in aqua luxuriæ coquant in hoc mundo, & postea in inferno eas comedant, & perdant. *Serm. 2. fer. 3. Pentecost.*

34. *Anima in peccato perseverans, & continuans est spelunca dæmonum.*

Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Quæ est hæc metaphora inter animam, & speluncam leonis? Sed nota, quod optima est, ut exprimat statum infelicissimum animæ existentis in peccato mortali: dum enim in peccato perseverat, & continuat, sedet in abscondito ibi diabolus tamquam in spelunca fœtida, & habitatione latronum, vel bestiarum: Spelunca enim est tenebrositate obscura, fordida, algore frigida, bestiis, & insidiantibus inhabitata: Sic est anima in peccato existens, spelunca, inquam dolosæ malignitatis, libidinosæ voluptatis, impiæ rapacitatis, injustæ usurpationis. *In Joan. c. 11. v. 40.*

35. *Inhians ad damnum proximi est veluti bestia in spelunca latitans.*

Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Nota quod hic Propheta loquitur de iis, qui ad nocendum proximo inhiant: dum enim anima,

anima, quæ deberet esse domus Dei, in læsione proximi perversas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones recipit: Fit enim spelunca latronum, & be-iarum, dum cogitationes malas, & malignas adversus proximum continet, dum ad injustam usurpationem rerum alienarum inhiat: ô maledicta spelunca à dæmonibus possessa. *In Ioan. c.11. v.40. & serm.4. Dom.9. post Pent. & serm.1. de sancto Nicolao.*

36. *Antichristi violentia, & dolositas hic prædicitur.*

Insidiatur quasi leo in spelunca sua. Nota hic prædictionem fieri de malignitate antichristi, cujus vis, & violentia exprimitur per leonem, & dolositas per speluncam: quia & violentia multiplici, & arte magica, qua finget miracula multos decipiet. *Op. Comp. Theol. l.7.c.9.*

37. *Divites crudeles in pauperes à Deo puniuntur.*

Tibi derelictus est pauper. Quid est derelinqui Deo pauperes? Id est quando divites crudeles derelinquunt eis non subveniendo in necessitatibus: tunc enim Deo remittuntur, quia Deus pauperes adjuvat, & severè castigat tales divites. *In Luc. c.16. v.21.*

38. *Deo specialis cura est pauperum non divitum.*

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Cur specialis fit memoria de cura, quam Deus habet pauperum? nonne & omnium illi est cura? Omnium quidem Deus habet regimen: sed tamen vera illi specialis est pauperum & orphanorum, eosque peculiari modo protegit, non divites divitiis, & consolationibus plenos: Unde non consolatur garrulos, cachinnantes, ambulantes in stolis, amantes primas cathedras. *Op. medit. Vita Christi cap.7.*

39. *Desiderium internum Christo exhibitum maxima vox, & oratio magna est.*

Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. Vide curialitatem Domini Dei, plus dat animæ desideranti, quàm sciat exprimere: Nam desiderium Christo exhibitum maxima vox, & oratio est. *Opus. medit. Vita Christi. c.62.*

40. *Voces animæ penetrantes ad aures Dei sunt desideria cordis.*

Desiderium eorum audivit auris tua. Vide, quod dicit (*desiderium*) non vocem: quia voces, & clamores animæ sunt desideria, quæ penetrant ad aures Dei, obtinentque, quod petunt. *Op. de septem itiner. æternit. Itiner.2. d.4.*

41. *Qui vult, ut Deus veniat ad se, præparet cor per munditiam, & invocationem devotam.*

Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua. Nota hæc duo, scilicet, (*desiderium, & præparationem,*) & intellige, quod, qui vult Deum venire ad se per exauditionem, & concessionem gratiarum, debet præparare cor per munditiam, & invocationem devotam: & nota, quod dicit, (*exaudivit,*) quia citissimè audit Dominus mundos corde, & omne, quod postulant, liberè donat: E contra immundum in verbis, in corde, & operibus non audit. *Serm. 2. de Sancta Agnete.*

42. *Ad orationem est necessaria præparatio.*

Præparationem cordis eorum audivit auris tua. Vide quomodò ad orationem veram requiritur præparatio antecedens: quales enim volumus in oratione inveniri, tales debemus ante tempus præparare nos, & si vis affici in oratione, præpara cor tuum ad devotionem: Hæc autem præparatio tria exigit: primò sensuum revocationem ab exterioribus, & intrare in cubiculum cordis: Secundò propriæ paucitatis considerationem simulque divinæ Majestatis, immensitatis: Tertiò est Christi Redemptoris cognita dilectio. *Op. Regul. Novit. c.2.*

43. *Verus devotus Beatæ Virginis Mariæ debet toto corde narrare ejus mirabilia.*

Confitebor tibi in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Nota quod verus Dei amicus, non solùm Deo, sed & ejus matri debet hæc dicere: Confitebor tibi Domina Virgo in toto corde meo, & narrabo in populis laudem, & gloriam tuam? quia enim Mariæ peculiaris gloria debetur, & gratiarum actio, & vox laudis, ideò qui profitentur ejus devotionem, debent in populis ejus laudes, & privilegia exartare: hocque maximè debent prædicatores. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.9.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

44. *Qui amittunt gratiam apud Deum, ad Mariam revertant, ut ipsam inveniant.*

Increpasti gentes, & periit impius &c. Cur perit impius? quia à Deo rejectus est: Sed nota, quod ideò perit, quia ad Mariam non recurrit: Nam per Mariam inveniunt gratiam peccatores apud Dominum, qui ad ipsam confugiunt, quia ipsa est juvatrix gratiæ & sanctitatis, & salutis: sic enim dixit Angelus Mariæ, invenisti gratiam apud Deum. Qui ergo gratiam Christi perdidit, ad Mariam recurrat. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.9.*

45. *Speret homo in Maria, quia non derelinquit quærentes ipsam.*

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te. Hoc dicebat Propheta Domino: hoc dicitur ab Ecclesia Mariæ: & meritò; nam qui sperant in ea mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt: Quis enim non sperabit in Maria, quæ etiam adjuvat desperantes? Et quis non sperabit in ea, per quam exauditæ sunt preces sanctorum? In Maria ergo speret, qui desperat, qui deficit, ad ipsam recurrat confidenter, ad ipsam perveniat,

perveniat, qui vult aliquid impetrare. *Op. stim. Divin. amor. p.3. c.19.*

46. *Spes in Maria quales fructus pariat.*

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum. Ergo qui novit nomen Mariæ, novit etiam ejus pietatem, novit, quod in ea sperandum est maximè post Deum, novit, quod per eam invenit gratiam peccator, novit quod per eam respirant ad indulgentiam humiles pœnitentes, quod ipsa conservat contritiones ejus: novit, quod qui in ipsa sperat vivit in requie opulenta, & in pulchritudine pacis, quod post laborem peregrinationis hujus vitæ cibat suos requie, & gloria æterna. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.9.*

47. *Qui sunt, qui cum fructu, & qui frustra sperant in Maria.*

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum. Ergone qui nomen Mariæ non noverunt non habent sperare in Maria? Et quinam sunt, qui noverunt nomen Mariæ? Nota, quod hic innuitur, quinam sint, qui cum fructu, & quinam frustra sperant in Maria: Illi namque, qui irreverenter Mariæ nomen tractant, qui audent ipsum nominare corde, & ore, simulque vana, & inutilia imò nefanda tractare audent, ipsam alloqui tergo verso vanè, & frustra sperant in ea: Illi verò, qui cum omni reverentia, honore, & devotione eam nominant, qui ad eam devotè, & reverenter accedunt: hos verè diligit, hos nutrit, hos in filios suos suscipit: O beatus, qui de tam nobili matre lætatur, ipsam corde amplectitur, opere imitatur. *Op. stim. p.3. c.16.*

48. *Maria animarum venatrix.*

Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua Hic est diabolus, qui ut venator animabus insidiatur, ut supra dictum est: Sed ô benignitas Mariæ: Hæc enim contra dæmonem facta est venatrix animarum, hæc non in tenebris, sed in luce quærit animas nostras, nec aliquis potest claritatis suæ fulgorem, & suæ pietatis radios effugere; nec est, qui a calore beneficiorum suorum effugere possit: hæc undique & semper suæ benignitatis laqueos extendit, hæc nos suis beneficiis irretit, ut a se fugere non valeamus, sed in suæ dulcedinis gremio quiescamus. *Op. stim. p.3.cap.16.*

49. *Maria rapit corda.*

Insidiatur, ut rapiat pauperem. Si sic facit diabolus, ut rapiat animas miseras, suam iniquissimam sævitiam in eas exerceat, ut dictum est supra. Sed ecce è contra Maria tota est, ut rapiat corda nostra: Ipsa est, quæ corda nostra, non sævitia, sed dulcedine rapit corda: & inter ubera sua ponit, ut quæ friguerant sibi, calefiant. *Op. stim. p.3.cap.19.*

50. *Maria mater miserorum, & pauperum, non superborum.*

Desiderium pauperum exaudivit, præparationem cordis eorum audivit auris tua. Si hoc dicitur de Christo: Idem, & de Beata Virgine: Sed nota, quod dicit, (*desiderium pauperum*,) non divitum, idest superborum, qui se justos, ut præsumptuosè existimant: Desiderium ergo pauperum ipsa audit, & exaudit: nam pro miseris Mater Dei est facta, misericordiam insuper genuit, & ipsi miserendi officium commissum est: Ipsa undique sollicita est de miseris, ut hos in filios adoptet, & regat. *Op. stim. part.3. cap.19.*



PSALMUS X.

Titulus: In finem: Psalmus David.

1. PRIMO nota, quod hic Psalmus haber pro titulo: In finem Psalmus David, scilicet nos dirigens in finem Christum, & nos armans contra membra putrida Antichristi, & diaboli, quæ sunt hæretici, & mali, pessimique Christiani: Aliqua enim sunt membra arida sine humore gratiæ: aliqua sunt putrida intus saniem, idest superbiam habentia: aliqua sunt intus vulnerata: Contra istos nos armat Propheta, ut in Domino confidamus, & istorum conversationem fugiamus, ne inficiamur. *In Psal 10.*

2. *Fundamentum contemplationis est vera confidentia in Deum.*

In Domino confido, quomodò dicitis animæ meæ transmigra in montem sicut passer. Vide quomodò Propheta ponit pro fundamento totius fabricæ spiritualis Dei confidentiam: & meritò: nam hæc est certum fundamentum, & medium necessarium perveniendi ad dulcorem charitatis divinæ, quia allicit, & confortat animam, propter certitudinem sponsi in hoc itinere spirituali. *Op. Incendium amoris. c.3.*

3. *Felix, & securus, qui solum in Deo confidit: Infelix, & maledictus, qui in rebus creatis, & in se confidit.*

In Domino: quomodò dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut passer? Nota, quod sensus hujus textus est, quia mundani, hæretici, & perversi dicunt servis Dei, & catholicis, transmigra scilicet ad nos: vel incumbe rebus mundanis sicut passer: per quod notatur levitas, & inconstantia rerum mundanarum. *In Psal.10.* Quomodò audetis mihi hoc suadere, qui totum cor meum in Deo collocavi per confidentiam, non in rebus terrenis, non in vanitatibus, non in meipso &c. Et meritò hoc dicit Propheta: nam confidentia est in Deo ratione invincibilis suæ potestatis: ratione suæ infallibilis veritatis, ac fidelitatis: & ideò confidentes in ipsum superant quascumque tentationes, & persecutiones: E contra maledictus, qui confidit in humana virtute, vel in seipso, vel in mundana potestate, vel in divitiis, vel in rebus creatis: talis enim est vana fiducia. *In Ioan. collat.79.*

4 *Hæreticorum pervicacia qualis.*

Intenderunt peccatores arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuris rectos corde. Hic pſalmus eſt præcipuè contra hæreticos, qui propriè dicuntur peccatores, ſcilicet in erroribus, & tenebris involuti: Isti intenderunt arcum, dum fallaciæ compoſitores ſophiſticum argumentum prætendunt: ſagittas in pharetra parant, dum cauſam falſitatis ſub apparentia veritatis occultant, & rectos corde ſagittant, cum rectè credentes in errorem præcipitant. *Pſal.118. c.7. v.14. & Pſal.95.*

5. *Quod faciunt dæmones, & hæretici in malum ſagittando rectos corde: hoc facit Chriſtus in bonum, & ad ſalutem animarum.*

Intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas &c. ut ſagittent in obſcuris rectos corde. Nota, quod ſi hoc faciunt dæmones, & peccatores ad ruinam hominum: Idem facit Deus ad bonum noſtrum: Nam Pater tetendit arcum ſuum, quando miſit filium ſuum in mundum, miſit eum veluti ſagittam, quando fecit ipſum incarnari, ut ſagittet in obſcuro, idest in peccato exiſtentes, ut eos faceret rectos, bonos: Sagitta igitur fuit Chriſtus per timorem, dolorem, & charitatem vulnerans, & ſanans, occidens, & vivificans. *Pſal.119. & Serm.7. in Pentecoſt.*

6. *Detractor antonomaſticè dicitur peccator, quo utitur diabolus ad vulnerandum hominem.*

Intenderunt peccatores arcum, paraverunt ſagittas in pharetra &c. Qui ſunt iſti peccatores? Forſan loquitur de omnibus peccatoribus? minimè: loquitur autem de detractoribus, qui intendunt arcum, & parant ſagittam linguæ, & vulnerant rectos corde, ipſorumque miniſterio utitur diabolus, cujus ſagittæ ſunt malæ linguæ. *Pſal 118. c.4. v.5. & ſerm.7. In Pentecoſt.* Vide igitur quomodò peccator antonomaſticè dicitur propriè de detractore, ut pateat quàm grave, & Deo exoſum, & homini pernitioſum ſit hoc vitium.

7. *Chriſtus antonomaſticè dicitur juſtus propter multa.*

Iuſtus autem quid fecit? Quis eſt iſte juſtus? Juſtus, ſcilicet Chriſtus cui abſolutè ſoli convenit hic titulus, quia talis eſt in natura, ſcilicet ſine macula, quia alios juſtificat, & quia reddit æqua merita. *In Pſal.10.*

8. *Iuſtus Chriſtus quid fecit, & quid facit nobiſcum.*

Iuſtus autem quid fecit? Et quid facit? Nota, quod hæc verba debent ſæpè à nobis repeti, meotique inculcari, dicendo, & cogitando: Chriſtus autem quid fecit? quid facit? Dat enim pœnitenti remiſſionem, & indulgentiam peccatorum, punit ſuperbos, & obſtinatos: dat item promittendo, permittendo, puniendo, offerendo in præſenti gratiam, & in futuro vitam æternam. *Pſal.10.*

9. *Deus inhabitans in anima dicitur eſſe in templo ſancto, & in Cœlo.*

Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in Cœlo ſedes ejus. Quomodò ſi eſt in templo ſancto ſuo, dicitur eſſe in Cœlo? Nota, quod hic loquitur textus de anima à Deo habitata: Dicitur enim ſedere in anima per potentiam, dum per gratiam inhabitat in homine: Nota autem, quod dicitur, *in templo ſancto ſuo, & in Cœlo*, ſcilicet in homine, qui eſt templum per gratiam inhabitantem, & ſanctum in operatione, & ſuum per ſubjectionem, & Cœlum per ſcientiam: hæc quatuor reddunt animam templum ſanctum, & Cœlum, ſedemque Dei. *Pſal.10. 101.*

10. *Dominus Deus habitat peculiariter in Eccleſiaſtica unitate, & concordia.*

Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in Cœlo ſedes ejus Cur dicitur habitare in Cœlo? Nonne Deus eſt ubique; Nota, quod in Cœlo peculiariſſimo modo eſt unitas, & concordia: ideò myſticè dicitur habitare in templo ſancto, & in Cœlo, ſcilicet in Eccleſiaſtica unitate, & ideò, qui hanc lædit dicitur peccare in Cœlum, & contra Deum. *In Luc. c.15. v.18. & Op. Eccleſ. Hier. p 4. c.4. Item quinto, & item ſexto.*

11. *Deus habitat in Angelis, ut in Cœlo.*

Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in Cœlo ſedes ejus. Nota, quod hic per templum ſanctum Dei intelligitur Cœlum, in quo peculiari modo dicitur habitare: Sed tamen in Cœlo ſedes ejus, dicitur tamquam in loco differenti: & iſti ſunt Angeli: quia ſicut Cœlum dicitur locus, & habitatio Dei peculiaris, ſic dicitur ſedere permanenter in Angelis ob aptiſſimam, & ordinatiſſimam conformitatem voluntatis ipſorum. *Op. Eccleſ. Hier. p.4. c.1* Ergo ubi eſt perfecta conformitas voluntatis cum Deo, ibi eſt ſedes Dei, & Cœlum. *Op. ibidem c.4.*

12. *Anima qualiter dicatur Cœlum, & ſedes Dei.*

Nota, quod anima dicitur templum ſanctum Dei per inhabitantem gratiam: ſed dicitur etiam ſedes ejus, & Cœlum, ex hoc, quia anima ſancta eſt ſicut Cœlum per elongationem ab amore terrenorum, tum propter munditiæ imitationem, tum propter obedientiæ ordinatam ſubjectionem, & continuationem, tum propter omnimodam contrarietatis remotionem pat concordiam perfectam, tum propter cautiſſimam meritorum occultationem, tum propter influentiam continuam, & diffuſionem per exceſſum charitatis in proximos. *Op. de Eccleſ. Hierar. p.4. c.4.*

13. *Anima qualiter fiat templum sanctum, & sedes Dei.*

Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cælo sedes ejus. Idest in anima, quæ est domus Dei: Sed nota quod sicut domus Dei dicitur sanctum templum quia Deo consecratur, & sanctificatur, sic anima debet sanctificari, primò aspersione aquæ compunctionis, & aspersorio humilitatis: Secundò ligatione Crucis, scilicèt pœnitentiæ, & mortificationis: Tertiò inunctione sanctæ consolationis Spiritus sancti: Quartò illuminatione honestæ conversationis: per ista igitur sanctificatur Deo anima, ejusque sedes, & templum fit. *Serm. 1. & 3. in Dedicat. templi.*

14. *Christus docet in templo sancto suo, non in stabulo Diaboli.*

Dominus in templo sancto suo &c. Ex quo disce, quod Christus habitat in templo sancto, scilicet in anima sancta: Sed cur dicitur sedere in anima? Nota, quod sedere dicitur Doctor legens in cathedra: Christus igitur sedet in anima justa, ut eam doceat, & illuminet: Sedet ibi, quia est sancta: non autem in stabulo, & cloaca diaboli. *Serm. 4. Dom. 3. post oct. Pascha.*

15. *In Ecclesia standum est ut in Cælo.*

Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cælo sedes ejus. Cur post memoriam templi Domini, subdit, quod in Cœlo est sedes ejus? Ut videas quali reverentia debeat stare in Ecclesia, nempè tamquam in Cœlo, in quo habitat Deus: Ecclesia enim est ab omnibus usibus humanis evacuata, ab inferiori potestate exempta, soli Deo dedicata, divino cultui, & sacris actionibus deputata, & ideò est domus gloriosa Majestate: sancta, & munda puritate: Magna amplitudine, quia est domus Dei: Decora speciositate: Hinc disce quali reverentia eam debes tractare, ne domus Dei fiat domus negotiationis, & spelunca latronum: Domus est Cœlestis, quia in ea adsunt Angeli ut in Cœlo militantes, & obsequentes Christo. *Serm. 1. In Dedicatio. & In Joan. collat. 14.*

16. *Oculo dextro Deus videt bonos: Sinistro malos.*

Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum. Ergone Deus habet oculos, & palpebras? Sed hic loquitur Propheta humano modo. Dicitur autem Deus habere oculos, scilicet duos dextrum, & sinistrum: oculo dextro videt bonos eos prædestinando; sinistro malos eos reprobando: Dicitur etiam palpebras habere, quæ aperiri dicuntur quando Deus bona bonis, & mala malis tribuit: Dicuntur claudi, quando prospera malis, & adversa bonis tribuit. *In Psal. 10.*

17. *Deus quando elevat animam ad contemplationem, dicitur videre eam.*

Oculi ejus in pauperem respiciunt &c. Idest facit videre pauperem, & humilem elevando ejus oculos ad contemplationem cœlestium: Dicitur autem oculos claudere, quando extinguitur oculus contemplationis, & aperitur oculus concupiscentiæ: si enim unus aperitur, alter clauditur. *Psal. 10.*

18. *Deus in pauperes spiritu peculiari modo respicit.*

Oculi ejus in pauperem respiciunt. Cur in pauperem, & non in divitem? quia paupertas spiritus est virtus, in qua Deus valdè sibi complacet: pauperum enim istorum Deus habet peculiarem protectionem, complacentiam, & condescensionem pietatis suæ. *In Luc. c. 7. v. 22.*

19. *In libris sacræ Scripturæ Deus revelat sua misteria.*

Palpebræ ejus interrogant filios hominum. Quid est hoc? Ergone palpebræ habent officium interrogandi? Sed nota mysterium: Palpebra detegit oculos: sic Deus detegens sua mysteria in libris sacræ Scripturæ dicitur interrogare, idest probare, & docere homines sua secreta. *Op. de Invisibilit. Dei. & In Luc. c. 8. v. 41. & c. 24. vers. 19.*

20. *Christus interrogabat aliquando, non ut addisceret, sed ut doceret.*

Dominus interrogat justum, & impium &c. Nota hoc faciebat Christus aliquando, non ut addisceret, sed ut aliis detegeret veritatem, & ut eos doceret. *In Luc. c. 8. v. 41. & c. 24. v. 19. & sap. cap. 1.*

21. *Homo per peccatum occidit seipsum.*

Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Cur diligens iniquitatem dicitur odisse seipsum? quia jugulat animam suam, seipsum occidit. *Serm. 2. Dom. 3. post Pentecost. & serm. 3. Domi. 17. post Pentec. & in Luc. c. 17. v. 33. & in Joann. c. 15. v. 21. & Luc. c. 9. v. 24. & sap. c. 16.*

22. *In Inferno Deus pluit laqueos, ignem, sulphur, & spiritum procellarum, aliaque mala.*

Pluet super peccatores laqueos ignis, sulphur &c. Ergone in Inferno erunt ista corpora mixta? hic loquitur Propheta de damnatione malorum, & notat, quod in Inferno cruciabuntur non solùm pœna damni, sed pœna sensûs, & quod ibi erunt omnia elementa confusa, ut omnis creatura sit in tormentum contra præscitos, & armetur in ultionem Creatoris, ut per ea puniantur, ex quibus constituuntur. *l. 4. d. 44. p. 2. a. 2. q. 2. In sap. c. 3. & 11. & serm. 17. Hexaem. & serm. 3. In Nativit.*

23. *Deus meritò igne, & fœtore punit in Inferno luxuriosos.*

Nota, quod nomine peccatoris præcipuè venit luxuriosus, qui in hoc mundo igne luxuriæ, & sulphure fœtoris malæ vitæ Deum offendit, ideò

ideò meritò punitur in inferno igne, & ſulphure. *Serm.3. Dom. quinquag.*

24. *Damnati uſque ad diem judicii bibent partem calicis iræ Dei: poſtea totum calicem.*

Pluet ſuper peccatores laqueos &c. pars calicis eorum. Quid eſt pars calicis? Nota quod duæ ſorores ſunt caro, & anima: ſi ergo moritur in peccato, in inferno una ſoror, ſcilicet anima bibet partem calicis iræ Dei: poſt reſurrectionem ambæ bibent totum calicem in pœna, quia peccatum ſimul commiſerunt. *Serm.1. Dom.4. poſt oct. Paſcha & ſerm.3. Dom.13. poſt Pentecoſt. & in Luc. c.12. v.46. & c.17. v.50.*

25. *In mundo poſt reſurrectionem ceſſabit pugna elementorum, non autem in inferno.*

Pluet ſuper peccatores laqueos ignis &c. Ergone erit in inferno pugna elementorum? Nonne ceſſabit poſt diem judicij? Reſpondetur, quod ceſſabit in mundo, non in inferno: erunt enim ibi elementa non diſtincta, ſed confuſa, nec ceſſabit eorum actio, & pugna, quæ hic quidem ceſſabit, quia ceſſabit generatio, & corruptio ſecundùm ordinem naturæ, non tamen in inferno ſecundùm imperium Creatoris. *Serm. Dom.7. poſt Pentecoſt. & l.4. d.44. p.2. a.2. q.2.*

26. *Hæreticorum doctrina eſt cum pluvia, laqueus, igne, & ſulphure.*

Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur &c. Hic loquitur de hæreticorum doctrina, & dicitur pluvia, quia ſpeciem pietatis habens, animos allicit, ſed tamen quia falſa eſt dicitur laqueus: deinde quia exurit dicitur ignis, & hinc fætet, & ideò dicitur ſulphur. *In Pſal.10.*

27. *In peccato eſt ignis, laqueus, ſulphur, & ſpiritus procellarum.*

Pluet ſuper peccatores &c. Quia peccatum eſt ignis, cujus fumus olfactu animæ percipitur, cujus fætor mentis inquietudinem cauſat, & eſt ignis omne bonum conſumens. *Pſal.10.*

28. *Deus pluit ſuper bonos gratiam, ſuper malos pœnam.*

Pluet ſuper peccatores Deus. Scilicet pœnam multiplicem, ſicut ſuper bonos imbrem gratiæ, & doctrinæ. *In Pſal.10.*

29. Deus prædicatur juſtus, ut nos ad amandum juſtitiam moveat: hinc dicitur. *Iuſtus Dominus, & juſtitiam dilexit &c.* ſcilicet in nos. *Sap. c.1.*

30. *In Maria confidendum, quia tota dulcis, & pia, & miſericors.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *In Domino confido: quomodò dicitis animæ meæ transmigra in montem ſicut paſſer?* Si hoc dicitur de Chriſto, idem & dicere debemus de Beata Maria Matre: Si in Chriſto totam noſtram fiduciam collocare debemus, quia totus pius, & miſericors eſt, ergo & in Maria confidendum eſt propter dulcedinem miſericordiæ nominis ſui. *Pſalt. B. Virg. Pſal.10.*

31. *Idem de confidentia habenda in Maria ob ejus miſericordiam.*

In Domino confido. Ergo & in Maria confidam: In Domino confido, quia eſt piiſſimus liberalitate miſericordiæ ſuæ infinitæ: ergo quia Dominus miſericordioſiſſimus eſt cum Maria (dixit enim Angelus ei, *Dominus tecum*) miſericordioſiſſimè, & ideò miſericordioſiſſima ſecum: & hinc ſicut Dominus, ſic & Domina noſtra multæ miſericordiæ eſt omnibus invocantibus eam: ergo in ea totaliter confidendum: Sileat igitur miſericordiam tuam ò Virgo Beata, qui invocatam in neceſſitatibus ſuis, ſibi meminerit defuiſſe. *Op. Specul. B. Virg. lect.7. & 9.*

32. *Chriſtus intravit in Mariam, ut ipſam vulneraret.*

Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Si peccatores intenderunt arcum, ut ſagittas peccatorum jacerent in Deum, & proximum: & Deus, ut contraria contrariis curaret, ſe occultavit in utero Beatæ Virginis Mariæ, ibique intendit arcum ſui amoris, & ſagittando vulneravit Mariam: Magnum quidem, & acutiſſimum vulnus fecit ſagitta dilectionis, cujus animam, & carnem penetravit, ut per hoc malos faceret rectos, & bonos corde. *In Pſal.119.*

33. *Chriſtus in templo ventris Mariæ Virginis ſeceſſit, ut ibi honoraretur.*

Dominus in templo ſancto ſuo. Quodnam eſt templum ſanctum Chriſti? Jam dictum eſt hoc eſſe animam ſanctam: Ergo multò magis Beata Virgo Maria, in cujus uterum intravit Verbum ut in templo ſancto ſuo, in quo tota Trinitas accepit gloriam, & Filii Perſona Carnis Humanæ ſubſtantiam. *In Luc. c.1. v.28. & Op. Specul. Beatæ Virg. lecti.7.*

34. *In Maria ut in Cælo collocavit Deus ſolium ſuum.*

Dominus in Cælo ſedes ejus. Quodnam eſt hoc Cœlum, in quo ut in ſede, & ſolio collocavit ſe Deus? Hoc Cœlum eſt Beata Virgo Maria, quæ fuit verè Cœlum, quia cæleſti puritate, cæleſti claritate, cæleſtibus aliis virtutibus abundavit: Imò pluſquam Cœlum, quia capacior fuit Cœlo, quia, quem Cœli capere non poterant, ſuo gremio comprehendit. *Opuſ. Specul. B. Virg. lect.5. & ſerm.1. de B. Virg.*

35. *Maria ſedes, & ſolium Dei.*

Dominus in Cælo ſedes ejus. Cur dicitur, *ſedes ejus?* Ut intelligas, quod cum Cœlum ſit altiſſimum, excelſum, & plenum majeſtate, hoc ſolùm competere poterat Beatæ Virgini, quæ fuit ſolium

solium excelsum Domini in intellectu, elevatum in affectu, excelsum, & elevatum super homines: excelsum gratia, elevatum in gloria. In hoc solio Dominus sedet per gratiam, & majestate sua implevit per assumptam naturam, *Op. specul. B. Virg. lect. 7.*

36. *Maria Virgo est sedes, & thronus misericordiæ Dei.*

Dominus in Cœlo sedes ejus. Quæ sedes? Duplex est sedes, & thronus Dei, scilicet justitiæ, & misericordiæ: quænam ex his est, quam Deus collocavit in Cœlo? Sed attende quod Ecclesia appellat Mariam matrem misericordiæ: ergo sedes, quam in Maria collocavit Deus fuit thronus, non Justitiæ, sed misericordiæ, pietatis, & gratiæ, ut videas, quod qui vult invenire gratiam, & misericordiam à Deo, ad thronum misericordiæ Mariæ debet accedere: Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ Mariæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno: & ideò, qui vult invenire Christum, idest misericordiam, prius ad Mariam accedat. *In Luc. c. 1. v. 16. & serm. 1. Hexaem. & op. spec. B. Virg. lect. 3.*

37. *Oculis, & manibus tota intenta Maria Virgo ad nostrum levamen.*

Oculi ejus in pauperem respiciunt &c. Ergo oculi Mariæ toti sunt intenti ad sublevandum nos pauperes: Sed quid dico? Oculis, & manibus stat tota intenta; oculis, ut videat necessitates nostras: manibus, ut eas extendat ad sublevandum nos, & benefaciendum. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 10.*

38. *Aspectus oculorum Beatæ Mariæ Virginis quàm utilis, & efficax.*

Oculi ejus in pauperem respiciunt &c. Ad quid oculos intendit ad pauperem? quia mirabiles, & amabiles ejus sunt radii oculorum, quibus nos allicit ad amorem, & ad plenam salutem veneuatos oculos etuit basilisci: & si oculi Evæ venenati fuerunt, nosque venenarunt, oculi Mariæ hoc venenum tollunt, & perfectam medicinam conferunt: nam suorum claritas oculorum tenebras expellit, effugat catervas dæmonum purgat vitia mentium, corda congelata succendit, demum ad cœlestia trahit; Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte: non enim dubito, quod si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio sum retardate officium: ô Domina, quàm beati sunt, quos viderint oculi tui: hos ergo oculos ad nos converte. Extende igitur ad nos brachium tuum, Virgo gloriosa, & ne avertas à nobis gloriosum vultum tuum, *Op. slim p. c. 19. & op. Psalt. B. Virg. Psal. 10.*

39. *Maria, quia est cum Deo justissimo unita, ipsa & justissima, & rectissima est.*

Justus Dominus & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Si justus est Dominus, quia ipse est cum Beata Virgine Maria, ideò & ipsa fuit justissima cum Deo, quia fuit illa Virga Aaron recta, & florida, & fructifera: recta per justitiam quam illibatam servavit in corde, & in opere ad Deum, & ad proximum & ad seipsam: florida per Virginitatem, & fructifera per fœcunditatem: quis autem justus, si non Maria justa, de qua ortus est sol justitiæ. *Op. specul. Beata Virg. lect. 9.*

PSALMUS XI.

Titulus: Psalmus David, in finem pro octava.

1. PRIMÒ nota, quod hujus Tituli sensus est hic, Psalmus iste, (qui cantabatur à cantoribus ante Arcam, ut habetur, *Paralipomenon c. 15.*) dirigit nos in Christum pro octava, scilicet ot beoè operando, pereat mundi vanitas, & iniquitas, & veniat resurrectio gloriosa promissa significata in octavo numero: Iniquitas autem mundi destruitur, quando omninò deletur, & quando iniquus perimitur, & quando ad effectum non perducitur: ideò vir justus post persecutiones diaboli, & Antichristi, & hæreticorum petit in hoc psalmo ut ab omnibus his, & pœnis eorum liberetur in die judicii, dicendo, *Salvum me fac Domine. In Psal. 11. & 6.*

2. *Multitudo tanta malorum, quæ abundat in mundo deflenda est à justis.*

Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Quid est defecit sanctus? Defecit quidem majori ex parte in mundo: nam maxima est multitudo languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum, scilicet peccantium diversis modis: & ideò vir justus videns tantam multitudinem peccatorum, debet hanc miseriam deflere, & clamare ad Dominum: Salvum me fac Domine &c. *Serm. 2. Dom. 4. post Pentecost.*

3. *Peccatum aufert intellectui cognitionem veritatis, ipsumque obtenebrat.*

Quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Vide quomodò consequenter procedit Propheta: primò enim ait (*defecit sanctus,*) idest sanctitas, abundat iniquitas: hinc, *diminutæ sunt veritates à filiis hominum*, quia peccatum maculans animam, obtenebrat intellectum, ne videat perfectè veritatem, impediens intellectivam visionem Dei, quia fructus peccati est ignorantia. *Op. de tribus ternar. peccat. c. 8.*

4. *Locutio vana inutilis, & damnosa proximo est porta, per quam tollitur justitia ab anima.*

Vana locuti sunt ad proximum suum labia dolosa, in corde & corde locuti sunt. Nota, quod supra dixerat Propheta, quod defecit sanctitas, & justitia; hic autem adducit in medium primam portam, per quam diabolus intrat in animam, & disperdit ejus sanctitatem, & justitiam, nempè locutionem vanam, inutilem, & dolosam, proximoque damnosam, quia os, & lingua est porta, per quam intrat mors in animam, est & instrumentum Diaboli, quo mali loquuntur mala, vana, iousilia, detractoria, increpatoria, contentiosa, scurrilia, & carnalia verba. *Serm. 11. in Pentec. & in Psal. 25. & 118. v. 146. In sap. c. 13.* Claude ergo ò homo hanc portam, si vis ut intus non intret mors, & diabolus.

5. *Qui mendacium loquitur, duplici corde loquitur.*

Corde, & corde locuti ſunt Nota, quod geminatio hujus dictionis cum interpoſitione conjunctivæ particulæ (&) indicat duplicitatem cordis: nempe aliud intendit interius, aliud profert exterius cum intentione ſcilicet decipiendi audientem, & hoc eſt mendacium propriè Deo valde exoſum. *Pſal.11.*

6. *Qui duos fines principales oppoſitos in oratione ſibi præfigit, cum Deo loquitur duplici corde: taliſque oratio maledicta.*

Corde, & corde locuti ſunt. Quis eſt, qui duplex cor habeat? Sed nota, quod dicitur (*corde, & corde,*) ideſt duplici intentione principali quis orat, qui fines ſunt incompoſſibiles, ut quando quis orat intentione colendi Deum, & ſimul ob vanam gloriam, vel alium finem malum: vel quando quis orat ad Deum, & ſimul intendit ad cogitationes malas, taliſque oratio eſt maledicta, & Deo exoſa. *Pſal.118.v.146.*

7. *Lingua doloſa ſignum reprobationis divinæ.*

Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Nota, hanc non eſſe imprecationem, ſed prædictionem Prophetæ, quam contra linguam doloſam facit: dicit enim, (*diſperdat,*) ideſt Deus diſperdet talem linguam, quia eſt ſignum reprobationis gratiæ divinæ: nam filii electi Dei debent eſſe veritatis amatores, & inimici omnis doloſitatis. *Serm.1. in feſ. omn. Sanctor.*

8. *Arrogantium, & ſuperborum lingua Deo exoſa.*

Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt. Ecce fructus arrogantiæ, & ſuperbiæ: nam ſuperbi & arrogantes ſibi attribuunt, quod habent, v.g. ſapientiam aliaque dona à Deo ſibi ipſis collata, & magnificant ſi ubrias, ut videantur docti, & prudentes, & quia ſunt impugnatores divinæ veritatis, & Majeſtatis, ideò à Deo deperduntur, & privantur ſua gratia. *In Luc c.16. v.24. & in Pſal.104.* attende igitur ò homo quod dicit Apoſtolus: *quid habes, quod non accepiſti: & humiliare ſub potenti manu Dei, ſerm.4. de uno Confeſſore.*

9. *Chriſtus velociter reſurrexit propria virtute, ut imprimis ſublevaret, & eriperet Sanctos Patres à Limbo.*

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Nota, hæc verba ſunt Chriſti reſurgentis: Dicitque nunc exurgam, ideſt in prima perſona, ego exurgam, quia habeo poteſtatem ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam in reſurrectione abſque ſuffragio aliorum: Reſurgam igitur, ut liberem ſanctos Patres exiſtentes in Limbo, qui erant pauperes, & miſeri, non habentes unde redimerentur, & gementes in teterrimo carcere affectuoſis deſideriis anhelabant accelerari tantum beneficium reſurrectionis: fructus igitur primus reſurrectionis Chriſti communicatus fuit his ſanctis Patribus. *Serm.1. in die Paſcha. & Op. Expoſit. Miſſæ c.2.*

10. *Niſi Chriſtus reſurrexiſſet, homo in multiplici miſeria remanſiſſet.*

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Nota, quod per iſta verba datur intelligi, quod Chriſtus reſurrexit pro miſeria multiplici, in qua homo, & mundus jacebat, ſublevanda nempe ut mundus in eum credens, reſurgeret à peccatis, & tandem ne nos reſurgendo in inferno detruderemur. *Serm. 2. In Paſcha.*

11. *Chriſtus & Angeli magis fovent, & reſpiciunt pauperes, quàm divites: & ideò primò Patribus nuntiata eſt Nativitas Chriſti.*

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus? Cur non dicit propter divites, & auro fulgentes? quia Chriſtus primò adſpicit ad pauperes, ipſiſque primò communicat ſua dona, quàm ad divites: & hinc primò paſtoribus, non ſacerdotibus, non divitibus nuntiata eſt nativitas Chriſti. *In Luc. c.2. v.5. & c.7 verſ.12.*

12. *Per pauperes, non per divites voluit Chriſtus cognoſci in mundo.*

Propter miſeriam pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Vide, quod non ſolùm Chriſtus venit principaliter ad ſublevandos pauperes, & miſeros, ſed & voluit exurgere, ideſt cognoſci per prædicationem pauperum, ut videas quàm æſtimet Chriſtus paupertatem, & pauperes. *In Luc. c.4. v..8.*

13. *Prædicatio Chriſti qualis fuit, & qualis à Prædicatoribus exercenda.*

Eloquia Domini caſta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum ſeptuplum. Nota, quod hic innuitur prædicatio Chriſti, & oſtenditur qualis fuit, & debeat eſſe eloquium Domini: nempe caſtum per integritatem ſine diminutione: Argentum per apparentiam ſine deceptione, examinatum per exiſtentiam ſine falſitate, purgatum à vitio, ſeptuplum electione perfectionis, ſcilicet ſeptem beatitudinum, per quas anima purgatur ab omnibus vulneribus ſeptem vitiorum capitalium, & obtinet dona ſpiritus ſancti, & beatitudines, quæ petuntur à Deo per ſeptem petitiones orationis Dominicæ, ita quod octava benedictio ad totalem animæ perfectionem, quæ eſt, Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, ad primam redit, & vagatur per cæteras: Per hocque innoteſcit qualis fuerit prædicatio Chriſti, ejus finis, qualiſque debeat à nobis exerceri. *In Pſal.11.*

14. *Idem confirmatur qualis debeat eſſe prædicatio Evangelii.*

Eloquia Domini caſta, argentum igne examinatum &c. Nota, quod in his verbis explicat qualis debeat eſſe verbi Dei prædicatio: nempe eloquia ſint caſta, examinata, & purgata: ſint examinata, ideſt non temerè, ac ſine deliberatione probata, non ſint nova ac ſuſpecta: ſint caſta: caſtitas autem hæc excludit corruptionem falſitatis: immiſſio

permissionem, non solùm enormitatis, sed & omnis vanitatis, seu verbi risum provocantis, seu fastum, aut impetum prætendentis: excludit etiam corruptionem intentionis: debet enim esse probata igne amoris Dei, scilicet ex sinceritate ex Deo contra falsitatem, coram Deo per maturitatem, & in Christo per puritatis intentionem. Hæc omnia præcipiebat Seraphicus Pater Sanctus Franciscus suis Prædicatoribus in sua regula. *Op. Exposit. Regul. c 9.* Eloquia Dei dicuntur etiam casta, quia castigantia, & castigando castificantia. *Psal.* 1. 8. *c.* 4. *v.* 1.

15. *Prædicatores alii ædificant aurum, argentum, & lapides pretiosos: Alii lignum, fænum, & stipulam: Alii æs, ferrum, & plumbum.*

Eloquia Domini casta argentum igne examinatum &c. Nota quod hic exprimit qualitates Prædicatorum: & quinam sint boni, quinam perversi: nam alii sunt, qui ædificant in auro per intellectum doctrina sana imbutum: Alii in argento per eloquium castum, & examinatum:. Et in lapidibus pretiosis per opera exemplaria incorrupta: & hi solùm Deum diligunt, & ad ipsum aspiciunt: Alii prædicant eum permixtione intentionis præter Deum: scilicet in ligno affectum cogitationis, in fœno affectum perversionis, & in stipula affectum familiaritatis: Alii prædicant contra Deum, suntque impii hæretici &c. *In Psal.* 1. *& Ecclesi. cap.* 1. *& serm. de sancta Catharina.*

16. *Qui Christum credunt purum hominem, ut impii in circuitu ambulant: Iusti è contra contemplantur Christum hominem, sed cor fixum habent in Divinitate.*

In circuitu impii ambulant. Quid est in circuitu ambulare? Nota Christus dicitur circulus, cujus centrum est Divinitas, circumferentia humanitas: & sicut pes circuli mobilis est in circumferentia, pes immobilis est in centro: Ita qui credunt Christum solùm hominem, in circuitu impii ambulant, & relinquunt centrum, scilicet Divinitatem: Justi autem usque ad centrum, scilicet ad Deum perveniunt. *In Psal.* 11. Notent hoc contemplativi, qui Christum contemplantes, debent adspicere quidem ejus humanitatem patientem, sed tamen ad centrum, scilicet ad Divinitatem pedem animæ figere: & ibi sistere immobiliter.

17. *Mundum sectantes in circuitu sine quiete, semper laborant ut bestia.*

In circuitu impii ambulant. Nota, quod mundus, & res mundanæ non permanent, sed continuum circulum faciunt, & ideò qui innititur huic mundo, in circuitu ambulat, & numquam quiescere potest, laboratque in vanum: quæ ergo in circuitu currunt, currunt quidem, sed ad finem pervenire non possunt: & quæ requies sperari potest, ubi status nullus esse potest? quod maximè est verum de impiis: nam justi stant firmi in Deo. *In Ecclesi. c.* 1. Ut autem videas hunc circuitum, nota, quod Deus est circulus cujus centrum est ubique circulus nusquam, idest in spatiis imaginariis: ergo qui in terrenis laborat, operatur in spatio imaginario, & in nihilo. *Psal.* 11. *& in Eccles. c.* 1.

18. *Impii in peccato viventes in circuitu ambulant tamquam bestia laborantes.*

In circuitu impii ambulant &c. Cur impii, & non justi dicuntur ambulare in circuitu? quia peccatum est circulus, quo anima à Deo recedit per aversionem, & girans per creaturam per conversionem in Deum redit per contemptum: Item in peccato existentes, pœnam peccati secum ferunt veluti in circulo numquam quiescentes, & ideò dicuntur in circuitu ambulare. *Psal.* 11. Dicuntur igitur impii ambulare in circuitu veluti bestiæ ad molam laborantes, quæ incipiunt laborare, sed numquam circuli finem inveniunt in hac vita, & magis in altera: nam in inferno rotantur perpetuò, transeuntes ab una in alteram pœnam, & tormentum.

19. *Ne deficiat sanctitas, recurrere debet Homo ad Mariam*

Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus &c. Ad Deum recurrit Propheta, ne deseratur à sanctitate: Nota, quod etiam ad Mariam Virginem recurrere debes & dicere: Salvum me fac Domina Mater pulchræ dilectionis, fons clementiæ, & dulcor pietatis: qui enim ad ipsam toto corde recurrerint, non deficient à justitia. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 11. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

20. *Pro sublevandis Maria Virgine, Magdalena, & Discipulis à gemitu, & miseria: velociter resurrexit Christus.*

Propter. miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Nota, quod inter fines resurrectionis Christi hic fuit primus, & potissimus, ut sublevaret Mariam Virginem à gemitibus, & miseriis, in quas absorpta erat, nempe passionis filii: Item & ad sublevandam Mariam Magdalenam, & Discipulos. *Serm.* 2. *in Pascha.*

21. *Maria assumpta in Cœlum in corpore, & anima, ut ibi manens miseriam inopum, & gemitum pauperum sublevet tanquam Dei Eleemosinaria.*

Propter miseriam &c. nunc exurgam dicit Dominus. Christus resurrexit propria virtute, ut sublevaret inopes, & pauperes à gemitibus, & miseriis: & Mariam assumpsit in Cœlum, ut optimam partem exerceret, scilicet activam, & contemplativam, nempe visione altissima frueretur, & nobis de Cœlo auxilium suum præberet, ut nos pauperes & miseros sublevaret. *In Luc. c.* 10. *v.* 42. *& serm.* 1. *in festo omn. sanctor. & Brevil. p.* 7. *c.* 5. *& Cant. Habacuc,* Vide ergo quomodò Maria in Cœlo optimam partem elegit sibi: quam partem? scilicet munus eleemosynariæ Dei nostri, ut eleemosynas, & gratias, & dona Dei nobis pauperibus distribueret, ait D. Bernardus.

22. In Maria refulget species castitatis, lumen justitiæ, & splendor veritatis: Unde potest dici de ea: eloquia Mariæ casta &c. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 11.

23. *In circuitu dæmones ambulant, ut nos perdant: Maria verò, ut nos ſalvet.*

In circuitu impii ambulant &c. Nota, quod circuitus poteſt ſumi in malo, & in bono: in malo pro dæmonibus, & peccatoribus, ut dictum eſt: In bono, quia Maria gyrum mundi ſola circuit, ut ſubveniat invocantibus eam: Unde dicit, *gyrum Cœli circuivi ſola &c. Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 11.



PSALMUS XII.

Titulus: In finem Pſalmus David.

1. Primò nota, quod titulus hujus Pſalmi eſt iſte: In finem Pſalmus David: & eſt ſenſus: Hic Pſalmus exprimit deſiderium ſanctorum Patrum adventus Chriſti in carnem, remedia, quibus utebantur interim ad peccatum evitandum, nempe circumciſionem, oblationes, & obſervantias conſiliorum & cæremoniarum, qui tranſitus ab uno remedio ad aliud repræſentatur apud nos in matutinis, dum tranſimus ab antiphonis ad lectiones, à lectionibus ad reſponſoria: & poſt dicimus Te Deum laudamus, & poſt ſequuntur pſalmi præconiales ſcilicet laudum ordinati ad Deum laudandum, ipſique gratias agendum pro beneficio redemptionis. *Pſal.* 12.

Significatio partium matutini officii.

2. *Tentatio impatientiæ quomodò à veris ſpiritualibus ſuperanda.*

Vſquequò Domine oblivíſceris in finem: Vſquequò avertis faciem tuam à me? Quid eſt quod dicit vir juſtus? Ergone juſtus cadit in oblivione coram Deo? Ergone Deus avertit faciem ſuam à juſto? Sed nota, quod hoc dicitur in perſona viri juſti, qui videns Deum veluti oblivíſci ſui, & veluti averſum, nec ſibi attendere, imò ex vehementi horrore palpitans, videns ibi non invenire ſolatium, quod deberet ei eſſe unicum refugium, ſcilicet in oratione, tentatio impatientiæ ei ſupervenit, cui & debet reſiſtere, & ad Deum cum Propheta confugere, dicens: *Vſquequo oblivíſceris me in finem, avertis faciem tuam à me?* Sicque patienter tolerando, & humiliter expectando, donec ei dignetur oſtendere vultum benignitatis ſuæ, & manum largitatis aperire. *Op. de perfect. religioſ. l.* 2. *c.* 2. *& op. ſoliloq. c.* 4.

3. *Cæcitas mentis cavenda, illuminatio in oratione quærenda.*

Reſpice, & exaudi me Domine Deus: illumina oculos meos in morte, ne quando inimicus meus dicat prævalui adverſus eum. Vide quo devotionis fervore Propheta petit illuminationem oculorum ſuorum, per quam prætendit totalem victoriam de inimicis: & meritò: nam cæcitas mentis diligenter eſt cavenda, quia per eam diabolus inducit animam in quamcumque abyſſum peccatorum, ſed illuminatio interior liberat ab omni malo: & ideò in oratione ſollicitè eſt petenda à Deo ſole juſtitiæ *Serm.* 1. *de Evangeliſt. & ſerm.* 4. *de Dedicat. templi. Luc. c.* 4. *v.* 19.

4. *Ad Deum toto corde recurrendum in oratione pro liberatione ab omnibus inimicis.*

Vſquequò exaltabitur inimicus ſuper me: reſpice, & exaudi me &c. Quis eſt iſte inimicus, qui exaltatur ſuper nos? Sed nota, quod dicit, *inimicus*, indefinitè, ſcilicet potens & familiatis: primus potens eſt ſcilicet diabolus: ſecundus familiaris eſt caro, mundus, & concupiſcentia propria: Ad Deum igitur eſt confugiendum exemplo David, ne nos iſti hoſtes ſuperent, vel decipiant, & ſuper nos exaltentur, & glorientur. *Pſal.* 12.

5. *Oculi rationis aperiendi ſunt ad Deum & proximum: Oculi concupiſcentiæ claudendi.*

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Nota, quod dicit oculos interiores, quos, ut aperiantur debemus deſiderare: ſuntque oculi intelligentiæ, nempe dilectio, & cognitio, & oculi miſericordiæ, qui habent duos actus, ſuntque remiſſio injuriarum, & largitio eleemoſynarum: ſunt & in nobis oculi concupiſcentiæ, qui nos faciunt obdormire in peccato, ſuntque luxuria, & avaritia: hos debemus claudere. *Pſal.* 12.

6. *Ne oculi interiores velentur, & faciant nos obdormire in peccati morte debemus recurrere ad Deum.*

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Nota, quod obdormiens velatos habet oculos: Sic exiſtens in peccato: & ideò debemus toto corde curare, ne claudantur, & velentur. Velantur autem per ignorantiæ obſcuritatem, per carnis fragilitatem, per obſcuritatis, & peccati velamen, per gratiæ ſubtractionem, & per mortem. *Pſal.* 118. *v.* 18. *& Pſal.* 43. Infelix igitur, qui hæc velamina non quærit dirumpere, & diſſipare per orationem.

7. *Dæmones exultant, dum mutatur homo de bono in malum.*

Exultabunt ſi motus fuero. Ergone per motum hominis exultant dæmones? maximè: cum inquam, mutatur de bono in malum, & de malo in pejus: Cavè ergo ò peccator, ne exultare facias dæmones &c. *Pſal.* 59. *& in thren. c.* 1.

8. *Qui ſperat in Deo non movetur vel proſperitatibus, vel adverſitatibus, ſed firmus ſtat in Dei ſervitio.*

Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero: ego autem in te ſperavi &c. Ecce remedium per quod ſperans in Domino nec movetur adverſitatibus, vel proſperitatibus, & per conſequens nec exultare facit dæmones: & hoc eſt ſpei æquanimitas: qui enim ſperant in Domino, non timent adverſitates, vel tentationes. *Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 14.

9. Gratiarum

9. *Gratiarum actio reddenda Deo pro beneficiis receptis, per exhibitionem reverentia & laudis.*

Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi. Ecce quid agere debemus pro beneficiis à Deo receptis: nempe agere Deo gratias per reverentiæ, & honoris exhibitionem exemplo David. *In Luc. cap. 17. v. 16.*

10. *In tentationibus inimicorum, confidenter recurrendum ad auxilium Beata Virginis.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Usquequò oblivisceris me in finem &c.* Si hoc in tentationibus, quibus premimur dicere ad Deum debemus: ergo etiam ad Mariam confugiendum, & dicere confidenter: Usquequò Domina oblivisceris me in finem, & nos liberas in die tribulationis: quia adveniente auxilio tuo non prævalebit diabolus super nos, & potentia virtutis tuæ conteret eum. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 12.*

11. *Ut aperiantur oculi nostri ad videndum Deum recurramus ad Mariam.*

Illumina oculos, ne umquam obdormiam in morte. Sic Deo, & Beatæ Virgini dicere debemus: Ipsa enim sua virtute aperiens oculos suæ misericordiæ, aperit nostros mentis nostræ, nec prævalere potest inimicus adversum nos. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 12.*

12. *Cantare laudes, & agere gratias continuè debemus Maria tum pro sua exaltatione, tum pro beneficiis qua continuè nobis confert.*

Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi. Nota, in his verbis laudatur Deus pro sua altitudine majestatis, & pro bonis nobis collatis: Idem & Beatæ Virgini debemus: nempe ipsam laudare, & magnificare, & ipsi gratias agere: & quia est gratiæ inventrix, per quam sæcula reparantur: & ob id, quia bona nobis continuè confert, & quia exaltata est super choros Angelorum: Igitur rogamus te Domina Virgo, ut ante thronum Dei pro nobis ores. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 12.*



PSALMUS XIII.

Titulus: In finem Psalmus David.



NOTA primò, quod titulus hujus Psalmi est idem, quod supra: ordinatur enim ad Christum, & indicatur, quod Christus tam à sæculis desideratus, fuit ab insipientibus Judæis contemptus: Sic Glossa &c.

2. *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.*

Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Si insipiens, quomodò hoc dictum imputatur peccato? Sed nota, quod est sapientia, quæ est insipientia apud Deum: estque triplex, nempe poli, fori, & doli: prima est mundana: secunda est terrena, quæ consistit in acquisitione rerum temporalium, & scientiarum vanarum: Tertia est diabolica: de istis tribus dicitur, quod insipientia est apud Deum. *In Psal. 13.*

3. *Solùm qui insipiens est potest dicere, quod Deus non est, & quomodò.*

Dixit insipiens: non est Deus. Nota quod cum mysterio in medium affert insipientem dicentem: Deum non esse: nam divini esse tanta est veritas, quod non potest cogitari non esse: & si id ab aliquibus dicitur, id possunt vel ex ignorantia ejus, quid est, non ex eo quod est: vel ab obcæcatione proveniente ex malitia, quæ tanta potest esse, ut in corde dicat quis, Deum non esse: sic Athæistæ. *l. 1. d. 8. p. 1. q. 2.*

4. *Impii, cum ad profundum venerint, dicunt in corde suo non est Deus.*

Dixit insipiens in corde suo non est Deus Quomodò ad tantam vecordiam potest venire homo, ut neget, Deum esse? Sed nota, quod insipiens secundùm litteram hebræam est idem ac impius: Impii igitur, qui tamquam bruta animalia, quæ præsentia sunt amant, & futura despiciunt, nec post hanc vitam requiem æternam expectant: ad tantam cæcitatem inducuntur suis peccatis sic exigentibus, ut in corde suo dicant non est Deus: dicunt hoc, inquam corde, non exterius formidine pœnæ, ideoque vivunt ac si essent bruta animalia, & Deus non esset. *In sap. c. 2. in princip.* Qui ergo tantùm formidine pœnarum Ecclesiasticarum officia, & actus proprios Christianorum faciunt intus conscientiam in impietate involutam ferentes, insipientes, & stulti sunt apud Deum.

5. *Per peccatum multiplicatum quomodò potest concipi synderesis.*

Corrupti sunt, & abbominales facti sunt. Quomodò dicuntur corrupti, si vivunt? Corrupti sunt omni vi rationis: ait Glossa: Hic tamen insurgit maxima quæstio: An aliquo modo synderesis (quæ est quoddam lumen dirigens naturaliter intellectum in cognoscendo verum, & affectum in appetendis, & ideò ejus munus est obmurmurare contra malum, & inclinare ad bonum) possit omninò extingui: Et respondetur, quod non potest omninò extingui, quoad id, quod est naturale, & dicit potentiam naturalem: potest tamen ad tempus actus impediri, sive propter tenebram obcæcationis, quando malum creditur bonum, ut in hæreticis, vel propter lasciviam oblectationis, quando scilicet homo ita absorbetur in peccatis carnalibus ab actu carnis, ut remorsus locum non habeat: Item propter duritiam obstinationis, ne ad bonum stimulet, ut in damnatis, qui in malo confirmati, non habent *Nota periculum peccati infidelitatis, lascivia, & obdurationis.*

ſynderesim ad culpam, ſed tantùm ad pœnam : & ideò quoad potentiam deliberativam corrumpuntur impii, non quoad potentiam naturalem ; ſicque fiunt abominabiles coram Deo. *l.2. d.39.a.1. q.1. & in ſap. c.14.* Qui igitur ad pœnam ſolùm adſpiciunt, non ad culpam, ſunt veluti damnati.

6. *Peccatum contra naturam corrumpit hominem, & abominabilem reddit Deo, & hominibus.*

Corrupti ſunt, & abominabiles &c. Sed qua corruptione ? illa quæ provenit à luxuria : Sed nulla major, quàm quæ ex peccato contra naturam venit : hæc enim non ſolùm corrumpit, ſed abominabilem reddit Deo, & hominibus: Iſtique ſubjiciuntur pœnæ ignis, & ſulphuris. *In Luc. c.17. verſ.19.*

7. *Impii corrupti ſunt quoad animam, abominabiles quoad corpus ob peccata.*

Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. Ergone poteſt totaliter corrumpi homo ? nonne habet animam incorruptibilem ? Sed nota de qua corruptione hic loquitur : corrumpuntur autem peccatores in anima, & abominabiles fiunt in corpore, nempe per peccatum, quia corruptio eſt diminutio ſui eſſe : & peccatum eſt talis diminutio, quoad bene eſſe : Corrumpitur autem anima in tribus potentiis : nam rationis ſanitas conſiſtit in cognitione veritatis, & hæc corrumpitur per ſuperbiam, & corrupta fallitur in cognitione ſui, & Dei : Corrumpitur concupiſcentia per vanam gloriam, & iraſcibilis per invidiam : In corpore autem ſecundùm quatuor elementa corrumpitur peccator : nam in oculis viget ignis, & corrumpitur curioſitate : In lingua Aer, & corrumpitur per loquacitatem : In manibus terra, & corrumpitur per crudelitatem : In genitalibus aqua, & corrumpitur voluptate : ſicque homo dicitur corruptus in anima, & abominabilis in corpore per peccata. *In Pſal.13.*

8. *Peccatis corrumpitur homo, & abominabilis redditur.*

Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt. Loquitur hic de impiis, qui corrumpuntur à diabolo, à mundo, & à carne, & per peccata redduntur abominabiles. *Serm.2. Dom.3. poſt oct. Epiphaniæ.*

9. *Solus Chriſtus eſt qui fecit bonum, quique potuit redimere mundum.*

Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Ergo nemo facit bonum ? Sed attende, quod loquitur de bono redemptionis humanæ : nam cum inter homines non inveniretur homo ſine peccato, & valens ſatisfacere Deo pro peccatis hominum, ſolus Chriſtus electus eſt ut Deus, ad hoc bonum patrandum. *Op. medit. Vita Chriſti c.2. & In Pſal.13. & in thren. c.3. & ſerm. 14. Hexaem.* Et hinc dicitur, quod Deus de Cœlo reſpexit filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum : ſoluſque Chriſtus poteſt eſſe talis. *Ibidem, & ſerm.2. in Epiphan.*

10. *Pauci ſunt, qui intelligunt, & requirunt Deum.*

Dominus de Cœlo proſpexit, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum : Ideſt, & ſimul tequirens Deum. Nota, quod intelligere ſpectat ad doctrinam, & cognitionem Dei, requirere, ad voluntatem : Et hinc infertur, quod alii intelligunt, ſed non requirunt, & hi ſunt ſtulti, ſcilicet Chriſtiani fide ſola, non opere : Alii nec intelligunt, nec requirunt, & iſti ſunt mortui, ſcilicet infideles : Alii requirunt, ſed non intelligunt, & hi ſunt fatui, & ſunt ſimplices, qui Deum requirunt bonis operationibus, ſed ignari ſunt in lege Dei? Alii intelligunt, & requirunt, & iſti ſancti ſunt, & pauciſſimi ſunt : Intelligunt, inquam, quia docetur rationalis quærere devotionem, concupiſcibilis gaudere de Chriſti promiſſione, & iraſcibilis revereri ipſum Chriſtum : & requirunt per amorem. *Serm.2. In Epiph. & in Pſal.13.*

11. *Alii declinant à bono ad malum, alii à malo ad bonum.*

Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt. Quomodò inutiles, & abominabiles dicuntur, qui declinant ? Nonne dicitur, (*declina a malo, & fac bonum*?) Sed nota, quod alii declinant à bono ad malum, iſtique ſunt inutiles, & abominabiles : declinant enim ad malum ſuggeſtionis, delectationis, conſenſus, operationis, & conſuetudinis : Alii à malo ad bonum. *In Pſal.13.*

12. *Iudices perverſi quomodò declinant à caſu recto in obliquum.*

Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt. Qui omnes ? omnes mali Judices : Iſti enim declinant à caſu recto in obliquum genitivum propter eos, qui de genere ſuo ſunt : In dativum, qui muneribus corrumpuntur : In accuſativum propter illos, qui odio habentur : In vocativum propter illos, quorum gratia vel favor deſideratur: Et in ablativum propter illos quorum bona deſiderantur : ò peſſima declinatio. *In Thren. c.3.*

13. *Qui declinat ab obſervantia præceptorum Dei inutilis evadit in ordine ad gloriam promerendam.*

Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt. Inutiles ? ad quid ? Nota, quod ex declinatione ab obſervantia divinorum mandatorum homo redditur inutilis, nempe quia in tali ſtatu nullum meritum ad beatitudinem poteſt acquirere, ideò omninò inutilis eſt. *Pſal.118. c.6. v.3.*

14. *Malum exemplum trahit alios ad peccatum, & in Congregationibus tollit ſanctitatem.*

Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Nota, (*uſque ad unum*,) ſcilicet qui multitudine propoſita, ſtudet uni Domino placere : & hinc origo relaxationis obſervantiarum in Congregationibus religioſis : quia ſcilicet vident malum exemplum, maximè Prælatorum, ideò ad peccata

cata trahuntur, dum quilibet vult imitari alios, sive quia aliud nescit, quàm quod videt in aliis, sive quia non audet aliter vivere, sive ob pravam libertatem gaudet se habere occasionem, & quasi excusationem &c. O quot pessimi fructus mali exempli. *Op. de perfect. religiof. l. 1. c. 39. & serm. 1. de uno Confessore.*

15. *Qui uni Deo non conatur servire, declinare dicitur, & inutiliter vivere.*

Omnes declinaverunt, & inutiles facti sunt usque ad unum. Quid est usque ad unum? Ad unum scilicet Deum multitudine postposita, qui non conatur Deo soli servire, hic declinat à Deo, & inutiliter vivit. *Op. de perfectio. Religiof. lib. prim. cap. 39.*

16. *Iracundi cor, & os est sepulchrum patens, & fœtidum.*

Sepulchrum patens est guttur eorum. Sed quæ comparatio est hæc inter sepulchrum, & guttur hominis? optima quidem: nam hic loquitur de homine iracundo, qui in corde, & gutture abscondit fœtorem intolerabilem, & foras eum immittit, dum verba contumeliosa profert. *In Luc. c. 14. v. 6. & Op. specul. B. Virg. lect. 1.*

17. *Diaboli os quinam sint, & quid in tali ore contineatur.*

Quorum os maledictione plenum est. Quid est os plenum maledictione? Os plenum maledictione, & spurcitia sunt ministri, detractores, loquaces, & adjutores diaboli, mali consiliarii, & scandalosi: sunt autem pleni omni veneno, & spurcitia diaboli. *Serm. 1. fer. 4. Pentecost. & serm. 5. Dom. 4. post Pentecost. & serm. 2. de S. Ambro.* Isti namque habent sub lingua venenum aspidum, alios in Congregationibus inficientes. *Op. Regula Novit. cap. 15.*

18. *Ministri diaboli, non solum corde cogitant malum, sed opere pro viribus implent.*

Unde dicitur: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Psal. 65. & in Luc. c. 10. v. 30.*

19. *In via diaboli solùm habetur contritio, & infelicitas: In via Dei pax.*

Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei &c. Quænam sunt istæ viæ? Viæ scilicet diaboli: In his enim non est timor Dei, & ideò quis numquam habuit, & incidit homo in latrones, qui eum spoliant gratia, & vulnerant in natura: Unde semper contritio, & infelicitas eis occurrit. In via Dei solùm habetur pax. *Serm. 4. fer. 3. Paschæ. & in Luc. cap. 18. v. 5.*

20. *Iniquitas causat timorem, charitas ipsum excludit.*

Trepidaverunt timore, ubi non erat timor Si ibi non erat timor, quomodò isti trepidaverunt timore? Sed nota, quod hic est effectus peccati, quod causat, & inducit timorem etiam ubi non est pavendum: è contra charitas perfecta excludit ipsum. *Sap. c. 17.*

21. *Ex Iacob quis fit Israel, ubi de actione & contemplatione.*

Exultabit Iacob, & lætabitur Israel. Observa hunc transitum ex Jacob in Israël: sic enim proceditur in via Dei: Jacob supplantator interpretatur, & significat hominem spiritualem in activa vita se exercentem, qui post labores, & pœnitentiam fit Israël, scilicet videns Deum per contemplationem: hic enim est ordo rectus in via Dei: nam post luctam illuminatur mens, & vigili somno quietatur. *Op. de septem itineribus ater. Itin. 3. d. 5.*

22. *Qui vult ab artibus, & violentiis liberari confugiat ad Mariam.*

Dixit insipiens, scilicet diabolus, non est Deus. Idest Deus hunc propter peccata dereliquit: ideò omnes suas artes, & machinationes contra hominem parat: & quis nos liberabit à tantis artibus? Hæc liberatrix est Beata Virgo Maria: Ad hanc igitur recurrte, & in tentationibus dic: Exurge Domina, & præveni dæmonem, & supplanta eum, destrue omnes conatus illius. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 13.* Applicatio ad Mariam Virginem.

23. *Si cæteri homines declinaverunt à via Dei, sola Beata Virgo Maria non declinavit.*

Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Hoc est verum de cæteris hominibus, non de Christo, qui fuit unus electus ex millibus: Idem & dic de Beata Virgine Maria, usque ad unam: Unde ejus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, ei Angelicæ Potestates inserviunt, & famulantur. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 13.*

24. *Si peccatum nos infecit, & Maria nos sanavit.*

Sepulchrum patens est guttur eorum: venenum aspidum sub labiis eorum. Vide quomodò venenum diaboli, scilicet peccatum infecit omnes, & ad mortem induxit: ideò væ nobis, si non succurreret Maria, quæ suo tactu lenissimo sanat omnes infirmos, suoque odore roseo mortui revivifcunt. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 13.*

25. *Os Mariæ longè fuit ab omni veneno culpa oris.*


Venenum aspidum sub labiis eorum. Nempe, qui exeunt in verba mala: Sed ab isto, væ, longè fuit os Beatæ Mariæ Virginis, in quo non fuit fel & venenum Diaboli, sed mel, & lac Spiritus sancti: nihil enim terreum, & procax fuit in verbis Mariæ: Nonne mel, & lac fuit in ore ejus, quando exiit in illud verbum mellifluum: *Ecce Ancilla Domini &c. Op. specul. B. Virgin. lect. 2.*

PSALMUS



PSALMUS XIV.

Titulus : Pſalmus David.

1. OTA primò, titulum hujus Pſalmi eſſe hunc : Pſalmus David. In quo agit de iis, quæ ſpectant ad Eccleſiæ unitatem ſignificatæ per tabernaculum, & ad Eccleſiam triumphantem ſignificatam per montem. *Pſal.14.*

2. Eccleſia militans, & corpus noſtrum dicitur tabernaculum, illud fragile, & carnale : Iſtud mobile, & ſpirituale : Eccleſia triumphans dicitur tabernaculum fixum, & ſupercæleſte, ideò ſignatur per montem. *Pſal.54. & 35.*

3. *Qui in Chriſto monte ſancto vult requieſcere, debet ab iſtis ſeptem vitiis cavere notatis in hoc Pſalmo, & eſſe Immaculatus in virtutibus oppoſitis.*

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo! Quodnam eſt hoc tabernaculum, & quis mons, in quo quis requieſcere poteſt ? Iſte eſt Chriſtus : qui autem vult in ipſo requieſcere, debet eſſe immaculatus in cogitatione, juſtus in operatione, ſincerus in locutione, innocens in converſatione, victorioſus in tentatione, fidelis in promiſſione, vacuus ab injuſta temporalium collocutione : qui facit hæc non movebitur in æternum. *Serm.1. in Sabb. Sancta.*

4. *Eccleſia triumphans eſt mons, ideſt nobilior, & altior militante, quæ eſt tabernaculum.*

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c. Nota per tabernaculum ſignificatur Eccleſia militans, quia eſt locus militantium. Triumphans mons, quia altior, & nobilior. *Pſal.14.*

5. *Innocentes corde, & manibus introducuntur in Cælum : Impuri expelluntur.*

Innocens manibus, & mundo corde. Vide, quod innocentes ſolùm introducuntur in montem ſanctum Cœli : hi autem ſunt Virgines corde, & carne : Iſti Deum videbunt : Sicut luxurioſi expellentur ab hoc monte ſancto. *Serm.1. in feſto om. Sanctor.*

6 *Solùm pueris communicatur benedictio Dei.*

Qui ingreditur ſine macula. Tales ſunt parvuli humilitate, infantes innocentia, & pueri puritate : vel pueri, ſcilicet pœnitentes, qui ſæpe plorant pro peccatis : Iſtis confert Deus ſuam benedictionem gratiæ. *Serm. prim. Domin. 18. poſt Pentecoſt.*

7. *Ad juſtificationem neceſſaria hic innuuntur.*

Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam Nota hic quatuor neceſſaria ad juſtificationem : primò introitus fidei : unde dicitur, *qui ingreditur* : Secundò deteſtatio peccati : unde dicitur, *Sine macula* : Tertiò motus liberi arbitrii : unde dicitur, *operatur.* Quartò augmentum meriti : unde addit, *Iuſtitiam, pſal.14.*

8. *Chriſtus ſolus dicitur juſtus, & puer.*

Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam &c. Nota, quod hoc in rigore ſolùm competit Christo, qui ſolus dicitur juſtus, ſcilicet in natura, quia ſine macula : ab effectu, quia ſolus juſtificat : & quia reddit æqua merita : & hinc dicitur puer propter puritatem, humilitatem, obedientiam, & manſuetudinem. *Pſal. 10. & 67. & 103.*

9. *Nihil inquinatum poteſt intrare in Regnum Cælorum.*

Unde dicitur hic : *qui ingreditur ſine macula:* Illi enim qui intrant in Cœlum, ſequuntur Agnum ſine macula, & ideò ipſi debent eſſe tales. *Serm.1. fer.3. Pentecoſt.*

10. *Iuſtitia eſt virtus generalis introducens animam in Cælum.*

Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam. Nota quod pro fundamento omnium bonorum operum, quibus anima præparatur ad ingreſſum in tabernaculum, & in montem ſanctum Dei ponit juſtitiam : Sed cur juſtitia ? nonne hæc ſpectat ad ſolos judices ? Reſp. quod hic loquitur de juſtitia, quæ eſt virtus generalis complectens omnia alia opera bona : & quia hæc virtus reddit unicuique quod ſuum eſt, ideò reddit juſtus ſibi ipſi continentiam, & ſtabilitatem, tum in proſperitate, tum in adverſitate : & delectationi momentaneæ præfert cæleſtia : reddit & proximo charitatem, & amorem, & Deo in omnibus honorificentiam : Ecce quare ponitur juſtitia pro fundamento totius vitæ ſpiritualis. *Op. Dial. tit.50. c 5.*

11. *Major eſt contemptus veritatis, quàm libido carnalitatis.*

Qui loquitur veritatem : qui non egit dolum in lingua ſua. Ecce aliud fundamentum fabricæ ſpiritualis, ſcilicet dilectio veritatis: nam major, & deteſtabilior eſt contemptus veritatis, quàm libido carnalitatis : Deus enim eſt ſumma veritas, & ideò nos debemus eſſe filii veritatis. *In Luc.c.10. v.51.& Pſal.118. c.10. v.7.*

12. *Opera bona facta in peccato mortali ad quid juvant.*

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus. Quomodò ad nihilum redigitur peccator? & ſi ad nihilum, ergo ejus opera bona nihil merentur ? Reſpondetur quod peccatum mortale eſt nihil, & ad nihil redigit hominem quoad eſſe

esse gratiæ sanctificantis, & ideò ad nihilum redigitur quoad opera bona considerata quoad æternam remunerationem, quoad meritum verò de congruo, si fiant ad gloriam Dei, disponunt de congruo: & sic in hoc sensu non redigitur omninò homo ad nihilum. *l.4.d.15.p.1.a.1.q.5.*

13 *Per humilitatem peccatum destruitur.*

Ad nihilum reductus est in conspectu ejus malignus. Nota, quod hæc possunt accipi in bono, scilicet malignus sentiens se gravatum onere peccati mortalis, in conspectu Dei se reducit ad nihilum per humiliationem, disponit ad gratiam, *Op. Diat. Tit.7. c.1.*

14. *Iuramentum licitum, & sanctum est, si habeat conditiones necessarias: & quodnam illicitum.*

Qui jurat proximo, & non decipit. Vide quomodò juramentum sanctum ponitur etiam pro fundamento fabricæ spiritualis: Ad hoc autem ut sit tale requiritur judicium, veritas, & justitia: nempè his deficientibus, juramentum est illicitum, & præcipuè deficiente veritate, & justitia: & ideò quodlibet juramentum falsum est peccatum mortale, & similiter quod fit de re. à Deo prohibita. *In Psal 14, & op.de decem precep. serm.5. & op. specul. An. c. 1.*

15. *Maligni à societate Iustorum removendi, & ab ipsis confutandi sunt.*

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Qui sunt isti maligni ad nihilum redigendi? sunt maligni, & mali operarii, & scandalosi istique à justis debent à sua societate expelli, & in eorum malitia confutari. *Psal.118. cap.8. vers.1.* Et ad hoc exercetur excommunicatio in Ecclesia Dei contra malignos.

16. *Vsura, quàm detestabile malum.*

Et non dedit ad usuram &c. Vide quomodò usura tollit meritum, & gloriam: hæc enim de se est mala, ideò prohibita. *In Luc. c.6.v.34.*

17. *Vir justus, & humilis immobilis redditur sicut polus Cœli.*

Qui facit hæc non movebitur in æternum. Ergone opera justitiæ reddunt hominem immobilem? Immobilem quidem in Dei servitio: sicut enim stella polaris, & polus est immobilis, & circa ipsum continuè volvitur Cœlum: sic anima humilis immobilis stat, nec erigitur prosperitate, nec deprimitur adversitate: & ideò qui facit hæc non movebitur in æternum, sed fixus in Deo semper manebit. *Op. Diat. salutis.5.c.8.*

18. *Beata Virgo Maria quosnam introducit in Cœlum.*

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. Idem possumus dicere Beatæ Virgini: quis habitabit in tabernaculo Dei, & quis requiescet cum senatoribus Cœli? Illi, qui imitantur virtutes Beatæ Virginis: nempè pauperes spiritu, mundi corde, mites, pacifici, & lugentes: hæ enim sunt virtutes, ad quas Beata Virgo maximè respicit, & ejus protectionem merentur. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.14.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

19. *Ad nihilum deducitur malignus in conspectu Mariæ Virginis.*

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Nempè in conspectu Mariæ Virginis, quia ipsa loquitur pro nobis, & indignationem filii sui avertit à nobis. *Op. Psalt. B Virg. Psal. 4.*

20. *Quid facere debeas homo ad obtinendam benedictionem Mariæ Virginis.*

Qui facit hæc non movebitur in æternum. Cur hoc? quia benedictionem recipit à Maria Virgine: ut autem hanc benedictionem merearis accipere, amplectere vestigia Mariæ, & ejus pedibus humiliter provolutus, tene eam fortiter, nec dimitte, donec accipias benedictionem. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.14.*



PSALMUS XV.

Titulus: Tituli inscriptio ipsi David.

1. PRIMÒ nota, quòd titulus hujus Psalmi est hic: Tituli inscriptio ipsi David: idest iste titulus dirigitur ad Christum qui morte sua meruit declarari Rex Judæorum, quia vicit mundum, mortem, & Diabolum.

2. *Spes vera in Deum est cum gaudio, dolore, & timore.*

Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Nota, quod hic sanctus Propheta exprimit rationem cur à Domino prætendit conservationem in gratia; nempè quia speravit in Domino, sed advertendum, quod ad hanc conservationem requiritur, quod cum spe adsit cum subordinatione gaudium, dolor, & timor, qui affectus ministrant nobis necessaria; Gaudium est pincerna, qui nobis ministrat gratiam operantem, cooperantem, & finalem perseverantiam, spes est cubicularius nos reficiens, portans secum peccatorum remissionem, carnis resurrectionem, & vitam æternam, dolor concurrit ad hæc, & timor filialis, sicque per hæc post victoriam coronabimur in gloria, ubi nostrum esse conservabimur sine morte, nosce sine errore, & amare sine offensione. *Psalm.15.*

3. *Deus potest, vult, & debet nos conservare, si ad ipsum toto corde recurrimus.*

Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum nostrorum non indiges. Nota vim horum verborum, quibus petit David, ut servetur, dicit enim, (*Dominus,*) idest qui potest; (*Deus,*) qui vult, (*& meus,*) qui debet, nempè ex misericordia, & addens, (*quoniam bonorum meorum non indiges,*) indicat sufficientiam, & per hoc sperabat à Deo obtinere conservationem sui in via spirituali. *Psalm.15.* Unde in his paucis verbis includitur actus fidei, spei, & charitatis sublimissimus in Deum.

4. *Deus bonorum noſtrorum non indiget, & ideò omnia operatus eſt ad ſui gloriam manifeſtandam.*

Quoniam bonorum noſtrorum non indiges &c. Nota ſublimitatem hujus ſententiæ, quia enim cognoſcebat Propheta ſufficientiam Dei, fatetur tacitè, quod omnia operatur ad ſuam gloriam non augendam, ſed manifeſtandam mundo, & nobis communicandam, ad hoc enim omnes operationes Dei tendunt. *l. 1. d. 1. p. 1. art. 2. qu. 1. & l. 1. d. 2. art. 2. qu. 3. in fund. & d. 28. art. 1. qu. 3. & in Pſalm. 58.*

5. Deus non acceptat hominem propter operationem, nec aliquod meritum ipſum obligare poteſt in ratione dati, & accepti, quia bonorum noſtrorum non indiget: ideò ad hoc, ut acceptet opus ad remunerandum, præærequiritur ejus gratuita influentia. *l. 2. d. 27. art. 2. qu. 3. & d. 28. art. 1. qu. 3. & d. 29. art. 1. qu. 2. & opuſ. Brevil. p. 4. c. 7. & op. Comp. Theol. l. 7. c. 24.*

6. *Licèt Deus bonorum operum noſtrorum non indigeat, tamen vult retributionem à nobis, ac ſi indigeret.*

Bonorum noſtrorum non indiges. Hoc eſt veriſſimum, attamen Deus à nobis exigere videtur gratitudinem per patientiam, & tolerantiam paſſionum, & bonorum operum multiplicationem, ac ſi indigeret. *op. de Profeſſ. Religioſ. 2. c. 46.* Et hinc veri ſervi Dei Dominum honorando, & quæcumque opera faciendo hanc veritatem cognoſcentes, ſe inutiles ſemper reputant, Dom noque humiliantur. *Op. de 7 itiner. atern itin. 4 d. 4.* Unde proprium eſt protervorum, & ſuperborum ſe extollere de operibus bonis, & longo ſervitio Dei, & ideò dicunt Deo, ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi &c. *In Luc. c. 15. v. 29.*

7. *Deus nobis præcipit ad noſtram utilitatem obſervantiam ſuorum mandatorum.*

Bonorum noſtrorum non indiges. Ergo ſi Deus præcipit multa facienda, non eſt, ut ſibi hæc proſint, ſed nobis. *Serm. 1. de Evangeliſtis.*

8. *Sancti lumine ſuperno cognoſcunt hanc admirabilem ſufficientiam Dei, & ideò coram Deo humiliantur.*

Sanctis, qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis. Vide quomodò notitia, quam habent juſti de Dei ſufficientia eos in admirationem ſui dirigit conſiderantes Dei admirabilitatem, & inſufficientiam propriam. *In Pſalm. 15.*

9. *Infirmitas & inſufficientia noſtra nos inducit in cognitionem ſufficientiæ divinæ.*

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum. Vide quomodò Propheta oppoſuit noſtram infirmitatem multiplicem divinæ potentiæ ut coram ipſa humiliemur. *Pſalm. 15.*

10. *Voluntas multiplex in Chriſto.*

Mirificavit omnes voluntates meas in eis &c. Quomodò dicitur omnes voluntates meas? ergone plures voluntates habuit Chriſtus? ſed nota quod in Chriſto quatuor voluntates reperiuntur; voluntas divinitatis, rationis, carnis, & pietatis; prima per juſtitiam ſententiam dictabat: ſecunda per obedientiam veritatem approbabat: tertia in proprio malo murmurabat: quarta per compaſſionem in alieno malo ſuſpirabat. *In Pſalm. 15.*

11. *Deus aliquando attrahit ad ſe hominem per flagella.*

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. Acceleraverunt nempè ad Deum recurrendo, nam ipſe ſæpè immittit flagella, & tribulationes, ut per eas alliciat hominem ad ſe. *Pſalm. 43. & op. de decem Præcept. ſerm. 7.*

12. *Deus in ſuo libro vitæ nomina juſtorum conſervat per approbationem: impiorum verò nominum memoriam talem non habet.*

Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Ergone Deus ſubjicitur oblivioni? nullatenus: ſed loquitur de notitia per approbationem; hanc enim in juſtis conſervat vivam in libro vitæ, non verò notitiam reprobatorum, quia non ſunt digni nominari. *Serm. 2. Dom. 4. poſt Pentecoſt. & in Sap. cap. 10.*

13. *Juſti in hac vita non habent partem, vel hæreditatem, ſed in altera vita: impii volunt eam in hac vita.*

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem mihi. Vide quid juſtus dicebat, quia non more Epicureorum partem ſuam volebat in hac vita, ſed in altera, ſcilicet Deum, tamquam hæreditatem ſuam. *In Eccleſ. c. 2. & Sap. c. 2.*

14. *Cur in tonſura collatione dicantur hæc verba: Dominus pars hæreditatis meæ &c.*

Dominus pars hæreditatis &c. Nota, hæc verba dicuntur à Clerico in tonſuræ receptione, eo quia tunc ad divinum miniſterium mancipatur, & ideò totus debet eſſe ſequeſtratus ab omni populo, & temporalibus rebus, & Deo dicatus, mentiſque elevatione ad Cœlum ad divinum cultum deputatus. *Op. Brevil. p. 6. c. 12. & in Thren. c. 3.*

15. *Judæi tamquam hæreditas Chriſti ad ipſum convertentur in fine.*

Tu es qui reſtitues hæreditatem mihi. Hoc dicit Chriſtus de Judæis, qui in fine mundi convertentur ad Chriſtum. *Serm. 3. Dom. 1. poſt oct. Paſcha.*

16. *Sancti ſunt hæreditas præclara Chriſti; ſicut & Eccleſia.*

Funes ceciderunt mihi in præclaris. Ideſt in ſanctis; iſti enim ſunt mea hæreditas præclara, quæ ſummoperè Chriſto placet. *Serm. 3. Dom. 1. poſt oct. Paſcha. & in Pſalm. 2.*

17. Chriſtus

17. *Christus acquisivit in hac vita notitiam experimentalem.*

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Hæc verba dicuntur à Christo, sed quomodò fatetur Deum tribuisse suæ animæ intellectum, scilicet intelligentiam novam? nonne ab instanti conceptionis præditus fuit perfectissima scientia omnium rerum, etiam possibilium? Sed nota, quod duplex est cognitio Christi, alia simplicis notitiæ, alia experimentalis in sensu qua sensus exterior ad aliquid convertebatur de novo; & hanc de novo in dies recipiebat, & augebatur, non tamen sicut in nobis, quia per hanc cognoscebat uno modo, quod prius alio modo noverat. *l.3.d.14.a.3.q.2.*

18. *Donum intellectus quàm utile, & necessarium servienti Deo.*

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum &c. Cur cum tanto ardore recognoscit hoc beneficium à Deo, quia ei tribuit intellectum? nonne est potentia essentialis animæ omnibus creaturis rationalibus communis? Sed nota quod loquitur de dono Spiritus sancti intellectus, per quod liberalitas dantis patefit, & maxima utilitas recipientis, nam istud donum est regula circumspectionum moralium, janua considerationum scientialium, clavis contemplationum cœlestium, est panis disponens animam ad potum sapientiæ, docetque quid vitandum, quid agendum, & quid expectandum, undè recipiens tantum donum debet benedicere, & gratiam reddere Domino. *Serm.3.Hexhem.*

19. *Continua, & jugis memoria divinæ præsentiæ est armatura secura contra omnes adversarios.*

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear. Quid est providere Dominum in conspectu suo? hoc nihil aliud est nisi providere sibi jugem & continuam memoriam præsentiæ divinæ, & ad ejus conspectum semper ambulare, & dicit, (*providebam,*) quia antecedenter dixerat, (*increpuerunt me renes mei,*) idest tentatio carnis, & diaboli, me urgebat, & increpabat, unde hanc armaturam sibi providit, quia ipsa se defendebat ab omni periculo, & simul proficuam experiebatur in omni religionis virtute. *Op. de sex alis Seraph. c.8.*

20. *Continua memoria præsentiæ Dei est in hac vita loco suæ visitationis in gloria; hoc præmium, illud meritum.*

Providebam in conspectu meo semper &c. Nota quòd iste illuminatus propheta desiderans semper laudare Deum ad modum Angelorum, & quia in Cœlo perfruuntur visione clara Dei, ipse sibi providit id quod in hac vita respondet tali visioni, nempè memoriam jugem Dei, quæ est quædam imitatio visionis beatæ, est enim meritum, & illa præmium: Igitur quamdiù illum videre non possumus præsentes, saltem memoremur ejus absentes, quia tantò quis pleniùs eum videbit, & lætiùs in patria, quanto frequentiùs, & devotiùs ejus meminerit in exilio: & hoc non tantùm in otio, sed etiam in occupationibus ejus esse debemus memores, imitatione Angelorum, qui in ministerium nostrum sic exteriora disponunt, ut tamen ab intimis nunquam recedant; ò felix qui ad præsentiæ divinæ memoriam totus attendit. *Op. de profect. religios. l.2. c.20.*

21. *Iustus non potest mori morte improvisa.*

Providebam in conspectu meo semper. Cur in conspectu tuo semper providebas Domini memoriam? Nota (*semper*) idest pro toto tempore vitæ meæ, ut non solùm Deum haberem præsentem in cursu vitæ, sed & in morte, ne morte improvisa decidam, unde justus exercens se in memoria præsentiæ divinæ, non potest mori morte improvisa; quia semper Dominum habet præsentem. *In Sap. cap.4.*

22. *Deum præsentem, ut Dominum, ut judicem, ut inspectorem habere debemus.*

Providebam Dominum in conspectu meo semper. Quid est, *providebam*? Cur non dicit videbam, sed providebam? Nota videre est rerum præsentium, providere, est prævidere res futuras, & ideò prævidebat Deum pro rebus gerendis in futurum, in conspectu suo, scilicet ac si esset in Cœlo: prævidebam Deum, ait, ut judicem, scilicet punitorem, & remuneratorem operum meorum, ut inspectorem omnium meorum gestorum ut Dominum majestatis, ut Patrem, quia hæc multiplex consideratio retrahit à peccatis, excitat ad bona opera, & reddit hominem pavidum. *In Ioan. cap.2. in fine.*

23. *Deus requiescit in nostro latere dextro; diabolus in sinistro.*

Providebam Dominum in conspectu meo, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Ecce effectus jugis præsentiæ Dei, nempè collocatio Dei in latere dextro, sed cur in latere dextro? nonne & in sinistro bonum est ipsum Deum habere præsentem? Nota quod per latus dextrum significatur affectus spiritualium rerum, per sinistrum affectus rerũ terrenarum, & ideò latus dextrum est, ubi habitat, & requiescit Deus, sinistrum, ubi habitat, & requiescit diabolus: quando igitur ad dexterã trahitur Deus, tunc anima non commovebitur, vel torquebitur tentationibus, & periculis. *Serm.3. Dom.3. Adventus.*

24. *Diabolus maxima curà conatur vulnerare dextram partem animæ, magis quam sinistram, & ideò ad illam partem trahere Deum debemus.*

Quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Idest non commovebor, nec vincar; sed cur à dextris? quia illa pars quæ significat vitam spiritualem, est quæ à diabolo propulsatur majori conatu, quàm sinistra: nam perfectior pars, qua anima quærit tendere ad Deum, Deoque servire, est illa, quæ tentatur à diabolo, ut commoveatur homo, & relinquat spiritualia, ut ad temporalia tendat, & quia ex parte dexteræ gravior urget necessitas, & ibi belli totum pondus imminet, & colluctationis ratio universa consistit, undè nobis tota paratur aut victis ignominiosa captivitas, aut vincentibus gloria triumphalis: hinc Propheta; *Providebam Dominum in conspectu meo semper &c.* Quasi diceret, utinam mihi semper à dextris sis Jesu bone, ut semper teneas manũ dexterã meam; scio enim, & certus sum, quod tunc nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. *Op. meditat. vitæ Christi, c.36.*

25. *Qui pro Chriſto adverſitates ſuſtinet, habet ipſum à dextris ut adjutorem, & remuneratorem.*

Quoniam à dextris eſt mihi ne commovear. Nota hoc verbum, (*ne commovear*) idest ne in tribulationibus, quæ mihi accidunt deficiam, ſiniſtram expono periculis, pœnis, tribulationibus, opprobriis; corpusque ſignificatum per partem dexteram punio pro Chriſto: ſic enim à dextris eſt mihi Deus defendens, adjuvans animam, ut ipſam remuneret: Hæc enim gratia, & miſericordia Dei eſt in ſervos ejus, ut in eorum interitu ſiniſtram quidem velut diſſimulans, dexteræ, ſemper ſtudioſus aſſiſtat. *Op. meditat. vita Chriſti. c.36.*

26. *Deus quomodò dicitur à dextris; & diabolus item à dextris, & ſiniſtris.*

Quoniam à dextris eſt mihi ne commovear. Nota, quod Deus dicitur eſſe à dextris hominis duobus modis; nempè quando bona temporalia ſuis tribuit, & quando virtutes animæ custodit: diabolus verò pugnat à dextris, & à ſiniſtris; à dextris, quando intus ad vitia tentat: à ſiniſtris, quando foris per adverſa impugnat. *Pſalm.15.*

27. *Chriſti reſurrectio indicatur à Propheta.*

Propter hoc latatum eſt cor meum, & caro mea requieſcet in ſpe. Quid eſt requieſcet in ſpe? ubi requieſcet? in ſepulchro, tamquam in domo per ſpem reſurrectionis: ſicut enim in domo requieſcimus, & reficimur; ſic in ſepulchro Chriſtus requievit, & per reſurrectionem refectus eſt gloria. *Pſalm.58.*

28. *In anima Chriſtus requieſcit, ut in cœnaculo.*

Propter hoc latatum eſt cor meum. &c. & caro mea requieſcet in ſpe. Hoc dixit Chriſtus continuè loquens myſticè de anima, in qua requieſcit, & reficitur, quando virtutibus ornatur. *In Luc. c.22. v.12.*

29. *Amor Chriſti erga nos oſtenſus eſt maximè in ſeparatione anima à corpore, & in permanentia unionis divinitatis cum utroque.*

Quoniam non derelinques animam in inferno, nec, dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Ex his patet, quòd in morte verè ſeparata eſt anima Chriſti à corpore; licèt numquam utrumque ſeparatum fuerit à divinitate; ſed cur voluit Chriſtus ut anima, & corpus ſepararentur, & non divinitas ab utroque? ad oſtendendam dilectionem maximam inter nos, ſeparatio enim animæ à corpore eſt mors, quam Chriſtus aſſumpſit propter noſtram ſalutem, ut mortem noſtram deſtrueret; & quia ſeparatio divinitatis ab anima, & carne ad nihil inſerviebat pro noſtra ſalute, ideò eam ſeparari non permiſit: ſi enim proficua fuiſſet ad noſtram ſalutem, etiam hanc ſeparationem ſubjiſſet. *l.3. d.22. art.1. qu.1. & ſerm.1. Dom. Trinit.*

30. *Caro Chriſti, quia unita divinitati, non fuit ſubjecta corruptioni.*

Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Cur dicit ſanctum non videre corruptionem? ſanctum idest Chriſtus, qui eſt ſanctus ſanctorum, & fons totius ſanctitatis: erat enim illa caro locus ſanctus, & terra ſancta, quam oſtendit Deus Moyſi in rubo, qui ardebat, & non comburebatur, erat enim ibi divinitas unita præſervans ab incineratione. *Serm.3. de Circumciſ. & Pſalm.3. & 13. & 67. & opuſ. lignum vita tit. IESVS reſurgens. & in Luc. c.24. v.6.*

31. *Chriſtus dedit nobis omnia quæ habuit.*

Quoniam non derelinques animam in inferno. Ergo anima Chriſti ad inferos deſcendit? Sed cur voluit Deus, ut anima Chriſti deſcenderet ad inferiores partes terræ? cur non liberavit animas ſanctorum Patrum, abſque eo quod ipſa deſcenderet ibi? quia Chriſtus dedit nobis, quæ habuit, qui enim captivus fuerat in manus inimicorum, veluti coactus amore fuit ad dandum quæ habuit, ſcilicet Paradiſum latroni, animam inferno non finaliter tamen, regnum mundo, corpus Eccleſiæ &c. *Serm.4. in Paraſceve.*

32. *Via vita, quænam nobis per Chriſtum notificata.*

Notas mihi feciſti vias vita. Quænam ſunt iſtæ viæ? tres ſunt viæ, quibus itur per vitam ad terram Paradiſi, ſcilicet ſcientia, diſciplina, & bonitas, per has debet currere, nempè à prima ad ſecundam, & à ſecunda ad tertiam, ut ad patriam perveniamus. *Pſalm.15.*

33. *Multiplex via vita Chriſti.*

Notas mihi feciſti vias vita. Quænam ſunt vitæ viæ: viæ ſcilicet Chriſti; & hæ ſunt variæ, nam quandoque itur à capite ad membra, quando ſcilicet virtutes & gratiæ Chriſti transferunt ſe in nos: quandoque à membris ad caput, quando homo ſe transformat in Chriſtum. *Pſalm.15.*

34. *Vita Chriſti eſt exemplar noſtrum.*

Notas mihi feciſti vias vita. Quænam ſunt iſtæ viæ? ſcilicet vitæ Chriſti, dum enim vitam ſuam pro nobis poſuit, dum pro nobis vitam morti tradidit; dum noſtram mortem deſtruxit: tunc notas nobis fecit vias vitæ: dum nobis fidem, ſpem, & charitatem, & dona gratiarum diſtribuit, & mandata adjunxit, in quibus ipſe ambulavit, & in quibus conſiſtit via vitæ, per quam nos docuit ambulare: ſic ergo per has vias vitæ nos vivificavit. *l.3. in Prolog.*

35. *In ſola via vita nobis per Chriſtum oſtenſa eſt terminatio appetitus noſtra anima.*

Notas mihi feciſti vias vita, adimplebis me lætitia &c. Ecce qualis ſit terminus viarum vitæ Chriſti; quas nobis notificavit, nempè lætitia, & delectatio in Deo, in hoc enim ſolo poteſt

potest terminari appetitus animæ. *Serm.5. de pluribus Martyribus.*

36. *Qui ambulat in mundo per vias vitæ, adimplebitur in Cælo lætitia gloriæ.*

Notas mihi fecisti vias vitæ adimplebis me lætitia &c. Ecce ordo à nobis tenendus: primò ambulare, & currere debemus per vias vitæ, scilicet per impletionem præceptorum, sicque in Cœlo adimplebimur lætitia, & delectatione. *Serm.2. Dom.17. post Pentecost.*

37. *Gloria cælestis consistit in lætitia, & delectatione.*

Adimplebis me lætitia &c. delectationes in dextera tua &c. Nempè ánima in Cœlo adimplebitur lætitia, & gaudio, videndo facie ad faciem vultum Dei, item & delectatione, scilicet æterna fruitione. *Serm. 1. Dom. 4. post oct. Pascha. & Psalm 15.*

38. *Deus in Cælo dat delectationes dexteræ & non sinistræ.*

Delectationes in dextera tua usque in finem. Cur in dextera, & non etiam in sinistra? cur non ambabus manibus? Nota, quod ut dictum est in dextera significantur delectationes beatitudinis: in sinistra temporales. Deus igitur in Cœlo dat delectationes dexteræ, & non sinistræ, quia eas dat æternas usque in finem, scilicet absque fine. *Serm.18. Hexaem.* Dicitur etiam delectationes in dextera, quia solis dabuntur, qui in judicio ad dexteram judicis erunt. *In Eccles. c.11. & op. de dono timor. c.3.*

39. *Qui sperant in Beata Virgine Maria conservantur ab omni malo.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Conserva me quoniam speravi in te. Si per spem in Deum Propheta petebat à Deo conservationem in bono, & liberationem ab omni malo; ergo qui sperat in Maria hanc eandem gratiam potest percipere, & dicere, conserva me ò Beata Virgo Maria, quoniam speravi in te, mihique stillicidia tuæ gratiæ impertire, ut sic ab omni malo eripiar, & in bono proficiam. *Op. Psalt. B.Virg. Psalm.15.*

40. *Maria bonorum nostrorum non indiget, sed nos suis bonis replet.*

Quoniam bonorum nostrorum non indiges &c. Quia Propheta cognoscebat sufficientiam Dei non indigentis nostrorum bonorum, ideò ad eum recurrebat, ut iis impleretur. Transfer tu mentem ad Beatam Virginem Mariam, & videbis ejus alvum Virginalem, & viscera verbo Dei repleta, & ideò nostrorum bonorum non indigentem, & ideò sicut repleta benedictione cœlesti, ejus ubera lacte Deifico salvatorem enutrierunt, sic & lac nobis suæ benedictionis diffundit, undè ad ubera suæ misericordiæ, tamquam parvuli confugere debemus. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.15.*

41. *Maria assumpta est in Cœlum in anima, & in corpore glorioso.*

Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Si Christi corpus non fuit subjectum incinerationi; ergo nec corpus Mariæ Virginis, & ideò assumpta est in Cœlum in corpore, & in anima. *Op. Breviloqu. p.7. c.5.*

42. *Post Deum major gloria Beatis advenit videre Mariæ gloriam.*

Adimplebis me lætitia cum vultu tuo &c. Hoc dicitur ad Christum: idem & proportionalitèr Beatæ Mariæ Virgini potest dici; nam in gloria quidquid jucundius est post Deum, quidquid dulcius, quidquid pulchrius hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est, Gloriosum quidem privilegium Mariæ est, quod post Deum major gloria nostra, majus gaudium nostrum, de Maria est: summa igitur gloria est ò Maria post Dominum te videre, tibi adhærere, in tuæ protectionis munimine demorari. *Op. spec. Beata Virginis lect.6.*

PSALMUS XVI.

Titulus: Oratio David.

1. PRimò nota, quod Titulus hujus Psalmi est Oratio David: quia in hoc Psalmo introducitur Ecclesia cum membris orans, & habet hunc titulum, quia oratio ad Deum pro liberatione à malis, & impetratione bonorum non est interjecta, sed continua; & docemur qualiter oratio sit facienda.

2. *Oratio; ut exaudiatur, exigit justitiam in orante.*

Exaudi Domine justitiam meam, & intende deprecationem meam. Nota, quod proponitur pro motivo exauditionis justitia: ergone orans ex justitia, & non potius ex misericordia exaudiri prætendit? sed respondetur, quod ad orationis exauditionem requiritur meritum in orante, quod est pars justitiæ: unde divus Jacobus dicit quod oratio justi est assidua. *In Psalm.16. Centil. p.3. s.44.* Attende tamen; quod hæc dicuntur in persona Christi, qui solus ex justitia potest prætendere impetrationem, cum omnis nostra oratio, imò omnia nostra bona fundentur in meritis Christi; undè cum nos simus indigni exaudiri, & impetrare fructum orationis, debemus fundare totum meritum orationis nostræ, & refundere ad meritum Christi; cum igitur Christus mediator, & intercessor pro nobis interpellat, quem decet exaudiri in omnibus pro sua reverentia, & cum appareat vultui Dei ad interpellandum pro nobis, & pro nobis in cruce oblatus fuerit, & quotidiè offeratur; hinc omne meritum orationis nostræ fundatæ in Christo fert secum justitiam, & dignitatem exauditionis, talique pacto potest quisque dicere, exaudi Domine justitiam meam. *l.2. d.29. art.3. qu.2.*

3. *Oratio, & deprecatio qualiter differant.*

Exaudi Domine Justitiam meam (ideſt orationem meam) *intende deprecationem meam.* Quid eſt oratio, & deprecatio? qualiter differunt; Nota quod oratio eſt elevatio mentis in Deum pro bonis adipiſcendis : & deprecatio pro malis amovendis: illa eſt aſſidua, & continuata ad Deum; iſta eſt valida, ſcilicet actus jaculatorius, quo validè, ſcilicet cum humilitate, & fervore aoima fertur in Deum: item oratio eſt ad Deum: deprecatio eſt etiam ad hominem, dicitur enim quaſi deorſum precatio. *Pſalm.27. & in Sap. c.18.*

4. *Quot genera orantium benè, & malè.*

Auribus percipe orationem meam. Cùr eum tanta ſecuritate petit à Deo, ut auribus percipiat orationem ſuam? Nota, quòd tria ſunt genera orantium; alii enim ſolis labiis, alii ſolo corde, alii labiis, & corde: primi doloſi; ſecundi devoti, tertii veraces: primi excluduntur ab exauditione, ſecundi, & tertii placent Deo, & iſti poſſunt dicere, auribus percipe orationem meam: ſic dicebat Propheta, quia orabat non in labiis doloſis, cor enim verbis reſpondebat. *Pſalm.16.*

5. *Oratio ſemper exauditur rectè facta.*

Auribus percipe orationem meam &c. Cur iterum cum tanta ſecuritate petit exaudiri, quaſi præcipiens Domino? quia ſciebat Deum promiſiſſe ſe daturum quidquid orantes petunt: ſic etiam Chriſtus hoc promiſſum confirmavit. *Ioan. c.16.* Quis igitur poterit dubitare, quin detur, quod veritas dandum promiſit. Nemo parvipendat orationem ſuam, quia antequam exeat de ore ille conſcribi facit in libro ſuo, & unum ex duobus indubitanter ſperare debemus, quia aut dabit quod petimus, aut quod ſcit nobis eſſe utilios: ergo ſi non dat, quod petis, non tepeſcas, ſed inceſſanter ora. *Serm.4. in Rogat.*

6. *Iudicium perfectum pænitens in ſe debet facere, ſi vult evadere Dei judicis iram.*

De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Quid eſt hoc, quod petit Prophetia? vult, ut ex vultu Dei ſuum judicium prodeat; cur non potius dicit judicium tuum, & non judicium meum? ſed attende, quod iſte vir à Deo illuminatus ſciebat, quòd qui in hac vita judicium perfectum facit, iſte ſecurè evadit iram Dei Judicis in alia; dicit igitur, (*de vultu tuo*,) ideſt reſpectu tui, & ad tui imitationem, mihi concede, ut faciam judicium, ſed quomodò? Reſpondetur, quod in judicio tria ſunt, ſcilicet teſtis, tortor, & judex: teſtis eſt conſcientia, quæ accuſat, & interrogat, judex eſt ratio, quæ interrogat quid fecerit & quarè hoc, vel illud peccatum, & ſimul judicat quid patiendum: tunc tortor ligat, ſimulque cum dolore cruciat, & punit; ò felix qui ſæpè facit de vultu Dei prodire ſimile judicium. *Pſalm.85. & ſerm.7. de Rogat.*

7. *Igne tribulationum Deus maximè probat, & purgat.*

Probaſti cor meum, & viſitaſti me nocte; igne me examinaſti &c. Quomodò hoc dicebat Rex David? ignene fuit probatus, ut ſanctus Laurentius: & ſi nomine ignis, intelligit tribulationes, cur eis tribuit nomen ignis? Reſpondetur, quod ignis eſt activior cæteris elementis, & ideò ſua magna activitate, conſumit omnia quæ capit; taleſque ſunt tribulationes, quas Deus immittit ſuis amicis: eos enim probat, ut aurum, & omnia mala excoquit, & conſumit. *Serm.2. de S. Laur. & in Luc. c.3. v.16.*

8. *Ignis charitatis divinæ quot fructus parit in anima, &c.*

Igne me examinaſti. Quo igne? igne ſcilicet charitatis, & gratiæ divinæ: quæ peccatorum rubiginem conſumit, frigus ab anima tollit, duritiem removet, & è contra pulchritudinem inducit, calore animam inflammat, & emollit pietate, & dulcedine. *Serm.2. de S. Laur.*

9. *Quænam ſint neceſſaria ad conſervandum ignem charitatis, & amoris, & gratiæ.*

Igne me examinaſti: Nota quòd ſicut ignis materialis citò deficit non nutritus: ſic & ignis ſpiritualis, gratiæ, & amoris divini, & ad hoc nutrimentum requiritur, primò pura, & ſancta meditatio cordis, undè dicit Propheta; *probaſti cor meum*; cor enim eſt primum membrorum, quod producitur, ſic cor eſt primum ſubjectum in quo ignis amoris recipitur; & hoc per puras affectiones, & devotas meditationes; ſecundò ſanctitas oris, ſcilicet verbum divinum devotè auditum, quod eſt ignis ſpiritualis accendens animam eam immutans, purgans, & innocentem reddens: tertiò continuatio boni operis: bona enim opera, ſunt veluti ligna conſervantia hunc ignem, quartò eſt humiliatio mentis, quæ eſt veluti cinis, ſub quo ignis facilè conſervatur. *Serm.2. de S. Laurentio.*

10. *Iuſti examinati igne tribulationis in dexteram partem inclinant; Mali examinati in ſiniſtram partem.*

Igne examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Ecce effectus hujus examinationis factæ per igneo tribulationis: hoc enim eſt proprium juſtorum, hic eſt effectus patientiæ, quæ facit ut juſti in dexteram partem Judicis inclinant, in qua non eſt iniquitas: mali è contrà examinantur, ſed quia pondus peccati in ſe retinent, ideò in ſiniſtram declinant. *Pſalm.118. v.154.*

11. *Solus Chriſtus igne paſſionis probatus inventus eſt ſine iniquitate.*

Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Nota hoc propriè dici in perſona Chriſti, qui probatus in paſſione ſolus inventus eſt ſine iniquitate, & ideò etiam à Pilato, & Herode declaratus fuit innocens. *In Luc. c.23. v.55.*

12. *Chriſtus*

12. *Christus licèt non obligatus voluit custodire præcepta dura.*

Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Quæ sunt viæ duræ? viæ duræ sunt præcepta, quorum observantia fert secum duritiam, & pœnas; sic Christus licèt non obligatus voluit subjacere præcepto circumcisionis duro propter verba labiorum Dei; scilicet ad approbandam,& implendam legem, & ostensionem humanitatis. *in Luc.c.2.v.21.*

13. *Viæ Domini alijs dura, alijs lata, alijs ampla, & dulces.*

Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. Quas vias duras? nonne viæ Domini dulces,& latæ? sed attende quod dicuntur duræ, aliquibus,non omnibus,nempè duræ intrantibus, & incipientibus, latæ proficientibus, & perfectis amplæ. *in Luc.c.13. v.24.*

14. *Per vias duras est ambulandum in hac vita ab eo, qui vult custodire mandata Dei.*

Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Ideft ut obedirem mandatis tuis ambulavi per vias duras: nempè per vias persecutionum, & tribulationum, quas passus sum in corpore, & anima; sic secerunt Sancti: hæc enim verba sunt quæ omnes sanctos induxeruut ad subjiciendum se tot mortificationibus, injurijs, derelictionibus, solitudinibus, & alijs pœnis pro Christo. *Ser.4.Dom.4.Advent.& Psal.118.c.10. v.2.*

15. *Verba injuriosa sufferenda sunt, ut evadamus furorem sententia Christi in judicio.*

Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. Quænam relatio est hæc inter verba labiorum Christi, & vias duras? & qualia sunt ista verba labiorum suorum? sed transfer mentem ad illa verba, quæ ab ore Christi proferenda sunt, in die judicij. *Ite maledicti in ignem æternum*; ad hæc sanctus Propheta intendebat suas cogitationes, gressus &c.ut evaderet ea, custodiebat vias duras injuriarum omnium, quæ ab alijs sibi inferebantur; discamus & nos quid agere debeamos.*Ser.4.Dom.4.Advent.*

16. *Observantia mandatorum Dei, & obedientia firmat animam contra impulsum tentationum.*

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Vide quid desiderat sanctus Propheta, nempè ut perficiantur gressus sui in observantia,& obedientia mandatorum Dei,quia sciebat,quod talis obedientia, reddit animam firmam,& stabilem contra omnem tentationem, & impetum exteriorem, & interiorem inimicorum. *in Luc.c.6.v.45.*

17. *Inclinatio aurium Dei est exauditio orationis, & è contrario.* Unde hic Propheta hæc connectit dicens,*inclina aurem tuam, & exaudi me*, ubi illa conjunctio *&*, importat concomitantiam. *in Psal.16.*

18. *Spes in Deum salutem animæ affert, simulque multa bona.*

Mirifica, ideft miras fac misericordias tuas, qui neminem excipiendo salvos facis sperantes in te. Hic autem nota, quod ad reddendum mirificas misericordias Dei proponit salutem eorum, qui in Deo sperant,ut pateat qualis, & quanta sit virtus spei in Deum,Hæc enim reddit mirificam misericordiam Dei, neminem à salute excludentem, à tribulationibus liberat: confortatque, mentem elevat: salvat,& temporalia ministrat. *op. comp. Theol.l.5.c.21.& Psal.118.c.6.v.14.*

19. *Christus est pupilla Ecclesiæ discernens bonos à malis, & custodiens bonos.*

A resistentibus dextera tua custodi me ut pupillam oculi. Nota quod hic loquitur metaphoricè Propheta orans Deum, quod sicut per Christum, qui est pupilla Ecclesiæ, per quam discernit bonos à malis, & bonos custodit: sic & ipse dignetur custodire ejus animam à resistentibus: scilicet à dæmonibus, & à peccatis, ne connumeretur inter reprobos. *in Psal.16.*

20. *Deus ut pia avis, vel mater sub alis suis protegit suos.*

Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt. Vide quod David considerans Dei benignitatem in suos ipsum comparans avi quæ sub alarum protectione defendit pullos suos ab insidijs rapacium volucrum, rogat ut sub umbra alarum suarum ipsum protegat ab insidijs Diaboli, & malorum hominum: Alæ autem ejus sunt misericordia, & veritas.*op. summa de essentia,& in Psal.16.*

21. *Confessione,compunctione,satisfactione, Carnis munditia, & cordis, & dilectione proximi, & Dei, tamquam sub sex alis protectionis divinæ ponitur anima &c.*

Sub umbra alarum tuarum. Nota quod sex alæ ostenduntur in sacra scriptura, quibus protegitur anima ab insidijs Diaboli: prima est confessio peccatorum, continens quinque pennas; scilicet veritatem, integritatem, firmitatem contra pudorem, timorem, &c. humilitatem, & simplicitatem: secunda ala est satisfactio, cujus pennæ sunt peccati abrenunciatio,compunctio cordis, seu lachrymarum effusio, carnis maceratio, eleemosynarum largitio, & orationis devotio: tertia ala; carnis munditia, cujus pennæ sunt visus pudicitia: auditus castimonia, olfactus modestia, gustus temperantia; tactus sanctimonia: quarta ala est cordis puritas, cujus pennæ sunt affectus rectitudo, mentis in Domino delectatio; munda, & ordinata cogitatio: voluntatis sanctitudo, & pura intentio: quinta ala est dilectio proximi, cujus prima penna est vitare omne malum proximi; prodesse omnibus: non dolere de detrimentis receptis,in subventione proximi; animam pro fratribus

fratribus ponere & in his perſeverare : Sexta ala eſt dilectio Dei : cujus prima penna eſt ſolum Deum concupiſcere : ſuas res pro Deo diſtribuere: omnia relinquere, ſeipſum abnegare, & perſeverare in his omnibus : o Beatus qui ſub his alis habitat. *op. de ſex alis Cherubim.*

22. *Beatus qui ſub protectione alarum Chriſti habitat.*

Sub umbra alarum tuarum protege me &c. Adſpice ô anima ad Chriſtum Crucifixum, ſicut faciebat Seraph. S.P. Franciſcus, & videbis, quod ipſe habet alas ſuas extenſas; nempè ſuas plagas ad noſtram protectionem; & dic ei ſub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum &c. ſic enim per hoc S. P. Franciſcus ſe defendebat ab inimicis; nec melius poteris te defendere, quàm confugere ad vulnera ſalvatoris. *op. legenda S. Franciſci c. 10. & ſer. 1. Dom. 1. poſt octav. Paſcha.*

23. *Actus exterior eſt ſignum ſtatus interioris animæ.*

Inimici mei animam meam circumdederunt: os eorum locutum eſt ſuperbiam. Nota quod os locutum eſt ſuperbiam, ut videas quod ſignum exterius indicat, quod latet in anima : & patefacit an ſit inimica, an amica Chriſti, ſicut actus ſenſuum, & præcipuè oris. ex qualitate enim ſigni exterioris cognoſcitur quid habet interius. *ſer. 2. Dom. infrà oct. nativit.*

24. *Qui oculos cordis ad terrena fixos habent, projiciunt à ſe Deum; nec vident pericula in quibus vivunt.*

Projicientes me, &c. oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Nota hunc ordinem : nempè inimici Dei projiciunt, & rejiciunt à ſe Deum, & oculos ſuos ad terram declinant : ergòne tenere oculos declinatos ad terram eſt malum? imò peſſimum eſt hoc, & proprium eſt avarorum qui cor, & oculos animæ tenent ad terram defixos, ſolùm ad terrena inhiantes; ideò nec poſſunt videre malum ſtatum, in quo vivunt, & hinc projiciunt, & repellunt Deum à ſe. *op. Diat ſal. tit. 1. c. 6. & in Luc. cap. 13. v. 11.*

25. *Qui oculos in terram defixos habent cæci fiunt; qui ad cœlum, videntes fiunt.*

Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram; ſcilicet ſepelire oculos ſuos in terram ſtatuerunt : ut videas quod inimici Domini oculos cordis defixos habent in terram : iſti cœci fiunt, non valentes percipere ea, quæ Dei ſunt. E contrà qui oculos ad cœlum elevant, & ad Deum, iſti videntes fiunt quia diſcunt vilipendere, & contemnere omnia mundana, & ſolùm cœleſtia deſiderare. *op. de 7. donis in communi c. 5. & in ſap. c. 3.*

26. *Vindicta celer ab Eccleſia imploratur inimicis Chriſti.*

Exurge Domine, præveni eum, ſupplanta eum &c. Nota quod hic petitur vindicta in illo verbo (*exurge* :) celeritas vindictæ in verbo, (*præveni*:) & celeritatis efficacia in illo verbo (*ſupplanta eum* :) hæcque petit Eccleſia contra ſuos inimicos, & ſimul liberationem à Diabolo & ab hominibus impijs, cum dicit, *& libera animam meam ab impijs, frameam tuam ab inimicis tuis*, ſcilicet corpus, & animam. *Pſal. 16.*

27. *In gloria Beati habent ſatietatem omnium bonorum.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua. O quàm hoc eſt verum, nam Beati in gloria habent quidquid deſiderant: ibi delectat pulchritudo, fortitudo, ſanitas, ſatietas omnium bonorum, nam in uno bono, eſt omne bonum, ô Beati qui ad illas nuptias vocati ſunt. *op. Brevil. p. 7. c. 7. & op. de dono fortitud. c. 5. & de dono intellect. c. 7. & de dono ſap. c. 11. & op. de Diat. ſal. tit. 10. c. 5. & 6. & pſalm. 48. & 54. & 64. & 89.*

28. *Cognitio Dei in hac vita non tranſit guttur, in alia vita pervenit uſque ad ventrem; ſcilicet ad ſatietatem.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua. Nota quod dicit ſatiabor in alia vita, Ergone cognitio, & fruitio Dei in hac vita non ſatiat animam? minimè. Unde cognitio Dei in hac vita non tranſit guttur, ſed in alia vita ad ventrem pervenit, ſcilicet uſque ad ſatietatem. *Pſal. 39. & 118. v. 103. & in ſap. c. 3.*

29. *In judicio Dei ſolus ſatiabitur gloria, qui apparebit perfectus Logicus & rethoricus : Sophiſticus autem rejicietur.*

Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo : ſatiabor &c Quid eſt apparere in juſtitia conſpectui Dei? Nota quod apparentia tripartita eſt ante conſpectum Judicis, ſcilicet Dialectica, rethorica, & ſophiſtica : prima eſt veritatis : ſecunda æquitatis : tertia vanitatis; Juſtus ergo apparebit in conſpectu Dei in juſtitia tanquam verus dialecticus, cum veritate, quam ſecutus eſt in vita : tamquam Rethoricus, & Orator cum juſtitia, quam operatus eſt in ſua cauſa : & iſte ſatiabitur gloria, & obtinebit quidquid deſiderabit; Sophiſticus autem, qui ſectatus eſt vanitatem, rejicietur. *Pſal. 118. c. 3. v. 14. & in Luc. c. 1. v. 75.* Nota igitur quod novus Dialecticus ex operibus juſtitiæ concluſionem ſalutarem deducit: verus rethoricus per orationem, & veritatis ſequelam à Deo obtinebit quidquid deſiderat.

30. *Qui in hac vita jejunant cum Chriſto, poſt hanc vitam comedent ad ſatietatem.*

Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo; ſatiabor dum apparuerit gloria tua Quid eſt in juſtitia apparere, ut ſatietur quis in gloria? In juſtitia, ſcilicet, in operibus pœnitentiæ, in hac vita actæ; ſicut enim Chriſtus ante Reſurrectionem jejunavit, poſt reſurrectionem comedit: Sic dat nobis intelligere, quod ſi in hoc hanc juſtitiam ſectabimur, jejunando, pœnitendo. &c. in alia vita, ſatiabimur comedendo, ad menſam regis cœleſtis. *in Luc. c. 4. v. 2. & c. 6. v. 20.*

31. Ad

31. *Ad Christi intuitum satiabitur Beatus in Gloria.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua Quæ est glotia Deitatis hæc est Christus ad cujus aspectum congregabuntur Beati per ardentissimum desiderium, limpidissimum contuitum, sapidissimum gustum, & per motum amoris excessivum. Sicque satiabuntur. *in Luc.c.17.v* 37. Implebitur autem Beatus gloria usque ad fatietatem, quia cum repleta fuerit ejus capacitas omnimoda, nil aliud restabit desiderare. *In Ioan.c.14.v.12.& coll 58 & 75.* dic ergò ô anima elevata ad Deum. Satiabor, ô quando, ô quando videbo gaudium meum, quod desidero, ô si satiabor cum apparuerit gloria tua, quam esurio: ô si inebriabor ab ubertate domus tuæ ad quam suspiro. *ser.1.in circumcisione.*

32. *Cum apparebit Christus, apparebunt & justi ad conspectum ejus, & tunc similes ei erunt, & satiabuntur gloria sua.*

Ego autem apparebo in conspectu tuo in justitia, satiabor cum apparuerit gloria tua. Nota hæc duo verba, (*apparebo, & apparuerit gloria.*) nempè cum apparebit Christus in judicio post Resurrectionem, tunc & justi apparebunt cum justitia, & tunc similes ei erunt: nunc ipse Christus erit eis corona in æternitate, vita in charitate, similitudo in cognitione, satietas in fruitione. *serm.2. Dom 3. post oct. Pascha: & serm 1. de uno sancto Martyre.*

33. *Gloria Christi satiat: gloria mundi inflat, & vacuam animam reddit.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua. Nota, quòd dicit (*gloria tua,*) quia sciebat Propheta, quòd sola gloria Christi satiat, non gloria mundi, quæ solum inflat, imò onerat, & torquet: hoc enim est discrimen inter cibum corporalem, & spiritualem, quod ille cum habetur displicet, iste cum non habetur displicet, cum habetur delectat, & quantò magis gustatur, tantò magis delectat, sed tamen non ad satietatem, hæc enim solùm in gloria potest haberi. *Psalm.32. serm.1. de sancto Thoma, & serm.5. de pluribus Martyribus, & op.spec.B. Virg. lect.6.*

34. *Oratio dirigenda est ad Mariam Virginem post Deum.*

Si sanctus David dicebat Exaudi Domine justitiam meam &c. Idem post Deum dicere debemus Beatæ Mariæ Virgini: Exaudi Domina Virgo justitiam meam, & amorem; amove à me tribulationem meam, & meritò quia qui vult obtinere puritatem, charitatem, patientiam, securitatem invocet Mariam, & nota quòd dicit, *justitiam meam,* & amorem meum, quia sine devotione, & amore non decet ipsam orare. *opusc. Psalt. Beatæ Virg. Psalm. 16. & sermon. primo, de Beata Virgine.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

35. *Os nostrum debet exerceri in confessione, & laudibus Beatæ Virginis.*

Ut non loquatur os meum opera hominum. Notà quòd Propheta se profitetur nolle loqui opera hominum, sed quia inter homines excipitur Beata Virgo, ideò os, & linguam continuè exercere debemus ad confitendum in voce exultationis ejus laudes, quia sic ipsa respondebit impertiendò nobis misericordiam suam. *opusc. Psalt. Beatæ Virgin. Psalm.16.*

36. *Ad imitationem Beatæ Virginis invitamur.*

Perfice gressus meos in semitis meis. Sic dicebat Propheta Deo: sic & dicere debemus & nos Beatæ Virgini, & id proponitur maximè Virginibus, quasi dicat, imitamini gressus Mariæ Virginis ò Virgines, ut imitatæ sunt Agnes, Barbara, Dorothea, & Catharina, quia suscipietis ejus gratiam, & dabit vobis sponsum Christum, & coronam liliorum. *op. Psalt. ibid.*

37. *Sub umbra protectionis Mariæ, securus est homo.*

Sub umbra alarum tuarum protege à facie impiorum &c. O quàm rectè hoc dicitur à nobis Beatæ Virgini, nam ipsa tenente non corruit homo, protegente non metuit, duce non fatigatur, propitia pervenit ad Deum. *in Luc c.1. v.28. & opusc. Phar. l. 1.c 5.*

38. *Gloria Mariæ est, cum Beati satiabuntur in gloria fructu ventris sui.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua. Hoc dicitur à Propheta loquente cum Deo, hoc & potest dici Beatæ Virgini, satiabor cum apparuerit gloria tua; sed quæ est gloria Mariæ Virginis? hic est Christus fructus ventris sui benedicti, in gloria enim satiantur Beati, hoc fructu fruentes, & hæc est gloria grandis Beatæ Virginis. *opusc. spec. Beatæ Virginis Lect.10.*

39. *Post visionem Christi Beati satiabuntur ex visione Beatæ Virginis.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua. Si hoc dici potest Beatæ Virgini: ergone ex ejus visione satiabitur Beatus, ergone poterit ipsa replere capacitatem animæ nostræ? Sed attende, quod sola Dei visio id potest perfectè, qui est summum bonum; sed quia Beata Virgo Maria dicitur verè gloria Dei, hinc post Deum visio nullius alterius boni potest satiare appetitum animæ sicut visio gloriæ Beatæ Virginis Mariæ: nulla gloria major, quàm gloria, quæ percipietur ex ejus gloria. *op spec. Beatæ Virginis lect.6.*



PSALMUS XVII.

1. PRIMO nota, quod hujus Psalmi titulus est: In finem puero Domini David verba cantici hujus, quæ locutus est Domino in die, qua eripuit eum Dominus de manu

manu inimicorum suorum, & de manu Saul, & dixit: ex quo patet, quod in hoc Psalmo agit gratias de hac victoria &c. & ob id hunc Psalmum decantavit in articulo mortis ob reportatam victoriam de inimicis suis, ut patet in 2. *Regum c.* 22. secundum aliam translationem Divi Hieronymi. *in Psalm.* 17. & 139 Allegoricè autem ordinatur ab anima ad Christum: David enim interpretatur, manu fortis, qualis est Christus, qui debellavit aëreas potestates, Ecclesiamque illuminavit. *Psal.* 17.

2. *Dilectione, & amore debemus correspondere Christo pro liberatione inimicorum nostrorum.*

Diligam te Domine fortitudo mea. Cur? quia fortitudo mea firmamentum, & liberator meus, scilicet quia liberavit me à potestate Diaboli, quia roboravit me per Sacramenta, & ad pœnitentiam me recepit. *Psalm.* 17. & 18. Et nota, quòd Deus dicitur noster liberator, quia nos à potestate Diaboli liberavit, dicitur refugium, quia diffidentem proprijs viribus ad patrocinandum recepit, inde firmamentum, ne statim cadat; post fortitudo pugnanti, ut vincat; item liberator per baptismum, refugium per pœnitentiam, fortitudo per victoriam: deinde addit (*Deus meus*) quia per fidem illuminat, (*adjutor meus*) quia ad operationem adjuvat, (*sperabo in eum*,) quia cor ad amorem inflammat; (*protector meus*) quia supra id, quod ferre possumus, tentari nos non permittit; (*cornu salutis*) quia persequentem Diabolum nos contemnere facit, tandem (*susceptor meus*,) quia finito cursu pervenientes suscipit: Ecce quod per ista verba exprimuntur omnia beneficia divina. *Psalm.* 17. & 18.

3. *Per dilectionem Dei homo custoditur; Diabolus confunditur.*

Diligam te Domine fortitudo mea. Cur ad dilectionem addit fortitudinem divinam, tamquam causam, & motivum talis dilectionis? quia ad mensuram dilectionis nostræ in Deum recipimus fortitudinem contra Diabolum, quia per dilectionem Dei homo custoditur in gratia, & Diabolus maximè confunditur, quia super omnes virtutes impugnare contendit dilectionem, & dum non superatur homo tentatione, signum est dilectionis residentis in ejus corde. *sermon.* 3. *Dom. decimaseptima post Pentecost.*

4. *Fortitudinis virtus maximè probatur carnalitate, & cupiditate.*

Diligam te Domine fortitudo mea. In quonam consistit hæc fortitudo communicata à Deo huic Prophetæ? in duobus, scilicet contra carnalitatem, & cupiditatem rerum terrenarum. *Psalm.* 17.

5. *Christus qualiter firmamentum nostrum.*

Diligam te Domine firmamentum meum, & refugium meum. Cur vocatur Dominus firmamentum? Nota hoc dici de Christi humanitate, quæ priùs terra erat, posteà unita Verbo elevata ad unionem divinitatis facta est firmamentum; & hoc primò, ratione fixæ, & firmæ, unionis dictæ: secundò, quia mediat inter aquas superiores, & inferiores, scilicet mediator Dei, & hominum; tertiò quia sicut firmamentum comprehendit omnia inferiora, eaque conservat: quartò quia est specialis sedes Dei: quintò quia immittit suas influentias omnium gratiarum in omnes creaturas rationales, & ideò est firmamentum verum animæ. *op. de Eccles. Hier. p.* 4. *c.* 6.

6. *Dominus Deus specialiter est diligendus ut firmamentum, refugium, & liberator.*

Diligam te Domine &c. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator &c. Nota hæc tria: primò dicitur firmamentum vitæ nostræ meritum immittendo, scilicet per gratiam nos faciens mereri: dicitur refugium, quia peccatum remittit, & liberator, quia nos à morte peccati liberat. *Psalm.* 118. *c.* 50. *v.* 12.

7. *Deus adjutor, & liberator hominis.*

Adjutor meus, & liberator meus es tu &c. Nota (adjutor) dicit quantum ad agenda, & (liberator,) quantum ad cavenda. *Psalm.* 17. & 118. *c.* 1. *v.* 4.

8. *Dolores mortis, & inferni circundant hominem, nempè peccata actualia.*

Dolores mortis circumdederunt me; torrentes iniquitatis conturbaverunt me: Dolores inferni &c. Qui sunt isti dolores mortis, & inferni, de quibus conqueritur sanctus Propheta? sed nota, quod subdit (*torrentes iniquitatis*,) nempè peccati: Peccatum enim est mors, & affert secum mortem, scilicet moriendi necessitatem. & simul dolores inferni, quia peccatum inducit in infernum animam: ô miserabilis status nostræ humanitatis! *Psalm.* 17. & 11. & *sup. c.* 10. & *Ioan. collat.* 79.

9. *Peccatum originale est laqueus mortis.*

Præoccupaverunt me laquei mortis. Si præveniunt, ergo non potuit eos evadere? sed qui sunt isti laquei mortis? sunt laquei peccati originalis, qui præveniunt usum rationis, contrahitur enim in conceptione: verè enim illaqueat, & ligat hominem, subjicitque pluribus calamitatibus. *Psalm.* 18. & 17.

10. *In loco orationis tribunal judicantis Dei erigitur.*

In tribulatione mea invocavi Dominum, & exaudivit me de templo sancto suo, & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus: commota est &c. Nota, quòd in his verbis indicatur efformatio tribunalis Dei judicantis, præmiantis bonos, & punientis reos in loco orationis: dum enim clamor animæ ad Deum dirigitur, tunc petitio, & instantia fit: Deusque audiens de Cœlo, tanquam de templo punit malos, & propitiatur

tur bonis. *Psalm. 118. cap. 11. vers. nemo, & Psalm. 26.*

11. *Devotio cordis, & oratio est optimus nuncius ad aures Dei.*

Clamor meus in conspectu hujus introivit in aures ejus. Quomodò clamor potuit penetrare usque ad Cœlum? sed attende, quòd hic loquitur de devotione cordis; & oratione devota: hæc enim est optimus nuncius ad aures Dei; ad Deum igitur clamemus pijs affectibus, & desiderijs, in tribulationibus, & tentationibus, quia talem clamorem libenter audit. *Psalm. 140. & serm. 2. Dom. 2. quadragesimæ.*

12. *Tribulationes sunt effectus iræ Dei ob peccata hominum.*

Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. Nota primò, quod istæ commotiones apparebunt in mundo ante diem judicij, ut dicitur expressè *in Luc. cap. 21.* sed tamen etiam sæpè torquent homines multæ tribulationes, terræmotus, commotiones, quia Dominus se iratum ostendit ob peccata nostra, & ideò hæc immittit, ut relictis peccatis ad ipsum recurramus. *sermon. 2. Dom. 5. post Pentecost.*

13. *Carnalis voluptatis ignis immittit fumum ad oculos, eos excæcans.*

Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ex eo. Nota quòd hæc possunt interpretari in malo; sic autem exprimunt effectus luxuriæ, quæ est ignis accendens iram Dei, & immittens fumum ad oculos mentis eos excæcans, carnales enim voluptates excæcant animam plusquam aliud vitium. *sap. c. 10.*

14. *Inclinavit Cœlos Deus mittens Angelos, & sanctos prænuntiantes ejus adventum.*

Inclinavit Cœlos, & descendit. Quandonam inclinavit Deus Cœlos, si semper in eodem loco, in quo creati fuerunt, steterunt? Mysticè hoc debet intelligi; inclinavit enim Cœlos, idest misit Angelos, & Prophetas, & justos, per Cœlos significatos, qui prænuntiarent ejus adventum in carnem; posteà descendit sumens carnem in utero Beatæ Virginis; & caligo sub pedibus ejus, quia homines impij ob suam malitiam incarnationem ejus agnoscere non potuerunt, nec adhuc possunt. *ep. de invisibil. Dei, & Psalm. 17.*

15. *Christus per ascensionem suam volat per varias orbis partes, per prædicationem super pennas prædicatorum.*

Et ascendit super Cherubim, & volavit: volavit super pennas ventorum. Quid est volavit super Cherubim? si loquitur de Christo, cur non dicit super Seraphim? cum Seraphim sit super Cherubim? sed ad litteram potest intelligi de Christi humanitate, & si dixisset super Seraphim intelligi deberet humanitas exaltata ad chorum Trinitatis, quod non est verum; si mysticè intelligitur, quia Cherubim interpretatur scientiæ plenitudo, dat intelligere quòd nulla scientia potest attingere ad ipsum: Dicit igitur, quod ascendit Christus in Cœlum, & statim volavit super pennas ventorum, id est prædicatorum, qui Christum portant per diversas partes orbis per prædicationem. *Psalm. 17. & 54. & serm. 4. in Ascensione.*

16. *Angeli velocissimè nobis afferunt auxilium cœleste, &c.*

Volavit super pennas ventorum. Nota etiam hoc dici de Angelis, qui ob velocitatem comparantur vento, ventus enim velociter agens non valet detineri, subitò venit, & subitò recedit, & causam motus non agnoscimus, & ubi se occultat non cognoscimus, sic & Angeli nobis festinanter auxilia divina afferunt. *ep. de Eccles. Hier. p. 3. c. 3.*

17. *Viri misericordes volant sicut Angeli ad subveniendum pauperibus.*

Volavit super pennas ventorum. Hoc etiam dicitur de viro misericorde, qui statim ad modum Angelorum manum adjutricem pauperi indigenti porrigit, & tamquam ventus nunc occultè, & subitò, nunc manifestè se exponit; ô beati isti Angelici viri. *opusc. Eccles. Hierar. p. 3. cap. 3.*

18. *Ordo Cherubim in anima contemplativa quomodo collocatur.*

Ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum. Nota hoc etiam mysticè dici de viro contemplativo, qui per gratiam divinæ cognitionis, & sapientiæ elevatur supra omnia terrena & recipiendo in se lumen, hic dicitur volare super Cherubim, ordoque Cherubim in ea collocari. *opusc. Eccles. Hier. p. 1. cap. 1.*

19. *Iejunium elevat animam super Cherubim: Crapula deprimit ad terram.*

Et ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum. Nota hic designari ascensum animæ super Cherubim idest ad cognitionem veritatum supernarum, sed quænam est

hæc felix anima? illa est, quæ fit levis ad modum avis velociter volantis; sed quomodò anima pondere corporis aggravata poterit fieri levis, ut ad Cœlum volare possit? sed vide quomodò: sicut avis macilenta agilis est ad volandum in altum, & fugiendum ab accipitre, è contra gravis, & pinguis non potest in altum volare, & facilè capitur ab accipitre, sic homo abstinens, & jejunans per animam facilè volat in altum per cognitionem cœlestium veritatum, faciléque evadit tentationes: è contra deditus crapulæ facilè submergitur in profundum, & à Diabolo capitur. *opusc. Diat. sal. titul. 2. c. 6.*

20. *Sacra scriptura, & vita unitiva dicitur tenebrosa aqua ob difficultatem ipsius intelligentiæ.*

Posuit tenebras latibulum suum, tenebrosa aqua in nubibus aëris. Quid est, quod posuit Deus, & abscondit inter tenebras? nonne se manifestavit ad omnes gentes? Nota illud verbum *latibulum suum*: quodnam est hoc latibulum Dei nisi, locus vel status in quo verè aliquid latet? & hoc est latibulum sacræ scripturæ, & etiam status vitæ unitivæ, & hoc est quod utraque dicitur tenebrosa aqua, quia est difficillima ad intelligendum, & nisi Christus eam aperuisset, remansisset sepulta in tenebris. *Psalm. 16. & 97. & 158. & op. de dono intell. c. 6 in Ioan. c. 1. v. 9. & op. myst. Theol. c. 3. p. 4.*

21. *Gratia, & contritio necessario præexigitur ad expulsionem culpæ.*

Præ fulgore ejus nubes transierunt. Nota hæc mysticè intelligi, nam per fulgorem intelligitur gratia, & contritio, per nubes peccatum; non enim potest expelli culpa, nisi præcedat detestatio peccati, ad quam consequitur fulgor gratiæ, qui totaliter expellit nubem peccati mortalis. *l. 4. d. 17. p. 1. art. 3. qu. 1.*

22. *Multiplicem tonum, & vocem emittit Christus in Mundum.*

Intonuit de Cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. Nota, quòd hoc dicitur de Christo, qui tonat, & vocem multipliciter emittit in mundum; nempè vel orando, vel docendo, vel promittendo, vel comminando, quæ omnia habentur in Evangelio, & in sacra scriptura ad nostrum profectum. *in Psalm. 17.* Intonuit etiam de Cœlo Dominus, quando dixit, *Hic est filius meus &c.* declarans ipsum sibi æqualem. *Psalm. 17.*

23. *In die judicii omnia revelabuntur apud omnes gentes*; undè hic dicitur. *Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum*, idest omnia bona, & mala in die judicii revelabuntur: nota autem, quod ponit præteritum pro futuro more sacræ Scripturæ, quia in mente Dei futurum est tam clarum, & præsens, ac si in actu esset. *Sap. c. 3. in fine.*

24. *Triplex increpatio proponitur exiens à Deo, & triplex remedium.*

Ab increpatione tua Domine, ab increpatione spiritus iræ tuæ, misit de summo, & assumpsit me &c. Vide quomodò se declarat redemptum ab increpatione, & castigatione divina: triplex autem est increpatio Dei, scilicet correptionis, reprobationis, & separationis, eximitur autem homo ab his mediante gratia, & gloria. *Psalm. 17.*

25. *Verbum assumendo naturam nostram eam elevavit ad divinitatem.*

Misit de summo, & assumpsit me, de aquis multis &c. Nota hic indicari Incarnationem Verbi, nam missus est Filius Dei in mundum, accepit, & assumpsit ad se per unionem hypostaticam nostram naturam, & assumendo eam elevavit de aquis multis, scilicet de profundo peccati ad divinitatem. *Psalm. 101.*

26. *Dei auxilium per gratiam sublevat jacentes in peccato.*

Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis. Scilicet assumpsit me jacentem in peccato immittendo è Cœlo manum suæ gratiæ, sine qua non potest quis surgere. *Psalm. 118. v. 113. & in Luc. c. 17. v. 5.*

27. *Maximum Dei beneficium est liberatio ab ipso facta à nostris hostibus.*

Eripuit me de inimicis meis fortissimis &c. Hoc dicebat Propheta gratias agens Deo pro liberatione sua à Saule, & à suis inimicis, sed majus beneficium est liberatio ab hostibus spiritualibus animæ facta per Christum, de quo benedicere, & laudare Deum debemus toto tempore vitæ. *in Luc. c. 1. v. 71.*

28. *Qui Christum habet auxiliatorem educitur de periculis, & inducitur in latitudinem, & statum felicem.*

Prævenerunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protector meus, & eduxit me in latitudinem, salvum me fecit quoniam voluit me. Hæc dicuntur à Propheta de se ipso à Deo liberato ab inimicis, & exaltato ad statum sublimem; sed melius possunt dici ab eo, qui aggressus ab inimicis sentit Christum suum liberatorem, quando Christus venit in adjutorium nostrum: tunc etiam inducit in latitudinem, & in statum sublimem. *Psalm. 118. c. 3. v. 13.* Nota, quòd in multiplicem latitudinem inducit Christus, nempè doctrinæ, conscientiæ, gratiæ, gloriæ, Ecclesiæ, quando à latitudine, vel potiùs à latibulo peccati educit. *In Psalm. 17.* O quanta, & qualis est Dei bonitas in nos, & hinc Propheta dicit, *salvum me fecit, quoniam voluit me*, adducens, & probans causam affectus, scilicet salutem obtentam, adducit divinam voluntatem adjuvantem. *Psalm. 17.*

29. *Iustitia cum Deo conservat, & accipit ab ipso meritum, & remunerationem.*

Et retribuit mihi Dominus secundum iustitiam meam. Et quæ est hæc tua iustitia, ob quam prætendis remunerationem? quid habes, quod non accepisti? Nota, quòd loquitur hic de bono opere fundato in gratia Dei, hoc enim est actus iustitiæ, cui debetur remuneratio. *Op. comp. Theol. l.5.c.17.* undè subdit, *quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo &c.* Nempè auxilio gratiæ Dei, *& iustitias ejus non repuli a me. Psalm.118. c.8. v.6.* Addit, *& secundum puritatem manuum mearum &c.* Per quæ gradus iustificationis exponuntur; primus est fides cum charitate, quæ omninò datur gratis: secundus est bona voluntas; tertius est bona operatio, & pro his datur perseverantia, & hinc vita æterna. *Psalm.17.*

30. *Talis est nobis Deus, qualis nos sibi.*

Hinc dicit hic sanctus Propheta Deo. *Cum sancto, sanctus eris, cum innocente innocens, cum electo, electus, & cum perverso perversus.* Nota ordinem horum verborum, cum sancto, idest cum eo, qui se exercebit in operibus virtuosis, Deus est sanctus per collationem bonorum cum innocente per vitationem mali, Deus innocens est per collationem boni: cum electo per destinationem erit electus: & cum perverso erit Deus perversus per punitionem. *Psalm. 17. in Thren. c.3.*

31. *Bonorum societas facit bonum hominem, malorum societas facit malum.*

Cum sancto sanctus eris &c. Nota hic, quòd hæc sunt etiam verba Dei ad hominem, ut intelligat effectus bonos societatis bonorum, & malos perversorum. *In Psalm.17. & op. de tribus ternar. peccat. c.7. serm.4. in vigilia Nativit. & serm.1. Dom.4. Adventus, & serm.3. Dom.3. post oct. Epiph. & serm.2. Dom.21. post Pentecost. & op. Determinat. circa Regulam sancti Francisci præfat.*

32. *Humilitas offert salutem, & liberationem à tentationibus superborum, & dæmonum.*

Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis. Vide hic, quòd Propheta probat causam per effectum: sicut suprà dicendo, *salvum me fecit, quoniam voluit me*, probavit effectum per causam: vult dicere quod humilitas est causa salutis, & quod Deus humiles exaltat, & superbos mortificat; humilitas enim attrahit à Deo salutem, & adjutorium; superbia privat. *Psalm.17. & in Luc. c.2. v.12.*

33. *Contemplatio modò fert animam ad considerationem cælestium veritatum, modò ad considerationem defectuum propriorum.*

Quoniam tu illuminas lucernam meam; Deus meus illumina tenebras meas. Vide transitum, quem facit Propheta ab illuminatione clara, quam profitetur obtinuisse à Deo, & posteà rogat, ut illuminentur suæ tenebræ: si jam supponit se illuminatum, quomodò notat se involui in tenebris, indigens illuminari? sed tamen optimè loquitur, & per hoc dat nobis intelligere qualia sint munera animæ contemplativæ; quia aliquando habet ascendere ad contemplationem Dei, ejusque veritatum supernarum, tunc enim dicitur habere illuminatam animam, sed tamen non debet oblivisci propriæ miseriæ sed veluti faciens motum perpetuum debet descendere ad seipsam considerando proprios defectus, tenebras, & miserias: per hoc enim humiliatur, per illud elevatur ad Deum. *In Luc. cap. 2. vers.24. & serm.10. Hexaem.*

34. *Animæ illuminatio qualiter fiat, & conservetur.*

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illuminas tenebras meas. Quam lucernam intendit Propheta à Deo illuminari? non aliam, nisi lucernam animæ: petit enim ut pars superior animæ illuminetur, & ab omni tenebra liberetur; sed qualiter fit hæc illuminatio? & qualiter conservetur? Nota, quòd ut animæ lucerna accendatur in nobis, debet priùs claudi ejus fenestra ne à vento extinguatur; nempè accenditur ab austro, nempè à Spiritus sancti gratia, qui est calidus; & calor est amicus naturæ; extinguitur autem à vento, qui venit ab Oriente, nempè à nostræ fragilitatis origine; ab occidente etiam ventus venit dum in terrenis cogitationibus involuimur, quæ tendunt ad finem: ab aquilone etiam venit, nempè à diabolo, vult igitur dicere, quòd intentio non debet habere pravitatem nec cogitatione, nec affectione, nec locutione, nec operatione: si enim hæc deficiunt tunc Deus illuminabit animam in conscientia; tum ad ædificandam Ecclesiam, & proximos, tum ad confutandam pravitatem alienam, tum ad habendam notitiam divinam, & ad videndam claritatem æternam: O beata, & felix anima sic illuminata. *In Psalm.17. in Luc. c.2. v.36. & in Ioan. c.3. v.12.*

35. *Qui sequitur Christum ambulat in luce, non in tenebris.*

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas. Vide quid petit à Deo sanctus Propheta, nempè ambulare in luce, quia intendebat sequi Deum, & ideò ambulare in luce sua: qui enim sequitur Christum toto corde ambulat in luce divinæ gratiæ, expellit tenebras erroris in intellectu, malæ affectionis deordinationem in voluntate, & malæ operationis in opere. *In Ioan. collat. 41.*

36. *Fides est lux illuminans animam mirabiliter expellens tenebras errorum.*

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas; Quam lucernam? lucernam fidei; meritò igitur petit hanc illuminationem, nam fides illuminat mirabiliter

ter mentem ad cognoſcenda myſteria ſacra. *Pſalm. 118. c. 7. v. 1.*

37. *Oratio impeditur à propria culpa tamquam à muro ne perveniat ad Deum.*

Quoniam in te eripiar à tentatione , & in Deo meo tranſgrediar murum. Quis eſt iſte murus, quem vult tranſire Propheta? Nota, quod illuminatus orabat ad Dominum, & quia tenebras peccati expulſas videbat, ereptuſque fuerat à periculis tentationum, hinc cognoſcens, quod peccatum veluti murus ſe opponit inter Deum, & animam, impediens ne oratio perveniat ad Deum, dicebat confidenter: *In Deo meo &c. Pſalm. 101. & Pſalm. 118. c. 10. v. 9.* Aufer igitur hunc murum ô anima, ſi vis, ut oratio tua volet ad Deum.

38. *Alii pertranſeunt murum in Deo , alii in diabolo.*

Et in Deo meo tranſgrediar murum. Quid eſt tranſgredi in Deo murum? Nota, quòd in hac vita non habemus permanentem habitationem, ſed neceſſariò debemus pertranſire ad aliam vitam; juſti autem pertranſeunt murum culpæ: hæc enim eſt veluti murus nos impediens, ne ad Deum tranſeamus, quia ipſi juſti illuminati, & purgati ſunt à peccato, ideò in Deo tranſgrediuntur murum, & ad Deum perveniunt: impii è contra in diabolo pertranſeunt murum culpæ, ſed ob culpam non pertinguot ad Deum. *Pſalm. 79.*

39. *Inexcuſabile eſt homini vias Domini declinare.*

Deus meus impolluta via ejus. Vide quo motivo ſe excitat vir juſtus ad ſectandam juſtitiam, & ambulandum per vias Domini, dicens, *impolluta via ejus*, quia ſciebat duas eſſe vias, per quas quilibet ambulat, ſcilicet Dei, & diaboli, vias Dei eſſe rectas, & ideò breviores; putas, & ideò leviores, pulchras, & ideò ſuaviores, & ob id quod homo eſt inexcuſabilis, ſi declinat à viis Dei, & ad vias diaboli divertit, quæ ſunt fallaces, impuræ, & laborioſæ. *Pſalm. 118. cap. 1. verſ. 3.*

40. *Qui vult vias Domini expeditè ambulare , debet removere omne impedimentum.*

In Deo meo tranſgrediar murum ; Deus meus impolluta via ejus. Vide connexionem horum verborum; priùs dicit Propheta ſe velle pertranſire murum, & hoc, ut ambulet per vias impollutas Dei; dat nobis intelligere, quòd qui vult ad Deum ambulare, debet incedere per vias ejus, in quibus nullum eſt impedimentum; & ideò debet frangere, & tollere omnem murum, ut expeditè poſſit incedere, murus autem eſt omne, quod itineri noſtro objicitur, cum ad dilectum tranſitur, quem tranſgredimur, cum præ amore ſupernæ patriæ omnia hujus mundi objecta calcamus: ô felix, qui has vias ambulat. *op. de 7. itiner. æternit. in prol. d. 4. & itiner. 2. d. 6.*

41. *Anima contemplativa pedes cervorum habet, & currens ſaltat, & tranſit omnia creata, ut ad Deum pertingat.*

Quoniam quis Deus præter Dominum &c. qui præcinxit me virtute, perfecit pedes tanquam cervorum, & ſuper excelſa &c. Nota, quod in his verbis mirabiles progreſſus animæ contemplativæ enarrantur, ubi obſerva, quod anima præcincta virtute Dei omnipotentis dicitur habere pedes cervorum; cur pedes cervorum? ſed verte mentem ad illos Seraphim, qui coram Deo dicebantur habere pedes alatos; nempè affectus expurgatos ab omni immunditia, & impedimento, taleſque ob velocitatem, qua in Deum volant, aſſimilantur pedibus cervorum, nam ſicut cervus, cum juga montium aſcendit, quæque aſpera, & objecta tranſgreditur, donec ad ſuperiora elevetur, non ſolùm currit, ſed etiam ſaltat: ita etiam electorum, & contemplativorum mentes quæcumque ſibi obvia reſpiciunt, contemplationis ſaltu tranſcendunt, donec ſe ad ſuperna evehunt; ô felices ſaltus animæ. *op. de 7. itiner. ætern. in prol. d. 4.*

42. *In bellis Domini contrà noſtros hoſtes eſt pugnandum non ore , ſed manibus.*

Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium. Nota quòd dicit, (*qui docet*) ſcilicet ore (*manus meas*) ſcilicet manu quia non tantum ore, ſed manibus eſt pugnandum contrà hoſtes, iſtæ enim tubæ erant, quibus utebatur David in prælijs Domini, ſcilicet ſanctis operationibus. *in Pſalm. præfat.*

43. *Diſciplina Chriſti qualiter doceat homines, & quid ſit.*

Et diſciplina tua correxit me in finem , & diſciplina tua ipſa me docebit. Quæ eſt hæc diſciplina Dei? diſciplina Dei eſt fides formata nempè eſt converſatio honeſta, quæ non ſolùm ſtudet vitare malum, ſed & in bonis ſuis actibus irreprehenſibilis apparet; hæc enim docetur in ſchola Chriſti, hæc eſt, quæ corrigit hominem in moribus, hæc facit addiſcere ea, quæ debet operari. *in ſap. c. 10. & op. declarat. termin. Theol.* Corrigit autem, quia Deus per pœnas comminatas reducit hominem à via mala. *in ſap c. 12.*

44. *Diſciplina exercitium virtutum ſecum affert.*

Diſciplina tua ipſa me docebit. Ergo, qui non ad hanc diſciplinam ſe reducit, non diſcet; ſed quid eſt, quod docet diſciplina Dei? docet facto, nempè ad virtutem animum dirigit, & ideò à Chriſtianis, maximéque Religioſis non eſt negligenda. *op. ſpec. diſcipl. in præfat. & op. inſtructio Novit. p. 1. cap. 16.*

45. *Idem confirmatur.*

Et diſciplina tua ipſa me docebit. Quid docebit? docebit me quid faciendum in præceptis, in tentationibus, in flagellis, ut per hoc confringantur inimici: nam in præceptis Deus obedientiam, in tentationibus conſtantiam, in flagellis patientiam incluſit;

inclusit; hic enim est ordo perfectionis, nam in præceptis concurrit obedientia, in tentationibus profectus, & in flagellis per patientiam adeptio perfectionis. *In Psalm.17.*

46. *Confractio inimicorum, & triumphus qualiter fiat.*

Confringam illos, nec poterunt stare. Quomodò, & quid confringes? confringam illos, quoad pœnam temporalem, & quoad gehennalem, nam per disciplinam omnia hæc superantur. *In Psalm.17.*

47. *Quænam oratio à Deo auditur, & quænam contemnitur.*

Clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos &c. Cur non exaudivit? nonne oratio semper exauditur à Deo? Nota, quòd est oratio, quæ auditur à Deo, & oratio, quæ à Deo contemnitur: prima exauditur, si homo piè orет pro se, & perseveranter, illa verò, quæ est formidine pœnæ, & pro temporalibus purè, & quæ non est ex affectu devotionis, sed ex impatientia, non exauditur, sed contemnitur. *Psalm.54.& in Luc.c.4. v.41. & c.8. v.29.*

48. *Luxuriæ, & avaritiæ luto sordidatur anima, Deoque fætet.*

Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, & ut lutum platearum delebo eos. Vide quale malum imminet inimicis Dei, qui eos comminuit, & veluti ad nihilum reducit: sed quid significat lutum platearum? dat intelligere per hoc, quod fiunt ex terra, & aqua fit lutum materiale, & si est ex cinere platearum lutum maximè sordidat, nec permanet: sic ex concupiscentia carnis veluti aqua sordida, & ex concupiscentia rerum terrenarum, veluti ex terra fit lutum sordidum, quo sordidatur anima, Deoque fætet, & displicet ad modum vilissimi luti, & ideò Deus tales, ut suos inimicos à se repellit. *Op. Diet. sal. tit.3. c.8. & Psalm.39. & sap.c.15.*

49. *Christus caput omnium constitutus à Patre, quia se humiliavit infrà omnes.*

Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Hæc verba in persona Christi pronuntiata sunt: quia enim ei contradixerunt inimici, omniaque sustinuit patienter, ideò constitutus est caput omnium gentium, & eorum, qui ipsum credebant tantum hominem. *Serm.1.Dom. infrà oct. Nativitatis.*

50. *Qui contra conscientiæ dictamen loquuntur, Deo mentiuntur.*

Filii alieni mentiti sunt mihi &c. Quomodò potest dici quis Deo mentiri, si Deus non potest decipi? optimè quidem dicitur mentiri Deo, qui contra dictamen conscientiæ loquitur, licèt enim tale mendacium, non habeat, quem decipiat, ipse tamen sibi mentitur, & ideò dicitur. *Psalm.26. mentita est iniquitas sibi. In Luc. c.20. v.7.*

51. *Peccator in peccato filius diaboli.*

Filii alieni mentiti sunt mihi. Quid est filii alieni? filii alieni, idest diaboli, qui est alienus, & inimicus Dei; qui igitur in peccato est, filius Dei est per naturam; filius verò diaboli per imitationem. *In Psalm.17. in Luc. c.11. v.15.*

52. *Qui transgreditur mandata Dei, claudus fit, & claudicat coram Deo.*

Et claudicaverunt in semitis suis. Vide quomodò peccatum est mendacium coram Deo, & qui peccat claudicat, quia deordinat actus suos à recta ratione. *In Luc.c.7.v.23.*

53. *Diligenda est Beata Virgo Maria, quia est fortitudo, firmamentum, & refugium, & liberatrix nostra.*

Diligam te Domine fortitudo mea &c. Hoc dicebat Propheta loquens cum Deo; hoc & nos dicere debemus Mariæ Virgini: est enim post Deum nostra fortitudo, firmamentum, refugium, & liberatrix ab omni malo, & ideò super omnes creaturas diligenda est, & prædicanda à nobis. *Op. Psalt. Beata Virg. Psalm.17. & 30: & l.1. d.48. art.1. qu.1. ad ult. & l.2. d.18. dub.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

54. *Beata Virgo firmamentum Ecclesiæ.*

Diligam te Domine, Dominus firmamentum meum &c. Hoc dicitur de Christo, hoc & dicit Ecclesia de Beata Virgine, est enim veluti firmamentum uniformiter semper motum, & stelliferum per omnium donorum, & gratiarum Dei copiositatem: igitur ad ipsam recurrendum, & sub ipsius protectione debet homo se collocare; quia est firmamentum mirabiliter roborans contra omnes inimicos, & confortans suos devotos. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm.17. & serm.1. de Beata Virgine.*

55. *Beata Virgo firmamentum est medians inter Deum, & nos, simulque nostrum refugium.*

Dominus firmamentum meum, & refugium meum, adjutor meus &c. Idem & dici potest alio respectu de Beata Virgine verè mirabile totius religionis firmamentum in Ecclesia, verè inquam firmamentum medians inter Deum, & nos nostrumque refugium in hac miseriarum valle; ò mirabilis clementia Creatoris, quæ sic afflictis tam nobile, & laudabile subsidium dignatur elargiri, quæ peccatoribus Mariam tribuit advocatam, ut à filio suo inter nos, & ipsum judicem constituta, quod voluerit pro nobis valeat impetrare; & ideò non timendum quin misereatur miseris, & ad illam partem, quam defendit, sententiam inclinet. *Op. stim. div. amoris p.3.c.15.*

56. *Dominus exaudit nostram orationem de templo sancto Beatæ Virginis.*

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus;

ejus. Quodnam eſt hoc templum tam Deo charum, quod eſt medium, per quod omnis noſtra oratio exauditur? hoc eſt Beata Virgo Maria, nempè locus divinæ habitationis electiſſimus ab Angelis cuſtoditus, templum Dei ſolemne, impollutum, & ſacratiſſim ſpiritus ſancti. *In Luc. c.1. v.38. & op. Pſalt. B. Virginis in hymno Te Dei Matrem &c & op. Pſalt. minus* Dominus igitur exaudit nos de templo ſancto ſuo, ſcilicet per Mariam, quia per eam Deus homini placabilis eſt, & homo Deo placabilis fit. *Op. Pſalt. Beata Virg. lect.14.*

57. *Maria eſt Cœlum ad cujus ingreſſum Deus ſe inclinavit.*

Inclinavit Cælos, & deſcendit. Quid eſt inclinavit Cœlos? ſignificatur, quod Deus inclinavit Cœlum Cœlorum, ſcilicet ſuam divinitatem, quando Verbum deſcendit in Mariam ad ſumendam carnem, tamquam in Cœlum nobiliſſimum, ut pateret quanta ſit hujus myſtici Cœli ſublimitas, puritas, pulchritudo, perfectio, utilitas: ò Beata Virgo verum Cœlum, quo poſt Chriſtum nihil purius, nihil ſublimius, nihil pulchrius, nihil utilius, nihil communius, nihil velocius, nihil perfectius, nihil durabilius. *Op. de Eccleſ. Hier. p.4. c.7. & op. de inviſibilitate Dei.*

58. *Thronus Beatæ Mariæ in Cælo eſt ſuper Cherubim, & ſuper cardines Cœli.*

Et aſcendit ſuper Cherubim, & volavit ſuper pennas ventorum &c. Hoc dicitur de Chriſto: hoc & de Beata Virgine, quæ in corpore, & in anima aſſumpta in Cœlum, thronum ſibi collocavit ſuper Cherubim, & ſuper cardines Cœli, ideſt in potiori parte poſt Chriſtum. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſalm.112. & Pſalm.12. & op. ſpec. Beatæ Virginis lect.11.*

59. *Maria Virgo eſt lucerna noſtra fugans tenebras dæmonum, & peccatorum.*

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, illumina tenebras meas. Nota quod ex illuminatione lucernæ petit illuminationem à tenebris, ut diſcas, quòd hæc lucerna illuminata, eſt Maria verè illuminata, & illuminatrix: lucerna quidem illuminans totum mundum, & fugans omnes tenebras dæmonum, & peccatorum, ad hanc igitur lucem exponamus tenebras noſtras, ſi illuminari deſideramus. *Op. ſpec. B. Virg. lect.3. & 7. & in Luc. c.2. v.14.*

60. *Religioſi Deo pſallentes pſallant, & laudent Beatam Virginem Mariam.*

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo pſalmum dicam. Nota hoc eſt præcipuum munus Religioſorum, nempè confiteri, pſallere, & laudare Dominum: hoc & in Mariam debent facere, nam munus proprium Religioſorum eſt honorare, prædicare, & exaltare Mariam laudibus, & hymnis, quia ipſa eſt ipſorum ſpecialis adjutrix, & advocata. *Op. Pſalt. Beatæ Virginis Pſalm.17.*

61. *Omnes homines, & Angeli debent laudare, & honorare, & colere Mariam.*

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo pſalmum dicam &c. Nota in nationibus, ſcilicet hoc non ſolum in ordine ad Chriſtum, ſed ad Mariam Virginem debet dicere quælibet creatura rationalis; eſt enim colenda, prædicanda, honoranda ſuper omnes creaturas ab hominibus, & Angelis, tum quia eſt reconciliatrix noſtra coram Deo, tum quia eſt Domina, & Prælata omnium creaturarum, tum quia eſt Mater Dei, & ob id refugium, & advocata, & adjutrix, & liberatrix noſtra. *Pſalt. B. Virg. Pſalm.17. & l.1. d.48. art.1. qu.2. ad ult. & l.3. d.9. art.1. qu.3. & l.1. d.28. dub.3. & in Luc. c.1. v.38. & v.42. & op.25. memorialia.*

PSALMUS XVIII.

Titulus: In finem: Pſalmus David.

1. PRimò nota, quod Titulus hujus Pſalmi eſt hic: In finem Pſalmus David; ideſt hic Pſalmus dirigitur in finem Chriſtum, vel dirigit nos in Chriſtum tamquam in finem, ſcilicet quoad opus Incarnationis factum in plenitudine temporum, de qua hic agitur præcipueque de prædicatione novæ legis, & expoſitione præceptorum facta à Chriſto.

2. *Sacra ſcriptura ad noſtram majorem capacitatem in explicatione myſteriorum fidei utitur his rebus ſenſibilibus tamquam figuris.*

Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Quomodò dicuntur Cœli enarrare gloriam Dei, & ejus opera mirabilia, maximè incarnationis, ſi iſta non habent rationem, vel ſenſum? ſed optimè hoc dicit ſacra Scriptura, tum propter noſtram imbecillitatem, tum ad figurandum myſteria occulta noſtræ fidei, ut nobis pateſiant per iſta ſenſibilia: ſic enim ſacra Scriptura utitur ipſis ad hunc finem, nam mundus ſenſibilis prædicat factorem ſuum, ideò per hunc elevatur anima ad mundum inviſibilem. *Serm.17. Hexaem. & op. Principium ſacra Scripturæ, & in Ioan. c.1. v.2.*

3. *Cœlorum nomine enarrantium veniunt Apoſtoli, & Prædicatores.*

Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Nota quòd Cœlorum nomine myſticè hic ſignificantur Apoſtoli, item & Prædicatores, qui elevati vita cœleſti ab his terrenis affectibus enarraverunt gloriam Dei, extendentes ſuam doctrinam per totum mundum, ut ipſum rore cœleſti irrigarent; ornati tot ſtellis, quot virtutibus pleni ſe oſtenderunt, & veluti

luti immutabiles, vel impassibiles fuerunt in tot injuriis, & passionibus pro Christo toleratis. *Op. Eccles. Hier. p.4. c.2.* Discant exemplo Apostolorum Prædicatores, quales esse debent.

4. *Idem de Apostolis.*

Cœli enarrant gloriam Dei. Meritò Cœlorum nomine significantur Apostoli; sicut enim Cœli habent spectabilem refulgentiam luminum, efficacem influentiarum redundantiam, & terribilem signorum, & prodigiorum resonantiam: sic Apostoli habent efficacem redundantiam bonorum documentorum in prædicatione in signum perspicacis intelligentiæ, & ideò enarraverunt gloriam Dei per prædicationem, enuntiantes eam æternam sine inceptione, & terminatione in Incarnatione, magnam sine diminutione in Passione, & suavissimam in Spiritus sancti missione: item habent spectabilem refulgentiam morum, & exemplorum in conversatione in signum charitatis, & benevolentiæ; unde sicut lumen cæleste est ab omni fæculentia inferiorum maximè terræ impermixtum, ut clariùs illuminet mundum, sic & conversatio Apostolorum fuit impermixta ab omni affectione carnali, & cupiditate, ut faciliùs illuminarent mundum, item habent terribilem resonantiam miraculorum, & prodigiorum in operatione in signum virtuositatis, & constantiæ, ut quos efficacia verbi non movet, miracula confirment. *Serm. 9. in Pentecost.*

5. *Prædicatores, & Angeli dicuntur Cœli, dum annunciant veritatem divinam.*

Cœli enarrant gloriam Dei &c. Idest Prædicatores veritates divinas mundo prædicantes, & per doctrinam celestes coronantes animas: Angeli quoque in Nativitate annunciantes Christum dicuntur Cœli, *Psalm.101.& Psalm 118.c.10.v.11.*

6. *Pater generans filium exprimitur in his verbis sequentibus.*

Dies diei eructat Verbum. Idest sicut dies succedens diei illam enunciat, ejusque cognitionem inducit: sic Filius genitus ex Patre Patrem enunciat. *Psalm.117.* Undè Christus fuit dies clarissima illuminans totum mundum, cujus horæ sunt duodecim Apostoli. *In Ioan. c.11.v.9.*

7. *Apostoli dies mystici diem Christum annuntiabant: sic & Prædicatores, & Doctores.*

Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam. Dies idest Apostoli, & Doctores prædicantes verbum indicant scientiam de Christo. *Psalm.18. & 101.*

8. Evangelii doctrina est veluti dies indicans scientiam de Christo, & illuminans noctem, idest obscuritatem veteris testamenti, sic mysticè dicitur dies diei &c. & nox nocti &c. *Psalm.18. & serm.15. Hexaem.*

9. *Christus dies illuminavit Apostolos: Iudas nox fuit in traditione Christi.*

Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam. Nota, quòd Christus fuit dies, qui eructavit verbum suum discipulis, ut audirent eum, & amarent sequendo: Judas verò fuit nox nocti indicans scientiam, scilicet Judæis, ut venirent, & comprehenderent Jesum; undè quando Judas exiit de cænaculo, notatur id fecisse de nocte. *In Ioan. c.13.v.30.*

10. *Sonus prædicationis, & orationis exivit de ore Apostolorum.*

In omnem terram exivit sonus eorum. Quis sonus? sonus scilicet prædicationis, & sonus orationis. Primus de Cœlo in terram ad aures hominum, licet enim ab ore hominum pronuntientur, venit tamen de Cœlo: secundus de terra in Cœlum ad aures Domini volat, & utrque fit adveniente spiritu vehementi; scilicet ex Spiritu sancto adspirante, & ideò prædicatio sono tubarum exprimitur, & oratio sono organorum. *Serm.4. Dom 2. post Pentecost. & serm. de SS. Sim. & Iuda. & serm.. de Apostol. in Psalm.45. in Luc. c.5.v.15. & op. comp. Theol. l.4. c.24.*

11. *Post prædicationem Evangelii in omnem terram cessaverunt legalia præcepta.*

Dies diei eructat verbum &c. in omnem terram &c. Nota hunc ordinem: primò ponit prædicationem Evangelii sub metaphora diei: deindè legalia præcepta veteris testamenti sub metaphora noctis: deindè addit in omnem terram exivit sonus prædicationis Evangelii, ut dicas, quòd legalia præcepta non cessaverunt nisi post publicationem totalem Evangelii, quæ fuit tempore Apostolorum. *l.4. d.3. p.2. art.3. q.4. . Psalm.118. vers.130.*

12. *In baculo pastorali significatur prædicatio facienda ab Episcopo: ubi explicantur alia ejus munera comprehensa in eodem baculo.*

In omnem terram exivit sonus eorum &c. Nota hoc dici de primis Episcopis Ecclesiæ, scilicet Apostolis, quorum munus præcipuum est circa prædicationem, & comprehenditur in baculo Pontificali, qui continet sex notabilia, & mystica. Primò protenditur in longum, quia Episcopus debet prædicare ubique: secundò extenditur in altum, quia debet prædicare pro æternis, non temporalibus: tertiò pungit in imo, quia & in prædicatione, & in officio suo debet corrigere, & castigare malos: quartò curvatur in summo, quia debet colligere plures ad fidem convertens, & illud, quòd alii prædicat, ad se convertat, ut ea faciat opere, ut os tutturis torqueatur ad axillas; quintò debet esse planus: sextò nodosus, quia mansuetudinem, & justitiam debet habere. *Psalm.44.*

13. *Ecclesia non est restricta ad particularem locum, sed in omnem orbem terrarũ extensa.*

Undè dicitur *in omnem terram*, idest Ecclesiam, *exivit sonus eorum. Psalm.47. & 118.v.130.* Sed nota, quòd Ecclesia comparatur orbi terrarum: primò

H propter

propter ſui dilatationem : ſecundò propter perfectionem in rotunditate ſignificatam : tertiò propter ſui ſtabilitatem ; quartò propter ſui compreſſionem, & attritionem cui ſubjacet : quintò propter humani generis ſuſtentationem, & vivificationem, ideſt à terra provenientem : ſextò propter ornatum omnium virtutum, & productionem : ſeptimò propter aquarum, ideſt doctrinarum ſalutarium originem. *in ſap. c.1.& in Luc. c.9. v.6.& op. Apol. paup. reſp.3.c.3.*

14. *Chriſtus eſt ſol Eccleſiæ.*

In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Cur Chriſtus dicitur poſuiſſe tabernaculum, & habitationem in ſole ? ut oſtenderetur, quod ipſe eſt veluti ſol Eccleſiæ, ſol quia ſolus præ omnibus lucens tanquam oculus mundi : nam in Cœlo habens cathedram corda hominum in terris illuminat ; & quia eſt fons totius caloris ſpiritualis, à quo non eſt qui ſe abſcondat, & quia ab ipſo proveniunt omnes bonæ pullulationes. *in ſap.c 5 & Pſalm.*103. Nota etiam, quod dicitur in ſole poſitum ipſius tabernaculum ; ſcilicet in puritate, & ſanctitate immune fuit ipſum ſacrum corpus ab omni fæce peccati. *in Ioan. c.2.v.19.*

15. *Chriſtus perpetuo motui ſubjecit ſe ipſum in vita mortali.*

Exultavit ut gigas ad currendam viam &c. Quis curſus eſt iſte, in quo Chriſtus ſe exercuit? quia in vita mortali perpetuo motui, & flexibilitati fuit ſubjectus uſque ad mortem, & reſurrectionem ; nempè naſcendo, creſcendo, eſuriendo, ſitiendo, moriendo, ſed in reſurrectione curſum perfecit. *op. de Eccleſ. Hier p.4.c.6.*

16. *Chriſtus tantum aſcendit, quantum deſcendit.*

A ſummo Cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus. Vide quomodò Chriſtus ad modum aquæ tantum aſcendit, quantum deſcendit, deſcendit in terram è Cœlo, & iterum è terra aſcendit in Cœlum. *l. c. in prol. & ſerm.3 in Aſcenſione*, & ideò Sanctus Lucas terminat curſum vitæ Chriſti in Aſcenſione ipſius, ut ſic perfectè deſcriberet illum circuitum, quem ipſe fecit deſcendendo è Cœlis, & vivendo in hoc mundo, & tandem aſcendendo in Cœlum. *in Luc. c.24. in fine. in Ioan. c.16.v.28.*

17. *In Incarnatione Chriſtus novam obedientiam aſſumpſit ad currendam viam noſtræ mortalitatis.*

Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo Cœlo egreſſio ejus &c. Vide quanta promptitudine, & velocitate Verbum obedientiam Patris implevit, deſcendens in uterum Virginis ad currendam viam hujus noſtræ mortalitatis, ut ex ipſius exemplo diſcas qualiter te exerceas in vita ſpirituali. *op. medit. vita Chriſti c.4.*

18. *Chriſti egreſſio à ſummo Cœlo quales fructus peperit.*

A ſummo Cœlo egreſſio ejus &c. A ſummo Cœlo, ideſt à Cœlo ſanctiſſimæ Trinitatis, ſcilicet a Patre egreſſus eſt, nempè ad clarificandam divinam Majeſtatem ad irrigandam humanam ariditatem, ad expugnandam Diabolicam poteſtatem, ad reparandam Angelicam ſocietatem ; ideò egreſſus eſt ſicut ſol de oriente, ſicut fluvius de fonte, ſicut lapis de monte, & ſicut Leo de antro, egreſſus autem eſt viſibiliter in carnem, inviſibiliter in mentem. *ſerm.1.& 3.in Nativit. Pſalm.101.& 1. & ſap.c.9.& 18 & in Thren.c.3.*

19. *Chriſtus ut velociter curreret viam noſtræ mortalitatis exoneravit ſe ab omni terreno pondere per paupertatem, ut nos invitaret ad ſui imitationem.*

Exultavit ut gigas &c. à ſummo Cœlo &c. Quid eſt exultavit ut gigas ad currendam viam, niſi quòd ſe accinxit fortiter, ut velociter curreret viam perfectionis Evangelicæ ? dicitur autem gigas non homo ut nos, quia habet geminam ſubſtantiam quantum ad naturam, geminam potentiam quantum ad efficaciam, & officium, ſcilicet Deus, homo, Rex, Sacerdos eſt, ſicque ſe accinxit : ſed quomodò ſe accinxit ? ſe accinxit, liberans ſe ab omni pondere terrenitatis per Evangelicam paupertatem : hanc enim à principio ſuæ nativitatis conſecravit in ſuo corpore, in mundo cum pauperrimis hominibus pauperrimè converſatus, & aſſociatus, & in fine nudus in cruce poſitus fuit, & poſt reſurrectionem in ſpecie peregrini apparuit, ut per hoc excitaret ſuos ſequaces ad exonerandum ſe, ut expeditiores ſint ad currendum poſt Chriſtum : qui enim legatus vult eſſe Chriſti, debet ſicut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare, ſic Petrus dixit, *Ecce nos reliquimus omnia &c. ſerm.4. Dom.5. poſt Penteceſt & op. Principium S ſcript. in fine.*

20. *Qui vult aſcendere velociter cum Chriſto in Cœlum debet deſcendere, & ſe exonerare ab omnibus terrenis rebus.*

Exultavit ut gigas &c. à ſummo Cœlo &c. & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus &c Vide, quòd Chriſtus deſcendit à ſummo Cœlo, cucurrit velociter in hac vita, & facillimè aſcendit ad ſummum Cœli, eo quia exoneravit ſe ab omnibus terrenis rebus : ô utinam poſſit hoc dici de nobis, qui profitemur imitationem Crucifixi, qui enim vult cum Chriſto aſcendere facilè, & velociter, debet priùs deſcendere, & currere exoneratus per paupertatem Evangelicam ; ſic enim facillimè aſcendet ad Cœlum, quia tantò aſcenſus eſt altior, quantò quod aſcendit à terrena cupiditate eſt purius, & levius, & virtute divinæ gratiæ plenius. *ſerm.4. Dom.4. poſt Penteceſt.*

21. *Chriſtus voluit, ut omnibus ejus calor, & lux notitia communicaretur, ideò, & viſibiliter, & inviſibiliter venit in hunc mundum.*

A ſummo Cœlo egreſſio ejus uſque ad ſummum ejus,

ejus, nec est, qui se abscondat à calore ejus. Vide quomodò Christus se se omnibus exhibuit, ne aliquis esset, qui posset se abscondere ab ejus calore, & luce: egressus est, & factus est visibilis, ut per sensibilia cognosceretur, voluitque per opera humanitatis, & Passionem calefacere corda frigida, venit ut Deus, ut à filijs suis interiùs perciperetur per adventum suum in mentem. *op. myst. Theol. c. 3 p. 4. & Diat. tit. 10. c. 3.*

22. *Legis Evangelicæ excellentia quanta.*

Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis. Nota hic sacrum textum loqui de lege Evangelica, quam commendat sex excellentijs: prima ab auctore, ideò dicitur lex Domini, qui est Christus: secunda à vitatione erroris, ideò dicitur immaculata: tertia ab opere auctoris, ideò dicitur convertens animas, quia justificatio est solius Dei, quæ fit in Evangelica, non in Mosayca lege: quarta à promissione, ondè dicit testimonium, quinta à promissionis impletione, unde dicit, (*fidele*;) sexta à gratiæ collatione, undè dicit, *sapientiam præstans parvulis. in Psalm. 8. & serm. 17. Hexaem.*

23. *Lex Evangelica est testimonium fidele Domini.*

Testimonium fidele Domini. Cur Evangelica lex dicitur testimonium Domini fidele? quia per ipsam illuminamur tamquam à testimonio fideli de credibilibus, & de ejus observantiæ facilitate, quia observantibus eam præstat sapientiam. *Psalm. 118. c. 1. v. 2. &* 14. Item dicitur testimonium Domini fidele, quia hæc lex est irreprehensibilis convertens animas, non enim continet aliquid iniquum, vel onerosum, vel impossibile. *Psalm. 118. c. 4. v. 3. & serm. 1. de decem præceptis.*

24. *Parvulis tantùm communicatur intelligentia sacræ scripturæ, & mysteriorum fides.*

Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Cur parvulis? ergone viris grandibus non communicatur sapientia legis divinæ? minimè: tantùm parvulis: parvuli autem sunt humiles, undè sicut oculus carnis impeditur, si fuerit valdè inflatus nimio tumore, sic spiritualis tumidus per superbiam ad omnia bona fit cæcus: ergo tantùm humilibus communicatur hæc notitia; item parvuli sunt obedientes, ad amandum habiles, ad indulgendum faciles, sic obedientibus, amantibus, indulgentibus dantur, & communicantur mysteria fidei. *serm. 1. de S. Antonio Patav.*

25. *Præcepta Domini sunt lucida illuminantia oculos animæ.*

Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Vide effectus præceptorum Dei, quæ habent virtutem illuminandi oculos mentis, & intuitum animæ ad Deum videndum per fidem habilitant, & informant. *op. Eccles. Hier. p. 1. c. 1. & op. de invisibilit. Dei, & op. de dono consilij c. 4.*

26. *Timor Dei perfectus erit in gloria consummatus.*

Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi &c. Ergone timor Dei permanebit in gloria? nonne perfecta charitas excludit timorem? sed attende, quod alius est timor naturalis; alius libidinosus, alius gratuitus, & hic vel est pœnæ, vel est offensæ, vel est reverentiæ: in Paradiso cessabunt omnes timores gratuiti præter ultimum, quia non solùm non expellitur à perfecta charitate, sed consummatur, & perficitur; consistit autem talis timor reverentialis in resilientia à consideratione divinæ majestatis in propriam parvitatem, & ideò permanebit in sæculum sæculi. *l. 3. d. 15. dub. 5. & l. 3. d. 34 p. 1. art. 2. qu. 3. & op. Comp. Theol. l. 5. c. 39.*

27. *Timor filialis Dei quàm sanctus, Deoque charus.*

Timor Domini sanctus permanens &c. Cur sanctus? quia est proprius filiorum amantium, ut filij Patrem; nempè sicut filius verè amans patrem super omnia timet offensam Patris etiam si Pater non intenderet eum percutere, sic iste timor cavet offensam Patris cœlestis, etiamsi ex offensa illa, nihil mali deberet accidere, & dicitur timor sanctus, & castus, quia nihil nisi rectum, & honestum facit, & de omni malo verecundatur: ô quam resplendet, & decorat talis timor verecundus in adolescentibus. *op. Diat. tit. 6. c. 1.*

28. *Iudicia Dei vera, & dulcia sunt.*

Iudicia Domini vera justificata in semetipsa, desiderabilia super mel, & favum. Quænam sunt ista judicia Dei? judicia ista sunt actus suæ justitiæ, quibus cum suis amicis agit; sunt enim vera, & dulcia, quia sunt cum misericordia admixta, & veritatem luminis cœlestis in mentem inducentia. *Psalm. 118. c. 8 v. 8. & c. 10. v. 16. & sap. c. 12. & op. de prof. Religios. l. 2. c. 28.*

29. *Præcepta Dei justo sunt suavia, impio difficilia.*

Iudicia Dei desiderabilia super aurum &c. & dulciora super mel, & favum &c. Quomodò judicia, seu præcepta Dei possunt dici suavia delectabilia, & desiderabilia quorum observantia tantam violentiam, & laborem secum afferant? sed nota, quod sicut palato infecto cibus dulcis videtur amarus, sic & impio observantia præceptorum videtur amara, aspera, & onerosa, non sic timenti, & amanti Deum, cui gaudium est, & dulce, imo nihil dulciùs, quàm timor Domini, quàm ejus præcepta observare, sicut avi habenti plumas suave, & facile est volare. *serm. 1. in op. de decem præceptis.* Sed quomodo dicuntur desiderabilia super aurum, & lapides pretiosos? cum ista verè sint pretiosa? optimè loquitur, quia aurum, lapides pretiosi desiderantur, quia videntur pretiosa, sed verè talia non sunt, cum sint vana, & caduca, sed lex divina est simpliciter vera, quia ab ipsa veritate æterna tradita, & ad vitam perpetuam inductiva. *serm. de sancta Lucia.*

30. *Scientia legis divinæ theſaurus eſt omnium bonorum: cæteræ ſcientiæ ſunt vanæ.*

Lex Domini immaculata &c. Iudicia Dei vera deſiderabilia &c. Nota, quòd in his verbis Propheta intendit ſuadere hominibus ſcientiæ legis divinæ acquiſitionem; & docet quòd talis notitia eſt ſcientia deſiderabilior, utilior, & fructuoſior quacumque alia, & quacumque acquiſitione auri, argenti, & lapidum pretioſorum; ſed undè oritur hoc diſcrimen tam grande? Reſpondetur, ex hoc, quod ſcientia Philoſophiæ docet cognoſcere creaturas, non Creatorem, ut hæc legis divinæ: Logica docet concludere homines, non tamen contrà Diabolum, ſcientia moralis docet acquirere virtutes conſuetudinales, ſed non charitatem: ſed notitia legis divinæ docet Deum cognoſcere, Diabolo reſiſtere, & charitatis exercitijs inſudare: hæc inſuper eſt divinorum pigmentorum apotheca, delectabilis ſuper mel, & favum. Hæc eſt theſaurus deſiderabilis ſuper aurum, & lapidem pretioſum, eſt fons voluptatis egrediens, Eccleſiæ militantis irrigans Paradiſum. *op. comp. Theol. in præfat.*

31. *Veri ſervi Dei perfectè cuſtodiunt mandata Dei, eaque inveniunt dulcia, & utilia.*

Etenim ſervus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa. Nota hunc ordinem textus, quia mandata Dei ſunt dulcia, & deſiderabilia, & quia talia invenit ſervus Dei, ideò ea perfectè cuſtodit, & hinc retributio multa ei advenit. *Pſalm. 17. & 118. c. 3. v. 6. & comp. Theol. l. 5. c. 9. & in Luc. c. 3. v. 12.*

32. *Peccatorum varietatis, & circumſtantiarum notitiam nemo, vel pauciſſimi habent; unde ſemper eſt timendum.*

Delicta quis intelligit? Quaſi dicat nemo, & ideò ſæpè dicendum eſt Deo ab occultis meis munda me: quaſi dicat anguſta eſt domus animæ meæ dilatetur abs te, ruinoſa eſt refice eam, habet quæ offendunt oculos tuos, ſed tibi clamabo, ab occultis meis munda me. *in Ioan. collat. 77. op. de decem præcept. ſerm. 4. in fine. & op. ani. c. 3. in fine in Pſalm. 18. & 2. & 31.*

33. *Nulla peſtis deterior, quàm familiaris inimicus.*

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. Quæ ſunt iſta peccata provenientia ab occultis, & ab alienis? Nota ab occultis, id eſt ab amicis fictis familiariter mecum converſantibus, quia nulla peſtis eſt deterior, quam familiaris inimicus: ſuntque caro, quæ intra nos eſt, & concupiſcentia, & Diabolus, ſunt & illicita cogitatio, doloſa intentio & impudica affectio; verè periculoſiores, quia occultiores. *Pſalm. 5. & 50. & 72. & 118. v. 44.*

34. *Ab occultis inimicis majus periculum imminet Eccleſiæ, & congregationibus.*

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. Nota quòd hæc verba etiam dicuntur in perſonâ Eccleſiæ in qua boni permixti ſunt cum malis occultis, & ideò petit mundari ab iſtis inimicis occultis, quia ex eorum ſocietate majus periculum imminet bonis in congregationibus, quia nulla peſtis major, quàm familiaris inimicus, & fictus. *in Luc. c. 5. v. 17.*

35. *Quænam ſint peccata occulta, & quænam aliena.*

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. Quænam ſunt peccata occulta iſta, & quænam aliena de quibus petit Propheta veniam? Nota, quòd peccatum vel eſt in homine, vel ab homine, vel eſt hominis; quod eſt in homine dicitur occultum, quia eſt vel oblitum, vel proveniens ex interiori concupiſcentia; quod dicitur peccatum hominis eſt ex ignorantia, proprium enim hominis eſt peccare ex ignorantia ſcilicet boni, & Diaboli proprium eſt peccare ex induſtria, & ideò dicit ab occultis meis, ſcilicet ex me procedentibus tanquam ex radice; quod eſt ab homine, vel ab extraneo dicitur alienum, ſcilicet ab hominis, vel Diaboli ſuggeſtione; & de iſtis petit liberari vir juſtus. *Pſalm. 31. & 50.*

36. *Dominium Diaboli quantum differat à Dominio Dei.*

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Id eſt ſi ſuper me Dominium non exercuerint, immaculatus ero &c. ſed qui ſunt iſti, à quibus petis non dominari? Nota, quod loquebatur de ſuis inimicis; ſcilicet de Dæmonibus, & peccatis, vitijſque à quorum Dominio tam abhorrebat: & cur hoc? quia ſervitium Dei, & ſervitium Diaboli ſunt omnino oppoſita: ſervitium Dei eſt in exercitio virtutum, ſervitium Diaboli in exercitio vitiorum. Diabolus ſuos ſuperbos obcæcatos vult, eoſque opprimit flagellis; tentationibus, peccatis, & miſerijs: Christus è contra ſuos humiles, & liberos relinquit, facitque felices, iſtique emundantur à delicto maximo, ſcilicet ſuperbiæ. *in Luc. c. 16. v. 13. & c. 19. v. 31. & 33. & ſerm. 2. Dom. Quinquageſimæ.*

37. *Qui vult cum fructu pſallere in choro, vel meditari in oratione ſtet fixus in Ieſu Chriſti præſentia cum modeſtia, & devotione.*

Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Cuinam complacere vis eloquia oris tui? & quænam ſunt iſta eloquia? Nota quòd hic innuitur exercitium pſallendi in choro, & incumbendi meditationi, datque intelligere, quòd tunc Deo placebunt iſta exercitia, ſi fiant in conſpectu Domini Jeſu, cavendo ab omni irreverentia, immodeſtia, joco, vel riſu tunc enim jucundatio, & delectatio maxima proveniet in corde pſallentis, & meditantis; felix

felix igitur, qui ad palatium meditationis introducitur à Deo non à diabolo. *Op. Regula novitiorum c.1. & op. de septem, itiner. aeternit. in prol. d.2.*

38. *Qui vult cum fructu meditari, & orare sit solitarius.*

Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper &c. Nota, quòd dicit, (*in conspectu tuo,*) scilicet Dei non hominum, non in platea, sed solùm in conspectu Dei, quia oratio devotionis, contritionis, compunctionis actus debent esse solitarii, non publici. *Op. Diat. tit.2. c.2.* Et in confirmationem hujus veritatis, nota, quòd dicit meditatio cordis mei, scilicet mei suspensiva super omnia creata quia debet figere radices in Cœlo: mei succensiva, & defensiva ab omni peccato, & periculo. *Psalm.118. c.2. v.8. & in Sap. c.4.*

39. *Sanctissimæ Trinitatis invocatio innuitur in ultimis verbis Psalmi.*

Domine adjutor meus, & Redemptor. Nota hic invocari Sanctissimam Trinitatem. Dominus est, Dominus per potentiam ecce Pater: Redemptor per humanitatem, ecce Filius: Adjutor meus per gratiam, ecce Spiritus sanctus. *In Psalm.18.*

40. *Maria laudanda est ab omnibus creaturis, & præcipuè à justis, & fidelibus.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Jam dictum est hic Apostolos significari, & justos, qui gloriam Dei enarrant; sed quomodò enarrant gloriam Dei? Nota, quòd non solùm operum Dei, & Redemptoris prædicatione laudatur Deus, sed & maximè Beatissimæ Virginis mirabilium, quia totum ad gloriam, & laudem Dei pertinet, quidquid dignè genitrici suæ impensum fuerit. *Op. spec. B. Virg. in prolog.* Dicamus ergo Beatæ Mariæ: Cœli enarrant gloriam tuam, & unguentorum tuorum fragrantia in gentibus est dispersa. *Op. Psalt. B Virg. Psalm.18.*

41. *Ab Angelis, & sanctis Maria laudibus sublimissimis est honorata.*

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Si Cœli enarrant gloriam Dei, ergo & gloriam Mariæ; Ergo quidquid humanis verbis dici potest minùs à laude Cœli est, quoniam divinis, & Angelicis excellentiùs prædicata, & laudata Maria præconiis, à Prophetis quidem prænunciata, à Patriarchis figuris, & ænigmatibus præsignata; ab Evangelistis exhibita, & monstrata; ab Angelis venerabiliter, & officiosissimè salutata. *Op. spec. B.Virg. in prolog.*

42. *Ecclesia & omnes fideles invitantur ad laudandam Mariam quocumque die, & hora.*

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Nomine Cœli veniunt justi, & fideles, & nomine firmamenti Ecclesia: ergo Ecclesia, & omnes fideles invitantur ad laudandum Deum in Beata Virgine; & hoc est, quòd Spiritu sancto edocta officium de Beatæ Virginis laudibus quotidiè proponit speciale recitandum, ut quacunque die, & hora ab omnibus fidelibus honoretur, & laudetur; intendens speciali modò inflammare in nobis devotionem ejus; quasi dicat, respirate ad illam perditi peccatores, & perducet vos ad indulgentiæ portum; glorificate eam justi ante thronum Dei, quia fructu ventris ejus justitiam eritis operati, in hymnis, & psalmis, & canticis pulsate viscera ejus, & stillabit in vos gratiam dulcedinis suæ, laudent eam Cœli Cœlorum, & nomen ejus glorificet omnis terra. *l.3. d 3. p.1 art.1 qu.1 ad 4. & op. Psalt. B. Virg. Psalm.18.*

43. *Maria est veluti sol admirabilis, in quo posuit Deus tabernaculum suum.*

In sole posuit tabernaculum suum &c. Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo In sole? in quo sole? non in hoc materiali, sed in Maria posuit Deus tabernaculum suum, & sedem suam, est enim pulchra, ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata; est sol, scilicet vas luminis susceptivum, vas admirabile, opus excelsi Dei de Cœlo. *Serm.13. Hexaem. & op. Comp. Theol. l.4. c.5.*

44. *Vterus Beatæ Virginis fuit tabernaculum, thalamus, & templum Dei.*

In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Si Deus posuit in sole tabernaculum suum, quomodò dicitur exiisse de thalamo? Nota, quòd in Beata Virgine, ut in sole posuit tabernaculum suum, idest in ejus utero ut tabernaculo, & thalamo sedem suam collocavit, & in Nativitate exiit de hoc thalamo suo: uterus enim ejus fuit tabernaculum, imò Paradisus, in quo requievit Deus post tumultus Angelorum, & hominum, ibi resedit ut in templo suo. *Op. spec. B. Virg. lect. 11. & 14. in Luc. c.1. v.28. & serm.2. Dom.3. Adventus, & serm.3. in Vigil. Nativitatis.*

45. *Beata Virgo vas admirabile super omnes creaturas.*

In sole posuit tabernaculum suum &c. Nota, quòd de sole dicitur vas admirabile, opus Excelsi, gloria Domini plenum est opus ejus. *Eccli. c.41. & 43.* quia Maria fuit tale opus, nec simile unquam factum fuit, in quo tanta divinæ gloriæ materia reluceat, quanta in Maria: gloriam enim de restauratione facta in Cælo, gloriam de redemptione facta in mundo; gloriam de liberatione facta in inferno habet Dominus per Mariam, habet per plenitudinem Mariæ. *Op. spec. B.Virg. lect.7.*

46. *Mariæ Virginitas perpetua nos docet timorem Domini.*

Timor Domini permanet in sæculum sæculi &c. Nota hic, quòd dicitur, timor permanens in sæcu-

 lum

lum fæculi; eftque timor caftus, qui ad fimilitudinem Virginitatis Mariæ Virginis ante partum, & poft partum; dicitur caftus, quia confervatur à jufto ante partum fuorum operum, & poft partum femper manet incorruptus; & ficut Mater Dei eft Virgo, & decor Virginum, fic timor ifte caftus decorus eft, & virgo virtutum animæ. *Op. Diæt. fal tit. 6. c. 1. in fine.*

PSALMUS XIX.

1. PRIMÒ. Nota, quod Titulus hujus Pfalmi eft: In finem Pfalmus David, & ideò ordinatur in Chriftum, ut in Sacerdotem, & Regem, fcilicet in Paffione, & Refurrectione, ut in Paffione ipfi compatiamur, & in Refurrectione congaudeamus.

2. *Oratio fufa in tribulatione facilè exauditur.*

Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Cur in die tribulationis, & non potius omni tempore? quia fciebat orationem factam in tempore tribulationis facilè exaudiri à Deo; & nota, quòd dicitur, in die tribulationis; cur non potius in nocte? quia tribulatio eft dies illuminans animam: ita Ugo Card.

3. *Auxilium a Chrifto petendum eft; ficut petit Ecclefia pro quolibet tribulato*; dicens *mittat tibi auxilium de fancto*, fcilicet de Chrifto, qui fanctus indefinitè dicitur, & fons eft fanctitatis, auxilium de fancto, ideft de fanctorum invocatione, quæ trahit auxilium Dei fuper nos. Ita Ugo S. Bon. in Lucam. *c. 1. v. 35. & l. 4. d. 45. art. 1. qu.* . *& 2. & op. myft. Theol c. 1. p. 1.* Nota etiam, quod id poteft applicari S. Antonio Paravino qui antonomafticè dicitur indefinitè Sanctus, quia in ipfo relucet fapientia, & fanctitas omnium Sanctorum, & Angelorum. *Ser. 1. & 2. de S. Antonio.*

Nota pro laudibus divi Antonii Patavini.

4. *Sacrificium multiplex Deo offerendum.*

Memor fit omnis facrificii tui, & holocauftum tuum pingue fiat. Quodnam eft hoc facrificium, cujus memorem effe Deum petit? Nota, quòd facrificium Deo offerendum eft multiplex, dicit enim omnis facrificii, nempè facrificium proprii corporis Deo oblati in hoftiam; facrificium item fpiritus contribulati: item facrificium operis boni; item facrificium corporis, & fanguinis Chrifti, ad quæ omnia refpicit Deus, & Deo à nobis funt offerenda. *Pfalm. 19.*

5. *Deus vult à fuis facrificium completum, & holocauftum pingue.*

Memor fit Dominus omnis facrificii tui, & holocauftum tuum pingue fiat. Cur primò ponit facrificium, poftea holocauftum? & quomodò pingue poteft fieri? Nota quòd in facrificio folùm una pars cremabatur, in holocaufto totum; fignificaturque per facrificium oblatio imperfectorum, qui unam partem tantum Deo offerunt, & aliam partem fibi refervant; holocauftum vérò oblationem perfectorum, vult ergo, ut noftrum facrificium tranfmutetur in holocauftum, & hoc ut pingue fit, fcilicet impinguatum charitate, & devotione, ficque Deus erit ipfius memor, & ipfi acceptum. *Pfalm. 19. & op. de fex alis feraph. c. 8. & Pfalm. 65.*

6. *Ecclefia orat pro falute hominum, ut fe conformet Chrifti defideriis, & votis.*

Tribuat tibi fecundùm cor tuum, & omne confilium tuum confirmet &c. Nota hæc funt verba Ecclefiæ orantis, ut adimpleatur defiderium cordis, & omne confilium Chrifti; fed vide, hic enim eft terminus, & meta votorum Chrifti: nempè falus hominum. *S. Bon. Luc. c. 8. v. 34. in Ioan. c. 4. v. 35. & Vgo Card. hic.*

7. *In nominis* JESU *virtute confequimur veniam, gratiam, victoriam, & gloriam.*

Lætabimur in falutari tuo. Ideft in Jesu; *& in nomine Domini noftri magnificabimur.* Nota, quòd hic exprimit fructus adventus Chrifti Jesu in mundum, & virtutem ejus fanctiffimi nominis Jesu: dicit igitur, (*lætabimur?*) cur, & in quo lætabimur? quia Jesus factus eft noftra falus, & in virtute ejus nominis magnificabimur; fcilicet ad obtinendam veniam peccatorum, gratiam juftificationis, victoriam contra inimicos, & gloriam in Cœlo; qui ergo hos effectus vult obtinere invocet devotè, & recurrat ad hoc nomen, quod eft fuper omne nomen. *Serm. 4. in Circumcifione.*

8. David hic prædicit adventum Chrifti, ejus Paffionem, & Refurrectionem, docet ipfum pofitum effe advocatum noftrum in Ecclefia dicens. *Nunc cognovi quoniam falvum faciet Chriftum fuum*, exaudientem illum, fcilicet orantem pro nobis de Cœlo &c. *Pfalm. 118. c. 10. verf. 8. & c. 1. v.* [illegible]

9. *Superbia curruum, & equorum à Chrifto condemnata.*

Hi in curribus, & in equis; nos autem in nomine Dei noftri invocabimus. Hi: quinam? fcilicet, qui delectantur in multitudine equorum, & curruum: ifti abjiciuntur à Dei fervitio, qui deteftatur tales fuperbos; ideò voluit fuper contemptibilem pullum afcendere in die honoris fui. *In Luc. c. 19. v. 16.*

10. *Currus avarorum qualis, & quæ ejus rotæ.*

Hi in curribus, & in equis &c. Hi fcilicet avari: Avaritia enim eft currus diaboli, ejus quatuor rotæ funt, inhumanitas, pufillanimitas, contemptus Dei, oblivio mortis; Duo funt equi, fcilicet tenacitas, & rapacitas: Auriga eft amor habendi; in hoc curru dæmones trahunt in triumphum hominem ad infernum. *Pfalm. 19.* O quot in infernum præcipites ducuntur in abyffum à diabolo.

11. Currus

11. *Currus Dei, & Diaboli quinam sint, quibus quilibet ducit suos.*

Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimus. Nota, quòd hic clarè exprimit currus Diaboli quibus trahit suos ad Infernum; & tacitè currus Dei dicens, *nos autem in nomine Dei &c.* Currus Dei est Evangelium, vel sunt virtutes cardinales, hisque trahit Christus suos ad Cœlum; Currus Diaboli est aggregatio vitiorum, vel sæcularium bonorum, quibus Diabolus ducit suos in triumphum, & ad Infernum. *Psalm.67.*

12. *Quilibet fidelis potest in curribus, ad Cœlum ascendere.*

Nos autem in nomine Dei nostri magnificabimus; idest ascendemus non in curribus, & equis Diaboli, sed Christi, scilicet sanctæ vitæ: & nota, quòd in quocumque statu tam conjugali, quàm viduali, virginali, vel religionis possumus ascendere in Cœlum, sicut superbi descendunt in Infernum. *serm.2.Dom 16.post Pentecost.*

13. *Hic Psalmus dirigitur ad Mariam Virginem pro tempore tribulationis, & præcipuè in tempore mortis.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Exaudiat nos Domina nostra Virgo Maria in die tribulationis, & precibus nostris converte clementeio faciem tuam: ne projicias nos in tempore mortis nostræ, sed succurre animæ, cum deseruerit corpus suum, mitte auxilium de sancto tuo habitaculo, scilicet, Angelum in occursum ejus, per quem ab hostibus defendatur: ostende ei serenissimum Judicem sæculorum, qui ob tui gratiam ei veniam largiatur, sentiat in pœnis refrigerium tuum, & concede ei locum inter electos Dei. *op.Psalt. B.Virg.Psalm. 9.*

14. *In potestate Mariæ est missio Angelorum ad nostrum auxilium.*

Mittat tibi auxilium de sancto, & de sion tueatur te. Nota hæc verba dirigi ab Ecclesia orante pro eo, qui positus est in tribulatione, in qua oratione rogat, ut à Christo proveniat auxilium, & solamen, tuitioque, sed nota, quòd etiam loquitur de Virgine, quæ ab Ecclesia oratur, & rogatur, ut mittat auxilium de sancto, scilicet de Christo, & de cœlesti habitatione; sed quodnam auxilium speciale est, quod hic intenditur? auxilium, scilicet missio Angelorum ad nos, nam Michaël, & omnes Angeli parent præceptis Mariæ, & missi ab ipsa è Cœlo volant ad defensionem nostram, & ad suscipiendas animas devotorum Beatæ Virginis. *opusc. specul. Beatæ Virgin. lect. tertia, & Hymn. Te matrem Dei laudamus. & opusc. Psalt. Beatæ Virginis Psalm.14.*

PSALMUS XX.

1. Primo: Nota, quòd idem titulus est hujus Psalmi, ac superior. In finem Psalmus David, ordinatur enim in Christum secundùm utramque naturam divinam, & humanam, ut ei credamus, & serviamus toto corde.

2. *Christus est medicus Patris ad nobis medendum destinatus.*

Domine in virtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Nota hæc sunt verba Prophetæ, seu Ecclesiæ ad Patrem, loquentis de Christo, & appellantis eum Regem, quia verè est Rex Cœli, & terræ. Sed sequentia verba ingerunt difficultatem; *Et super salutare tuum exultabit vehementer*, quasi dicat, super sanitatem, vel medicamentum exultabit: ergone Christus destinatus est ad medendum, & sanandum Patrem? minimè: sed dicitur medicus ad nostras infirmitates curandas destinatus, de quo exultat vehementer. *in Psalm 20 & l.3.d.1. art.2. qu.4.comp.*

3. *Christi oratio procedens à rationis voluntate semper exaudita fuit.*

Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Hæc verba videntur ostendere, quòd semper Christus exauditus fuerit; & tamen patet oppositum; perijt enim in horto, ut transiret calix ab eo, & non transijt? sed attende, quòd oratio, quæ procedebat à voluntate rationis, quæ omnimodè conformis erat divinæ voluntati, semper fuit exaudita, & de hac loquuntur verba supradicta; oratio verò procedens à voluntate pietatis, vel carnis non semper fuit exaudita, sed facta est ad nostram eruditionem, ut conformaremur Deo &c. *l. 3. d.17. art.2.qu.2.*

4. *Desiderium cordis Christi erat ordinatum ad salutem nostram.*

Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Quodnam desiderium erat hoc cordis Christi, & ubi tendebat? tendebat ad opus Incarnationis, & redemptionis humanæ, & ad salutem animarum, huc aspirationes, desideria, orationes, clamores, lachrymæ, & opera omnia Christi tendebant. *in Ioan.c.4. v.32. & serm.1.Dom.4.quadrag.& serm.3.& 4.in Vigilia Nativitatis.*

5. *Angelus noster Custos videns suum custoditum errare, & toto corde Deo servire, gratias agit, & maximè lætatur.*

Domine in voluntate tua lætabitur Rex &c. desiderium cordis ejus tribuisti &c. Ita dicit Ecclesia pro filijs suis, ita & Angelus noster Custos collætatur, & condelectatur, quando videt homi-

nem

nem sibi commissum Deo servire, Deum orare toto corde virtutes sectari: tunc Angeli dicunt gratias tibi ago Domine majestatis, quia desiderium cordis tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum: ô qualis charitas in nos, & quanta Angelorum, ipsi enim etiam nos seduli, tanquam pedissequi non cessant sollicitare nos ad bonum. *op. meditat. vita Christi. c. 37.*

6. *In Eucharistia obtinemus quidquid desiderare possumus.*

Salutare tuum exaltabit vehementer, desiderium cordis ejus tribuisti ei &c. Nota quòd ad receptionem salutaris, scilicet Jesu consequitur exaltatio, & simul adimpletio omnium votorum cordis; nam qui Eucharistiam devotè suscipit, pro voto omnia ei succedunt; sicut enim Manna conferebat omnem suavitatem desideratam, sic & recipientes sacramentum Eucharistiæ cum devotione,& desiderio cordis, & ad mensuram talium desideriorum admittuntur ad impletionem à Christo. *In sap. c. 16.*

7. *Anima ad Deum desiderio ardenti cordis recurrens non fraudabitur in votis suis.*

Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. O quam hoc est verum! sic enim Christus tractat animam dilectam, quam aliquando videtur deserere, sed ipsa desiderans stare cum Jesu, ad ipsum recurrit oratione, lachrymis,& desiderijs cordis,& sic non permittit, ut fraudetur in votis suis. *op. meditat. vita Christi c. 35.*

8. *Christus immunis fuit à peccato præventus sanctitate.*

Domine prævenisti eum in benedictionibus, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Nota illam propositionem (*præ: prævenisti &c.*) quæ notat comparationem ad tempus Nativitatis, & conceptionis Christi, quem Pater fecit immunem à peccatis ante ipsam, & coronavit plenitudine gratiarum. *Psal. 28. & l. 3. d. 13. art. 1. qu. 3.*

9. *In Cœlo coronantur Martyres coronâ ex lapidibus pretiosis contexta.*

Domine prævenisti eum in benedictionibus posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso &c. Cuinam competit hæc corona, cum hic non exprimatur? Competit omnibus beatis in Cœlo, qui præventi fuerunt benedictionibus, & gratijs cœlestibus in hac vita; sed hoc præcipuè competit martyribus, quorum aureola dicitur contexta ex lapidibus pretiosis, quia fuerunt stabiles, & perseverantes pro fide, & Christo velut lapides. *op. Diat sal. tit. 4. c. 4. & tit. 8. c. 2. & tit. 10. c. 1. & appendix Diata pro uno sancto Martyre.*

10. *Qui toto corde fideliter Deo servit in hac vita inter milites Christi promovetur, & inter Reges in Cœlo coronatur.*

Prævenisti eum in benedictionibus, posuisti in capite eius coronam &c. Quid est prævenisti? prævenisti cum gratia, & vocatione, promovendo justum in hac vita inter tuos milites, & quia in exercitio virtutum fideliter laboravit, hinc inter Reges in Cœlo coronatur à Deo corona in hac vita pretiosè fabricata. *op. appendix Diata pro uno Martyre.*

11. *Qui in hac vita fit lapis fortis per patientiam ad ictus tribulationum, in Cœlo lapide pretioso coronatur.*

Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Cur dicitur sanctus coronatus in gloria lapide pretioso? quia in hac vita tamquam lapis sustinuit patienter ictus, & percussiones tribulationum, quia igne non exustus, nec ferro raptus, nec aliquibus inventionibus superatus, nec ipsa morte victus, sed ad tot ictus magis pulcher, & pretiosus semper evasit, ideò in Cœlo accipit coronam lapideam, & pretiosam. *serm. 2. de una Virgine.*

12. *Qui vult vitam petat à Deo panem ad se sustentandum.*

Vitam petijt à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum. Vide quòd solùm legitur data vita, ejusque longitudo petenti: Vult ergo Deus, ut ab ipso petamus vitam, si volumus vivere, sed quomodò vita petenda est? petenda est requirendo, & petendo à Deo panem, quo sustentamur, quia solùm petentibus hunc panem, scilicet gratiam,& gloriam, Deus ipsum concedit. *serm. .. in rogat.* Nota ergo, quòd si vis vitam in longitudinem dierum in sæculum sæculi, debes petere à Deo panem non solum quotidianum pro hac vita corporali, sed panem Eucharisticum pro refectione animæ in via, item panem amoris divini, & panem scilicet visionem Dei pro æterna refectione in Cœlo. *op. myst. Theol. c. 1 p. 1 & op. in Pater noster.*

13. *Gloria quæ non est à Christo Iesu, vana, & temporalis.*

Magna est gloria ejus in salutari tuo Nota hanc particulam (*in salutari tuo,*) idest in Iesu, qui est salus nostra, ut videas, quòd gloria, quæ non innititur in Jesu non est magna, sed pauca, caduca, miserabilis,& temporalis,& misera quid igitur gloriaris in malitia, & mala gloria. *serm. 1. de uno Martyre.*

14. *Qui vult ad gloriam regni cœlestis pertingere, debet gloriam in Christo in hac vita quærere.*

Magna est gloria eius in salutari tuo, glo i am, & magnum decorem impones super eum. Nota; verba: signa mysteria: dicit ergo Propheta loquens de justo, quòd iste habet de præsenti gloriam magnam: & quòd Deus ipsi dabit in futuro gloriam; si jam babet, quomodò eam in futuro percipiet? sed attende, quòd duplex est gloria in salutari nostro, scilicet in Christo: altera in præsenti vita, altera in futura,& qui illam non habet, nec istam obtinebit: gloria autem præsentis vitæ est in acquisitione meritorum per Christū,& consistit

consistit in quatuor, scilicet in conscientiæ puritate, quæ est verè magna gloria: secundò in recta animi voluntate, si enim cor, & voluntas est recta, recta & erunt cætera membra, & potentiæ: tertiò in mentis, & corporis integritate, quæ reddit pulchrum justum: quartò in cognoscendo propriam vilitatem; & quia hæc gloria præparat animam ad dignè recipiendam aliam in Cœlo, quæ est plenissima possessio bonorum in Deo, hinc subdit Propheta, *gloriam, & magnum decorem &c. serm.1. de uno sancto Martyre; & in sap. c.19. in fine.*

15. ***Qui in hac vita tristitiam, & planctum amplectitur, in altera vita lætitiam sempiternam obtinebit.***

Quoniam dabis eum in benedictionem, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Nota illam particulam. (*cum vultu tuo*:) nempè qui tristitiam in hac vita habet de amissione Christi; qui in hac vita tristitiam, & planctum amplexabitur, in altera cum vultu, & visione Dei in æternum delectabitur. *Serm.1. Dom.5. post oct. Pascha, & serm. Dom. 8. post Pentecost.*

16. ***Quilibet fidelis Rex in conspectu Dei, est, si se regens perfectè sperat in Domino: ipseque à gratia, & gloria non commovebitur.***

Rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi non commovebitur. Nota, quod illa præpositio, (*cum*; vel (*cum*) importat hic totalitatem, & pluralitatem partium; vult dicere quòd vir justus, qui se rectè regit, est verè Rex coram Deo, quia per spem confidit in Domino, ut ipsum regat in præsenti, & salvet in futuro, ideò non commovebitur in præsenti, nec in futuro, nec quoad corpus, nec quoad animam, quoad gratiam, & gloriam. *Psalm.20. & Ugo hic.*

17. ***Boni inveniuntur à Deo, ut remunerentur, mali, ut perdantur.***

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat eos, qui te oderunt. Nota hæc verba, in quibus agit de pœnis inimicorum Christi; dat enim intelligere, quod manus Dei invenit bonos, & malos, sed bonos ad remunerandum, malos ad puniendum; sed attende, quòd dicit, (*dextera tua*;) cur dextera, & non sinistra nota, quòd Deus coram peccatore se exhibens dextera sua respicit sinistram peccatoris, sicque ad sinistram ipsum impellet per damnationem, vel in dextera sua Deus quæret quid in manibus sit peccatorum, & nihil inveniens ipse eos condemnabit, inveniensque malam retributionem, & eos altera dextera inveniet ad damnandum, non ad coronandum. *Serm.7. in rogat. & serm.1. Dom.3. post Pentecost.*

18. ***Damnati in inferno erunt sicut clibanus plenus igne.***

Pones eos ut clibanum ignis. Nota, quod hic loquitur de damnandis, & dicit, quòd Deus ponet eos in inferno, ut clibanus: sed cur, ut clibanus, & non potiùs in clibano? nonne infernus est clibanus plenus igne? Respondetur, quòd ponet damnatos Deus in inferni clibano pleno igne, sed ibi damnati erunt ut clibanus in clibano, nempè sicut in clibano pleno igne ubicumque scissura, vel foramen fuerit, flamma erumpit: sic in damnatis absorptis in igne, erumpit ignis per os, per oculos, per nares, quibus nunc peccant in mundo: ò infelix peccator. *Serm. 1. Dom.3 post Pentecost. & in Psalm.53. & in Luc. c.16. v.14.* Et hinc additur. Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis in corpore, & anima. *Psalm.20.*

19. ***Mala conscientia peccatoris clibanus ignis inferni.***

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. Nota quòd hanc pœnam etiam comminatur Deus in hac vita, nam clibanus aliquando stat pro conscientia mala, in qua est ignis ardens, & peccator tali igne cruciatur continuè, & magis cruciabitur in die judicii. *Psalm.53.*

20. ***Fructum peccatorum quomodò Deus perdet in inferno, & qualem fructum diffidentium de Dei misericordia.***

Fructum eorum perdes de terra, & semen eorum à filiis hominum &c. Nota, quod Deus multipliciter perdet peccatores ob diffidentiam quam de Dei misericordia habuerunt; isti enim cogitant in Deo mala, quia diffidentes de Dei misericordia, credunt se non posse apud eum invenire misericordiam, quorum fructum laboris, & operationum Deus perdit: dicitur etiam eorum semen perdit à filiis hominum, quia tale peccatum non est inventum ab homine, sed à diabolo ipsum seminante inter homines; nemo ergo desperet de Dei misericordia, si vult invenire misericordiam. *Serm.1. Dom.19. post Pentecost.*

21. ***In reliquiis suis, scilicet in sumptione Eucharistiæ, & bonis operibus, Christus præparat vultum bonorum ad gloriam, malorum ad pœnam.***

In reliquiis tuis præparabis vultum eorum &c. Quid est hæc præparatio in reliquiis Dei? Nota hæc præparatio reliquiarum Christi bonis est in bonum, nempè est susceptio Christi in Eucharistia, aliaque opera bona, hæc præparatio bonis est in bonum: malis verò hæc auxilia, aliaque bona eis ablata est in malum. *In Luc. c.14. v.13. & Psalm. 20.*

22. ***Boni respondent Dei altitudini, & fortitudini mentis hilaritate, & bona operatione.***

Exaltare Domine in virtute tua: Idest quia Dominus es potens in altitudine, & fortitudine, cantabimus mentis hilaritate, & psallemus bona operatione. *Psalm.20.*

23. *Non ſolum in Ieſu, ſed & in Maria Virgine lætificatur cor noſtrum.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Domine in virtute tua lætabitur Rex, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer. Hoc dicit Eccleſia de virtute Dei, & ſanctiſſimi nominis Jeſu lætificante juſtos: hoc & dicere poteſt de Beata Virgine Maria, cujus virtus valdè lætificat homines, & virtus ejus nominis affert dulcedinem maximam cordis. *ep. Pſalt. B. Virg. Pſalm.* 50.

24. *Quia Beata Virgo ſalutare, ſcilicet Ieſum nobis attulit, ideò ſalus per Mariam nobis venit.*

Et ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer. Quodnam eſt hoc ſalutare? hic eſt Jeſus ex Virgine natus, & quem Beata Virgo nobis peperit, ideò dicitur ſalutare Mariæ, ſcilicet ſalus nobis per Mariam advenit, per quod exultationem, & lucem, & dulcedinem nobis immittit. *ep. Pſalt. B. Virg. Pſalm.* 10.

25. *Deſideria cordis, & orationes Virginis Mariæ efficaciſſima ſunt apud Deum pro nobis.*

Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei, & voluntate labiorum. &c. O quam hoc eſt verum; nam deſideria, & orationes Mariæ numquam fuerunt fraudata, vel redeunt vacua &c. *ep. Pſalt. Beat. Virg. Pſalm.* 84.

26. *Maria merita nobis promeruerunt reconciliationem cum Deo.*

Lætabimur in ſalutari tuo, deſiderium animæ ejus tribuiſti &c. Nota, quòd in his verbis directis ad Mariam Virginem patet, quòd Mariæ merita, deſideria, & orationes nobis meruerunt reconciliationem totius humani generis, ut pateat, quòd erga eam debet ardere omnis Chriſtianorum devotio. *l. 3. d. 4. qu. ult. in corp.*

27. *Maria medica ſalutis, quia nobis propinavit antidotum ſalutis.*

Lætabimur in ſalutari tuo. Quid eſt in ſalutari tuo? idest in ſalute à te nobis exhibita, quia ipſa fuit medica ſalutis noſtræ, quæ nobis Chriſtum donans, antidotum, & medicamentum pro ſanandis infirmitatibus omnibus propinavit. *opuſc. ſpecul. B. Virg. lect.* 9. Dicamus ergo Virgini Domina in virtute tua lætabitur cor noſtrum à carnalibus deſiderijs concede gratiam abſtinentiæ, ut lumen gratiæ, in cordibus noſtris oriatur. *opuſc. Pſalt. Beat. V. Pſ.* 20.

28. *Maria Virgo præventa fuit benedictionibus Dei ipſam præſervantibus à peccato originali.*

Domine præveniſti eum in benedictionibus dulcedinis. &c. Hoc dicitur de Chriſto, hoc & dicendum eſt de Beata Virgine; ſed qua gratia fuit Beata Virgo præventa? gratia ſcilicet præſervativa ab omni culpa originali, & actuali, quia ſicut ſolus ejus Filius, ſic ſola Beata Virgo inter homines tali gratia præventi fuerunt; gratia inquam removente, & præſervante ab omni malo, & gratia replente eam omni bono, nam ejus caro in infuſione animæ fuit ſanctificata non quidem ſanctificatione per ſanctitatem ſpiritualem, quia ſolùm anima eſt capax talis ſanctitatis, ſed per ſanctitatem corpoream, nempè per vim ſupernaturalem generativam Filij Dei, quæ fuit donum ſuperadditum carni Beatæ Mariæ: Præventa item fuit per extinctionem omnis fomitis concupiſcentiæ, undè immunis fuit ab omni culpa non ſeminaliter, ſed conditivè, idest condita fuit cum tali privilegio. *ſerm. 2. de Beata Virgine, & opuſc. de contemplat. flor.* 5. *&* l. 3. d. 3. p. 1. *dub.* 4. *& quæſt.* 1.

Nota, quòd S. Doctor excludit l. 3. d. 3. qu. 1. *à Virginis carne ſanctificationem ſpiritualem, ſed non ſanctitatem corpoream, de qua loquitur* l. 3. d. 4. art. 3. q. 2.

29. *Beata Virgo Maria præventa fuit gratia fœcundante.*

Domine præveniſti eum in benedictionibus. Nota quod Maria Virgo præventa fuit benedictionibus alijs, nam fuit præventa gratia fœcundante, ut poſſet concipere Dei Filium; gratiam enim hanc invenit Beata Virgo apud Deum, ut maneret ipſe in ea, & ipſa in eo. *ſerm. 2. de B. Virg.* Nota hic, quòd hæc gratia fœcundans Mariam appellatur à Doctoribus ſanctitas corporea, nempè generativa, qua poſſet attingere conceptionem Filij Dei, quæ in inſtanti ſuæ conceptionis ei infuſa fuit. *l. 3. d. 4. articul. 3. quæſt.* 2.

30. *Gratia labiorum Mariæ qualis.*

Et voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum, Vult dicere, quòd Chriſto fuit infuſa gratia labiorum, ergo & in Maria Virgine, cujus gratia labiorum fuit tanta, quod nemo alius ad ipſam pervenit: Vide ergo ſeptem mellis ſtillas, ſcilicet ſeptem verba, quæ ex ore ejus diſtillaverunt: nempè duo ad Angelum, ſcilicet verba caſtitatis, & verbum humilitatis; duo ad hominem, ſcilicet verbum charitatis in ſalutatione Eliſabeth, & verbum veritatis in inſtructione in nuptijs Canæ: & tria ad Deum, nempè quando ore loquuta eſt dicens, *Magnificat anima mea Dominum*; & quando dixit, *Fili quid feciſti nobis*, & quando in nuptijs dixit, *Vinum non habent*; & ideò mirum non eſt, ſi Deus voluntate labiorum ejus non fraudavit eam. *opuſc. ſpecul. Beat. Virgin. lect.* 6. Dicamus ergo Beatæ Virgini, quam dulcia diligentibus eloquia tua Domina Virgo, quàm ſuavia ſunt tuarum ſtillicidia gratiarum; loquere igitur pro nobis ad tuum Filium; intende pro nobis. *opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſalm.* 10.

31. *Coronam de lapidibus pretioſis Deus in Mariam impoſuit, ditando eam pluribus privilegijs ſuper omnes creaturas.*

Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Quænam corona eſt iſta, quam Deus poſuit in capite Mariæ? corona hæc fuit propria reginæ totius univerſi? nempè compacta ex ſeptem privilegijs,

privilegijs, tanquam lapidibus pretiosis: primum fuit immunitas ab omni peccato, secundum est plenitudo super omnes creaturas omnium gratiarum; tertium, quòd sola fuit Virgo, & Mater; quartum, quòd sola fuit Mater Filij Patris æterni; quintum, quòd sola fuit super omnes Deos familiarissima, corporaliter sextum, quod super omnes fuit potentissima. septimum, quod fuit in gloria super omnes sublimata. *op. specul. B. Virgin. lect. 6.*

PSALMUS XXI.

1. PRIMO: Nota, quòd hic Psalmus inscribitur pro susceptione matutina, agit enim de passione Christi; per quam debebat assumi in Cœlum post resurrectionem; & ideò Psalmi qui agunt de Christi passione, à gemitu, & oratione incipiunt & terminantur in lætitiam, & resurrectionem, vel in salutem hominum. *Psalm. 21. & in Luc. c. 9. v. 51.*

2. *Christi passio tam acerba fuit, quòd videtur derelictus à Patre.*

Deus Deus respice in me, quare me dereliquisti. in Hebræo legitur, *Heli, Heli lamasabacthani:* undè conqueritur Christus, quòd Pater dereliquit eum; ergone Filius Dei derelictus? ergone qui est æqualis Patri, & qui dicit de se ipso *Ioan. c. 16. non sum solus, quia Pater mecum est*; idem Deus à Deo Patre derelictus? sed nota, quòd hæc verba dicuntur per Anthrospopatos, quæ fit multis modis, & præcipuè, cùm videtur Deus facere, quod non fecit, tam acerba enim fuit Christi passio, tam ab omnibus derelictus, quod cum Iudæorum rabiei fuerit expositus, videtur secundùm opinionem vulgi etiam à Patre derelictus, ut pateat, quàm gravis, & aspera fuit Passio pro nobis assumpta: *Psalm. 25. & in Thren. c. 1. & in Ioan. c. 16. v. 32.* Sed in quonam consistit hæc derelictio? in hoc, quod in sua Passione nullum habuit consolatorem, multos habuit exprobratores, & omnes dereliquerunt eum; primum grave, secundum graviùs, tertium gravissimum illi fuit. *serm. 6. in Parasceve.*

3. *Iusti videntur derelicti à Deo, sed verè non sunt: iniqui verè repelluntur à Deo.*

Deus Deus meus quarè me dereliquisti? Nota, quod præmittit repetitionem hanc, *Deus Deus meus.* Si est Deus suus quomodo dicitur derelinquere eum qui suus est? Respondetur, quòd à iustis dicitur ad similitudinem Christi per Anthrospoparos, quia enim exponuntur passionibus, etiam bonis temporalibus privantur ad ipsorum majus meritum, ideò videntur à Deo derelicti, sed verè non sunt, eum sint Deo per gratiam uniti, sed impij verè à Deo repelluntur. *Psalm. 59. & in Sap. c. 3.*

4. *Deus dicitur multipliciter derelinquere, vel verè, vel apparenter.*

Deus meus quare me dereliquisti &c. Et quomodò dicitur Deus derelinquere? Nota hoc fit multipliciter vel verè, vel apparenter, nempè exponendo vel culpæ, vel pœnæ, vel subtrahendo gratiam, vel exponendo pœnæ æternæ. *Psalm. 59. & Sap. c. 3.*

5. *Deus dicitur meus à quolibet nostrûm secundùm rationem causalitatis, & consolationis.*

Deus Deus meus &c. Nota, quod hoc dicere potest quælibet creatura Deo, sed præcipuè iustus: meus enim dicitur de Deo non secundùm rationem informationis, sed causalitatis, & consolationis, scilicet Creator, factor, redemptor, operator. *l. 1. d. 18. qu. 6.* meus igitur dicitur Deus, vel per Incarnationem, vel Creationem, vel gratiæ infusionem, vel flagellationem, vel approbationem, & glorificationem.

6. *Christus nostrorum peccatorum causam suam appellat.*

Longè à salute mea verba delictorum. Quomodò hoc potest dicere Christus? quænam delicta sunt in eo, qui est fons sanctitatis? Nota, quòd dicit delictorum verba meorum, idest eorum, qui sunt mei: nempè quia causam delictorum nostrorum dicit esse suam, quia assumpsit in se pœnam debitam delictis nostris. *Psalm 15.* dicit igitur, *longè à salute mea verba delictorum*; idest peccata populi mei non permittunt me vivere, sed debeo mori pro eis, & eos reconciliando Patri offerre; & hoc significatur in confessione, quæ fit in principio Missæ; nempè Christum oblatum esse pro peccatis nostris, ut nos offerret Patri. *op. expos. Missæ c. 2.*

7. *Quidam crucifixi, & martyres cum Christo; Quidam martyres cum Diabolo.*

Longè à salute mea verba delictorum meorum. Vide, in quo Christus conqueritur, veluti derelictus à Patre, quia videbat salutem suam operatam in cruce elongatam à pluribus, sed quomodò hoc? Nota, quod in monte Calvariæ fuerunt tres cruces, & tres crucifixi, nempè latronis adversi, latronis conversi, & Christi patientis, sic sunt tria genera hominum crucifixorum, & martyrum: quidam enim macerant carnem pro peccato, & non prodest, & isti sunt crucifixi cum malo latrone, & martyres Diaboli, quidam macerant carnem pro peccato, & prodest, quia pœnitent, & isti sunt crucifixi cum bono latrone: & quidam pœnam sustinent sine peccato, & isti sunt crucifixi, & martyres Christi: à primis elongata est salus operata à Christo. *Psalm. 21.*

8. *Peccatum elongat animam à Deo.*

Longè à salute mea verba delictorum meorum. O quot id possunt verè dicere! qui enim peccant elongantur à Deo, quia peccatum inducit animam in regionem longinquam à Deo, longinquam non quantum ad situm, quia Deus est ubique, sed per voluntatis dissimilitudinem, elongat autem peccatum animam à Deo, scilicet à summa bonitate, cum sit iniquitas, à summa luce cum sit tenebra, & cum sit nihil à summa æternitate. *In Luc. c.15. v.13. & 20.*

9. *Quænam oratio Christi exaudita fuerit, & quænam non.*

Clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. Si hæc dicuntur à Christo: ergo frustra orabat, si non exaudiendus erat; Nota illud verbum, (*& non ad insipientiam mihi;*) idest hoc evenit ad sapientiam, & instructionem nostram: nam oratio Christi procedens à voluntate rationis semper fuit exaudita; non verò oratio procedens à voluntate carnis, & pietatis, ut quando orabat, ut transiret calix ab eo, & pro condonatione crucifixorum non semper fuit exaudita, sed facta est ad instructionem nostram, scilicet ad ostensionem naturæ assumptæ, & benignitatis, & misericordiæ suæ. *l.3.d.17. art.2. qu.2.*

10. *Quare justi non semper exaudiuntur.*

Clamabo per diem, & non exaudies &c. Nota hoc dici à viro justo; sed quarè non exauditur semper? at hoc evenit, vel quia orat pro Indigno, vel ordinatè, vel ad majus bonum, & meritum, ut Paulus non est exauditus &c. *Psalm.21.*

11. *Deus, qui est ubique dicitur specialissimo modo habitare in sanctis.*

Tu autem in sancto habitas, laus Israël. Quid est habitare in sancto? nonnè Deus est ubique? est quidem ubique, sed non dicitur habitare ubique quia solum ubi est conformitas animæ cum Deo, ibi dicitur habitare propter effectum inhabitantis gratiæ, per quod chara, & similis Deo fit; undè istis similibus solùm dicitur Dominus vobiscum, non bestiis. *l.1. d.21. dub.2.* Nota etiam quod hic textus potest applicari S. Antonio Patavino, nam cum D. Antonius dicatur antonomasticè Sanctus, & absolutè: potest hic versus applicari eidem sancto, quia in ipso specialissimo modo habitavit Christus, & quomodo? quia Christus contulit ei sapientiam, & sanctitatem Angelorum in ministrando aliis salutem; Patriarcharum, item & Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum; quia horum ordinum virtutes possedit excellentissimo modo. *Serm.2. de S.Antonio Patav.*

12. *Qui vult invenire* JESUM, *quærat eum in sancto loco, idest in templo cordis, & Ecclesia, & non in stabulo.*

Tu autem in sancto habitas laus Israël. Quid est in sancto? & quid est hoc sanctum? in sancto, scilicet in templo sancto: sed nota quòd est templum materiale, & spirituale, in primo specialiter habitat per assistentiam specialem: in secundo per gratiam, nempè in templo cordis nostri; qui vult ergo invenire Christum, quærat cum Maria eum in templo orando, meditando, contemplando: ergo non invenietur in hara porcorum, vel in spelunca latronum: nempè in corde peccatis, & spurcitiis repleto. *Serm.5. Dom. infra oct. Epiph. & serm.1.2.3. & 4. de dedicat.*

13. *In loco sancto pacis habitat* JESUS, *non in loco discordiæ.*

Tu autem in sancto habitas laus Israël. Quid est in sancto, nisi in sancto loco, scilicet ubi remansit Jesus, nempè in Jerusalem, quæ est locus pacis? in pace igitur habitat, sed fugit, ubi est discordia. *Serm.1. fer.2. Pascha.*

14. *In sanctis operantibus miracula Deus laudatur, & glorificatur.*

Tu autem in sancto habitas, laus Israël. Ad quid ex habitatione Dei in sancto, subditur laus Dei ipsius? laus Israël? sed verte mentem ad id, quod docent Doctores de oratione, quæ fit à sanctis, in quibus habitat; nam nos voluit Deus ut sanctos oremus, & rogemus tum propter inopiam nostram sublevandam, tum propter ipsorum sanctorum gloriam, sed maximè ob Dei reverentiam, & glorificationem, & ideò vult ut operentur mirabilia, ad glorificationem ipsius Dei, & sanctorum &c. *l.4. d.45. art.3. qu.2. & 3.*

15. *Spes in Deum firma operatur mirabilia.*

In te speraverunt, & liberasti eos ad te clamaverunt, & non sunt confusi. Ecce quanta, & qualis virtus spei in Deum firmæ: hæc enim obtinet quidquid vult, & insperatam ab impiis, sed à justis speratam salutem consequuntur sperantes in Deum. *Sap.c.5. & Thren. c.3. & op. comp. Theol. l.5.c.55. & op. Diat. sal. tit.5.c.4.*

16. *Christi humilitas, & abjectio profundissima expenditur.*

Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis &c. Nota hæc sunt verba Christi; sed quomodò poterat dicere se esse vermem, & non hominem, cum de fide sit, quòd est Deus, & homo? & cur se vermi comparat, & non alicui alteri rei vili, & abjectæ? sed attende mysteria horum verborum; primò se dicit vermem, & non hominem, scilicet solùm hominem, sed etiam Deum: dicit se vermem item, quia factus est sine semine virili, sicut nascitur vermis: item se dicit vermem, idest opprobrium hominum quia à duodecimo, usque ad trigesimum annum nulla opera faciebat prætendentia speciem aliquam probitatis, & virilitatis: stupebant homines ipsum cognoscentes, & deridebant eum reputantes eum idiotam, hominem de nihilo, stultum, & insipientem tamquam in proverbium vulgi, & tali pacto reddebat se vilem, & abjectum omnibus. In quo facto nihil majus, vel difficilius

difficilius poteſt excogitari; majus eſt hoc, quàm vincere urbes: ô grandis humilitas Dei noſtri, qui factus eſt opprobrium hominum, & abjectio plebis, conculcatus ab omnibus, ac ſi eſſet viliſſimus vermis: Diſcamus & nos, ut ex corde, & animo vero, non ficto nos ipſos vincamus, ac dominemur animo noſtro, & ſupercilio ſuperbo carnis noſtræ, & non aliquid reputari velimus, ſed ſperni, ut viles, & abjecti; & eo magis, quia verè tales ſumus, & cum aliquid fecerimus, ſervi verè inutiles ſumus; abominabile igitur eſt prorſus ſi ſe erigit vermiculus, & vermium eſca futurus, ubi ſic ſe humilians abjecit Dominus Majeſtatis. *Op. Meditat. vita Chriſti c.15. & in Thren. c.3. & in Luc. c.2. v.12. & c.23. v.32. & in Ioan. c.1. v.14. & ſerm.2. Dom. 1. quadrag.*

17. *Gradus humilitatis in his verbis innuitur.*

Ego ſum vermis, & non homo. Nota, id quod Chriſtus in corde gerebat, in verbis, & in factis oſtendebat: ut oſtenderet, quòd gradus altus humilitatis eſt ſe vilem oſtendere in verbis: altior in factis, & altiſſimus in corde. *Op. de grad. humilit. c.3.*

18. *Conditiones perfectæ orationis hic innuuntur.*

Ego ſum vermis, & non homo &c. Nota; qoòd in oratione perfecta, tria ſunt attendenda; inſinuatio noſtræ miſeriæ: captatio judicis benevolentiæ; & poſtulatio veniæ: hæc tria exhibuit nobis Chriſtus in ſua oratione, ut ipſum imitaremur, & diſcamus modum perfectè orandi. *In Pſalm.21.*

19. *Deriſio ob opus bonum non eſt reputanda pro improperio exemplo Chriſti.*

Omnes videntes me deriſerunt me &c. Vide iterum ad quantam abjectionem ſe redegit Chriſtus, ut diſcas ſuo exemplo, quòd improperium pro opere bono non eſt verum improperium, ſed ſimilitudo, & ideò pro nihilo reputandum. *In Sap. c.5.*

20. *Ex ſpe vera in* JESUM *venit ſalus.*

Speravit in Domino, eripiat eum &c. Ecce medium efficax obtinendi ſalutem; nempè ſperare in Deum exemplo Chriſti: qui enim cum hac fiducia ad Chriſtum recurrit, ſalutem obtinet infallibiliter. *In Luc. c.19. v.38.*

21. *Nativitas Chriſti obedientiæ fructus.*

Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab uberibus: in te projectus ſum ex utero &c. ne diſceſſeris à me. Nota, quòd in his verbis Chriſtus oſtendit ſe incarnatum, natumque ex Maria Virgine ex obedientia exhibita Patri &c. *Pſalm. 138. & Vgo Card.*

22. *Chriſtus ab inſtanti conceptionis ſuæ incæpit pati, & nobis mereri.*

Quoniam tribulatio proxima eſt. Quomodò proxima? proxima ſcilicet loco, nempè carni, & tempore, quia ab inſtanti ſuæ conceptionis Chriſtus incæpit pati, & noſtram ſalutem agere mererique nobis. *l.3. d.18. qu.1. & op. de perfect. vitæ c.6.*

23. *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues: ſicut leo rapiens &c.* Nota in his verbis innuitur ſævitia judæorum in Chriſtum & acerbitas ejus Paſſionis. *In Thren. c.3.*

24. *Sanguis Chriſti Iudæis fuit in perditionem, fidelibus in baptiſmum.*

Sicut aqua effuſus ſum &c. Cur ſe, vel ſanguinem ſuum comparat Chriſtus aquæ effuſæ? Nota, quod aquæ effuſio fit tum ob vilitatem, tum ob copiam, tum ob effectus, quia mundat, & potat: ſic ſanguis Chriſti tamquam viliſſimus à Judæis effuſus, fuitque ipſis in lapſum, & ruinam, fidelibus autem fuit in lavacrum & potationem, extinctionemque ſitis animæ. *Pſalm.76.*

25. Membra Chriſti non fuerunt abſciſſa, ſed extenſa in cruce; undè dicit, *& diſperſa, ideſt diſtenſa ſunt oſſa mea. ſerm.3. Dom.1. Adventus.*

26. *Lignum crucis, & ignis amoris Chriſti* JESU *flumina aquarum cæleſtium nobis propinarunt.*

Sicut aqua effuſus ſum &c. factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Nota, quòd hic exprimitur effectus ardentiſſimæ charitatis Chriſti, qui voluit, ut ſua membra collocarentur ſupra lignum crucis, ut ignis amoris divini ardens in medio viſcerum ſuorum, veluti ipſum diſtillarent, & promanarent flumina aquæ vivæ gratiarum, ut de plenitudine ejus omnes accipere poſſemus. *In Ioan. collat.39. ſerm.3. Dom.1. Adventus.*

27. *Ad imitationem Chriſti debet emolliri cor noſtrum, ut cera liqueſcens, ut in eo imprimatur ſigillum amoris ſponſi.*

Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Hoc dicebat Chriſtus, in cujus corde facto molli, ut cera liqueſcens, vult ut imprimatur cor noſtrum, & amor ſuus erga nos: Hoc & debet facere anima, nempè emollire cor per contritionem, amorem, & meditationem paſſionis ſuæ, & in eo ſigillum imprimi, & in corde, & in opere demonſtrari charitas noſtra ad Chriſtum. *Serm... Dom.17. poſt Penteceſt. & op. de perfectione vitæ c.6.*

28. *Ariditas animæ bona, & mala qualis.*

Aruit tamquam teſta virtus mea &c. Nota, quòd ariditas alia eſt bona, ut fuit in Chriſto: alia mala: prima eſt ex devotione, & amore, per quem magis ſolida facta eſt anima in via Dei, ſic anima ardens charitate, magis ſolidatur in devotione. Ariditas alia in malo, quæ venit ex defectu humoris gratiæ Dei, eſtque præcipuè avarorum, qui

aridi fiunt ad benefaciendum proximo. *Psalm.62. & in Luc.c. .v.6.& 11.*

29\. *Iudaeorum similitudine canum rabidorum crudelitas in Christum expenditur, item inimicorum Christi.*

Circumdederunt me canes multi &c. Nota, quod nomine canum hic ad litteram veniunt Judæi, mysticè hæretici, & peccatores, quia Judæi quoad corpus, peccatores quoad animam terribiles, fortes, & feroces dirè, & ut gladius bis acutus exacuerunt in Christum linguas, & manus ipsum occidentes, & crucifigentes, fodientes manus, & pedes. *op. meditat. vita Christi c.74. in Luc.c.12.v.66.& c.23.v.21.& in Ioan.c.10.v.23.*

30\. *Dæmones ut canes rabidi circumdant, & obsident animam.*

Circumdederunt me canes multi &c. Nota, quòd mysticè hæc dicuntur ab anima, quæ se videns circumdatam à canibus Inferni, scilicet à Dæmonibus ad Deum recurrit: verè enim Dæmones quotidie miseram animam circumdant in mundo inimica malignitate, mundi fluctuosa tempestate, & carnis ignea voluptate, sed magis in exitu corporis infirmitate, judicis severitate, & tentationum multiplicitate; ô misera anima, quia undique mala, tela, pericula, impedimenta volant, ad Deum confuge, ut eripiaris à tot hostibus. *serm.3. Dom.9. post Pentecost.& op.Diat.sal.tit.1.c.5.*

31\. *Crucifixio Christi enarratur.*

Foderunt manus meas, & pedes meos. dinumeraverunt omnia ossa mea Hæc est patentissima prophetia crucifixionis Christi, Judæi enim prosternentes ipsum super crucem furibundè, brachia ipsius accipientes, & post violentam extensionem cruci durissimè affigerunt & brachia, & pedes, quos traxerunt, quantum potuerunt violentissimè, & tunc Christus aspiciebat in Cœlum dicens: Ecce hic sum Pater mi, usque ad crucem humiliari me voluisti pro salute, & amore generis humani, placet, accepto, & pro eis me offero, quos dedisti mihi fratres: accepta & tu Pater, & esto deinceps placabilis mei amore, & absterge omnium maculas veteres: Ecce igitur crucifixus est Dominus Jesus, & sic in cruce extensus, quòd dinumerari omnia ossa ejus possent: fluunt undique sacratissimi sanguinis rivuli ex illis magnis scissuris; sicque angustiatus est, quòd se movere non potest nisi in capite: illi tres clavi sustinent totum corporis pondus, dolores acerbissimos tolerat, pendens inter duos latrones, undiquè pœnæ, undique opprobria, undique convitia. *op. meditat. vita Christi c.78.& 86.op fascicul.c.8.serm.1. Dom.7.post Pentecost.*

32\. *Christus manus, pedesque perforari voluit, & pectus etiam, ut nos invitaret ad ejus imitationem.*

Foderunt manus meas, & pedes meos &c. dinumeraverunt ossa mea &c. Nota hic specialiter fieri mentionem de verberibus manuum, pedum, & pectoris, ut nos invitaret ad spiritualem crucifixionem; nempè ut invitaret ad mundandum pectus, & cor à mundanis cogitationibus, & ad ipsum sanctificandum: fodit manus, ut nos aperiremus manus ad opera misericordiæ: pedes etiam, ut non currerent nostri ad malum, sed in viam mandatorum Dei: membra item alia pœnis, & opprobrijs exposita, ut nos invitaret ad utendum nostris membris in bonum; nempè, per pedum perforationem ad currendum in viam mandatorum, per latus, & manus ad rectitudinem operationis bonæ, conversationis sanctæ, & ad tolerantiam tribulationum. *op. meditat. vita Christi c. 8.6. & in Luc.c.8.v.4.8.*

33\. *Extremum moriendi genus elegit Christus, ut nullam mortem timerent Martyres, & ut omnia vitia à nobis excluderemus.*

Foderunt manus meas &c. Ecce, quod Christus extremum moriendi genus elegit ut Martyres nullam mortem timerent: modus item fuit contra nostram superbiam turpissimus: contra avaritiam pauperrimus; contra lasciviam acerrimus. *serm.6. in Parasceve.*

34 *Christus exponit in cruce manus suas, & pedes, & pectus perforatum, ut excavando in illa vulnera mente intremus.*

Foderunt manus meas &c. Cur proponit hanc fossionem factam ab inimicis in manibus, pedibus, & pectore? ut invitaret nos ad idem faciendum ex amore; fode igitur ô anima manus, & pedes Christi meditatione: intra in hæc foramina petræ vivæ, nec verearis pati repulsam, quia tibi ostenduntur, ut ibi intres; ingredere in petram, absconde te in fossa humo à facie timoris Domini, quia in ea invenies sanitatem, & sanctitatem: nihil enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, & ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio. *op.medit.vita Christi c.50.*

35\. *In crucifixione sua Christus consummavit suum iter discipulis suis ostensum.*

Foderunt manus meas &c. dinumeraverunt ossa mea &c. diviserunt sibi vestimenta mea &c. Nota, quòd hic continetur consummatio discipulatus Christi; nempè ostendit discipulis suis summam humilitatem, summam paupertatem, & summam auctoritatem vitæ. *in Luc.c.14.v 27.*

36\. *Crucifixio traxit ad summam ignominiam, & afflictionem Christum.*

Foderunt manus meas &c. Vide magnam crudelitatem Judæorum, qui voluerant non solùm occidere, sed & crucifigere Christum, ut pedibus & manibus ad lignum confixis, morte vexaretur producta, acerba, & ignominiosa, undè illum tamquam maledictum pœnæ maledictionis volebant subjicere. *in Luc.c.23.v.21.* Nota autem hic, quòd dicitur, (*foderunt*) ubi ponitur præteritum pro futuro: præteritum autem hic importat certitudinem rei eventuræ, ac si esset præterita. *In Ioan. c.15.v.15.& Psalm.18. Thren.c.13.*

37. *Divisionis vestimentorum, denudationis Christi, mysteria enodantur.*

Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Nota primo illud pronomen, (*ipsi*,) significat enim notabilem malitiam Judæorum, & crudelitatem in Christum. Nota secundò dicit, (*diviserunt sibi &c.*)quòd Christus habebat duas vestes infimi pretij, alteram superius, quam diviserunt in quatuor partes, quia erant quatuor milites assistentes, alteram inconsutilem, super quam miserunt sortes. Nota tertiò, quod hæc vestis quadripartita figurabat Ecclesiam diffundendam in quatuor partes mundi, quia credentes sunt vestimentum Christi. *in Luc. c.23. v.34. In Ioan. c.19 v.23. & 24.*

38. *Mali scindunt vestem Christi; sed Ecclesiæ unitatem non possunt tollere.*

Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Ergo vestem superiorem diviserunt, sed non inconsutilem; significaturque quod mali scindunt pro posse vestem Christi scandalis, & oppressionibus, scilicet Ecclesiam, sed tamen portæ Inferi non possunt prævalere, & tollere unitatem Ecclesiæ, quæ firma semper remanet. *in Luc. c.23. v.34. & in Ioan. c.19. v.24.*

39. *Charitatis unitas est effectus gratiæ singularis Dei.*

Et super vestem meam miserunt sortem. Cur sors missa est super vestem inconsutilem? quia hæc vestis est unitas charitatis, quæ speciali sorte, & gratia datur; felix igitur, cui talis sors cadit è Cœlo. *in Luc. c.23. v.36.* Talis autem vestis texitur opere divino duobus præceptis dilectionis, scilicet Dei, & proximi, ita ut dilectio Dei est ad modum staminis, & proximi ad modum subtegminis. *in Ioan. c.19. v.24.*

40. *Ordo Passionis Christi figurat ordinem Ecclesiæ militantis, in qua mysticè denuo eadem patitur.*

Diviserunt sibi vestimenta &c. Nota ordinem Passionis Christi: primò percussus, & flagellatus est: secundò vulneratus: tertiò denudatus: significatque tres status Ecclesiæ: in primo fuit percussa: in secundo vulnerata: in tertio denudata: in primo statu fuerunt Tyranni: in secundo Hæretici; & in tertio mali Christiani, quia per mala exempla scinditur vestis hæc Christi, & præcipuè crudelitate divitum in pauperes. *in Psalm. 119. & serm. 3. in Parasceve.*

41. *Tu autem ne elongaveris auxilium tuum à me &c. erue à framea &c. salva me ex ore leonis &c.* Nota hic Christus petit auxilium à Patre, & præcipuè subitam resurrectionem, ut nos discamus recurrere ad Deum in tribulatione. *In Psalm. 21. & in Thren. c.3.* Nota etiam, quod dicit, *salva me ex ore leonis*, idest animas hominum meas ne à Diabolo rapiantur, & deglutiantur. *serm. 1. Dom. 3. post Pentecost.*

42. *Divinæ laudes decantandæ, & prædicatio facienda in diebus solemnibus, & in conspectu multitudinis.*

Narrabo nomen tuum fratribus in medio Ecclesiæ laudabo eum &c. apud te laus mea &c. Vide, quòd Christus permittit se prædicaturum fratribus suis, scilicet nobis, qui sumus fratres Christi, & laudes decantaturum in Ecclesia magna, scilicet in diebus solemnibus, & in conspectu multitudinis: & hoc est quod maximè prædicatur in Ecclesia. *in Luc. c.4. v.31. & serm. 4. de pluribus Martyr. & in Luc. c.8. v.39.*

43. *Prædicator debet familiariter, & utiliter exercere suum munus.*

Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio Ecclesiæ. &c. Nota, quòd dicit (*narrabo*) idest affabiliter, familiariter, & utiliter prædicabo nomen tuum, & non carnaliter, & inutiliter, in quo eruditur prædicator, quòd se debet exhibere auditoribus, ut fratrem affabilem, & benignum signo, verbo, & facto. *in Luc. c.9. v.11.*

44. *Post mortem suam Christus desponsavit Ecclesiam, & destinavit Prædicatores, ut generaret ut sibi fratres per prædicationem.*

Unde dicit post mortem, *narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Sed si post mortem suam hæc promittit Patri, quando narrabit nomen Dei fratribus? dicit fratribus id est discipulis suis, quos destinavit prædicatores, & ideò id facit quotidie per prædicatores, qui suscitant semen Christo mortuo. *in Luc. c.10. v.31.*

45. *Ecclesia est congregatio rationalium: synagoga est brutaliter viventium, ubi de concordia, & discordia.*

In medio Ecclesiæ laudabo te: apud te laus mea in Ecclesia magna &c. Ergone non poterit Deus laudari extra Ecclesiam? minimè. Nota quòd Ecclesia hic stat pro congregatione fidelium, & ideò dat intelligere, quòd ejus sponsa est Ecclesia, & congregatio rationalium valentium laudes Dei decantare: & synagoga congregatio brutorum, vel brutaliter viventium; & ideò solùm in Ecclesia est laus Dei, laus enim Dei esse non potest, ubi non est pax, & concordia animorum, nec divina pax potest esse, ubi non est custodia divinæ legis. Attendant hoc qui discordiam cum proximo vel habent, vel inter proximos seminant, hi enim sunt extra Ecclesiam, item & qui non custodiunt divinam legem. Nota etiam, quòd dicit, *Laus mea apud te*: apud Deum: ergo ubi est carnalitas, cupiditas, curiositas, invidia, iracundia non potest esse laus perfecta. *serm. 1. Hexaem.*

46. *Christus idem cum Patre se ostendit.*

Apud te laus mea. Nota, quòd hic loquitur cum Patre, & dicit *apud te*, idest per identitatem naturæ. *Psalm. 21.*

47. *Qui Christo non se conformat, nec potest dignè laudare Deum.*

Apud te laus mea &c. Sic dicitur à nobis, cum Deum laudamus, sed quid est apud te? idest quasi idem tecum, scilicet per conformitatem virtutum, unde qui hanc non habet, nec dignè laudare Deum potest. *Psalm.* 11.

48. *Papa cur se communicat sedens, & omnibus videntibus.*

Apud te laus mea &c. Nota, quòd hæc dicit, (*apud te*,) scilicet in publicum omnibus videntibus passus est, & patiendo laudes Patris evulgavit, & ideò in hujus veritatis signum Papa omnibus videntibus, & in cathedra sedens, & ad populum conversus se communicat in Missa, quia repræsentat immediatè personam Christi patientis in cruce. *Psalm.* 11.

Ritus Ecclesiastici

49. *Laudes Dei debent narrari, & cantari apud Deum & quomodò.*

Apud te laus mea in Ecclesia magna valde. Nota hæc verba Prophetæ; quæ est laus apud Deum? & quid est in Ecclesia magna cantare laudes Dei? estne Ecclesia pauca & magna? nonne unica est Ecclesia Dei? sed respondetur, quòd laus Dei à nobis enunciata debet fieri apud Deum, scilicet debet esse speciosa secundùm conscientiam nostram conformando ipsam, & voluntatem nostram laudi divinæ, & suæ voluntati, talisque canitur in Ecclesia magna, scilicet in hac vita quidem, sed cum concussu, & in præsentia Dei, & Angelorum, sic enim erit vox suavis, & dulcis, Deoque & Angelis placens. *l.* 4. *d.*17.*p.*2.*art.*1.*qu.*4 *ad* 2.*& ferm.*5. *in Pentecost.* Ergo qui non se exercent in hac divina præsentia, non canunt in Ecclesia magna laudes Dei. Nota etiam, quòd laus apud Deum solùm est, quia nascitur ex consideratione divinæ bonitatis, & ex admiratione profunditatis sapientiæ Dei, & ex stupore altitudinis divinæ potentiæ, & immensitate Majestatis, quæ de ipso, vel per catholicam doctrinam fidei intelligimus, vel per operum ejus vestigia colligimus, vel per illuminationem inspirationis internæ puræ mentis intuitu contemplamur. *op. de profect. religios. l.* 2.*c.*64.

50. *Deprecatio, & oratio, & postulatio, & gratiarum actio qualiter differant, & quomodò omnes exerceentur in missa.*

Timeat eum omne semen Israël, quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis. Quænam est hæc deprecatio pauperis, scilicet Christi Jesu? & cur non appellat orationem, sed deprecationem? sed nota, quòd deprecatio communiter largè pro quocumque genere orationis sumitur, strictè tamen differenter: nam deprecatio est de malis amovendis; oratio de bonis adipiscendis; in missa tamen alio modo sumuntur, nam à principio usque ad consecrationem dicitur deprecatio, à consecratione usque ad Agnus Dei dicitur oratio, ab Agnus Dei usque ad finem dicitur postulatio, & id, quod in fine dicitur, scilicet Deo gratias, dicitur gratiarum actio. *in Psal.* 21. *& in sap.c.*18.

51. *Laudis oratio quomodò facienda est apud Deum.*

Apud te laus mea &c. Quid est apud te? Nota quòd hæc præpositio (*apud*) dicit de se transitionem, & ideò hic importat transitionem animæ, orantis in Deum. *l.*1 *dist.*37.*dub.*a. Sed quisnam est iste transitus animæ orantis in Deum? ô beatus transitus! Anima enim orans perfectè, & Deum laudans apud Deum ingreditur potiùs in cubiculum cordis, & clauso ostio ad omnia creata, & cogitationes carnales transit in Deum, & cum dilecto Jesu solùm moratur, ipsum orat toto corde & mente. *op. de perfect. vitæ c* 5.

52. *Paupertas spiritus sola est, quæ meretur satietatem in regno Cælorum.*

Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum &c. Ergone solùm pauperes edent, & non etiam divites? Pauperes soli edent, pauperes verè divites; Pauperes spiritu: istis enim solis Dominus Jesus promittit seipsum in præmium, in mercedem, & in gaudium; ipsi sunt, qui Jesu fruentur, de Jesu gaudebunt, & satiabuntur. *op. de perfect. vitæ. cap.* 3. *in fine.*

53. *Pauperes in Cælo replebuntur omnibus bonis: divites in Inferno omnibus malis.*

Edent pauperes &c. Nota, quòd dicit (*pauperes*) scilicet vel pauperes spiritu, vel verè pauperes patienter tolerantes miserias hujus vitæ; & notanter dicit pauperes, non divites, quia pauperes isti in loco alto Cœli collocabuntur, divites in Inferno; illi erunt in requie æterna, isti in pœna æterna, illi in abundantia omnium bonorum, isti in egestate, & in omni miseria: Beati igitur pauperes, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. *in Luc.c.*9. *v.*17.*& c.*16.*v.*23.

54. *Christus cœnam sua Passione præparavit pauperibus, ut in æternum non esurirent.*

Edent pauperes, & saturabuntur &c. Si edent, hocne erit prandium, vel cœna? sed nota quòd post enarratam Passionem suam Christus promittit cibum, & refectionem pauperis æternam: ergo erit cœna, quam in vesperi suæ vitæ per passionem suam præparavit suis sequacibus: Beati igitur, qui ad hanc cœnam vocati sunt, ad cœnam scilicet gratiæ Eucharistiæ, & gloriæ: Infelices, qui saturantur, siliquis porcorum in hac vita. *Psalm.* 21 *ferm.*4. *in Ascens. & ferm.*4. *Dom.*6. *post Pentecost. & ferm.*1. *& seq. Dom.*2. *post Pentecost.*

55. *Conversio ad Dominum perfecta quanam exigat.*

Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ. Quid est convertentur? convertentur,

vertentur, qui reminiscentur Passionis Christi; convertentur ad Dominum, ut ab ipso laventur, convertentur inquam primò ad luctum, & pœnitentiam, deindè Dominus eos lavabit, ut perfecta sit conversio ab omnibus fœditatibus. *Psalm. 118. c.5. v.5.*

56. *Vita qualis ex conversione ad Deum per Passionis Christi virtutem.*

Reminiscentur, & convertentur ad Dominum, &c. & adorabunt &c. manducaverunt &c. & anima mea illi vivet, &c. Nota terminum hujus Psalmi, qui incipit à Passione, & oratione Christi, & terminat ad salutem, ad vitam & sanitatem animæ, nam virtute Passionis Christi, & orationis ab ipso factæ, anima recipiet per conversionem sanitatem spiritualem, & vitam, scilicet gratiæ, & gloriæ ex auxilio superiore Dei. *Psalm. 21.*

57. *Solùm à Cœlis nobis potest descendere doctrina & felicitas spiritualis, scilicet à cælestibus viris.*

Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt Cæli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Nota, quòd hic in persona Christi prædicitur prædicatio Apostolorum, & ministrorum suorum, item administratio sacramentorum per quam populi fient salvi, & notanter dicit, (*Cæli*,) idest cælestes homines, quorum conversatio in Cœlis est; isti namque officium conficiendi panem vitæ, docendi, & judicandi populos exercebant: non enim impiis, & terrenis committitur hæc dignitas. *Op. Eccles. Hierarch. p.4. c.3.*

58. *Ad imitationem Christi deprecantis Patrem homo debet clamare ad Mariam.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Deus Deus meus quare me dereliquisti &c. Deus meus clamabo &c. Si hoc dicebat orans, & clamans ad Patrem Christus in tribulationibus Passionis positus, ergo & nos ad Deum, & ad Mariam omnium hominum advocatam debemus clamare, & dicere, Deus Deus meus; respiciat in me meritis tuis Virgo semper Maria: Domina mea clamavi ad te per diem, & noctem, & fecisti cum servo tuo misericordiam magnam, quia spectavi in misericordia tua, sempiternum à me opprobrium abstulisti. *ap. Psalt. B. Virg. Psalm. 21.*

59. *Mariæ dolores ad pedes crucis expenduntur.*

Deus Deus meus quarè me dereliquisti: longe à salute &c. Hoc dicebat Christus in cruce; hoc dicebat Maria ad pedes crucis, ut quid dereliquisti me, quia videbat se amittere filium morti tam crudeli expositum, & quia retorquebat in se recipiens dolores, pœnas, plagas, & opprobria Filii sui concrucifixa Christo *serm. 1. Dom. infra oct. Epiph.*

60. *Qui vult invenire Christum accedat ad Mariam.*

Tu autem in sancto habitas. Quid est in sancto? quis est iste sanctus locus? iste est Beata Virgo Maria sancta omnium sanctorum Regina, & sanctior locus in mundo: ergò qui vult invenire Christum accedat ad Mariam: sic Magi volentes invenire puerum, ipsum quæsierunt in Maria. *Serm. 4. Dom. infra oct. Nativit. & in Luc. c. 2. & op. Psalt. Beata Virg. Psalm. 135.*

61. *Christus in utero Beatæ Virginis erat veluti in Paradiso, & ideò in Nativitate extractus est veluti vi.*

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre matris meæ; spes mea ab uberibus matris meæ. Quid est extraxisti? extrahere est avellere vi, & violentia, ergone violenter avulsus est Christus de ventre Matris? non violenter, sed ex obedientia Patris. Datur per hoc intelligi qualibus deliciis fruebatur Christus, dum in utero Matris morabatur, quia fuit ille homo positus à Deo in Paradiso voluptatis; uterus enim Mariæ erat veluti Paradisus, in quo deliciis affluebat Christus. *op. specul. Beata Virg. c. 11. & 14. & serm. 2. Dom. 3. Adventus, & serm. 3. in Vigilia Nativit. & op. Laus Virg. fig. 5.*

62. *Dulcedine ineffabili fruebatur Christus lac ex uberibus Mariæ sugens.*

Spes mea ab uberibus Matris meæ. Quænam fuit hæc spes Christi ab uberibus Mariæ proveniens? Nota quòd ex obedientia Patris exivit Christus de utero quasi avulsus, & extractus: sed quid supererat Filio, ex tot deliciis, quibus fruebatur in ventre, velut in Paradiso? si es ejus fuit ex uberibus matris in sugendo lac ex uberibus Mariæ: Beata enim Virgo suis uberibus sola lactavit Filium, sicut verè genuit. *In Luc. cap. 11. v. 29.*

63. *Qualis spes à nobis in Beata Virgine collocanda.*

In te speraverunt patres nostri, & liberasti eos. Hoc dicitur Patri; & meritò, quia spes propriè innititur Deo, id tamen non impedit, quin sperare debeamus in Beata Virgine tamquam in adjutrice, & advocata nostra; ideò meritò Ecclesia appellat Beatam Virginem Matrem, & spem nostram. *l. 1. d. 1. dub. 9.*

64. *Quomodò Iudæi foderunt manus, pedes, & cor Beatæ Mariæ.*

Foderunt manus meas, & pedes meos &c. Hoc dicebat Christus in cruce; hoc item dicebat Maria Virgo stans ad pedes crucis, quia deridebant eam omnes inimici Christi, eratque mentaliter concrucifixa cum Christo, ejus cor pertransibat gladius doloris &c. *serm. 5. in Parasceve & op. meditat. vita Christi c. 84 & 85. & op. stim. p. 1. c. 13. & ap. officium de compassione Virginis & Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 21.*



PSALMUS XXII.

1. PRIMÒ nota, quod hic titulus est Psalmus David; quia per Passionem Christi liberati sumus à captivitate Babylonica, ideò ad Deum recurrendum est Psalmis, & oratione, ut tandem ad gloriam perveniamus.

2. *Deus pascit plenissimè suos amicos.*

Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Quomodò ex regimine Dei infertur sufficientia & repletio omnis boni? nonne Deus regit etiam inopes? sed nota, quòd hoc regimen Dei quod exercet in suos est ex peculiari providentia: undè alia littera legit, *Dominus pascit*, quod consistit in duobus, in ereptione inopiæ, & in adeptione omnis boni, quod bonum innuitur in sequentibus, addens textus, *super aquam refectionis educavit me*, scilicet per susceptionem cibi Eucharistici, & *deduxit me super semitas justitiæ*, idest per observantiam mandatorum, in his duobus consistit tota salus, nec unum sufficit sine alio. *Psalm. 22.*

3. *Pastus sacræ Scripturæ, affert animæ omne bonum.*

Dominus regit me, Dominus (pascit.) Quomodò regi, & pasci sunt hic convertibilia? quia per expositionem sacræ Scripturæ veteris, & novi testamenti nos regit, & pascua hujus Sacræ doctrinæ pascit animam. *Psalm. 35. & 70. op. de dono intellect. c. 7.*

4. *Per fidem, mysteriaque fidei, & spem Deus regit, & pascit animam intra Ecclesiam introductam.*

Dominus regit (pascit) me, in loco pascuæ ibi me collocavit. Nota, quod ad hoc, ut Deus regat, & pascat animam, ipsam introducit in loco pascuæ; quis est iste locus pascuæ? & quid in hoc loco exhibet pro cibo? in loco pascuæ, idest intrà Ecclesiam, quia extrà ipsam Deus non regit, nec pascit; cibi qui exhibentur in Ecclesia sunt mysteria fidei, & spei, & charitatis, quia per fidem, & spem pascit mirabiliter nos. *in Ioan. c. 10. v. 9.*

5. *Dominus diversimodè pascit animam secundùm indigentiam per pascua, scilicet Scriptura.*

Dominus regit me (pascit me) & nihil mihi deerit. Jam dictum est hunc pastum, & convivium exhiberi in Sacra Scriptura, sed nota, quòd secundùm diversam indigentiam pascit animas: nam modò pascit historia, modò sub cortice litteræ, allegoria, modò ad altiora reducit per anagogiam: per primum convivium simplices cibantur: per secundum Doctores, & per tertium perfecti: primum continet saporem exemplorum, & miraculorum: secundum dilectionem mysteriorum per figuras; & tertium dulcedinem morum; in primo est corrobatio fidei, in secundo confortatio spei, & in tertio augmentum charitatis. *Op. de dono scientiæ c. 3. & 4.*

6. *Christus pascit suos manna cœlesti: Diabolus peccatis maximè carnalibus.*

Dominus regit me (pascit me). & nihil mihi deerit. Quo cibo te pascit Deus? Nota, quòd Christus pascit suos; Diabolus item suos sequaces: Christus pascit suos cibo habente omnem suavitatis saporem, scilicet multiplici cibo, & præcipuè Eucharistia, quæ est manna de cœlo missum. *in Ioan. c. 6. v. 31. & 55. & l. 4. d. 8. art. 1. qu. 2. ad arg.* Pascit item internæ conscientiæ gaudiis, divinis eloquiis, & orationibus. *in Ioan collat. 48.* Diabolus è contrà pascit suos sequaces, sed cibis inferni, nempè siliquis, suntque ebrietas, fornicatio, aliaque vitia, quæ ventrem implent ad interitum. *in Luc. c. 15. v. 15.*

7. *Christus pascit suos cibo Eucharistico, & aliis Sacramentis.*

Dominus regit me (pascit me) & nihil mihi deerit: super aquam refectionis educavit me. Sed cur appellatur aqua refectionis cibus Christi? potestne quis educari, & refici aqua? minimè loquendo de aqua materiali; sed aqua spirituali: & quæ est hæc aqua spiritualis? Hæc sunt Baptismus, aliaque Sacramenta, quibus veluti panibus educatur, & reficitur anima, postquam aqua Baptismi, vel pœnitentiæ abluta est; & præcipuè hoc fit in sacramento Eucharistiæ, quæ mirabiliter reficit. *In Psalm. 22. in op. Comp. Theol. l. 6. c. 3. & 15. in Ioan. c. 6. v. 31. & 55. in Sap. c. 15. & 16.*

8. *Dominus pascit suos aqua mirabilis refectionis: Diabolus aqua carnalis concupiscentiæ.*

Dominus. &c. super aquam refectionis educavit me. Quid est hæc aqua refectionis & ubi invenitur? Nota, quod dicit (*super aquam refectionis*) ad differentiam aquæ carnalis concupiscentiæ, qua Diabolus suos educat; concupiscentia enim dicitur aqua, quia fluit, quia lubrica, & deorsum currens impetit suos sequaces instabiles, & dissolutos reddens: aqua item est perversa doctrina mundanorum, aqua item delectationis mundanæ quæ in puteo voluptatis sæculi existens in profunditate tenebrosa hauritur cum maximo labore ab hominibus hydria voluptatis, & ideò sitim non potest extinguere. E contrà aqua, quam Christus suis exhibet est divinæ gratiæ purificantis, & refrigerantis; item supernæ consolationis; item supernæ sapientiæ item æternæ gloriæ: hæc aqua irrigat animam; eamque mirabiliter reficit, quia fluit è fonte bonitatis divinæ: qui igitur biberit de hac aqua, non sitiet iterùm, nec esuriet. *in Ioan. collat. 21.*

9. *Alij deducuntur à Deo per viam latam; alij per semitas.*

Deduxit me per semitas justitiæ. Cur per semitas justitiæ? quænam sunt istæ semitæ? Nota, quod ad Deum deducitur aliquis per viam latam, aliquis

quis per ſemitas juſtitiæ; per viam latam deducuntur in eœlum animæ evolantes ad cœlum, ſed per purgationem tranſeunt: per ſemitas verò, quæ ſine purgatorio tranſeunt: ſi ergo volumus per viam breviorem, & citò ad eælum tranſite, itineremus per ſemitam perfectè vivendo, & patrum noſtrorum antiquas perfectiones ſequendo. *Serm.12.in Pentecoſte.*

10. *Per ſemitas rectas juſtitiæ ambulat qui obſervat Dei mandata.*

Deduxit me per ſemitas juſtitiæ. Ideſt per obſervantiam perfectam mandatorum Dei. *in Pſalm.22. & ſerm.12.in Pentecoſte.*

11. *Iter juſtitiæ, qualiter faciendum, iterque Babylonis evitandum.*

Deduxit me per ſemitas juſtitiæ: nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, &c. Nota, quod eſt iter ad cœlum, & iter ad Babylonem inferni; qui vult cœli iter arripere, debet exire è Babylone peccatorum, & per pœnitentiæ viam ambulare, & fugere iter inferni, quod eſt peccatum. *Pſalm.22.*

12. *Qui cum Deo vivit, non ambulat in tenebris, qui ſine Deo eſt, vivit in tenebris.*

Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es. Quomodò poteſt quis eſſe cum Deo, & ſimul ambulare in medio umbræ mortis? nonne cum luce ambulat, qui ambulat cum Deo? ſed nota, quòd dicit, (*in medio umbræ mortis*:) nam qui cum Deo eſt, & vivit, & Deum præſentem habet, etiamſi in mediis tribulationibus vivat, totum eſt umbra mortis, & noctis non vera mors, & nox: nam qui in luce divina ambulat, non offendit, quia in præſentia Dei, qui eſt lux illuminans, ambulat; non ſic qui in peccato vivit, nam in tenebrarum medio ambulat, & in multa offendicula, & mala offendit. *in Ioan.c.11.v.10. & c.12. & op. ſtim. p.3. c.16.* Et hinc Sanctus Pater Franciſcus frequenter repetebat hunc verſum cum maxima ſpiritus exultatione. *op. legena. ſancti Franciſci.c.9.*

13. *Fortitudinis virtus eſt virga, & baculus inflexibilis neceſſarius homini itineranti.*

Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt, &c. Quomodò dicitur te conſolatum fuiſſe per virgam, & baculum, ſi iſta ſunt inſtrumenta ad percutiendum? Nota quòd hic myſticè loquitur de virga, & baculo ſuſtentante, ſcilicet de virtute fortitudinis, eſt enim inflexibilis, quia firmat animam contrà moleſtias ſæculi, & ideò neceſſaria eſt homini in hac vita, quæ eſt locus certaminis, itineris & laboris; hinc neceſſaria eſt itinerantibus, certantibus, & laborantibus ad perfruendum conſolationibus cœleſtibus. *Op. Diat.tit.5.c.7.*

14. *Virga Dei in hac vita eſt multiplex.*

Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Nota, quòd Deus exhibet homini multiplicem virgam nempè ultionis, eſtque ſervorum; virga correctionis, eſtque filiorum; virga conſolationis, eſtque mœſtorum; virga directionis, eſtque Prælatorum; virga fructificationis, eſtque juſtorum, & virga virtutis, eſtque conditoris univerſorum. *Pſalm.22.*

15. Deus dicitur patiens, quia in hac vita conſolatoriè punit, undè dicit Propheta, *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Nota hanc copulationem virgæ, baculique percutientis, & conſolationum: quia cum nos flagellat, tunc ſignum eſt, quòd nos diligit, & vult conſolationes immittere. *Pſal.2. & 70. & 114.*

16. *Prælatus virga zeli corrigat; ſed baculo compaſſionis ſuſtentet.*

Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Cur ad virgam addit baculum? Nota, quod virga eſt ad correctionem, baculus ad ſuſtentationem: ſic Prælatus ad imitationem Dei nos corrigentis, & ſimul confortantis, ità debet zelo juſtitiæ uti virga corrigendo, quod etiam baculo compaſſionis ſuſtentet correctum: ſic Chriſtus vinum infundit in vulnerato zeli, & oleum pietatis. *Op. de ſex alis Seraph. c. 4.* Undè etiam per virgam intelligitur Prælatus, cujus munus eſt confortare, & conſolari ſubditos. *Serm.1.de S. Andrea.*

17. *Flagella à Deo immiſſa quam utilia.*

Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Nota primò ordinem virgæ, & baculi, poſteà illud additum *ipſa me conſolata ſunt*: cur addit illud demonſtrativum (*ipſa*?) ſed reſpondetur, quod per virgam poſſunt intelligi flagella minora: per baculum majora, ità Doctores in Gloſſa: addit, *ipſa me, &c.* quia per hoc nomen demonſtrativum notatur aliquod mirabile, & quid? me conſolata ſunt ſcilicet ob utilitates, quæ ex quacumque flagellatione Dei proveniunt, nam omne flagellum vel eſt ad gloriam majorem flagellantis, ſcilicèt ut manifeſtetur, vel potentia in miſerendo, vel in judicando, vel ad utilitatem flagellati, nempè vel ut promoveatur in bono, vel ut conſervetur, vel ut reducatur ad bonum: Deus enim convertit per flagella, vel erudit, vel probat, vel lætum facit, vel confortat, vel ſatiat, vel coronat. *l.4.d.15.p.1.dub.1.*

18. *Menſa Euchariſtiæ à Chriſto eſt nobis parata in Eccleſia, ut per eam armemur, & ſuperemus Dæmones & vitia.*

Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me. Nota, quòd videtur parùm apta hæc præparatio contra hoſtes: menſa enim quid poterit contra hoſtes? & non potiùs armatura, & propugnacula? ſed optimè dicit, menſa hæc eſt Euchariſtia, in qua Chriſtus

reſidet : hæc parata eſt contra hoſtes tribulantes, ſcilicet Dæmones : hæc enim ſecuriſſimè reportat triumphum de ipſis : ſed nota, quòd ad hanc menſam non admittuntur canes, nempè in peccato mortali exiſtentes. *ſerm.5.Dom.2.quadrag. & op.comp.Theol.l.6.c.15.*

19. *Menſa materialis debet parari in conſpectu Domini, non Diaboli.*

Paraſti in conſpectu meo menſam. Ergone ô Rex ad Deum ſpectat parare menſam regiam, & non potiùs ad ſuos miniſtros? ſed nota, quòd dicit hanc menſam paratam à Deo, à quo omne bonum, & ultra hoc, in conſpectu Domini; quid eſt in conſpectu Domini? ut ſcilicet ejiciatur, vel non vocetur ad menſam diabolus, & id eveniet, ſi evitetur crapula gulæ, immiſericordia, ſocietas mala, & cibus illicitus. *ſerm.3.Dom.2.quadrag.*

20. *Menſa ſacræ ſcripturæ parata eſt contra vitia à Deo.*

Paraſti menſam &c. Nota etiam, quòd per hanc menſam poteſt intelligi ſacra ſcriptura, quæ in præſenti nos reficit, & in futuro dat gloriam : tot fercula autem habet, quot præcepta, conſilia, virtutes, & exempla continet, quibus de hoſtibus triumphamus. *ſerm.5. Dom.2. quadrageſima.* Nota etiam, quod hæc menſa eſt quadruplex : ſcilicet hiſtorica; Allegorica; tropologica, & Anagogica : in quibus pro hiſtorica panis : carnes pro allegorica; piſces pro tropologica, & vinum pro anagogica ponuntur. *Pſalm.23.*

21. *Menſa cœleſtis gloriæ præparata oſtenditur, ut per ejus meditationem, & deſiderium, de omnibus inimicis triumphemus.*

Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus &c. Nota etiam, quòd hæc menſa à Deo parata eſt cœleſtis gloria, quæ proponitur, & exhibetur nobis, ut fortiter dimicamus contra hoſtes, & coronemur in Cœlo. *ſerm.5.Dom.2.quadrageſimæ & in Luc.c.14.v.18.*

22. *Prædicatores nomine Chriſti parant nobis menſam cibis ſolidis, & liquidis adverſus eos, qui tribulant nos.*

Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos. Jam dictum eſt hanc menſam eſſe ſacram ſcripturam; hæcque præparatur à Chriſto per Prædicatores apponentes cibos ſolidos, & liquidos ſuaviſſimos adverſus omnes, qui tribulant nos. *Pſalm.54.*

23. *Animæ contemplativæ parata eſt hæc menſa.*

Paraſti in conſpectu meo menſam &c. Nota, quòd hæc dicuntur in perſona animæ contemplativæ; & primò paraſti in conſpectu meo menſam, intelligentiam divinorum myſteriorum tamquam in menſa, ut ijs poſſit cibari, & refici; addit, *adverſus eos, qui tribulant me*; quia tali cibatione convivantes inediam ſpiritualem rejiciunt, & confortantur, & vires acquirunt : addit, *impinguaſti in oleo caput meum*; ſcilicet mens gratioſa dulcedine, & refectione nutritur, & decoratur: ſubdit tandem *calix meus inebrians eſt*; quia talis cibatio inducit mentem ad ebrietatem ſpiritualem, ſcilicet ad oblivionem ſui, & creaturarum, & ad ſocietatem, & unionem cum Deo : ergo hæc menſa cibat mentem pane vitæ, & intellectus. *op. de dono intellectus.c.7.*

24. *Anima collocans ſe ad menſam contemplationis myſteriorum Dei impinguatur in oleo dulcedinis divinæ, & inebriatur.*

Impinguaſti in oleo caput meum, & calix inebrians, quam præclarus eſt &c. Jam dictum eſt, quòd hæc menſa eſt contemplatio altiſſima myſteriorum Dei : qui autem ad hanc menſam ſe cibat, impinguabitur divina dulcedine, & inebriabitur ab ubertate domus Dei : vivetque veluti abſorpta in gloria. *op.de dono intellect.c.7. & de dono ſapient.c.11.*

25. *Per exercitium operum pietatis anima impinguatur dulcedine divina, & amore Dei inebriatur.*

Impinguaſti in oleo caput meum : & calix meus inebrians eſt &c. Nota, quòd primò ante ponitur impinguaſti in oleo, poſtea inebriatio divina : quid eſt impinguaſti in oleo? ſed vide Chriſtum collocatum in monte Oliveti aſcendentem ad Patrem, ut diſcas, quòd qui impinguatur in exercitijs operum pietatis, & miſericordiæ ſignificatæ in oleo, elevabitur ad ubertatem domus Dei. *in Luc.c.22.v.39.& in Ioan.collat.67.*

26. *Sanguis Chriſti in menſa Euchariſtiæ expoſitus ſub tropo calicis, & quarè : ubi de forma conſecrationis vini.*

Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt &c. Si hic proponitur ſanguis Chriſti expoſitus in menſa Euchariſtiæ, cur ſub Metaphora calicis? calixne bibitur, an vinum in calice poſitum? ſed ſolvitur hoc dubium ex doctrina, quam tradunt Doctores Theologi agentes de conſecratione vini : quærunt enim cur dicitur in forma conſecrationis. Hic eſt calix ſanguinis mei, & non potiùs hic eſt ſanguis meus, ſicut dicitur, Hoc eſt corpus meũ. Reſp. id fieri quia ſãguis de ſe abſolutè ſumptus non dicit nec effuſionem, nec ſumptionem, ſicut importat forma conſecrationis corporis : ſed in calice poſitus proponitur effuſus, & expreſſus in eo, ex torculari crucis, & propoſitus ad bibendum, ſicut dicitur, bibe hunc calicem vini; & ideò alluſio fit ad inebriationem, quam ſecum fert ſpiritualiter ſumptio ſanguinis Euchariſtici. *l.4. d.8.p.2, art.2.qu.2.*

27. *Ebrietate corporali cauſat Diabolus Metamorphoſim: ſpirituali cauſat Chriſtus deificationem.*

Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt. Ergo inebriatio dicitur præclara? ſed nota, quòd ebrietas

ebrietas est spiritualis, & corporalis; illa est à Christo, & per eam causatur raptus ad superna, & dicitur Apotheosis, vel deificatio; ista à Diabolo, qua causat Metamorphosim, scilicet mutationem à bono in malum, vel potiùs in bestiam. *Psalm* 22.

28. Deus semper paratus suam gratiam dare: undè dicit Propheta, *Et misericordia tua subsequetur omnibus diebus vitæ meæ. In Thren c.* 3. ubi indicat gratiam perseverantiæ, quæ sola in domum Domini conducit; undè subdit. *Et ut inhabitem in domo Domini. Psalm.*69. *&* 118. *c.*3.*v.*9. *& c.*10.*v.*5.

29. *Per intercessionem Beatæ Mariæ Virginis Dominus regit, & dirigit nos per viam pietatis.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Cur tam asseveranter confidis, ot Deus te regat, & deducat ad portum salutis? Nota, quòd hoc dici potest à quolibet nostrum; ex hoc quòd Maria Virgo amabilem vultum Dei ad nos convertit sua mediatione, & intercessione, quia lacte suo dulcissimo nutrivit Deum, misericordemque reddidit, quia oculis suis benignissimis vulneravit cor Dei, & eos ad nos misericorditer convertit: benedictum igitur sit lumen, & splendor faciei ejus, benedicta sit gratia vultus ejus; benedicti sint oculi ejus misericordes, benedicta sit misericordia manuum suarum, & emanatio virginei lactis sui: benedicant ei Prophetæ, Martyres, Confessores, & Virgines Dei. *op. Psalt. Beatæ Virg. Psalm.*22.

30. *Ex Maria Virgine habemus panem Eucharistiæ.*

Dominus regit me, Dominus (pascit me) in loco pascua ibi me collocavit &c. Jam dictum est, quòd hic exprimitur præparatio Eucharistiæ facta in Ecclesia, qua nos pascit: sed nota, quòd tantam gratiam habemus opere, & industria Mariæ Virginis; undè dicit Christus, in loco pascuæ ibi me collocavit &c. quodnam pascua est istud, in quo positus fuit? Hoc pascua est uterus Virginis in quo, ut in loco voluptatis collocatus fuit Christus, dicitur autem pascua, vel panis, quia in utero ejus panis igne Spiritus Sancti præparatus, & coctus est, velut in clibano. *Psalm.* 53 *&* 118.*& op. meditat. vitæ Christi c.*4.*& op. de perfect.vitæ c.*8.

31. *Ex Maria tamquam ex virga ortus est flos scilicet Christus nos confortans.*

Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Quæ est virga, & baculus, quo mediante ad nos venit consolatio divina? hæc est Maria Virgo, verè virga Aaron, quæ emisit florem Christum, cujus odor mirabiliter nos consolatur, & confortat, & sustentat in itinere hujus vitæ. *op. specul. Beatæ Virginis lect.*6.*& in Luc.c.*1.*v.*35.

32. *Per Mariam fugantur Dæmones tamquam per virgam virtutis Dei.*

Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Si Virgo Maria est virga virtutis Dei, ergo per ipsam fugantur Dæmones. *op. specul. Beatæ Virg. lect.* 3.

33. *Qui cum Maria, ejusque obsequijs vivunt, securi manent in medio mari tribulationum.*

Nam & si ambulavero in medio tribulationis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Hoc dicebat Propheta Deo; hoc & nos dicere possumus cum Maria; ipsa enim est Maria, idest stella maris: ergo qui in mari hujus vitæ ambulat in medio tribulationum, & cum Maria ambulat, non timere debet: dicamus ergo Mariæ: si es stella maris, ergo semper volo esse in hoc mari, ot semper sis stella mea, in mari inquam pœnitentiæ, & tribulationis gemendo, Christo crucifixo compatiendo, miserijs proximorum condolendo; curtantundique tribulationes, & sepiant amaritudinibus non timebo, quoniam tu mecum es *op. stim. p.*3.*c.*16.

34. *Maria fons, & calix præclarus mundo nectar propinans.*

Et calix meus inebrians quam præclarus est. Quis est iste calix tam præclarus, & inebrians animas nisi Beata Virgo, quæ fuit fons, & calix in se recipiens nectar cœlicum, illudque nobis propinavit. *op. Psalt. minus quinquag.*3.

35. *Misericordia Mariæ immensissima.*

Et misericordia tua subsequetur &c. Si hoc dicitur de Deo, idem & suo modo dicendum est de Beata Virgine, cujus misericordia non solùm subsequitur nos, sed & antecedit, nam longitudo misericordiæ Mariæ usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum; sublimitas invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris obtinuit redemptionem. *op. specul. Beatæ Virg. lect.*5.



PSALMUS XXIII.

1. PRimò nota titulum Psalmi hujus esse hunc: Prima sabbathi Psalmus David: quia agitur de Christi clarificatione, & hominis formatione, & reformatione; & ideò intitulatur pro prima sabbathi, scilicet pro die Dominica, quæ est dies prima, & dicitur Dominica ob duo, primò quia ea die Deus incœpit creare mundum, & tunc incepit esse Dominus in tempore: secundò qoia ea die resurrexit, & tunc innotuit Dominus Inferorum, mortuorum, & vivorum, & ideò dicitur, prima sabbathi, idest prima hora talis diei surrexit. *Psalm.*12.

2. Deus Dominus vocatur terræ & plenitudinis ejus, scilicet creaturarum, quibus plenus est mundus: Dominus inquam potestate, & creatione. *Psalm.*32.*&* 49. *&* l.3.d.1.*dub* 1. *& in Luc.c.*2. *v.*1. Et in hoc patebit excellentia majestatis, potestatis, & affluentia liberalitatis in omnes. *serm.*2. *in Epiph.*

3. *A Deo, ut Domino totius mundi petenda eſt, & expectanda fœcunditas terræ.*

Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Quæ eſt hæc plenitudo, niſi productio fructuum, & redditutum abundantia: ergo cum omnia hæc ſint Dei, & à Deo, ab ipſo petenda, & expectanda. *op. ſpecul. Beata Virg. lect. 7.*

4. *A Domino eſt Eccleſia militans, & ejus plenitudo, ſcilicet bonorum.*

Domini eſt terra &c. Quæ terra? Hæc eſt Eccleſia militans, cujus bona ſunt Dei, & à Deo. *Pſalm. 32.*

5. Hanc ſcilicet Eccleſiam fundavit Deus ſuper maria ideſt ſuper aquas Babylonis in poteſtate, & fide Trinitatis. *ſerm. 1. Dom. Trinitatis.*

6. Providentia Dei patefit ex hoc, quod fundavit Deus terram ſuper aquas, ideſt ut eſſet fructifera, voluit, ut per decurſum fluviorum à mari provenientium irrigaretur. *l. 2. d. 14. p. 2. dub. 1.*

7. *Aſcendit ad montem Domini, ſcilicet ad gloriam ſolùm innocens manibus, & mundo corde.*

Quis aſcendet in montem, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde &c. Ecce quomodò innocens in operibus, & qui mundum cor conſervat coram Deo aſcenſurus eſt ad montem gloriam, & cum hoc ſit verum patet quanta ſit vecordia hominum, qui tantam curam exhibent in mundando manus, pedes, & corpus, & tantam negligentiam exercent in mundando animam. *ſerm. 2. fer. 2. Paſcha.*

8. *Solùm in curſu quatuor rotarum poteſt homo aſcendere in montem Domini.*

Quis aſcendet in montem &c. Reſpondetur; qui ſibi provident currum quatuor rotarum, ſuntque expreſſæ à Propheta; prima rota eſt innocens manibus, ſcilicet operibus, ſecunda eſt & mundo corde per ignitam charitatem, tertia eſt, qui non accipit in vano animam ſuam, ſcilicet, qui animam Deo offert; & conſervat, quarta rota eſt charitas proximi, nec juravit in dolo proximo ſuo. *ſerm. 4. in Aſcenſ. & ſerm. 2. Dom. 16. poſt Pentecoſt.*

9. *Innocentes, & mundi aſcendunt in Cœlum: immundi deſcendunt in Infernum.*

Quis aſcendet &c. Innocens manibus, & mundo corde. Ecce quomodò ſolùm mundi, & innocentes intrabunt in regnum Cœlorum, & præcipuè Virgines corde, & corpore, immundi ergo in Infernum deſcendunt. *ſerm. 1. in feſto omnium ſanctorum; & ſerm. 4. Dom. 2. poſt oct. Epiph.* Mundi ergo opere, corde, & ore aſcendunt in montem ſanctum Domini. *ſerm. 1. de uno Confeſſore; & op. de ſex alis Cherubi.*

10. *Iuramentum de ſe eſt licitum: doloſum prohibitum.*

Nec juravit in dolo &c. Nota *in dolo*: ut videas, quod juramentum de ſe eſt licitum; ſed doloſum prohibitum. *Pſalm. 15. & Pſalm. 118. c. 7. v. 10.*

11. Accipit benedictionem à Domino, qui vivit mundus, non ſolum quoad ſe, ſed etiam exteriùs per converſationem, & bonum exemplum, & de iſto dicitur, *hic accipiet benedictionem à Domino. ſerm. 3. Dom. 19. poſt Pentecoſt.*

12. *Generatio quærentium Dominum quænam ſit.*

Hæc eſt generatio quærentium Dominum. Quænam eſt hæc generatio? non omnis, ſed tantùm quærentium Dominum: ſed attende, quòd ſupra Propheta deſcripſerat modum multiplicem quærendi Dominum, dicendo: *Innocens manibus &c.* per quæ datur intelligi, quando, ubi, & ad quid quærendus eſt Chriſtus: tempus autem determinatur pro hac vita, in qua per pœnitentiam, munditiam, & innocentiam, vel in triduo contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis quærendus eſt, & ideò dicitur (*quærentium Dominum*) ſcilicet nunc in hac vita: Ubi determinatur dicendo, *& mundo corde*, ſcilicet in corde puro, non in cloaca diaboli; finis eſt ad accipiendam benedictionem; ideò ſubdit, *hic accipiet benedictionem*, ſcilicet divinæ gratiæ, & gloriæ; qui ſic quærit Dominum eſt de numero hujus generationis, ſicut fuerunt Maria, Joſeph, & Magdalena, qui ardentiſſimi quæſierunt Chriſtum; & quia in Magdalena figurantur pœnitentes, & incipientes; in Joſeph regentes activi, & proficientes. & in Maria innocentes, contemplativi, & perfecti, ideò iſti ſoli ſunt de hac generatione quærentium Dominum. *ſerm. 5. Dom. infrà oct. Epiph.*

13. *Chriſtus in reſurrectione abſtulit omnia impedimenta ad ingreſſum Cœli.*

Attollite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ &c. Hæc verba ad quemnam diriguntur, & à quo? A Chriſto in reſurrectione dicuntur Angelis, tanquam à Domino virtutum, ſcilicet habente auctoritatem, Attollite inquit, & aperite portas cœleſtis gloriæ, quoniam per ſanguinem meum facta eſt reparatio concordiæ univerſalis, & relaxatio vindictæ judicialis: nunc ergo amoto flammeo gladio de portis Paradiſi, volo, ut fiat reſeratio januæ cœleſtis, & ingrediatur gens juſta, & cuſtodiens veritatem: vetus enim error abiit primæ prævaricationis, cujus merito obligabatur ad pœnam. *ſerm. 2. Dom. 1. Adventus, & ſerm. 1. in Paſcha.*

14. *Ad Chriſtum portam veram gratiæ, & gloriæ eſt pulſandum à volentibus intrare.*

Attollite portas Principes veſtras &c. Quæ ſunt iſtæ portæ principales, vel æternales? Nota per iſtas portas intelligitur Chriſtus, qui eſt porta multiplex, ſcilicet remiſſionis peccatorum gratiæ, & gloriæ: ad hanc eſt pulſandum in Eccleſia à volentibus intrare. *Pſalm. 33. & Pſalm. 47.* & hinc

ad

ad omnes dirigit illa verba in Joan.c.10. *Ego sum ostium per me si quis introierit salvabitur*. Ostium scilicet omnibus apertum. *in Joan.c.10.*

15. *Primus fructus passionis Christi est confractio carceris Inferni.*

Attollite portas Principes vestras &c. Nota hoc dicitur in tempore, quo Christus ad lymbum descendit, tunc enim confregit portas illius inferni, & liberavit omnes justos ibi existentes: hicque fuit primus fructus suæ Passionis. *op. Dict.sal. titul.10.c.3.*

16. *Per donum fortitudinis Spiritus Sancti aperitur porta cordis, per quam Christus intrat eam fortificando, & illuminando.*

Attollite portas &c. & introibit Rex gloriæ: quis est iste Rex gloriæ, Dominus virtutum, fortis, & potens. Mysticè hæc diriguntur ad nos, ut aperiamus portas cordis nostri Christo, & Spiritui Sancto; qui cum sit Dominus fortis, & potens, & virtuosus donum fortitudinis dabit: per quod introducitur in animam Spiritus Dei, fortificatur contra vitia, & mirabiliter illuminatur luce cœlestis gloriæ. *op. de dono fortitud.c.2.*

17. *Iesus Christus ostensus in resurrectione Dominus fortis, & potens, & rex virtutum.*

Attollite portas Principes vestras, & introibit rex gloriæ. Nota, quòd hæc verba referuntur ad illud triduum, in quo Christus jacuit in sepulchro, post quod Christus in resurrectione ostensus est fortis, & potens, & rex virtutum, quia propria virtute claves Cœli habens portas Paradisi reseravit, post confractionem portarum Inferni, & resurrexit rex gloriæ. Et hinc in triduo illo substrahitur principium horarum, scilicet, *Deus in adjutorium &c.* & finis, scilicet oratio, quia cum Christus sit Alpha, & Omega, principium, & finis omnium nostrorum bonorum, habens claves vitæ, & mortis: nondum hanc potestatem ostendebat, sicut fecit in resurrectione. *In Psalm.23.* *Ritus Ecclesiasticus*

17. *Christus Rex: Charitas Regina in Regno Christi.*

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Nota, quod ad ostendendum Christum Regem gloriæ declaratur Dominus virtutum: Cur per rem magis ignotam intendit declarare aliud ignotum? Cur non dicitur Dominus Jesus filius Dei est, qui vult ingredi? sed dicitur Dominus virtutum? Sed nota, quod Christus declaratur, quia est Dominus in Regno virtutum: & quia Regina virtutum est charitas, quæ omnes alias regit, & vivificat: hinc Rex gloriæ dicitur, quia Reginam secum ducebat, scilicet charitatem, cum choro aliarum virtutum: & ideò sine hac non fuisset introductus in Regnum Cœlorum *Psal. 44.* Et hinc noluit Christus, ut scinderetur vestis inconsutilis, quæ significabat vestem charitatis, quæ est vestis nuptialis Christi, ut hac veste indutus introduceretur in Cœlum *In Joan.c.19.v.34.* Hinc vide, quod si cor & opera tua isti regi, & reginæ non submittas regnum cœlorum non intrabis.

18. *Christus quia factus est obediens usque ad mortem, declaratus est Rex virtutum, quia obedientia est fundamentum omnium virtutum.*

Dominus fortis, & potens: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Cur primò ponitur Deus virtutum, & postea Rex gloriæ? Cur non primò ponitur Rex gloriæ, quia ut talis facilè agnosceretur Rex virtutum? Id factum est, ut videas quod Christus licèt filios Dei, & Rex gloriæ, tamen per exercitium virtutum oportuit, ut intraret in Regnum Cœlorum, & quia hoc exercitium pro fundamento habuit obedientiam: hine virtute obedientiæ declaratus est Deus virtutum, & Rex gloriæ: Ex hoc disce, quod obediéntia est schola salvatoris, quam docuit, & exercuit ad mundum veniens, in mundo nascens, & à mundo transiens. *Dict.sal.Tit.4.c.2.In Psal.67.& In sap.c.12.*

19. *Maria Virgo regnat in mundo cum Christo &c.*

Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi &c. Nota, quòd hæc dicuntur de Christo constituto Rege totius universi: ergo & eadem possumus dicere de Maria Virgine: nempè quia est mater ejus, ideo regnat cum eo: & ideo plenitudo terræ est in manibus mariæ nempè omnis fructificatio bonorum. *In Psal.23. & op. specul. B Virg lect.7.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

20. *Beata Virgo Maria terra benedicta, & plena omnis boni.*

Domini est terra. Ergo ne sola terra est sub dominio Dei? sed id sufficit ad declarandam potestatem, & dominium Dei: Terra hæc mysticè est Maria: terra inquam humilitate, & utilitate, quia sicut ex terra sic ex Maria, in qua est plenitudo omnis boni, habemus victum, vestitum, panem, vinum, lanam, & linum, & hujus vitæ necessaria, & ideò si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis, si quid boni habemus, à Maria derivare noverimus. *op. specul. B.Virg. lect.7.*

21. *Mons est Beata Virgo Maria, à quo omne bonum, & ad quem innocentes ascendunt.*

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus. Quis est iste mons Domini, & locus Sanctus? Nota mysticè Maria Virgo est mons, & locus electissimus Dei: mons inquam frugifer, quia granum frumenti nobis produxit, mons sublimis, elevatus, jus principatus in Cœlis tenens: mons item olimpus purissimus, ad quem non potuerunt attingere grandines, fulgura, nec aliqiod impurum, ab hoc monte nobis proveniunt omnia bona. *serm.2.in die Nativitatis, & serm.1. de B.Virg.*

22. Maria

22. *Maria pro toto genere humano accepit à Deo omnem benedictionem.*

Hic accipies benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo ſalutari ſuo. Si innocens, & mundus accepit benedictionem à Domino: & quis innocens, & mundus ſicut Maria Virgo? Et ideò dicit Eccleſia. *Benedicta tu in mulieribus*, quia benedictionem omnem communicabilem puræ creaturæ in ſe recepit pro ſe, & pro nobis: nempè plenitudinem gratiæ, donorum Spiritus ſancti, & omnium creaturarum: benedictionem recepit pro humilitate contra ſuperbiam, pro charitate contra invidiam, pro manſuetudine contra iracundiam, pro ſtrenuitate contra accidiam, pro liberalitate contra avaritiam, pro ſobrietate contra gulam, & pro caſtitate contra luxuriam: & ideò ad ipſam dicamus: Eia ergo tam multipliciter benedicta, oramus ut tua benedictione nos miſeros abſolutos ab omni maledictione, dignos reddas divina benedictione. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 14. & 15.*

23. *Maria, & Ioſeph, quia quæſierunt ſanctè Chriſtum, ideò ipſum invenerunt.*

Hæc eſt generatio quærentium Dominum &c. Quæ eſt hæc generatio quærentium Dominum? niſi Beata Virgo Maria, & Joſeph, de quibus dicitur, *Luc. 12. Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Ecce quomodò hæc generatio quæſivit Chriſtum toto corde: ideò ipſum invenit pro ſe, & pro nobis. *Serm. 5. Dom. infrà oct. Epiph.*

24. *Chriſtus Rex: Maria Regina in Regno Eccleſiæ militantis, & triumphantis.*

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens Dominus virtutum. Si Chriſtus eſt Rex; & ubi eſt Regina? Reſpondet Propheta. *Pſal. 44. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Hæc eſt Beata Virgo Maria, cui ſine fine Reges aſtant, & Reginæ, quia Regina eſt ſæculorum, Regum Princeps, & Regnorum. *Op. Pſalt. B. Virg. minus quinquag. 1.* Maria igitur eſt generatio, quæ ſupra Cœli ſolium ad dexteram Dei reſidet juxta proprium filium, Cœli Regina præſidet, confirmans mentes deſides, præſtans ejus auxilium, & ſuis ſervis præſidet impetrando, & imperando ſubſidium. *Op. laus B. Virg. ſig. 19.* Et hinc ut Regina gloriam, & decorem induit: omnis lapis pretioſus amictus & operimentum ejus: ſplendor ſolis ſuper caput ſuum, lunaris pulchritudo ſub pedibus, ſidera micantia ſedile ſuum, aſtra ipſam glorificant jugiter matutina: Bonum igitur eſt ſubdere ſeſe ſuæ ſervituti, quia per eam poſſumus aſcendere Cœlum, vitam æternam aſſequi, & cum Maria ſemper vivere. *Op. laus B. Virg. ſig. 13. & Pſalt. B. Virg. Pſal. 23.*

PSALMUS XXIV.

1. PRIMÒ nota hic titulum apponi. In finem Pſalmus David. In quo introducitur Eccleſia, petens ſibi oſtendi viam redeundi in patriam inter præſſuras hujus vitæ.

2. *Qui frequenter elevat animam ad Deum, pulſando ad portam divinæ miſericordiæ, facilè introducitur ad Dei fruitionem.*

Ad te levavi animam meam: Deus meus in te confido non erubeſcam. Nota, quod dicit in tempore præterito, (*levavi*,) dum actu denuo elevat animam ad Deum, & addit, ſe non erubeſcere: ſed qua confidentia id audet? Non alia, niſi ex experimento, quod habebat de Dei benignitate facillimè introducentis animam ad ſui fruitionem, quæ frequenter ſe elevat ad pulſandum ad portas ſuæ pietatis: ſic enim nullam erubeſcentiam pati poteſt: & hinc veri ſervi Dei ex tali fiducia intrant ſtatim in divina tabernacula, & frequenter, quia practicè norunt quàm bonus ſit Deus ipſum quærentibus. *Pſal. 118. e. 8. v. 3.*

3. *Iuſti levant corda ad Deum: mundani deprimunt ad terram.*

Ad te levavi animam meam &c. Ecce diſcrimen inter Deum amantes, & mundum: Juſtorum enim proprium eſt levare cor ad Deum: mundanorum eſt deprimere ad terram: primi ſunt de populo Dei: ſecundi de populo vitiorum, & Judæorum. *In Thren. cap. 3. & in Pſal. 24. in princip.*

4. *Elevatio animæ ad Deum exigit auxilium Dei, & concurſum liberi arbitrii.*

Ad te levavi animam meam: Deus meus in te confido non erubeſcam. Nota, quod Propheta ſeipſum ut elevantem ad Deum proponit, & deinde notat ſe confidere in Dei auxilio: Per hoc dat intelligere, quod elevatio animæ duo exigit, ſcilicet auxilium Dei, & concurſum liberi arbitrii: nec unum ſine alio ſufficit ad perficiendam animam. *Pſal 24.* Ideò qui vult ad Deum aſcendere, gradus ſibi provideat exercitio confidentiæ, & ſpei in Deum.

5. *Mirabiles effectus confidentiæ in Deum enarrantur.*

Ad te levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam. Nota, quod hic innuuntur effectus perfectæ confidentiæ in Deum: hæc enim cognita liberaliſſima pietate Dei, allicit animam ſuavitate dulciſſimi amoris, & odoris divini, & attrahit inſtringibili vinculo divinæ ardentiſſimæ charitatis, facitque levare animam ad Deum, illuſtrando eam ſplendore cæleſti, provocando lumine ſuæ claritatis, & inducendo,

ſollici

solicitandoque animam ad requirendum speciosissimum decorem amantissimi sui vultus, & ea quæ sunt Deo placita. *Op stim. diviu. amor. in prolog.*

6. *Fides, & spes qualiter elevant animam ad opera sancta.*

Ad te levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei &c. Vias tuas &c. Nota, quod in his verbis proponit actus fidei primo loco dicens, *Ad te levavi animam meam*, scilicet per fidem cordis credendo te Deum, & hominem, ad quod non poteram viribus meis attingere: & deinde subdit actus spei, & confidentiæ in Deum, subdens: *Deus meus in te confido*: ex qua fiducia dicit, quod non erubescit ore fateri sua peccata: sicque securus erit ab inimicis insidiantibus, & oppositum suadentibus, sperans, quod Deus vias suas ei ostensurus sit contrarias viis malorum. *Serm. 1. Dom 1. Advent.*

7. *Confidentia perfecta in Deum reddit hominem invincibilem.*

Deus meus in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei &c. Ecce quid sibi promittit vir justus ex confidentia in Deum: nempè non erubescam ait, non timebo diabolum, nec mundum, nec carnem, nec irridentes, nec inimicos, quia confidentia in Deum reddit hominem securissimum in omnibus casibus, & invincibilem omnibus inimicis. *In Ioan. collat. 74. & serm. 1. Dom. 1. Adv.*

8. *Retrocedentes in servitio Dei irridentur à dæmonibus: progredientes timentur ab ipsis.*

In te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei. Quid times ò Propheta? timesne irrideri ab inimicis? deficitne cordi tuo iam in Dei amore radicato virtus sustinendi patienter parvam irrisionem, in quam poteris incidere in Dei servitio? Sed nota, quàm rationabilis sit iste timor: est enim irrisio, quæ merè est externa, & sine causa illata; & de hac nullum timorem habebat. Est irrisio, quæ radicatur in culpa propria: nempè ex instabilitate in prosequendo iter inceptum perfectionis: nam qui benè incipiunt, & posteaob negligentiam retrocedunt, deridentur à diabolo: deridentur, & irridentur à diabolo, & à mundo, inquam, pro temeritate in præsumendo, pro instabilitate in prosequendo, pro pusillanimitate in desistendo: nisi enim contra hostes vigilemus insidiantes nostris operibus patimur eos irrisores, quos ad malum habemus persuasores. O quot sunt qui subjiciuntur his improperiis, & irrisionibus, maximè in Religionibus: & ideò mirum non est, si tam timebat sanctus Propheta istas irrisiones. *Serm. 1. Dom. 1. Adv. In Luc. c. 14. v. 30.*

9. *Deus elevat sibi obedientes: Diabolus suos irridet.*

Neque irrideant me inimici mei &c. Vide, quod Propheta valdè timet irrisionem dæmonis, quia sciebat, quod Deus elevat, & extollit sibi servientes, & obedientes: diabolus verò quos sibi videt obedientes, irridet. *In Luc. c. 14. v. 30. serm. 1. Dom. 1. Adv.*

10. *Qui sustinent patienter expectantes exequutionem promissionum Dei non subjacent confusioni: qui non expectant confunduntur.*

Etenim qui sustinent te non confundentur: Confundantur omnes iniqua operantes supervacuè. Quid est sustinere Dominum? Hoc est sustinere patienter mala, & expectare præmia: Isti enim non subjacent confusioni. Sunt & qui non subjacent malis consiliis inducentibus ad malitiam falsitatis, & mendacii: Isti enim non confunduntur, quia procedunt per vias rectas Domini: è contra malè operantes confunduntur in hac, & in altera vita. *Serm. 1. Dom. 1. Adv. & in Psalm. 24.*

11. *Via Domini in hac vita quaenam, & qualiter à Deo ostenditur.*

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Quas vias intendit addiscere sanctus Propheta? Nota quod hic tria petit ediscere: nempè vias, scilicet præcepta: semitas, scilicet consilia, & virtutes, & lumen ad discernendum quid faciendum, & quid respiciendum: Ista enim sunt, quæ perducunt securè animam ad Dei fruitionem. *Psalm. 14.*

12. *Triplex via in Dei obsequio est amplexanda, & desideranda.*

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Nota illud verbum, *demonstra, & edoce me,*) quia petit, ut suo sermone, & doctrina Deus ipsum dirigat per vias: & quænam sunt? tres viæ sunt à nobis calcandæ in Dei obsequio: scilicet via pœnitentiæ, via innocentiæ, & via sapientiæ practicæ: per has sermo Dei nos dirigit, sicut carnalitas dirigit mundanos per viam perditionis. *In Luc. c. 12. v. 58.*

13. *Deus nos dirigit in hoc mundo in viam rectam per praecepta nobis ostensa.*

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Salvator meus &c. Nota, quod hic Propheta petit dirigi in veritate Dei: nempè per vias rectas ostensione mandatorum ejus: quia per hæc dirigit vim rationalem animæ in Deum, & in ejus divinam voluntatem. *Psal. 118. c. 9. v. 5.* Nota etiam, quod non solùm petit veritatem in intellectu, sed & charitatem in affectu: undè subdit, *quia tu es Salvator meus*: charitas enim est via salvificans animam. *Psal. 118. c. 5. v. 4.*

14. *A Deo veritas fidei est petenda, & quaerenda, ne erremus in itinere vitæ.*

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Salvator meus: & te sustinui tota die. Nota, quod hæc verba diriguntur ad Christum Ducem, & Magistrum nostri amoris, in quibus petimus, ut nos deviet ab omni errore respectu credendorum, & hinc dicitur, *dirige me in veritate tua*: Quænam est hæc veritas Dei nostri? Divinus splendor fidei infusus in mente, per quod intellectus eximitur ab omni errore in credendo, affectus in diligendo, & potentia executiva in operando: & hoc

L torum

totum facit fides: Addit, (*& doce me*,) ſcilicet per prædicationem, & lectionem, quia fides ex auditu, auditus autem per verbum: Hæc autem fides inſtruit intellectum circa potentiam, & bonitatem Dei redimentis; dirigit & circa obedientiam perſeverantem exigitam in executione mandatorum Dei; & hinc ſubdit; *quia tu es Deus Salvator meus, & te ſuſtinui tota die.* Hi ſunt fructus veritatis fidei Domini noſtri Jeſu-Chriſti. *Serm. 1. Dom. 21. poſt Pentecoſt.*

15. *Per triplicem viam debemus ſuſtinere, & expectare adventum Domini: nempè per viam contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis.*

Vias tuas demonſtra mihi &c. Dirige me in veritate &c. quia tu es Deus Salvator meus, & te ſuſtinui tota die. Quid eſt hoc, quod dicit, ſe ſuſtinuiſſe Dominum tota die, propter quod petit ſe dirigi in viis Domini? Nota, quod ſuſtinere Deum, eſt ipſum expectare: ſuſtinere in viis Domini eſt expectare ipſum Dominum, ut veniam, & gratiam conferat: hoc autem fit in via contritionis in corde, & confeſſionis in ore & ſatisfactionis in opere. Et hinc ſubdit, *reminiſcere miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt &c.* Quaſi dicat dirige me in veritate, ſcilicet, ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis: & doce me purè, & perfectè confiteri mea peccata, quia tu es Deus Salvator meus, tribuendo veniam delictorum quia te ſuſtinui tota die, ideſt ſæpe cum mærore, & planctu confitendo peccata mea: ideò reminiſcere miſerationum tuarum &c. & ignorantias meas ne memineris. Vide ergo, quòd perfecta confeſſio eſt neceſſaria, & à Deo petenda. *Serm. 1. Dom. 6. poſt Pentecoſt.*

16. *Deus miſericordem ſe ab initio ſæculi oſtendit cum peccatoribus.*

Per quod excitatur anima ad confugiendum ad tribunal ſuæ miſericordiæ, dicendo cum Propheta. *Reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum tuarum quæ à ſæculo ſunt*, ideſt à principio ſæculi: ſubdit miſerationum, ſcilicet operum miſericordiæ, & miſericordiarum, quia inſitæ ei ſunt miſericordiæ: Undè ab initio ſæculi ſolium miſericordiæ erexit in mundo. *Pſal. 118. c. 4. v. 4. In Luc. c. 23. v. 42.* Nota etiam quod dicitur, *reminiſcere*, ubi imperativus modus ponitur hic pro modo deprecativo, quod ſæpe fit in ſacra Scriptura. *Pſalm. 24.*

17. *A Deo maximè petenda venia delictorum juventutis, & peccatorum ignorantiæ.*

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Cur hæc duo peccata maximè proponit Propheta, ut ei dimittantur? Cur non etiam peccata in virilitate commiſſa? Tum quia, ſi peccata ſunt ignorantiæ, quomodò poſſunt imputari ad peccatum? & cur peccata juventutis cum peccatis ignorantiæ connectit? Nota quod meritò hæc duo memorantur, & ſimul copulantur: primò, quia videntur aliqualiter hæc peccata excuſabilia: ſecundò, quia juventus maximè eſt prona ad multiplicia peccata, & fortis, & perſeverans in malo; & quia prudentia carent, ideò laborant aliquali ignorantia: peccata autem commiſſa ex ignorantia culpabili, etiam exponunt animam in periculo damnationis. Tum etiam, quia probabile eſt, quod in multis offenderimus Deum, licèt ignoremus, & ideò de his ſpecialiter eſt petenda venia. *l. 4. d. 16. p. 2. a. 1. q. 1. ad. 4. & l. 2. d. 0. a. 2. q. 1. corp. & in Thren. c. 1. & ſerm. 1. Dom. 24. poſt Pentec.*

18. *Deus vult agnoſci dulcis, & rectus ſcilicet amari, & timeri: Sic & Prælatus.*

Dulcis, & rectus Dominus, propter hoc dabit legem delinquentibus in via. Si dulcis eſt Deus, cur dat legem delinquentibus, ob quam timeri debet? Nota quod Deus dicitur Dominus quaſi dans munus, ſcilicet ſuæ legis, veritatis, ſalutis, & gratiæ: & ideò hæc duo copulat, *dulcis, & rectus*, ut cognoſcatur ejus rectitudo, & ut cognita ametur ſapidiùs ejus dulcedo: Vult quidem amari, ſed reverentialiter timeri: & vult timeri, ſed ſimul amari: Ex quo addiſcant Prælati ſic ſe amabiles reddere ſubditis, ut etiam maturitate morum, & zelo juſtitiæ timeantur. *Pſal. 1 ... c. ; . 2. 1. & op. de ſex alis Seraph. c. 6.*

19. *Chriſtus docet mites, & manſuetos vias ſuas: Diabolus contentioſos.*

Diriget manſuetos in judicio: docebit mites vias ſuas. Nota, quod hic exprimit quales ſint Diſcipuli Chriſti, qui ejus doctrinam recipiunt, nempè manſueti, & mites: Spiritus enim ſanctus in columbæ ſpecie apparuit, quia vult ſuos Diſcipulos columbinos, & mites: E contra diabolus vult, ſuos eſſe contentioſos. *In Luc. proœm. & ſerm. 4. Dom. 3. poſt oct. Paſcha.* Mites autem, & manſueti ſunt, qui neminem deſpiciunt interius, & exterius non offendunt: & hæ ſunt viæ, per quas Chriſtus ambulavit: Unde clamat ad Diſcipulos ſuos continuè. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. ſerm. 1. Dom. 21. poſt Pentecoſt.*

20. *In omni opere Domini miſericordia, & veritas, ideſt juſtitia relucet.*

Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas, requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus. Nota, quod hoc eſt verum in omnibus operibus Dei ad extra: nam in creatione, & gubernatione Deus fecit hominem non ſubjectum miſeriis ſicque apparuit benignitas Dei: poſtea factus eſt ſubjectus tot miſeriis ex culpa noſtra, ſic apparuit juſtitia: Idem & in punitione parvulorum decedentium ſine Baptiſmo: quia enim decedunt cum culpa, ideò privantur æterna viſione: ſed quia culpa non eſt voluntaria eis, ideò eos non punit pœna ſenſus: Item in creatione, & diſtributione donorum relucet miſericordia Dei, ſcilicet in affluentia divinæ bonitatis; & benignitatis in collatione bonorum, & in ſublevatione miſeriarum: ſimiliter apparet juſtitia, quia ex affluenti bonitate facit, quod tantùm decet: Item bonis dat bona juxta merita, & malis pœnam, ſed tamen ſemper infra condignum. *l. 4. d. 46. a. 2. per totam & l. 2. d. 32. a. 3. q. 2.* Similiter & exercet utramque cum animabus juſtorum decedentibus ſine reatu culpæ, ſed cum reatu pœnæ: ideò eas eripit ab inferno, & permutat pœnam æternam in temporalem

poralem ex miſericordia; ſed ex juſtitia eas punit temporaliter. *l.4. d.10.p.1.a.1.q.1.corp.* Similiter in opere juſtificationis exercet juſtitiam relinquendo animam in culpa, & abſque merito: exercet & miſericordiam ei condonando culpam, & conferendo gratiam. *l.4. d.17 p.1.a.1.q.1. & l.1. d.43. a.1.q.4. & d.47. a 1.q.3.& ſup.c.8. & 11.*

21. *Peccatum contra juſtitiam, & miſericordiam ſunt irremiſſibilia.*

Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas requirentibus teſtamentum ejus,& teſtimonia eju &c. miſericordia & veritas &c. Vide quàm à Deo ſint dilectæ hæ duæ viæ: nam contra miſericordiam eſt peccatum deſperationis, & contra juſtitiam præſumptio impunitatis, quæ ſunt peccata irremiſſibilia. *Opuſ. Brevil. p.3. c.11. & op. Centil. p.1.ſect.25.*

22. *Deus vult à nobis imitationem ſui in viis juſtitiæ, & miſericordiæ.*

Univerſæ viæ Domini &c. Hoc notat Propheta, intendens nos excitare ad Dei imitationem per has duas vias, quia una ſine altera vergit in vitium, & ideò propoſuit duas beatitudines, ſcilicet eſuriem juſtitiæ, & affectum compaſſionis. *Brevil.p.5 c 6. Centil.p.3.ſect.46.& Comp. Theol.l.5. c.47. & ſerm.1. Dom. Palm.*

23. *Quantumcumque homo pœniteat, & ſe affligat ſine miſericordia Dei non obtinebit veniam peccatorum.*

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim. Quod eſt hoc nomen, in cujus virtute propitiatur peccato? Nota quod dicit, *(multum eſt enim,)* ideſt, quia gravitas peccati ſuperexaltat quamcumque pœnitentiam,& macerationem noſtram, ideò ad remiſſionem culpæ exigitur nomen Dei, ſcilicet ſalvatoris, & miſericordis. *Op.Incend.amor.c.1.& op. de perfectione Religioſ. l.2. c.5.*

24. *Virtus nominis* JESU *veniam impetrat peccatorum.*

Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo &c. Cur propter nomen tuum? Quodnam eſt hoc nomen? hoc eſt nomen JESUS,quia in ipſo conſequimur veniam, & gratiam. *Serm.4. in Circumciſione.*

25. *Quia peccatum noſtrum eſt multum, & multiplex, ideò eum humilitate coram Deo debemus adſtare.*

Multum eſt enim. Quid eſt multum? Cur non dicit magnum? multum importat non qualitatem, ſed numerum, & multitudinem: Peccatum enim noſtrum eſt multum numero, genere, circumſtantiis, intentione, læſione, & reputatione: Multum ob omiſſionem, & negligentias, & ob commiſſionem; ideò coram Domino debet anima ſe præſentare tamquam obſeſſa ab hoſtibus, & humiliter dicere, propter nomen tuum propitiaberis peccato meo,multum eſt enim: tu es ſalvator, ergo ſalva me &c. *Op.de perfect. religioſ. l.2.c.61.& ſerm.4. de Circumciſ.*

26. *Lex Dei præcipit non ſolùm omiſſionem actuum oppoſitorum, ſed etiam exercitium, & actualem operationem bonorum actuum.*

Undè dicit Propheta. *Quis eſt homo, qui timet Dominum, legem ſtatuit in via, quam elegit &c.* Ergo timenti Dominum legem ſtatuit, ſcilicet ligavit, & impetravit actus virtutum, quia non ſufficit à malis abſtinentia, niſi etiam ſuperaddatur actuale exercitium bonorum operum: ſicque taliter operans, in bonis demorabitur videndo, & diligendo Deum in æternum. *Pſal.118. c.7. v.6.*

27. *Chriſtus eſt firmamentum dividens bonos à malis.*

Firmamentum eſt omnibus timentibus eum &c. Cur dicitur Chriſtus firmamentum? quia dividit aquas ſuperiores ab inferioribus, nempè bonos à malis, illoſque ab iſtis defendit. *Serm. 2. fer. 3. Paſchæ.*

28. *Qui vult evellere pedes à peccatorum lapſu Deum ſibi præſentem ſemper ſtatuat.*

Oculi mei ſemper ad Dominum,quoniam ipſe evellet pedes meos à lapſu &c. Vide efficaciam divinæ præſentiæ; nam hæc liberat hominem à lapſu,& ideò hac ratione ſolùm fit,ut quis in peccata non incidat. *Op. de ſex alis ſeraph. c.8.*

29. *Contemplationis admiratio rapit mentem in Deum, ita ut ſemper fixos in ipſum oculos habeat.*

Oculi mei ſemper ad Dominum &c. Cur oculi tam fixi in Deum? quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos: ideſt quia ab his terrenis anima extricatur tamquam à laqueis, & in Deum ex admiratione ſuſpenditur, ideò oculos ad ipſum defixos ſemper habet. *Op. de ſeptem itiner. æter. itiner.3.d.1.*

30. *Humilitas & paupertas ſpiritus attrahit oculos Domini.*

Reſpice in me, & miſerere mei. Quare hoc prætendis,& petis? *quia unicus & pauper ſum ego.* Ergo humilitas, & paupertas ſpiritus attrahit oculos Dei: attrahit, inquam, gratiam, & protectionem divinam, per quam anima fit amabilis Deo,& hominibus. *In Luc.c.1.v.48.* Et nota, quod copulat ſimul, unicus, & pauper: quia humilis ut unicus filius amatur à Deo. *In Luc. c.9. v.38.*

31. *Quò pauciores ſunt pauperes, eo magis aggravatur divitum crudelitas.*

Reſpice in me, & miſerere mei: quia unicus & pauper ſum ego. Cur dicitur unicus iſte pauper? Sed vide Lazarum unicum petentem eleemoſynam diviti, cujus immiſericordia magis aggravatur, quia erat unicus petens eleemoſynam. *In Luc. c.16. v.20.*

32. *Contritio, & Confessio sollicitè impetrat veniam peccatorum, & subsidium à Domino.*

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me Vide humilitatem meam, & dolorem meum, & dimitte &c. Vide quomodò hic exprimitur effectus mirabilis contritionis: nam Propheta in persona cordis contriti dicit, *tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*, scilicet per dolorosam cordis contritionem secundùm manifestationis cognitionem, de necessitatibus meis, scilicet donorum spiritualium, difficultatis ad bonum, & promptitudinis ad malum erue me per charismatum, & donorum infusionem, & adventum gratiæ adjuvantis. Vide humilitatem meam, quantum ad oris confessionem, me ipsum accusando, & peccatum proprium aggravando: & laborem meum, quantum ad operis satisfactionem, & tunc & non aliter dimitte peccata mea per benignam condonationem. *Serm 4. Dom. 21. post Pentecost.*

33. *Multitudo necessitatum, in quibus vivimus debet nos facere clamare ad Dominum.*

De necessitatibus meis erue me &c. Quæ sunt istæ necessitates maximæ, & multæ, in quibus degimus vitam, ob quas clamare debemus ad Deum? Quæ enim sunt viæ nostræ, nisi in peccato originali concipi, in doloribus nasci, in gemitibus conversari, & necessariò mori? *Serm. 4. de Angelis.*

34. *Vide humilitatem meam &c.* Cur dicit Deo, (*vide*? Nonne Deus videt ubique? sed nota, quod videre hic stat pro misereri, & gratiam habere: est igitur hic actus humilitatis, & oratio fervens ad Deum directa. *Psal. 24. In Luc. c. 5. v. 17.*

35. Deus libenter videt in orante humilitatem cordis, & sedulitatem laborum in orando; tunc enim facilius exaudit: Unde Propheta dicebat. *Vide humilitatem meam, & laborem meum. Psal. 118. c. 10. v. 15.*

36 Paupertas perfecta Christo placens non solùm interius, sed & exterius fert secum penuriam, & vilificationem cum afflictationibus & indigentiam rerum: hæcque est, quæ exaltatur à Deo: Unde Propheta ait, *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte delicta mea &c.* Sciebat enim, quod pro pudore paupertatis præparatus est à Christo honor judiciariæ potestatis, & pro labore refrigerium placidissimæ sessionis; hæc virtus castigat, purgat, probat, humiliat, & sublevat. *Op. Apol. paup. resp. 3. c. 3.*

37. *Humilitas pœnitentis in confessione vocali peccatorum, & propositum Deo satisfaciendi impetrant remissionem peccatorum.*

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte &c. Nota, hæc est vox pœnitentis ad pedes confessarii peccata confitentis cum humilitate, & proposito satisfaciendi Deo pro injuriis illatis: Unde dicit. *Vide Domine humilitatem &c.* quia talis modus impetrat facillimè à Deo veniam peccatorum. *Serm. 4. Dom. 21. post Pentecost.*

38. *Rationes attrahentes Deum ad misericordiam hic à Propheta enumerantur.*

Respice in me, & miserere mei. Cur prætendit sanctus Propheta, ut Deus ipsum respiciat, post misereatur? Nota, quod in hoc Psalmo exponit gradus, quibus anima pervenire debet ad fruitionem divinæ misericordiæ: & primò dicit, *quia unicus sum ego*; nempè, quia & se agnoscit maximum peccatorem super omnes: & quia unicum cor, scilicet Deo unicum, & non divisum exhibet; & hoc est fundamentum totius fabricæ spiritualis: secundò subdit; *& pauper sum*, scilicet nudus sum, & omni bono privatus sine Deo: Tertiò tribulatus, & afflictus: Unde subdit: *tribulationes cordis mei &c.* Quartò subdit: *Vide humilitatem meam*, idest humiliationem per contritionem & confessionem. Quintò subdit, *laborem*, scilicet corporis: Sextò proponit multitudinem peccatorum, dicens *& dimitte universa delicta mea.* Septimò multitudinem inimicorum obsidentium, dicens: *quoniam multiplicati sunt inimici.* Octavò inimicorum crudelitatem, *& odio iniquo oderunt me.* Nonò angustias, in quibus est anima sic ab inimicis circumdata: *unde subdit custodi animam meam & erue me.* Decimò spem, quam in Deum habet: *subdens non erubescam, quoniam speravi in te. Psalm. 24.*

39. *Quis innocens, & rectus coram Deo.*

Innocentes, & recti adhæserunt mihi: libera me Deus ex omnibus tribulationibus meis. Nota hunc terminum, *innocentes, & Recti*: Isti enim sunt, qui Christo adhærent, & ab ipso eruuntur in tribulationibus: & qui sunt? sunt, qui recti sunt in intentione, in cogitationibus, in affectionibus, in locutionibus, in actionibus suis. *In Luc. c. 3. v. 4.*

40. *Ad Mariam Virginem post Christum confugiendum in tribulationibus.*

Ad te Domine levavi animam: Deus meus in te confido, non erubescam. Nota, hic Psalmus petit à Deo liberationem à tribulationibus, in quibus reperitur homo in hac valle miseriarum constitutus. Idem & faciendum à nobis est ad Mariam Virginem, quæ est refugium nostrum in tribulationibus. Quilibet igitur nostrum dicat conversus ad Mariam. Ad te Domina Virgo levavi animam meam, in judicio Dei tuis precibus, non erubescam, neque illudant mihi adversarii mei: etenim præsumentes de te roborantur. Non prævaleant adversum me laquei mortis, & castra malignantium non impediant gressus meos. Collide impetum eorum in virtute tua: & cum mansuetudine occurre animæ meæ. Ductrix mea esto ad patriam, & me cætui Angelorum digneris aggregare. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 24.* Et hinc Ecclesia dicit. *Salve Regina ad te clamamus, suspiramus gementes in hac lachrymarum valle &c.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

41. *Maria est bellatrix nostra contra Dæmones.*

Neque irrideant me inimici mei &c. Confugit Propheta ad Deum ut ipse liberetur à confusione Dæmonum: Confugiamus nos ad ipsum Deum per Mariam Virginem, quia ipsa est Bellatrix nostra contra Dæmones, ad nihilum redigens eos, & eorum malitia ante faciem suam in fugam convertitur: estque inimicis nostris terribilis, ut castrorum acies ordinata: Confugiamus ergo ad auxilium matris Dei in omnibus vexationibus, & impugnationibus Dæmonis. *op. specul. B. Virg. lect. 14.*

42. *Propitiatio Dei nobis advenit ex virtute nominis Mariæ.*

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo. Si per virtutem nominis Jesu impetramus propitiationem Domini, quia Dominus Jesus est cum Maria, ideò nomen Mariæ est summè virtuosum, & celebre ad utilitatem nostram: est enim efficacissimum ad fugandum Dæmones, ad consolandum afflictos, ad glorificandum certantes. *op. spec. B. Virg. lect. 9. & c. 11. & op. Psalt. B. Virg. Psal. 10. 23. & 25. in Luc. c. 1. v. 28.*

43. *Ob humilitatem profundissimam Deus super omnes respexit in Mariam, eamque exaltavit.*

Respice in me, & miserere &c. Vide humilitatem meam &c Hæc dicebar Maria Virgo: quia enim respexit humilitatem Ancillæ suæ, ideò ipsam laudabilem fecit coram Deo, & hominibus. *In Luc. c. 1. v. 48.*



PSALMUS XXV.

1. PRimò nota, quòd titulus hujus Psalmi est: In finem Psalmus David: in quo petit justus à Christo liberationem, & remotionem ab impedimentis provenientibus ex consortio malorum.

2. *Nemo scit, utrum odio, an amore dignus sit; ideo cum timore & tremore debet quisque vivere, & ad Deum confugere.*

Judica me quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans non infirmabor. Nota, quod verba ista videntur prima facie non rectè dicta: quomodò enim dicit, *judica me?* ergo petit judicari à Deo, & non potius misericordiam? Addit, *quoniam in innocentia mea &c.* ergone exhibet se justum, innocentemque Deo, & non potiùs peccatorem? sed tamen aliud hæc verba sonant, aliud significant: nam petit à Deo judicari non finaliter, sed judicio discretionis, nempè ut sciat, an sit dignus odio, an amore: Addit *quoniam ego in innocentia mea*: nota illam restrictionem, (*mea*:) sciens, quod nisi Deus sibi infundat suam gratiam, ejus innocentia est ficta, quia omnis homo mendax, quasi dicat: Vellem scire qualis sum, quia amor privatus, quem habes erga me, aufert mihi judicium: ergo judica me tu, qui es veritas, & ego mendax, quia intus sum paratus audire, quid in me loquaris. *Psal. 25.*

3. *In Domino sperans, & confidens stabilis manet in justitia: qui in se sperat perdit justitiam.*

Et in Domino sperans non infirmabor. Quasi dicat, scio quantum potest in Anima spes, & confidentia in Deum: si in ipso verè sperabo, non infirmabor, nec justitiam perdam: è contra, qui non in Domino, sed in se ipso confidit, infallibiliter ruet ut evenit diabolo, & Adam licet creati fuerint in innocentia. *Psalm. 25. & 118. c. 6. v. 14.*

4. *Tribulationes patienter toleratæ sunt probationes Dei, quibus Animam edocet, illuminat, & corroborat.*

Proba me, & tenta me. Quid est, quod petit Sanctus Propheta? petitne tentationes, & adversitates? Nonne est verum, quod Deus neminem tentat? Sed attende, quod est tentatio ad cadendum, & condemnandum; & tentatio ad probandum, & erudiendum, & fortificandam Animam: hanc, non illam petit à Deo: sciebat enim, quod Deus per tribulationes & tentationes, quasi lima purgat, & splendescere facit animam ab omni rubigine peccati, & eam corroborat in via virtutis. *opusc. de perfect. Religios. l. 1. c. 25. & Sap. c. 3. & Luc. c. 11. v. 4.*

5. *Probat Deus per adversa, & tentat per prospera ad bonum faciendum, & malum vitandum.*

Proba me, & tenta me &c. Quodnam discrimen est inter hæc duo? (Proba me,) & (tenta me:) Proba me, scilicet, utrum paratus sim ad faciendum bonum; & tenta me ad evitandum malum: & quomodò? proba me per adversa, & tenta me item per adversa, & meritò cur illuminatus hæc postulat: nam per probationem proficimus ad virtutem, & per tentationem ad sapientiam. Nota etiam, quod dicitur, Deus tentare per figuram Anthropospatos, quatenus per adversa, & prospera dicitur tentare. *Psal. 25.*

6 *Ignis divinus urit, & consumit omnem scoriam Animæ, quam prædestinavit Deus.*

Ure renes meos, & cor meum. Sed quo igne? Igne scilicet dilectionis Dei, & divinæ gratiæ: hæc enim dissipat omnem scoriam Animæ prædestinatæ, quam necesse est purgare per hunc ignem. *In Psal. 25.*

7. *Totum Deus probat in carne, & corde hominis justi.*

Ure renes meos, & cor meum. Nota hæc duo,

(renes,& cor : renes ideſt carnem, ejuſque concupiſcentiam & cor,ideſt mentem:unde petit , ut urat Deus carnem tribulationibus ad extinguendam concupiſcentiam carnis : & urat mentem igne compunctionis ad extinguendum deſiderium cordis. *Pſal.* 25.

8. *In miſericordia pura Dei eſt confidendum.*

Quoniam & miſericordia tua ante oculos meos eſt. Quid eſt ante oculos habere miſericordiam Dei? Nihil aliud, niſi in ſe nihil confidere, ſed ſolùm in ejus divina providentia , & miſericordia : ſic facit juſtus complacens in veritate Dei , ſcilicet in promiſſionibus ſuis. *In Pſal.* 25.

9. *Qui vult ſalvus eſſe debet conſidere in miſericordia,& veritate divina.*

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua. Nota hæc duo, quæ ante oculos mentis habet defixa vir juſtus, ſcilicet miſericordia , & veritas divina : prima parcit : ſecunda corrigit : per miſericordiam Deus non repellit pœnitentes ab indulgentia : per veritatem peccata puniens , cauſam noſtram non perſonam reſpicit : qui vult ſalvari , utrumque habeat. *In Pſalm.* 25. Vide igitur , quòd veritas divina eſt à nobis ſollicitè exquirenda, & diligenda. *Pſal.* 118. *e.* 9. *v.* 10.

10. *Schola Chriſti quid doceat : Item & ſchola diaboli.*

Non ſedi cum concilio vanitatis,& cum iniqua gerentibus non introibo : odivi Eccleſiam malignantium,& cum impijs non ſedebo. Nota myſteria horum verborum : nam Propheta poſtquam ſe profeſſus eſt velle ſequi miſericordiam, & veritatem, promittit ſe velle fugere vanitatem , iniquitatem, impietatem,& malignitatem : Ex quibus infertur, quòd alia eſt ſchola Chriſti : alia diaboli : ſchola Chriſti docet veritatem, & virtutem , ſive miſericordiam, ſapientiam , & ſanctitatem ; in quo ſtudio tali ordine procedendum eſt : nempè priùs amplexanda eſt miſericordia , ſive ſanctitas, & hinc procedendum ad veritatem : primum enim diſce quid facias, poſtea quid ſcias : alioqnin inverſo ordine procedes , & fruſtra laborabis. *Pſal.* 118. *v.* 1. Schola diaboli , quæ eſt Eccleſia malignantium docet hæc quatuor , ſcilicet amorem ſui , nempè vanitatem ; amorem mundi , nempè iniquitatem ; fraternum odium , nempè malignitatem,& contemptum Dei,nempè impietatem:& hinc Propheta dicit;*non ſedi cum concilio vanitatis , & cum &c. odivi Eccleſiam malignantium &c.op.de ſex alis Cherub. ala* 2. *& Pſal.* 25.

11. *Iuſtitia,& miſericordia ſunt duæ manus lavandæ, & rectè exercendæ.*

Lavabo inter innocentes manus meas &c. Quas manus? manus Animæ , & quæ ſunt iſtæ manus Animæ? ſunt juſtitia, & miſericordia , quæ ſi ab Anima rectè exerceantur, tunc lavatur , & purificatur Anima. *Pſal.* 25.

12. *Multiplex Altare myſticè nobis proponitur , in quo offeramus hoſtiam.*

Circumdabo Altare tuum Domine. Nota , quod Altare multipliciter ſumitur in ſacra ſcriptura : Altare enim dicitur quaſi alta ara , ſcilicet propter altitudinem,& immolationem.Unde Altare eſt Crux : mens noſtra : Chriſtus : Maria Virgo : æterna gloria:Corpus Chriſti : Eccleſia militans: Oratio item. *Pſal.* 25.Iſta Altaria à nobis circumdanda ſunt per ſacram meditationem myſteriorum fidei ; ut infra dicitur.

13. *Anima ad perfectionem tendens debet circumdare Altare Dei, donec intret in Sancta ſanctorum.*

Et circumdabo Altare tuum &c. Quænam cæremonia ſacra eſt hæc circumdatio Altaris? Sed id intelligendum eſt myſticè : nam Anima Deo ſerviens in via perfectionis debet Chriſtum Altare myſticum continuè circumdare,nec ſiſtere, donec intret in ſancta ſanctorum : & ſicut in Tabernaculo *Exod. c.* 26. erat tranſitus per primum, & ſecundum velum antequam ingreſſus haberetur in ſancta ſanctorum : ſic Anima contemplativa tranſit primum velum , ſcilicet orationem interiorem : & deinde ſecundum , ſcilicet devotam contemplationem : & hinc intrat in ſancta ſanctorum , ſcilicet in unionem perfectam Dei. *In Pſal.* 25 *Vide in Exod.c.*26.*n.*5.

14. *Eccleſiæ materialis decor,& pulchritudo in quonam conſiſtit.*

Domine dilexi decorem domus tuæ , & locum habitationis gloriæ tuæ. Quis decor domus Dei eſt iſte,quem proteſtatur David ſe dilexiſſe,cum tunc temporis nondum fabricatum eſſet templum? quæ domus eſt hæc? Sed nota , quòd etiam tempore David , & ſemper in mundo fuerunt loca Deo dicata , & ad cultum ejus ordinata ; ſed tamen loquitur de omnibus Eccleſijs , oſtendens qualem decorem , & pulchritudinem exigant : Ut autem pateat qualis ſit iſte decor,& pulchritudo, attende ad antecedentia : dicit enim ut audiam vocem laudis,& enarrem mirabilia tua in hac domo decora, & glorioſa ; indicans , quod decor , & pulchritudo Eccleſiæ conſiſtit, ut in miniſtris abſit omnis fœditas vitiorum , quod Clerici in ea laudantes Dominum ambulent unanimi conſenſu per conformitatem in intentione cordis, & in honeſtate vitæ, & ſpecioſitate gratiæ, non ſolùm interioris , ſed & exterioris , nempè in perſolutione laudum, & officiorum divinorum , & in integritate rituum, & cæremoniarum:Item , quòd decor ſervetur mirabilis in ædificatione Eccleſiarum, in ornatu Altarium , Calicum,paramentorum, & omnium quæ ad Dei cultum pertinent : Contra quod facit,qui pulchrius mantile in menſa, quàm in altari habet , qui pulchriorem habet ſcyphum ad recipiendum corporale poculum , quàm habeat in Altari calicem ad ſanguinem Chriſti ſumendum, qui ſpecioſiorem , & ornatiorem cameram habent ad jacendum , quam habeat Capellam ad Corpus Dominicum conficiendum ; qui pulchriorem , & nitidiorem , & ſecuriorem habet pixidem ad denarios conſervandum, quàm habeat

habeat in Altari pixidem, vel Tabernaculum ad Corpus Christi detinendum: Felix igitur, qui poterit dicere, cum Propheta: Domine dilexi decorem domus &c. *serm. de Dedicat. Ecclesiæ.*

15. *Idem confirmatur de speciositate Ecclesiarum, & decore.*

Vt audiam vocem laudis, & enarrem mirabilia tua: dilexi decorem domus tuæ &c. Ecce quomodò Ecclesia est domus Dei ipsi dicata, ab omnibus usibus humanis evacuata, sed tantùm ministerijs angelicis, & cœlestibus, scilicet ad Deum colendum, laudandum, & serviendum deputata. Væ ergo ijs, qui hanc domum Dei detinpantes eam faciunt domum negotiationis. *In Ioan. collat.* 14.

16. *Anima, quæ est domus Deo dicata, decor & pulchritudo qualis.*

Domine dilexi decorem domus tuæ &c. Quæ est hæc domus Dei? nisi Anima diligens Deum ex toto corde, cujus decor est refulgentia divina, & ornatus virtutum, ex qua micant radij divini splendoris, facientes eam Cœlum empyreum. *serm. 4. Dom. 17. post Pentecost. & serm. 1. de Dedicat. & In Psal.* 126.

17. *Cœlum est domus pulcherrima Dei.*

Domine dilexi decorem domus tuæ. &c. Hoc potest intelligi de Cœlo empyreo, in quo irradiant radij divini splendoris, estque locus habitationis divinæ omnibus beatis communis: ô quam felix & sanctus est, quantaque aviditate appetendus. *sermon. 4. Dom. 17. post Pentecost. & sermon. 1. de Dedicat.*

18. *Decor Ecclesiarum iterum explicatur.*

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Nota, quod in his verbis exponitur magnificentia, quæ debet relucere in Ecclesijs materialibus, & qualis sit ejus decor ad similitudinem scilicet cœlestis habitationis: nam primò consistit in hoc, quod sanctis operibus mancipatur, scilicet orationum frequentatione; lectionum, & prædicationis recitatione, divinæ laudis dedicatione, & veri sacrificij oblatione: secundò, quia sanctorum Angelorum custodiæ est deputata: Tertiò, quia Sanctorum reliquijs adornatur, & præsentia corporali Christi in sacramento, *serm. 1. in Dedicat.*

19. *Impij ad sinistram perdentur: Iusti ad dexteram Christi salvabuntur.*

Ne perdas cum impijs Deus Animam meam. Nota in his verbis Propheta alludit ad judicium universale, in quo impij, & justi congregabuntur, petitque se collocati ad dexteram cum justis, non autem ad sinistram cum impijs. Hæc continuè à nobis sunt Deo repetenda. *sermon. 1. fer. Pentecost.*

20. *Nomine impiorum maximè veniunt Iudices injusti, qui in manibus ferunt iniquitatem, & sententiam perversam suæ damnationis.*

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus. Vide quomodo hic loquitur patenter de perversis, & injustis Principibus, & Judicibus, qui facti socij furum, diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant & causa viduæ non ingreditur ad illos, & ideò in loco, ubi justitia habitare deberet, successit iniustitia, & iniquitas. Unde in sacra scriptura nomine impiorum veniunt isti Judices perversi. *In Ecclesi. c. 5. & sap. c. 15.*

21. *Iniquus fert sententiam suæ damnationis in manibus, dum est in peccato mortali.*

In quorum manibus iniquitates sunt &c. dextera eorum repleta est muneribus. Quomodò in manibus portatur iniquitas, & non potiùs in corde? In manibus, scilicet in operibus: daturque intelligi, quod qui in Anima portat peccatum mortale, in manibus etiam portat secum æternæ damnationis sententiam, quia dextera talium, repleta est muneribus diaboli, scilicet peccatis. *op. comp. Theol. l. 3. c. 7.*

22. *Christus sine peccato intravit in mare passionis, & postea à peccato inventus: ideò ob peccatum crucifixus.*

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei &c. Si innocens ingressus est ad Deum quomodò petit redimi? Nota, hæc sunt dicta in persona Christi, qui innocens ingressus est in passione; & tamen ut peccator tam dira passus est: Agnus sine macula tam horrenda supplicia, & mortem crudelem subijt: Unde dicebat ad Patrem: Redime me &c. *serm. 1. In festo omn. sanctor.*

23. *Quando homo liberatur à peccato, tunc redimitur denuò à Christo.*

Redime me, & miserere mei &c. Ad quid hæc verba in Ecclesia repetuntur à nobis? Nonne jam redempti fuimus per mortem Christi? Ergone denuò Christus redempturus est nos? Sed nota perbellum mysterium: Christus nos redemit omnes sua passione, & morte quoad sufficientiam, & pretium: Sed tamen quoad efficaciam existenti in peccato mortali, nihil illi prodest hæc redemptio: Quid igitur denuò requiritur? Nova redemptio Christi quoad effectum: nempè applicatio peculiaris sanguinis Christi, & misericordiæ ejus per remissionem peccati: scilicet per applicationem sacramentorum Ecclesiæ, & præcipuè pœnitentiæ. Unde existens in peccato dicere debet: Redime me, & miserere mei. *Psal.* 101.

24. Qu

24. *Qui vult in ſecretum ſpiritus Dei cubiculum intrare, & Regnum Cœlorum, habeat pedes rectos, & mundos.*

Pes meus ſtetit in directo: In Eccleſijs benedicam te Domine &c. Pes meus? Quis pes? pes Animæ: pes, inquam, cognitionis, & affectus. Datque intelligere, quod, qui vult intrare in ſecretum ſpiritus Dei habitaculum, & in Regnum Cœlorum debet habere pedes rectos,& mundos, ſcilicet ab omnibus terrenis, & ideò debet eos frequenter mundare, & lavare contritione, & pœnitentia, ſicque in Eccleſijs, ideſt in Cœlo,in quo omnes Eccleſiæ in unum coadunantur benedicit in æternum Deum: quod nobis concedat Iesus miſericors *opuſc. de ſept. Itiner. ætern. in prol.d.4.*

25. *Peccator volens redire ad ſtatum gratiæ recurrat ad Mariam.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Iudica me quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum.* Nota, quod hæc dicere poterat Chriſtus innocentiſſimus: ſed nos miſeri, cum ab innocentia per peccatum dig eſſi fuerimus, ad Mariæ recurſum invitamur dicendo: Judica me Domina, quoniam ab innocentia digreſſus ſum gratiam perdendo per peccatum: ſed quia in te ſperavi non infirmabor. *op. Pſalt. B. Virg. Pſal.25.* Quia Maria Virgo eſt illa, per quam Deus homini placabilis fit, & acceptabilis. *opuſc. ſpecul. B.Virg. lect.14.*

26. *Charitas ignita Mariæ Virginis quanta, & qualis.*

Ure renes meos, & cor meum &c. Hoc dicitur Chriſto: hoc dicamus Beatæ Virgini: nam ejus charitas maxima eſt veluti ignis cœleſtis, qui corpus,& Animam ſuorum calefacit, & urit: eſt enim ſimilis carboni inflammato, quem quantò plus ſtrinxeris, tantò plus manus ſe tangentis urit: tu ergo,qui habes cor non carneum,ſed ferreum, nimiſque durum, tange,& ſtringe hunc ignem charitatis Mariæ, & ſic omnis peccati rubigine ſpoliaberis,& igneus totus efficieris,& totus amore liqueſces. *ferm. 1. de Beata Virg.* Nota hic, quod ſi vis ſtringere ad tui beneficium hunc, recurrere debes ad Mariam ipſamque imitari.

27. *Qui vult puritatem,charitatem,caſtitatemque corporis,& Animæ,ad Mariam recurrat.*

Ure renes meos, & cor meum. Ergò petit incendium in corpore, & in Anima? ſic, ſic eſt: quis vult ergo incendium ſpirituale: qui vult puritatem utriuſque hominis, qui vult ardentiſſimam charitatem, qui deſiderat corporis, & Animæ caſtitatem,& veri luminis claritatem, ad fornacem recurrat: Sed ad quam? quo in loco poterit inveniri? In corde Mariæ Virginis: ad ipſam recurrat: ipſam advocet,& dicat toto ſpiritu: Ure ô piiſſima Virgo Maria cor meum igne amoris tui, & cingulo caſtitatis teſtringe renes meos ſed nota,quod oportet, ut poſſis verè dicere, quoniam miſericordia tua, & clementia tua ante oculos meos eſt, & delectatus ſum voce laudis tuæ. Domina dilexi decorem faciei tuæ, & veneratus ſum ſanctam majeſtatem tuam. *ferm.1.de B.Virg. & op.Pſalt.B.Virg.Pſal.25.*

28. *Chriſtus Altare eſt factum de terra benedicta Maria.*

Circumdabo Altare tuum Domine &c. Nota, quod myſticè hoc Altare eſt Chriſtus fabricatus ex terra, ſcilicet de carne Beatæ Virginis Mariæ: Ideò juſtus circumdat hoc Altare per devotam affectionem,& obſequium, recognoſcens hoc ſingulare beneficium à Maria Virgine. *In Pſalm.25.*

29. *Maria Virgo domus decora,& pulchra Chriſti.*

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Quæ eſt hæc domus, & locus habitationis Dei? niſi Beata Virgo Maria, in cujus ſolio Deus ſedit? Domus verè plena majeſtate divina per nebulam humanitatis aſſumptæ à Deo: ô verè felix domus tam felici fœcunditate, & omnibus benedictionibus plena, quæ virginitatis gratiam tenuit, & fœcunditatis gratiam acquiſivit. *op.ſpecul.B.Virg.lect.7.*



PSALMUS XXVI.

1. PRimò nota, quod titulus hujus pſalmi eſt hic: Pſalmus David, priuſquam liniretur. Qui titulus continet maxima myſteria: nam ter fuit inunctus David. Primò in domo patris. Secundò in Hebron ſuper Judam. Tertiò in Hebron etiam ſuper totum Iſraël & ſicut antequam inungeretur ultima vice multas paſſus eſt tribulationes, quæ in hoc Pſalmo innuuntur: ſic datur intelligi, quod poſt primam unctionem, quæ fit in Baptiſmo antequam inungatur homo, in Cœlo ſignificato per Hebron,debet pertranſire per multas tribulationes, & ad hoc ſignificandum in ſabbatho ſancto poſt Alleluia, cantatur tractus,ſignificans tempus pœnitentiæ, antequam perveniatur ad Alleluia perfectum, ſcilicet ad teſurrectionem glorioſam; quia per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Cœlorum. *Pſal.26.* *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum.* *Ritus Eccleſiaſticus in ſabbatò ſancto primo dicitur Alleluia, poſtea Tractus,& cur?*

2. *Dominus illuminatio mea,Dominus protector vitæ meæ &c.* Nota hic, quod per figuram Anaphoram repetitio fit ejuſdem dictionis, ſcilicet (*Dominus*) ut magis inculcentur in mente myſteria, quæ in hoc pſalmo continentur. *In Pſal.26.*

3. *Dei præſentia reddit ſecurum hominem ab omni adverſitate, & contrarietate diaboli.*

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo &c. ſi conſiſtant adverſum me caſtra,non timebit cor meum Ecce quid reddit nos ſecuros: nempè Dei præſentia nos illuminantis, & cuſtodientis: Si enim præſentia Regis in bello militem confortat, dum ejus vocem audit confortantem,

quid

quid præſentia faciet omnipotentis ? ergo non debemus triſtes eſſe, nec timere, nec fugere in omnibus adverſitatibus & periculis, ſed in Deo confidere, qui nobis adſtat, auxilium ſuum porrigens. *ſerm. 3. de plurib. mart. & ſerm. 6. de Apoſtol. & in ſap. c. 5. & op. de ſex alis ſer. ph. c* 8.

4. *Deus eſt ſumma veritas nos illuminans, ſub cujus providentia ſecuri debemus vivere.*

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo. Vide quid ſentiebat de Deo ſanctus Propheta, nempè altiſſimè, pijſſimè, & veriſſimè: nempè quia ipſe eſt veritas omnia gubernans, omnia illuſtrans, omnia rectificans, omnia diſponens: non ergo gubernatio aſtris attribuenda eſt, ſed Deo, & in ipſo confidendum, & ad ipſum recurrendum. *ſerm. 9. Hexaem.*

5. *Confidentia vera in Deum reddit infirmos inimicos, & fortificat Animam: Puſillanimitas reddit infirmam Animam, & ad interitum ruere facit.*

Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt: ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebo. Ecce quid operatur confidentia in Deum, & diffidentia: nam confidentia in Deum reddit Animam fortem, & conſtantem, ſine timore: & aufert vires Diabolo, & concupiſcentijs: Diffidentia reddit Animam puſillanimem, affert deſperationem, & ſubjiciens diabolo, ipſam ruere facit in æternam damnationem. *ſerm. 1. Dom. 4. quadrag.*

6. *Alij roborantur in tentatione, & victores ſunt: Alij infirmantur, & vincuntur.*

Ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Qui ſunt iſti, qui infirmati ſunt, & ceciderunt? Iſti ſunt inimici Dei, & peccatores: nam illi, qui non in Deo confidunt, & in ejus gratiæ virtute, iſti dejiciuntur, infirmantur, & ſub poteſtate diaboli cadunt: qui verò in auxilio gratiæ Dei confidunt, iſti roborantur, & victores fiunt. *op. de reſurrect. à peccat. & Pſal.* 118. *c.* 9 *v.* 11. Nota autem, quod dicit, *infirmati ſunt*: ideſt quia laborant abſque auxilio gratiæ Dei, ſine qua nullus poteſt vivere: Aliud enim eſt reſiſtere, nempè non conſentire ſuggeſtioni, & aliud eſt vincere: idque eſt quando homo ſic reſiſtit tentationi, ut efficiatur Dei amicus major, & mereatur æternum Regnum. *l.* 2. *d.* 25. *c.* 1. *q.* 2. *& opuſc. de reſurrect. à peccat.*

7. *Devotio, & confidentia in Deum fortem Animam contra tentationes facit: ſubtractio devotionis puſillanimem reddit.*

Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Sed quid eſt hoc quod tam fortem, & firmum reddebat cor Prophetæ? Sed nota antecedentia: *Dominus illuminatio mea &c.* quia cor ejus repletum erat devotione, & altiſſimè, & pijſſimè ſentiebat de Deo, quia devotio eſt conſtans, & ſtabile reddit adverſus hoſtes malignos: E contra ſubtractio devotionis reddit puſillanimem Animam, niſi fidei, & ſpei firmitate ſe muniat, & in humilitate, & patientia ſe exerceat, expectans auxilium à Deo. *op. de perfect. religioſ. l.* 2. *c.* 2.

8. *Qui ad imperium Domini obtemperantem ſe reddit, firmus, & conſtans fit contra omnem adverſitatem.*

Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Cur non timebit? quia Dominum habebit ducem, quia Deo obtemperabit: nam ad Domini imperium ſtabat ſecurus, & confortatus. *In Luc. c.* 6. *v.* 8.

9. *Poſt victoriam per Deum obtentam, ad orationem eſt confugiendum.*

Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum &c. Vide, quod iſte juſtus poſt reportatam victoriam de inimicis, ſentiens ſe à Deo fortificatum ad orationem confugit, dicens: *Unam petij à Domino &c.* Sic enim à nobis debet fieri. *ſer.* 4. *de Dedicat.*

10. *Unica via Deo ſerviendi eſt conformitas cum ipſius voluntate.*

Unam petij à Domino hanc requiram &c. Ergo tibi ſufficit ò Propheta unica gratia à Deo? Sed attende, quæ ſubdit. *Ut inhabitem in domo Domini, ut videam voluptatem ejus*; ut me conformem ejus voluntati in domo Domini: hoc eſt enim habitare in domo Domini, hoc eſt viſitare templum ejus, hoc eſt videre ejus pulchritudinem: & ideò multitudine poſtpoſita, ad hanc ſolam inhiare debet cor noſtrum. *op. de perfect. religioſ. l.* 1. *c.* 39. Et nota, quod voluntatem Domini videre eſt veritatem agnoſcere: Templum viſitare, veritatem diligere. *in Pſal.* 25.

11. *Totum deſiderium noſtrum tendere debet ad cæleſtem gloriam.*

Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, & viſitem templum ejus. Vide exemplo hujus juſti ad quem terminum debeo tendere tua deſideria: nempè ad cæleſtem gloriam, & ad obtinendum ingreſſum in illam cæleſtem domum: Sed cur hoc? quia illa ſola eſt opulentiſſima, lucidiſſima, ſecura à malis, firma, ornata, munda, jucunda, & gaudioſa, omnibus bonis abundans. *ſerm.* 1. *in feſto omn. ſanctor. & In Ioan. co. lat.* 63. *&* 75. *& ſer.* 3. *In Rogat.*

12. *Vita contemplativa eſt terminus ad quem debet Religioſus aſpirare.*

Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini &c. Quæ eſt hæc una, ſcilicet gratia, quam expetebat, & petebat vir juſtus? Sed recurre ad Jeſum ſalvatorem, qui *Luca c.* 10. tibi reſpondebit, quod Unum eſt neceſſarium, ſcilicet vita contemplativa Mariæ? hac

M

hac habita,cætera habentur bona:per hanc enim inhabitat Anima in domo Dei, scilicet in vita beata,quæ est in adhærentia Deo *in Luc.c.10.v.42.*

13. *In domum Dei intrandum, ut visitetur corpus Christi.*

Vnam petij à Domino &c. ut inhabitem in domo Domini, & visitem templum ejus. Sed nonne ingressus in domum Domini est visitare templum Domini? Sed attende quod hic pro templo sumitur Corpus Christi de quo dixit ipse, *solvite templum hoc &c.* quod in Ecclesia servatur: Igitur ad visitandum illud debes intrare in Ecclesiam: est enim hæc maxima gratia à Deo nobis concessa, posse quoties libuerit, videre, & visitare Corpus Christi. *In Psal.26.*

14. *Anima per portas vulnerum debet intrare in templum Corporis Christi, ipsumque visitare.*

Vt inhabitem in domo Domini, & visitem templum ejus. Sed quodnam est hoc templum,& quænam portæ? Transfer mentem ad id, quod dixit Christus de templo corporis sui *Ioan. c. 2. solvite templum hoc*,scilicet corpus meum: Hoc igitur est, ad quod Anima amore Dei inflammata debet aspirare, scilicet ad obtinendum ingressum in templum hoc per portas, quæ sunt ejus vulnera,& ibi visitare illud, scilicet meditari ejus passiones, & virtutes: Intra ergo ô Anima per vulnerum aperturam, & habebis quidquid desideras. *serm.4. in Pascha.& op.sim.p.1.c.1.*

15. *In Lymbo conservabantur Sancti Patres immunes ab omnibus malis.*

Unde in persona cujusque ipsorum dicitur: *Quoniam abscondit in tabernaculo suo &c.*scilicet in Lymbo,qui erat tabernaculum, in quo conservabantur à Deo tot Animæ sanctæ. *In Luc.c.16.v.21.*

16. *In Christo exaltati sumus virtute passionis suæ.*

In petra exaltavit me &c. In quanam petra? In Christo qui est petra: talisque fuit in passione fractus,& confixus:In hac petra ergo sumus exaltati virtute meritorum ejus. *Psal.26.*

17. *Actus interiores cordis sunt magnus clamor ad Dei aures penetrantes.*

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te miserere mei &c. Nota, quod hic intelligitur pro voce clamoris actus cordis, quo clamatur ad Deum, & qui facile pervenit ad aures Dei:felix ergo,qui sic clamat ad Deum. *Psal.26.*

18. *Devotè exquirens Deum, ipsum invenit: & iterum post inuentionem exquirendus est Deus.*

Exquisivit te facies mea,faciem tuam Domine requiram. Dat ergo nobis intelligere, quod qui devotè exquirit Deum, scilicet interius corde,& exterius obedientia potest fiducialiter ad eum exclamare,& petere misericordiam, quia facilè invenietur. *In Luc.c.4.v.42.& op.de sept. Itiner. ætern. Itin.1. d.6.* Dicit ergo Propheta exquisivit te facies mea, te divinam sapientiam exquisivit facies, scilicet humana intelligentia exquisivit tuam notitiam: faciem tuam requiram per orationis instantiam, & contemplationis gratiam. *Psal. 118. c.1.v.2.& c.2.v.6.& c.3.v.6.*

19. *Alijs Deus declinat in ira: Alijs in misericordia.*

Ne avertas faciem tuam:ne declines in ira à servo tuo: adjutor meus esto, ne derelinquas me, &c. Quid est declinare Dei in ira sua: Nota, quod Deus alijs declinat in ira,scilicet quando non corrigit: Alijs declinat in misericordia, vel eos exponendo tormentis, vel permittendo ut peccent, ut fortius resurgant: hoc petebat vir justus. *Psal.26.*

20. *Deus vocans hominem ad statum perfectionis liberat eum de manu diaboli,& introducit in Sanctuarium suum.*

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Deus autem assumpsit me: legem pone mihi in via tua &c. Quis est iste pater,& mater,qui dereliquerunt Propheram? Sed nota, quod pater est diabolus, mater est carnalitas, & concupiscentia. Isti super peccatores dominantur; sed cum ad pœnitentiæ statum, & ad viam perfectionis vocantur à Deo, deseruntur à diabolo, & quilibet illorum potest dicere, Dominus autem loco patris, & matris me assumpsit per collationem suæ justificationis gratuitæ, & hinc pœnitens clamat ad Deum, legem pone mihi Domine in via tuorum præceptorum,& dirige me in semitam consiliorum, ne aliquando incidam in manus inimicorum. Nota etiam, quod ad litteram hæc dicebat David, videns se derelictum à Rege Saule, quem loco patris prius habebat &c. *serm. 4. Dom.2. quadrag.*

21. *Qui non derelinquit patrem diabolum, & subjicitur Deo, non potest habere pacem.*

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me. Quisnam est iste pater à quo derelictus, & separatus est? hic est pater impiorum, scilicet diabolus, ô sævus pater,& crudelis!Qui igitur se separat ab isto patre,& à matre, scilicet carnalibus desiderijs sensualitatis,& ad Christum evolat, assumitur ad veram pacem, & felicitatem. *In Luc. c.12.v.53.*

22. *Parvuli, & filij à Patribus debent Christo offerri,& suo obsequio tradi.*

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me &c. Felix verè fuit ista derelictio: nam quando parentes filios obsequio Christi offerunt, tunc libenter à Deo assumuntur. *In Luc.c.18. v.15.*

23. *Lex*

23. *Lex Domini ligat, & liberat ab insipientia Ethnicorum, & carnalium.*

Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me &c. Cur petit à Domino legem? Cur optat ligari legibus? quia sciebat quàm justa, & proficua sit lex Dei: Dicitur enim à ligando, quia ligat, & liberat hominem ab omni insipientia, & carnalitate, & dirigit Animam ad Deum. *Psal. 118. c. 3. v. 1.*

24. In Christum consurrexerunt testes iniqui ad vindictam & propter odium. Unde Propheta in persona Christi, sicut evenit ipsi, dicit: *quoniam insurrexerunt in me testes iniqui &c. Psal. 67. & In Thren. c. 3.*

25. *Quomodò iniquitas mentitur sibi ipsi.*

Et mentita est iniquitas sibi. Quomodò mentitur sibi? quia mendacia, & si non habent quem decipiant, tamen mentiuntur sibi: sunt enim de se mala. *In Luc. c. 20. v. 7. & In Thren.*

26. *Iniquitas, & iniquus mentitur sibi, dum ordinans actus suos in malum finem, Deus eos ordinat in bonum.*

Et mentita est iniquitas sibi &c. Nota hoc dicebat Propheta, videns, quod persecutiones illatæ contra se à Saul in malum finem, à Deo ordinatæ sunt ad sui exaltationem: sic evenit in mundo: dum mali, in bonos dirigunt suas persecutiones, & maleficia, ipsa à Deo ordinantur ad sui majorem gloriam, & ad exaltationem bonorum, *serm. 1. in Rogat.*

27. *Terra viventium cur dicitur beata gloria.*

Credo videre bona Domini in terra viventium. Quænam est hæc terra viventium, nisi beata gloria? quæ verè dicitur terra, scilicet locus viventium: ubi nemo umquam infirmatur, nullus dolore fatigatur, numquam ibi moritur, quia ibi continua sanitas habetur: Ibi nemo eget: quia summum bonum omnes possident: ibi nullus timor, nulla perturbatio, nullius hostilis incursus formidatur, quia est summa pax, secura tranquillitas: ibi nulla servitus, nulla tristitia: quia ibi est summa libertas, lætitia, & pulchritudo. *ferm. 1. de Cathedra. & Psal. 32 & 91.*

28. *Qui vult pervenire ad patriam cælestem vivat cum exercitio patientiæ, fortitudinis, confidentiæ, & perseverantiæ.*

Patientia suadetur per verba Prophetæ. *Expecta Dominum*: fortitudo, per illa verba: *Viriliter age*: confidentia, per illa: *confortetur cor tuum*, & perseverantia, per illa: *sustine Dominum. Psal. 26.* Expectandus igitur est continuè à nobis Dominus ad judicium venturus; & hoc sine pigritia, & somnolentia, cooperando in hac vita gratiæ, & vocationi Dei. *In Luc. c. 8. v. 40. & c. 12. v. 36. & c. 14. v. 28.*

29. *Maria Virgo est lux illuminans Animam nostram.*

Dominus illuminatio. Si Christus est nostra illuminatio: ergo quia cum Maria est Christus, & ipsa erit illuminatio nostra? Sed nota, quod Maria dicitur illuminatio passivè & activè: passivè, quia est illuminata per præsentiam Verbi incarnati plenitudine omnium gratiarum, & immensitate gloriæ: Illuminatrix, quia illuminat sicut sol mundum: sic ipsa Cœlum, & terram, rutilans, per omnia respiciens, extendens per omnes Angelos, & Sanctos per totum mundum suæ gloriæ illuminationem: Dicamus ergo Mariæ: Domina illuminatio mea sit splendor faciei tuæ, & serenitas tuæ gratiæ refulgeat menti meæ, exalta caput meum, & ego psallens nomini tuo decantabo. *op. speculum B. Virgin. lect. 3. & op. Psalt. B. Virg. Psal. 26.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

30. *Maria Virgo salus nostra, nos protegens sub alis suis.*

Dominus: Domina salus mea, quem timebo. Domina protectrix vitæ meæ, à quo trepidabo? ô quam hoc verum est: nam Maria Virgo nos protegit sub alis suæ gratiæ, & sede, & quiete amœna nos frui faciens: salus item hominum tutior mundo ferens gaudium. *op. Laus Virg. sig. 17. & op. Psalt. min. quinq. 2. & op. Psalt. B Virg. Psal. 71.*

31. *Maria devotio à nobis est desideranda, & exercenda.*

Unam petij à Domine, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini &c. Et visitem templum ejus. Quænam est hæc domus? quodnam est hoc templum, quod tam desiderat visitare Propheta: Nota, hoc templum mysticè est Beata Virgo Maria: Item, & Domus Dei: Domus in quam intravit Verbum Domini ad habitandum: & templum Domini fuit, & est Beata Virgo Maria, in quo Deus maximè honoratur, & colitur: Verè templum, & sacrarium Dei solemne *op. Laus B. V. sig. 12. & op. Psalt. B. Virg. in hymno: Te matrem Dei &c.*



PSALMUS XXVII.

1. Primò nota, quod titulus hujus psalmi est: Psalmus ipsi David: idest ipsi Christo attribuitur, ut capiti Ecclesiæ, in quo loquitur de passione, & resurrectione sua: Dicitur autem Christus caput nostrum, tum quia est cum corpore ejusdem naturæ, tum quia supereminet nobis: tum quia cætera membra regit: tum quia plenitudinem habet scientiæ & donorum, & nos de plenitudine eius accepimus. *Psal. 27.*

2. *Christi oratio ferventissima, & efficax.*

Ad te Domine clamabo &c. Exaudi vocem deprecationis meæ. Nota hæc verba dicuntur in Persona Christi, ut supra dictum est: Dicit autem: *exaudi vocem deprecationis meæ*; non dicit, orationis, sed deprecationis &c. quia cum oratione assidua valdè precabatur, & validè, & efficaciter: ejus enim oratio fuit efficacissima pro nobis. *Psal 27.*

3. *Oratio est Deo dirigenda ob liberationem à gehenna &c.*

Ne simul trahas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem, ne perdas me. Vide quomodò Christus in persona peccatorum petit, orat, & instat ne perdatur cum impijs ad Infernum &c. *Psal.* 18.c.8.v.9. Dicit igitur, *ne simul trahas me cum peccatoribus &c.* idest, ne permittas, ut simul sim cum eis in culpa, ne simul colligatur in pœna. *serm.1 fer.4.Pascha.*

4. *Pax simulata qualis fuit Iuda, Deo exosa, & æterna damnationi subjecta.*

Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum: da illis secundum nequitiam eorum &c. Nota, quod cum petierit Propheta, ut non trahatur cum peccatoribus, & operantibus iniquitatem, se posteà restringit in ijs, qui pacem cum proximo suo loquuntur, sed intus, in corde malitiam, & malignitatem retinent. Nonne adsunt alia peccata ad Infernum trahentia? & cur magis desiderat separari ab his, & non ab aliis peccatoribus? Id dicit, quia sciebat, quod inter omnia peccata, id, quod magis Deo displicet, & quod subjicit æternæ damnationi, est pax simulata, quam exercuit Judas cum Christo: quia isti simulatores sunt à Deo maledicti maledictione æterna. *serm.1.In Dom.in Albis, & op.Diat.Tit.7.c 6.*

5. *In judicio impij portabunt cartam suæ damnationis in manibus.*

Da illis secundum nequitiam eorum &c. Sed quomodò patebunt istæ nequitiæ? Nota, quod subdit *& secundum opera manuum suarum tribue illis.* Ecce, quod suæ propriæ damnationis causam veluti certam portabunt in manibus suis: undè subdit, dicens *opera manuum eorum destrues illos &c. In sap.c.11.& 14.* quasi diceret: Impij in hac vita se præparant per peccata ad æternam damnationem: & ideò post sententiam ibunt in supplicium æternum ferentes, & exhibentes ad portam Inferni cartam suæ damnationis.

6. *Quomodò Creatura benedicit Creatorem, & Creator Creaturam.*

Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. Nota, quod nos benedicimus Domino: sed cur, & quomodò creatura benedicit Dominum? Ad quid ista benedictio? Resp. quod creatura benedicit Dominum, & Creator creaturam: Creatura benedicit Deum laudando, & bonum ei tribuendo, scilicet agendo gratias pro beneficijs: E contra Creator benedicit creaturam, tribuendo ei gratias, & beneficia: & licèt dicendo, *Benedicamus Domino*, videatur, quod intendamus benedicere Deum ad utilitatem ejus, tamen in alio sensu dicto, nempè ad ejus laudem, & in gratiarum actioonem datur hæc benedictio. *Psal.27.*

7. *Proprium filiorum Dei est in ipso sperare: proprium impiorum est in seipso confidere.*

Dominus adjutor meus, & protector in ipso speravi, & adjutus sum &c. Hæc sunt verba Christi: ut videas, quod proprium est filiorum Dei sperare, & confidere in ipso, ex quo provenit speciale auxilium in filios sperantes in Domino. *In sap. c.1.* proprium autem impiorum est in seipsis confidere. *Psal.27.*

8. *Tria genera malorum in Ecclesia.*

Quoniam non intellexerunt opera Domini &c. Quinam sunt isti? Nota, tria genera impiorum sunt in mundo: primi sunt non sperantium, suntque illi, qui vivunt in vitijs, & semper in anxietate: secundi sunt desperantes: & tertij confidentes in propriis meritis, & isti sunt magis periculosi: de omnibus istis dicitur, & non intellexerunt opera Dei. *Psal.27.*

9. *Resurrectio Christi exemplar nostræ resurrectionis per quam corpus nostrum jam marcidum reflorebit.*

Unde dicit Christus: *& refloruit caro mea.* l.4. d.43.a.1. quæst.1. & *Psal.* 32. & 103. & *sermon.5. Dom.2. Adu.* & *serm.2. in vigil. Nativit.* & *serm.5. in Pascha.*

10. *Multipliciter reflorere caro hominis dicitur.*

Et refloruit caro mea &c. Nota, quod multipliciter dicitur flos reflorere: primò humanitas Christi, quæ veluti flos exijt de utero Virginis: Secundò gaudium æternitatis: Tertiò nativitas hominis: quartò prosperitas: quintò resurrectio ad bonum opus: sextò glorificatio corporis. *Psalm.27.*

11. *Christus flos habens quinque folia scilicet vulnera.*

Et refloruit caro mea. Ergone caro Christi est flos? quænam comparatio est ista? Sed nota pulcherrimam comparationem: nam sicut flos extractus desiccatur, & si iterum reviviscere idem flos: sic caro Christi separata ab Anima desiccata est, deinde in resurrectione revixit: Dicitur igitur, Christus flos campi, qui est parvus habens quinque folia: sic Christus est flos omnibus communis habens quinque vulnera rubicunda, & pulcherrima. *serm.1. in Pascha.* & *op. spec. B Virg.lect.12.* Vel dic, quod Christus est flos tot folia habens, quot dotes beatas. *Ibidem.*

12. *Confessio peccatorum fortificat Animam in tentationibus.*

Et ex voluntate mea confitebor ei, Dominus fortitudo plebis &c. Vide, quod ex peracta confessione sequitur fortitudo divina: ut scias, quod ex voluntaria confessione adjuvatur Anima ad triumphandum in tentatione de Diabolo. *serm.5.in Rogat.*

13. Benedi

13. *Benedictionem, & salutem, & Paradisum portas in anima gratia Dei.*

Salvum fac populum tuum Domine, & Benedic hereditati tua, & rege eos, & extolle &c. Quænam benedictio est ista, quam petit Propheta? Benedictio hæc est in præsenti, estque gratiæ Dei: cum enim Deus dat gratiam, dat suam benedictionem, ex qua oritur salus, lux in mente, & Paradisus in anima. *Serm.4. Dom. Trinit.*

14. *Christus Rex omnium, diversimodè regit homines.*

Et rege eos, & extolle illos usque in æternum. Cur addit ad regimen, quod petit à Christo, & extolle illos &c. Nonne sufficiebat obtinere regimen Christi? quid enim amplius potest desiderare homo, quàm à Christo regi? Sed nota, quod meritò petit post regimen, ut extollatur à Deo, quia Christus est Rex diversimodè regens homines: nam malos regit ad depressionem; bonos ad exaltationem, quos postea reget in Cœlo ad glorificationem: hoc secundum regimen, & non primum petere debet quilibet nostrum. *Psalm.55.*

15. *Ad Mariam Virginem, qui devotè clamat, exauditur.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Ad te Domine clamabo. Et quid in hoc clamore prætendis? *Deus meus, ne sileas à me &c.* Idem & dicendum Mariæ Virgini, quæ post Christum est propitiatorium Dei: Ad Mariam clama ô homo, & exaudieris, & ipsa lætificabit te in voce laudis, & orationis tuæ. Ipsa enim libenter, & promptè occurrit ipsam invocantibus. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.27.*

16. *Maria concipiendo Christum nobis præparavit, & exhibuit sanctuarium, & templum, ut in eo obtinere possemus quidquid petimus.*

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Quodnam est hoc templum sanctum Dei nobis expositum ad extollendas manus, & cor in oratione? Nota, hoc est templum Spiritus sancti, scilicet Christus, quod templum formaverunt manus Mariæ Virginis. & ex carne ipsius fuit fabricatum: Hoc nobis per Mariam est expositum, ut in ipso oremus, & exaudiri mereamur. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm.27.*

17. *Maria est templum purissimum Dei.*

Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum &c. Nota, quod etiam hoc templum sanctum Dei, in quo quisque orans exauditur, est Beata Virgo Maria, cujus conscientia munda est, & Immaculata: & ipsa est locus propitiationis, & habitaculum sanctum Dei: Intra ergo ô homo in hoc sanctum templum Dei per meditationem, & orationem: extolle manus tuarum operationum, & cultum ad Mariam, & ipsa miserebitur tui in die angustiæ tuæ, & in luce veritatis suæ liberabit te ab omni malo, poterisque tunc fiducialiter dicere Deo: exaudi orationem meam, dum extollo cor meum ad templum sanctum tuum *Op. Psalt. B. Virg. Psalm.27.*

18. *Mariæ Virginitas flos est ad quem apis divina advolavit, ut nobis mellificaret.*

Et refloruit caro mea Hoc dicit Christus: Hoc dicit Maria: sed quomodò refloruit? refloruit, scilicet ostendit Cœlis, & terræ florem suæ Virginitatis: Verè flos cælestis, qui refloruit per hoc, quod ipsum tantùm dilexit apis illa supercælestis, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam: Ad hunc florem in civitate Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit, & ad suaveolentem perpetuæ Virginitatis florem pervenit, illi insedit, illi inhæsit, ut nobis mellificaret. *Op. specul. B. Virg. lect. 12. & op. laus Virg. fig.15. & op. psalt. min. quinq.* Applica hæc ad institutionem Eucharistiæ ad quam tali pacto concurrit B. Virgo Maria.

19. *Refloruit Mariæ flos, quia ex flore Virginitatis Mariæ plurimæ coronæ cæteris Virginibus multiplicatæ.*

Et refloruit caro mea. Si refloruit, ergo denuò floruit? quando ergo? Nonne semper Virgo fuit Maria? floruit in se, & refloruit cæteris Virginibus: nam ex flore Virginitatis Mariæ plurimæ coronæ fuerunt multiplicatæ, ut in tot Virginibus, & puellis triumphum sanctitatis arriperet, & per vestigia Matris Virginis ad cælestem thalamum perveniret Virgineus flos: Unde dicitur meritò mater integræ castitatis, & Regina Virginum. *Op. specul. B. Virg. lect.12. & op. laus B. Virg. fig.15.*

20. *Flos Mariæ Virginis fuit Christus* IESUS.

Et refloruit caro mea. Quomodò, & quando refloruit? Refloruit quando postquam jam mente conceperat filium Dei, ipsum carne sua purissima concepit, & emisit in mundum tanquam florem ex Virga Jesse: flos iste Angelis delectabilis, hominibus perutilis: flos candidus, & rubicundus: candidus in emissione, & nativitate, & rubicundus in passione, ad cujus odorem reviviscunt mortui: & ideò dicit Maria: & refloruit caro mea: idest venter meus floruit: & mea viscera pascua æterni viroris protulere, cujus pulchritudo non vidit corruptionem, cujus gloria in æternum non marcescit. *Op. specul. B Virg. lect.12. & Psal.27. & serm.2. in Vigil. Nativit.*

21. *Flores Beatæ Virginis honestatis sunt flores, & sanctorum exemplorum, & virtutum.*

Et refloruit caro mea. Quomodò refloruit? Refloruit flos Virginitatis Mariæ, emittens plurimos flores honestatis, conversationis, exemplorum, & virtutum. O quàm florida fuit caro, quàm floridus fuit lectus Mariæ, quæ in floridæ vitæ honestate florebat omnium virtutum venustate: Inter quos miramur violam humilitatis,

lilium caſtitatis, roſam charitatis. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 12.*

11. *Beata Virgo Maria refloruit in carne quando glorioſa aſſumpta eſt in Cœlum.*

Et refloruit caro mea &c. Si refloruit, ergo denuò floruit; & quomodò? Nota, quod ad litteram hic indicatur reſurrectio corporis Chriſti: Indicatur, & reſurrectio corporis Mariæ Virginis: Refloruit igitur quando ſimul cum anima corpus glorificatum aſſumptum eſt in Cœlum: Unde tunc habuit & florem, & fructum: florem corporis glorificati, & fructum ſpiritus glorificati: florem utrique in glorioſa corporis pulchritudine, & fructum in voluptuoſa animæ beatitudine. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 12.* Hos ergo flores chariſſimi in Maria diligamus, & illos novos gaudiorum flores de horto virgineo colligamus. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 12.*



PSALMUS XXVIII.

Titulus: In conſummatione Tabernaculi.

1. PRimò nota, quod *in 2. Reg. c. 6.* David reduxit Arcam in Jeruſalem de Gabaa, & de Domo Aminadab, in qua reductione obtulit plena ſacrificia in tabernaculo, in quo eam collocavit: Et tunc cecinit hunc Pſalmum, invitans alios ad ſacrificia: Myſticè ſignificatur reductio gentilium ad fidem, & in Eccleſiam militantem; quæ eſt Tabernaculum, & locus militantium, quæ facta eſt à Chriſto per Apoſtolos: Invitantur ergo à Chriſto fideles ad conſummationem hujus Tabernaculi in præſenti per fidei, & virtutum perfectionem, & in futuro per gloriæ adeptionem. *Sic Gloſſa, & Ugo Card. & Alex. Alenſ.*

2. *Oſtenditur hic cui offerendum, à quo, quid, quomodò, ubi, & quarè.*

Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios Arietum: afferte Domino gloriam, & honorem: Adorate Dominum &c. Notanda ſunt diligenter hæc verba, in quibus innuitur primò, quod Deo offerendum eſt: Secundò hoc faciendum eſt à filiis Dei: Tertiò, quod filii arietum offerendi ſunt, ſcilicet noſmetipſi, qui ſumus filii arietum, ſcilicet Apoſtolorum: Quartò quomodò: dicens, *afferte Domino gloriam, & honorem*, ideſt glorioſum nomen Dei prædicando, & laudando, & totum ad ejus gloriam referendo: Quintò ubi, cum dicit: *In atrio ſancto ſuo*, ideſt in corde ſanctificato: Sextò, quarè, ſubdens: *Vox Domini ſuper aquas*, idelt ſuper gentiles ipſos trahendo ad fidem &c. *Pſalm. 27.*

3. *Qualis differentia invenitur in offerentibus ſacrificia Deo.*

Afferte Domino filii Dei &c. Cur repetir vox invitans ad oblationem? quia diverſi ſunt offerentes, & diverſa ſacrificia: nam Deo offerunt ſervi, mercenarii, & filii: primi metu gehennæ: ſecundi cauſa mercedis; & tertii ex puro amore: primis pertinet oblatio pœnitentiæ: ſecundis abſtinentiæ: & ultimis patientiæ: iſti autem invitantur ad oblationem filiorum arietum. Nota autem, quod arietes ſunt Apoſtoli, & Prophetæ, qui gemino cornu, idelt ſcientia utriuſque teſtamenti adverſarios ventilant: eorum filii ſunt bona opera, & perfecta, & iſta debent offerri à filiis, quibus ob amorem patrum, parum eſt etiam pro Domino vitam ponere. *Pſalm. 27.*

4. *Perfecti, & juſti in oblatione aſpiciunt ad Deum ut Dominum.*

Afferte Domino filii Dei &c. Nota hanc replicationem, (Domini,) & non dicit Deo, ſed Domino: Cur hoc? Si Deus bonitatem ſonat & Dominus poteſtatem: cur non potiùs proponit bonitatem, quàm poteſtatem divinam pro motivo oblationis, cum propter amorem, & non ob timorem filii Dei operentur? Nota myſterium digniſſimum; quia intendit proponere menti juſtorum poteſtatem Dei, & obligationem noſtram: poteſtatem, & hoc replicando quater, Dominus, ſcilicet, quam habet in corpus, in animam punire, & præmiare, ſcilicet dare temporalia, & æternalia: & ideò, ſi ſumus Filii Dei, hoc non eſt ex merito noſtro, ſed ex gratia, & ob id, ſi ſervitium exhibemus debitum eſt, non beneficium. *Pſalm. 27.*

5. *Juſti ſoliciti ſint Deo ſervire, non tantùm ad ſui utilitatem, ſed & proximi profectum, & exemplum.*

Afferte Domino Filii Dei. Nota, quod quater dicit afferte: primò dicit, *afferte Filii Dei*: Secundò, *afferte filios arietum*, idelt opera bona: Tertiò, *afferte Domino gloriam, & honorem*: quartò, *afferte Domino gloriam nomini ejus.* Cur hæc tanta repetitio; Sed nota myſterium; Invitatur enim juſtus ad Deo offerendum: ſed quia non tantùm debet eſſe ſolicitus ſibi, ſed etiam pro proximo: bis dicit afferte propter vos, & bis propter proximos: primò dicit: afferte Filii Dei pro gratia obtinenda pro vobis: ſecundò afferte filios, idelt opera propter gloriam obtinendam; Item pro ſtola duplici, ne nos puniat duplici contritione, ſcilicet pro ſtola corporis afferte hoſtiam actionis bonæ, & pro ſtola animæ hoſtiam piæ devotionis, & contemplationis: Item pro bonis corporis, & animæ, vel pro tormentorum evitatione, & præmiorum obtentu: Deinde addit: Afferte Domino gloriam, & honorem ad exemplum aliorum, primò in ordine ad bonos, afferte Domino ut ad exemplum veſtri ita faciant, & glorificetur Deus: Quartò addit afferte gloriam nomini ejus propter malos proximos, ut quamvis ad exemplum veſtrum ita non faciant, ſaltem diſciplinam Chriſti laudent. *Pſalm. 28.*

6. *Juſti ante Deum adoraturi non ſe præſentent vacui manibus.*

Afferte Domino Filii Dei &c. Adorate Dominum in atrio ſancto ejus. Nota myſterium horum verborum: primò dicit, *Afferte Domino*, poſtea, *adorate*: Cur non præcedere facit adorationem ante omnia alia? quia in adoratione involvitur oratio,

oratio, cui vult Deus, ut præcedat afferte: scilicet non vult, ut intremus ante Dominum vacui; sed dicit, afferte, scilicet venite manibus plenis oblationibus afferendo oblationes, & deinde adorate debemus, ne stemus otiosi postquam ingressi sumus. *Psalm.* 28.

7. *Apostoli, & Prælati dicuntur Arietes mysticè.*

Afferte Domino filios Arietum. Qui sunt isti Arietes habentes filios? Sunt Apostoli, & Prælati propter quatuor, quæ arietibus competunt: primò, quia generant filios: sic & isti debent Christo generare filios per evangelium: Secundò quia debent habere duo cornua mitræ episcopalis: Tertiò quia sunt duces ovium: Quartò quia impugnant inimicos gladio verbi Dei. *Psalm.* 28.

8. *Infelix, qui ponit filium Virginis cum filio veneris.*

Afferte Domino filii Dei; afferte filios arietum: adorate Dominum in atrio sancto ejus. Nota, quod hic psalmus compositus fuit à Rege David post translationem arcæ Dei ex Templo Dagon Philistæorum in Tabernaculum Deo sacratum: Unde clamabat ad omnes Israëlitas, & præcipuè sacerdotes: Afferte Domino &c. Adorate Dominum in atrio sancto ejus: In quibus verbis notanda est illa frequens repetitio Domini, ut eis exosam redderet immolationem factam à Philistæis, qui obtulerant sacrificium ante Dei arcam, & suum ipsorum idolum Dagon, ideò arcam collocarunt in templo simul cum eodem idolo: Ex qua prophanatione Deus eos severissimè punivit in partibus posterioribus corporis: sicque intendebat eis inculcare, quod uni Deo, non verò diabolo, & Deo simul debebant sua sacrificia offerre: contra quod imitatores Philistæorum sunt mali sacerdotes, qui ponunt Filium Virginis cum filio veneris in altari: Qui Deo, & diabolo suum cor offerunt, vel mundo, & carni: qui in peccato mortali, vel sine devotione recipiunt arcam Domini idest Eucharistiam intra se. *Psalm.* 28.

9. *In atrio sancto multiplici Deus à nobis exigit adorationem.*

Adorate Dominum in atrio sancto ejus. Quodnam est hoc atrium? Atrium est pars exterior, & alia interior templi, in quo solebant facere ignem, unde dicebatur atrium ab atro fumo: Hoc atrium significat vel Ecclesiam triumphantem, vel militantem, vel mentem igne charitatis succensam, vel initium conversionis, vel confessionem Divinitatis in Christo: In his omnibus exigit à nobis adorationem, orationem, & laudis confessionem. *Psalm.* 28.

10. *Vox Patris de Cœlo facta declarans Christum Filium Dei in suo Baptismo hic prædicta.*

Vox Domini super aquas: Vox Domini in virtute &c. Ecce quomodò David prædixit Baptismum Christi in aquis Jordanis, & vocem Patris de Cœlo declarantem ipsum suum filium dilectum. *In Luc. c.* 4. *v.* 22.

11. *Sanctus Joannes Baptista vox Christi super aquas hic prævisus.*

Vox Domini super aquas. Quænam est hæc vox Domini? Iste est Joannes Baptista, qui se declaravit vocem Domini clamantis pœnitentiam super aquas, scilicet super populos, ut præpararent viam Domino. *In Luc. c.* 4. *v.* 4.

12. *Vox Christi terribilis clamans ad judicium hic præfigurata.*

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit &c. Nota, quod hic prædicitur vox Christi invitantis ad judicium universale omnes homines, quæ exiet cum sonitu terribili. *In Luc. cap.* 21. *v.* 25.

13. *Deus Benignissimus offert sua auxilia omnibus in fluctuatione hujus vitæ degentibus, præcipuè suis servis.*

Vox Domini super aquas. Cur super aquas, & non potius super terram? Nonne homines habitant in terra, non in aquis? habitant quidem in terra, sed tamen velut in Mari, & in aquis: quia homo subjectus est fluctuationibus externis, & internis velut in mari: sed præcipuè innumeræ sunt fluctuationes mentis humanæ, & cogitationes vanæ, vel vagæ, vel diversæ: vult ergò Propheta dicere: Tu homo, qui navigas hoc mare, ne timeas, quia vox Domini super aquas multas: si times de infirmitate tua, cogita, quia vox Domini in virtute: Si de pusillanimitate, ecce vox Domini in magnificentia: Si de superbia, ecce vox Domini confringentis cedros: si de incentivis libidinis, ecce vox Domini intercidentis flammam ignis: hic cogita, & recogita, & habebis remedium contra hæc mala: quia vox Domini super aquas multas, eas valentis congregare in unum locum, ut appareat anima arida, scilicet carens fluxu vitiorum. Et si quæras quomodò id fiet? Audi Prophetam, *Et intonuit Deus Majestatis super aquas multas*, Scilicet intonat minans mala æterna; intonat bona æterna promittens; intonat mala temporalia irrogans, vel comminans. *Psal.* 28. *& in Eccles. cap.* 8.

14. *Deus cum comminatur mala, vel ea irrogat: vel cum promittit bona æterna, intonat ad aures nostras, ut convertamur ad ipsum.*

Et intonuit Dominus super aquas multas. Quomodò Deus dicitur intonare? Intonat super aquas multas, cum comminatur mala æterna, vel temporalia, vel de facto ea irrogat, vel cum promittit bona temporalia, vel æterna: hæc omnia facit, ut ad ipsum convertamur. *Psalm.* 28.

15. *Quomodò dicitur Deus comminuere cedros libani tamquam vitulum.*

Et comminuens cedros libani tamquam vitulum Scilicet qui in frusta ceditur: Ad litteram vult dicere, quod potentia, & virtus Dei confracturа erat minuratim potentiam, & superbiam hominum, & dæmonum: Sed cur sicut vitulum? Nota, mysticè per vitulum intelligi Christum Jesum Redemptorem, qui fuit percussus, vulneratus, & oblatus in Cruce: Per hunc comminuit Cedros

Cedros Libani, nempè minutatim myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis ſignificata per Cedros oſtendit Eccleſiæ: Nam primò Deus ſe appellabat in lege naturæ Dominum: In lege ſcripta Deum unum: ſed in lege evangelica, Deum Trinum & unum: Item in Cruce, quando oblatus eſt iſte vitulus oſtendit mundo dolores Confeſſorum, eorum auſteritates, & pœnitentias, in ſepultura requiem abſolutorum à culpa, in aſcenſione perfectionem perfectorum, & in conſeſſu ad dexteram gloriam Beatorum. *Pſal.* 18.

16. *Virtus divina in Inferno intercidit flammam ignis à luce ad majorem pœnam.*

Vox Domini intercidentis flammam ignis. Quid ſejungit vox, & virtus Domini in igne? Nota, quod Deo ſubſunt, ut Domino abſoluto omnes creaturæ; & ideo ſua virtute in Inferno intercidit flammam urentem, & torquentem à luce ad majorem pœnam damnatorum. *l.* 4. *d.* 44. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 1.

17. *In Cœlo quomodò intercidit flammam ignis virtus Dei.*

Vox Domini intercidentis flammam ignis &c. Nota, & hoc in Cœlo facit ad majorem jucunditatem Beatorum: nempè facit, ut recogitent peccata, & pericula, quæ tranſierunt in hac vita, & hoc abſque triſtitia, imò cum gaudio cogitantes Dei præſentiam, & liberationem poſt malum præteritum: ſic & Angeli Cuſtodes videntes perverſitatem, & damnationem Animæ, eorum cuſtodiæ deputatæ, diſplicent, ſed non triſtantur abſorpti in illo igne gloriæ. *l.* 4. *d.* 41. *dub.* 3.

18. Poſt diem judicij ab igne Deus ſeparabit qualitatem combuſtivam, & remanere faciet lucem: & ideò hoc dictum Sancti Prophetæ verificabitur de igne poſt reſurrectionem. *op. comp. Theol. l.* 7. *c.* 20.

19. *Virtus divina incentiva libidinis ſeparat à juſtis.*

Vox Domini Intercidentis flammam ignis. Quaſi dicat, ſi metuis incentiva libidinis, ne te comburant; confuge, & confide in Deo, cujus virtus ſeparabit vim combuſtivam, ne te lædat, ut fecit in Paulo. *Pſal.* 18.

20. *Virtus divina ſicut tribus pueris ſeparavit flammam ab igne: Idem facit ſpiritualiter nobis.*

Vox Domini intercidentis flammam ignis. Vide quàm ſit verum in miraculo operato in tribus pueris, qui miſſi fuere in fornacem Babilonicam; & in medio fornacis ambulabant abſque combuſtione, & læſione, velut in prato floribus pleno. Nota etiam, quod idem facit cum pueris, ſcilicet cum Animabus puris ſpiritualiter, quibus Deus extinguit flammam vitiorum, remanente tamen probatione ſenſibili ad reprimendam ſuperbiam. *Pſal.* 18.

21. *Tribulationes Deus immittit, ut convertat malos.*

Vox Domini comminuentis deſertum &c Quodnam eſt hoc deſertum, quod vox Domini commovet? Commovet ad terrorem: & ideò ſupra dictum eſt, quod Deus majeſtatis intonuit, quia per minas, terrores, tribulationes, & infirmitates ſæpe commovet peccatores, qui ſunt veluti deſertum omni bono deſtitutum, ut eos convertat ad pœnitentiam, & hoc eſt effectus virtutis Dei infinitæ intonantis. *Pſal.* 28.

22. *Iuſti & Martyres ſunt Unicornes Chriſtum intenſiſſimè diligentes.*

Dilectus quomodò filius unicornium. Quis eſt dilectus, ut filios unicornium, & quid ſibi vult iſta comparatio? Nota, quod Unicornis tam intensè amat filios, quod potius vult mori, & de facto moritur, ſi capiantur ejus filij: Unicornes myſticè ſunt juſti, & Martyres, qui per fidem concipiunt Chriſtum, & in ſe, & in alijs ipſum generant: Videntes ergo hunc filium, ſcilicet Chriſtum mori, vel captum in paſſione, vel tentari, ut Chriſtum deſerant, & amittant, pro Chriſto potiùs ſubeunt mortem, quàm ipſum perdere. *Pſal.* 28.

23. *In ſtatu innocentiæ homo erat bicornis: poſt peccatum factus eſt unicornis.*

Quemadmodum filius unicornium. Nota, quod homo in ſtatu innocentiæ erat bicornis per integritatem mentis, & immunitatem mortis, & miſeriæ: poſt peccatum perdidit unum cornu, ſcilicet immortalitatem, & aliud remanſit, ſed inclinatum ad inferius, ſcilicet rationem, ſed tamen ſubjectam peccatis: Venit Chriſtus, & erexit cornu ſalutis in domo David ut poſſet acquirere in gloria aliud cornu, ſcilicet immortalitatem, & non poſſe peccare. Igitur ſancti ſunt unicornes in præſenti, ſed in futuro Deus confringet cornua peccatorum, & eriget cornua ſanctorum. *Pſal.* 28.

24. *Chriſtus quomodò dicitur filius Unicornium, ſcilicet juſtorum. Ubi de conformitate voluntatis noſtra cum voluntate Dei: & de fructu prædicationis.*

Quemadmodum filius unicornium. Ideſt Chriſtus filius juſtorum. Quomodò dicitur filius juſtorum unicornium? Sed nota quod filius Patris eſt ſapientia Patris, & voluntas Patris, ſcilicet habentis eamdem voluntatem: & voluntas hominis eſt quædam proles virtutis: Unde ſi eadem eſt voluntas tua, & Patris, idem eſt filius Patris & tuus: Unde dicit Chriſtus, *quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt:* intellige & Pater: mater es, ſi veritatem intelligis, & alios facis intelligere, Chriſtum gignis, qui eſt veritas, & ita es Pater: & ſi in corde tuo gignitur veritas, vel in alio facis gignere, tunc es mater Chriſti: ſic enim in te, intellectu gignitur, conſenſu concipitur, affectu naſcitur, effectu nutritur. Intellige ergo, quod ſi conformabis tuam voluntatem cum Deo, ſi veritatem amplexaberis

plexaberis in corde Pater, & Mater eris spiritualiter Christi. *Psal.28.*

25. *Deus vult suos servos præparatos ad cursum.*

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa. Quos cervos? Nota, quod Deus vult suos servos cervos, & ad hoc emittit suam vocem, ut ipsos præparet: Cervos inquam veloces ad obediendum, pavidos per timorem Dei, serpentibus inimicos, scilicet vitiorum; ideò actiones eorum debent esse expeditæ, providæ, & sanctæ: hisque revelat condensa, scilicet difficultates sacræ Scripturæ. *Psal.28.*

26. *Dominus suis servis obedientibus revelat secreta sua.*

Dominus revelabit condensa in templo ejus. Et quibusnam? Cervis præparat? cervis velocibus scilicet obedientibus Deo: Istis enim revelat sua secreta, & introducit eos in secretum mysteriorum nostræ fidei. *Psalm.28. & Psal.118. c.2. v.2.*

27. *Obedientes introducuntur in templum gloriæ ad laudandum Deum in æternum.*

Et in templo ejus omnes dicent gloriam. Omnes? ergo omnes salvabuntur? omnes cervi, scilicet obedientes velociter Deo: Isti introducuntur in templum gloriæ, & ibi laudabunt Dominum in sæcula sæculorum. *Serm.1. Dom.18. post Pentecost.*
28. Dominus Rex præsidebit in æternum super electos ipsos regens, & beatificans: Unde dicitur hic. *Dominus Rex sedebit in æternum. Psal.118.c.7. v.15. & Psal.28.*

29. *Aqua sapientiæ secundùm variam dispositionem se diffundit nobis.*

Dominus diluvium inhabitare facit, & sedebit Dominus Rex in æternum &c. Quodnam est hoc diluvium, in quod Deus suos introducit? Nota, quod aqua sapientiæ se diffundit ad servos suos, sed secundum diversas dispositiones etiam magis, & minus: aliquando enim facit puteum, aliquando cisternam, quandoque fontem salientem, quandoque excrescit in lacum, vel in stagnum, vel in rivum, vel in fluvium, vel in abyssum, vel in diluvium: Ecce differentiæ decem Dei sapientiæ: per quod datur intelligi, quod differenter lumen sapientiæ, & scientiæ Dei diffunditur nobis secundùm varias dispositiones: sic & Divo Paulo Apostolo in raptu inundavit in diluvium, unde clamavit. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Sic & aliis sanctis sublimis sanctitatis, in quibus malitia periit. *Psalm.28.*

30. *Deus virtutem, & sapientiam populo suo confert: & populum diaboli relinquit in tenebris.*

Dominus virtutem populo suo dabit &c. Quis est iste populus? potestne dari populus, in quo non sit aliquis Deo exosus? minimè: In quolibet nostrum potest congregari talis populus: estque omnis voluntas bona, cogitatio munda, desiderium sanctum, consilium rectum, intellectus verus, affectus ordinatus: Regi placet populus iste in quo est beneplacitum suum. E contra, relinquit in tenebris populum diaboli, qui est voluntas mala, intentio perversa: fuge ergo de medio Babylonis, de populo isto, & intra in populum Dei, *Psal.28. & Psal.118. c.7. v.1.*

31. *Pax requirenda à Deo, à mundo, à carne, à diabolo, sed diversimodè, ut habeatur benedictio Dei.*

Dominus benedicet populo suo in pace. Nota, quod hæc benedictio promittitur, & dabitur in altera vita requirentibus eam in hoc mundo: sed tamen advertendum, quod debet esse pax omnimoda: nempe pax à Deo debet peti humiliter, & per humilitatem impetrari: pax, quæ est spiritus ad mundum debet fortiter exhiberi per patientiam: pax à carne cum spiritu, debet per abstinentiam ab ea exigi: pax quæ est ad diabolum, scilicet contra eum debet à Deo precibus obtineri: Ille populus igitur, qui hanc omnimodam pacem habebit, benedicetur à Deo in Cœlis. *Psal.28.*

32. *Proprium justorum, & filiorum Dei afferre gloriam, & honorem Beatæ Virgini totis suis viribus.*

Afferte Domino &c. Si filii Dei invitantur ad Deum laudandum, & ad oblationem hostiarum; ergo & idem debent facere cum Beata Virgine Maria: quia quidquid dignè genitrici Dei impensum fuerit, totum ad laudem, & gloriam Dei facit. *Op.specul. B.Virg.in prolog.& op. Psalt. Beatæ Virg. Psalm.28.* *Applicatio ad Mari. Virginem*

33. *Idem confirmatur.*

Afferte Dominæ Virgini gloriam, & honorem, adorate eam &c. Ideò invitantur omnes homines, & Angeli ad eam laudandam, quia quidquid dici potest de ea, semper est infra sua merita. *Serm.1. & 2. de B. Virg.*

34. *Dominus communicavit virtutem suam Mariæ Virgini, ut per ipsam mirabilia fierent.*

Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia. Nota, ex virtute transit in magnificentiam: nempè virtutem suam Deus communicavit Mariæ, ut per eam mirabilia operarentur: Ipsa enim est, quæ dat virtutem sanctis, eos detinens in sanctitate: ipsa est, quæ virtute sua prostravit inimicos nostros: ipsa est, quæ detinet virtutes, ne fugiant, merita ne pereant, detinet dæmones, ne noceant, detinet filium, ne peccatores percutiat. Dicamus ergo: Exaudi gemitus suspirantium ad te, & ne spernas vota invocantium nomen tuum, da virtutem sanctis tuis, & benedictionem laudantibus te: Benedic populo tuo in pace: sit manus tua ad succurrendum nobis parata, & auris tua intendens ad deprecationem nostram, ò Maria omnium sanctissima. *Op. spec. B.Virg. lect.7. & op. Psalt. B.Virg. Psal.28.*



PSALMUS XXIX.

Titulus eſt : Pſalmus Cantici in dedicatione Templi.

1. PRIMÒ nota, quod in hoc Pſalmo agitur ſimul de paſſione, & Reſurrectione Chriſti, ſed præcipuè conſideratur ejus Domus, ſcilicet Eccleſia militans, & triumphans, in capite, & in membris, quæ fuit primò ædificata tunſionibus, & paſſionibus, & poſtea dedicata in Reſurrectione: & hoc pacto nos modò per triſtia, modò per læta tranſimus hanc vitam, ut tandem dedicemur, & coronemur in gloria: nam in hac vita homo fabricatur tribulationibus in templum Dei: poſtea dedicatur, & conſecratur in Cœlo. *Pſalm.28.*

2. *Chriſti corpus ædificatum eſt in domum noſtram.*

Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me &c. Quomodò fuit ſuſceptus Chriſtus? Nota hæc verba ſunt verba Chriſti ad Patrem: ſuſceptus fuit, & exaltatus in domum noſtram: Ad ædificationem domus quatuor concurrunt: lignorum inciſio, eruderatio, erectio, & conjunctio: ſic in corpore Chriſti fuit facta inciſio, ſcilicet ſeparatio carnis aſſumptæ à carne Virginis Mariæ: eruderatio, ſcilicet mundatio animæ, & corporis, & quando reſurrexit: erectio ad contemplationem, & viſionem Dei, & conjunctio divinitatis cum humanitate: ſicque Chriſtus in inſtanti ſuæ conceptionis ſuſceptus fuit à Patre tamquam domus ſpiritualis pro Eccleſia. *Pſalm.29.*

3. *In Chriſto fuit plenitudo omnium donorum, & perfectionum.*

Exaltabo te, quoniam ſuſcepiſti me. Quid eſt ſuſcepiſti me? ideſt exaltabo te, quia exaltaſti me: & verè ſuſceptus, & exaltatus fuit Chriſtus per plenitudinem omnium donorum, quæ omnia habuit quantum ad meritum, quantum ad uſum abſque interruptione, quantum ad ſignum per miracula, ſcientiam linguarum, & prophetiæ. *Pſal.29.*

4. *Confeſſio peccatorum, & oratio ſanat animam ab omnibus malis ſpiritualibus.*

Domine clamavi ad te, & ſanaſti me. Quænam conſequentia eſt iſta inter clamare, & ſanari? ergo clamor eſt medicina infirmitatum, & non potius applicatio medicamentorum? Optimè tamen dicit: Clamavi ad te, ſcilicet per contritionem cordis, confeſſionem peccatorum, & per orationem, & inde ſequuta eſt ſanatio: nam contritio interior, confeſſio, & oratio ad Deum directa ſanat efficaciter omnem infirmitatem animæ: magni igitur licèt ſint languores noſtri, multique, tamen amplior, & efficacior eſt medicina à Deo nobis exhibita. *Serm.3. Dom.2. poſt oct. Epiph.*

5. *Qui vult ſanitatem animæ à Deo, clamet ipſe cum gemitu, & oratione.*

Domine clamavi ad te, & ſanaſti me. Ecce quanta eſt efficacia orationis factæ pro ſe cum gemitu, & contritione: id enim indicat illud verbum (*clamavi*) ſcilicet corde, & ore in oratione. *In Luc. c.4. v.38.*

6. *Chriſtus liberavit ſanctos Patres de Lymbo poſt ſeparationem animæ in Cruce, & continuè liberat animas de lacu culpæ.*

Salvaſti me à deſcendentibus in lacum &c. Nota hoc dixit Chriſtus ad litteram de ſe ipſo, qui deſcendit ad inferos liberare juſtos à Lymbo: Idem & dicebat unuſquiſque ipſorum Chriſto, & idem dicit anima à culpa liberata per merita paſſionis Chriſti: nam exiſtens in peccato mortali vivit in lacu, ſeu potiùs in inferno. *In Thren. cap.3.* Et hinc anima liberata à tali lacu lætanter invitat omnes ſanctos ad Deum laudandum, dicens cum Propheta: *Pſallite Domino ſancti ejus &c.*

7. *Chriſtus ad veſperum mortuus eſt, & in matutino tempore reſurrexit.*

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Hæc de Chriſto dicuntur, qui ad veſperum confixus eſt cum fletu Mariæ Virginis, & aliorum amicorum Chriſti: & in matutino, ideſt in prima hora diei ſequentis reſurrexit, afferens lætitiam toti mundo. *l.4. d.43. a.1. q.6. & in Ioan. c.16. v.20.*

8. *Qui in hac vita plangit, & triſtatur in alia gaudebit.*

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. O felix qui hæc verba inculcat ſæpe in mente; nam verum eſt, quod qui in hac vita ſignificata per veſperum triſtatur, pœnitet, flet; in matutino, ſcilicet poſt mortem, lætitiam habebit, & triſtitia vertetur in gaudium. *In Ioan. c.16. v.20.*

9. *Tempus, in quo vivitur in peccatis eſt veſper, imò nox, & fletus tempus: Tempus, quo vivitur in gratia eſt tempus lætitiæ, & verè lucidus dies.*

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Ecce quomodò de die, in quo vivimus in hoc mundo fit commemoratio tantùm veſperæ, & matutini temporis: & hoc cum maximo myſterio: nam homo vel eſt in peccato, vel in gratia: ſi in peccato, tunc vivit in veſpere, in nocte, & in ſtatu fletus: ſi in gratia, tunc eſt in mane, & lucidus dies. *Pſal.29.*

10. *Cur in ſolemnitatibus Chriſti non celebratur octava: ſed tantùm in ſolemnitatibus ſanctorum.*

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Nempè à paſſione ad reſurrectionem perpetuam, in qua perpetua, & completa lætitia advenit Chriſto: & hinc in ſolemnitatibus Chriſti, ut in Natali, Paſcha, & Pentecoſte

non

non celebrantur octavæ : non enim expectamus octavam Christi, scilicet ejus resurrectionis, quæ jam præcessit, & in qua incæpit perpetua lætitia numquam terminatura : sed in solemnitatibus sanctorum celebratur dies octava, quia expectamus resurrectionem, & glorificationem corporum. *Psalm.29.*

Ritus Ecclesiasticus.

11. *Deus liberalissimum se exhibet suis sequacibus, decorem, & virtutem tribuendo.*

Præstitisti decori meo virtutem. Hæc dicebat Christus Patri, dum per resurrectionem apparuit gloriosus, pulcherrimus, & potens : hæc possunt dici à quolibet Dei servo, per quæ liberalitas maxima Dei in suos servos explicatur : Cum enim sit dives, & largus magna suis militibus exhibet munera : Unde confert eis decorem, ut placeant, & virtutem, qua adversarios vincant : Ista duo miro modo perficiunt animam Dei ancillam, scilicet decor pudicitiæ, & virtus patientiæ, ut per pudicitiam se applicet ad bona, & per patientiam fortis fiat contra mala. *Serm. de sancta Cæcilia, Virg. & Mart.* Hinc patet qualiter servi Dei, licèt imbecilles, exterius deformes ab hominibus sint dilecti, & venerati, ob decorem animæ, & sanctitatem &c.

12. *Deus quales virtutes infundat in animas sibi caras.*

Præstitisti decori meo virtutem. Quam virtutem ? Virtutem scilicet pœnitentiæ, virtutem patientiæ, virtutem sapientiæ, & virtutem perseverantiæ : per primam purgatur anima : per secundam dirigitur in dubiis, & adversis : & per tertiam dirigitur, & docetur in via Dei : & per quartam continuat in bonis usque ad finem. *Serm. de S. Cæcilia.*

13. *Deus aliquando videtur avertere faciem suam à suis amicis, ut eos probet.*

Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Quomodò verè potest hæc dicere Christus ? fuitne unquam à Patre derelictus ? minimè: sed quoad apparentiam, quando mare passionis absque consolatione intravit : Adverte, quod idem facit Deus aliquando cum suis amicis, quibus videtur Deus nec attendere, nec audire, dum orant : & quia Deus per hanc derelictionem suos probat, caveat servus Dei, ne in tædium cadat, quasi videatur ejus oratio vana, & frustratoria : cum enim hæc sit probatio divina, debet perseverare patienter, & in Deum confidere, donec Deus aperiat thesauros suæ misericordiæ. *Op. de perfect. Religios. l. 2. cap.67.* Unde subdit Propheta. *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor*, scilicet ero perseverans &c.

14 *Christi caro non fuit subjecta corruptioni, sed statim resurrexit, ut esset exemplar nostræ resurrectionis.*

Quæ utilitas in sanguine meo (idest in effusione sanguinis mei) *dum descendo in corruptionem*, scilicet si corpus meum subjiciatur corruptioni, & non resurgat : & meritò hoc dicit, quia, ut notat Apostolus : *si Christus non resurrexit, nec nos resurgemus.* Sed resurrexit, per quod tradidit exemplar nostræ resurrectionis, ut excitaremur ad spem consequendi gloriam animæ & corporis. *Psalm.13. & serm.1. & 3. in Pascha, & l.3. d.19. quæst.1. & 4. & d.11. a.1. q.2. & op. Brevil. p.7. c.5.*

15. *Corruptio corporis nostri futura medium est deprimendi superbiam sanguinis, & vanitatum nostrarum.*

Quæ utilitas in sanguine meo, dum descende in corruptionem. Ecce quali motivo deprimebat Propheta suam carnis vanitatem : nempe recordatione futuræ corruptionis corporis: hoc enim est medium efficax, & remedium contra omnem morbum nostræ superbiæ : Quæ utilitas, ait, in sanguine meo, scilicet tam nobili, tam superbo, tam luxurioso, tam furibundo, & multa mala faciendo, dum descendo in corruptionem, cum oporteat, corpus meum corrumpi putredine : dum horribiles tineæ, serpentes, & vermes quasi indumentum corporis mei non parcent corpori cujuscumque hominis. *Serm.3. Dom.10. post Pentecost.*

16. *Per passionem Christus transiit ad lætitiam resurrectionis : quod & nobis faciendum est.*

Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia Hæc sunt verba Christi, quibus innuit cursum suæ vitæ, quæ fuit in hac mortali vita tota subjecta passionibus, postquam transiit ad Pascha, & ad lætitiam resurrectionis, ut daret nobis exemplum quid faciendum : & ideò Ecclesia priùs assumit planctum tempore jejuniorum, & postea celebrat festa : ut indicet, quod post mærorem devenitur in gaudium, & post vigiliam celebratur festum. *In Thren. prol. & in Ioan. c.16.*

17. *Idem confirmatur : ubi agitur de ornamentis Ecclesiæ in Natali, & Pascha.*

Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Quis est saccus conscissus ? quem saccum habuit Christus ? saccus iste est caro Christi : dicitur autem saccus propter asperitatem, quæ erat in carne, scilicet mortalitatem, passibilitatem, & defectus humanitatis nostræ : Conscissa fuit hæc caro in passione, & reformata in Resurrectione : Unde in Natali Ecclesia Romana ornat templum tapetis quasi saccis, quia tunc incipit celebrari ejus vita asperitatibus plena : In Pascha ornatur pannis sericis ad significandum, quod solemnitas est Christi, qui deponit saccum, scilicet mortalitatem, & assumit pannum sericum, scilicet immortalitatem, lætitiam, & delicias. *Psalm.29. In Thren. prol.*

Ritus Ecclesiasticus.

18. *Qui dolorem, & planctum assumit de peccatis, tristitiam vertit in gaudium, & lætitiam.*

Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia &c. O quàm verum est hoc, quod dicunt justi in hac vita, & Beati in gloria, nempè, quia luctum, & tristitiam dè peccati recordatione assumpserunt;

ferunt: Conſciderunt ſaccum, ſcilicet pœnitentiam, & mortificationem carnis aſſumendo, ideò eorum triſtitia verſa eſt in gaudium, & lætitiam propter evaſionem mortis æternæ. *ſerm. 3. Dom. 2. poſt oct. Paſcha & in Thren. prol.*

19. *Pœnitens rumpit veſtem carnis, ut novam acquirat in Cœlis.*

Conſcidiſti ſaccum meum idest carnem meam, & circumdediſti me lætitia. Quis ſaccus, & qualem convenientiam cum lætitia? Sed vide puerum, qui rumpit veſtem veterem, ut citius habeat novam: ſic facit pœnitens, qui lacerat ſuas carnes ex obedientia Deo debita, ut citius veſtiatur gloria: ſic, ſic faciunt veri amatores Chriſti, qui ſeipſos deſpicientes abbreviant ſibi vitam, ſubjiciendo Corpus flagellis, jejunijs, mortificationibus, ſubtrahendo ſibi victum vivendo in aſperitatibus: ſic & Martyres exponendo vitam tortoribus: Iſti poſſunt dicere Deo: Conſcidiſti ſaccum meum, ut poſtea veſte immortalitatis citius coronentur. *ap. Diat. ſit. 2. c. 1.*

20. *Deus rumpit ſaccum mortalitatis juſtorum in morte, ut appareat theſaurus, qui prius ſub illo abſcondebatur: ubi de miraculis Sanctorum Reliquiarum.*

Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. Cur appellatur ſaccus corpus noſtrum? Sed quia hæc dicuntur in perſona viri pœnitentis, & præcipoè Prælatorum, qui propter exemplum ſubditorum ſe humiliant, cruciantque ſua corpora, tam in parcitate victus, quàm in humilitate habitus: Invitamur ad obſervandum ſcyphum aureum ſancti Joſeph abſconditum in ſacco Benjamin, ſcilicet filiorum dexteræ, ut erudiamur, quod meritò poſt exitum Animæ à corpore, Deus in his ſolet demonſtrare ſignis qualem theſaurum portaverint involutum in ſacco externo, & quantum Deus dilexerit hos theſauros: & ideò, ut pateat pretioſitas talium theſaurorum, Deus conſcindit in morte hos ſaccos. *opuſc. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5.* Nota etiam quod Deus id oſtendere ſolet per miracula, & portenta, quæ ad contactum talis ſacci, ſcilicet corporum, & Reliquiarum ſanctorum operantur.

21. *Lachryma compunctionis potum dant Deo, qui ipſas convertit in dulcedinem Paradiſi.*

Convertiſti planctum meum in gaudium mihi &c. Quomodò fit iſta converſio lachrymarum in gaudium? Sed nota quod hoc officium eſt Dei: nam cum pœnitens miniſtret in menſa cordis compuncti lachrymas, & planctum, miniſtrat etiam vinum dulciſſimum, quo ipſe potatur, & tunc convertuntur in vinum dulciſſimum à Deo, quo poſtea potatur Anima in Cœlo. *In Luc. cap. 17. v. 8.*

22. *In ſacco corporis Chriſti latebat pretium noſtræ redemptionis, & in paſſione ruptus, & extractus eſt theſaurus.*

Conſcidiſti ſaccum meum &c. Cur appellatur corpus Chriſti ſaccus? In ſacco abſconduntur theſauri, ut videas, quod in illo ſacco abſconditum ferebat Chriſtus pretium noſtræ redemptionis: Apertus, & conſciſſus fuit ſaccus in Cruce in manibus, pedibus, & præcipuè in pectore clavis, & lancea, & hinc manavit pretium noſtræ redemptionis, per quod redemptus eſt homo, & Chriſtus circumdatus repletus eſt lætitia reſurrectionis *In Ioan. Collat. 56.* Et quomodò dicitur circumdatus lætitia? Cur non dicitur veſte? Lætitia, quam attulit ſecum veſtis, & ſtola, ſcilicet glorificatione corporis. *Pſal. 29.* Et hinc addit, *ut cantet tibi gloria mea* Ideſt ut hæc gloria reſultet tibi ò Pater in laudem & magnificentiam, & non compungar, quia ampliùs non ſentiam dolores &c.

23. *Maria Virgo ſuſcipit peccatores, liberans eos de manu diaboli.*

Exaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Quomodò Deus ſuſcipit nos? quibus brachijs nos liberat ab inimicis noſtris? Nota, quod hoc munus eſt Beatæ Virginis Mariæ, per quam Deus ſuſcipit peccatores, ſublevans eos à miſerijs, & periculis, necnon brachijs ſuæ pietatis eripiens de manibus inimicorum: ô quot peccatores prius perditi, poſtea ſuſcepti à Maria poſſunt dicere Mariæ: Exaltabo te Domina Virgo Maria, quoniam ſuſcepiſti me: ab inimicis meis liberaſti me converte ad me, & vivifica me, & de portis mortis redime me. *opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſal. 29.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

24. *Maria Virgo ſuſcipit ſuos devotas ad confraternitatem Chriſti.*

Exaltabo te, quoniam ſuſcepiſti me. Ubi ſuſcepit? Ad quod munus? Suſcepit nos Chriſtus per Mariam Virginem ad confraternitatem ſuam, dum ex Virginali utero dignatus eſt Chriſtus fieri frater noſter, os noſtrum, & caro noſtra: ô mira, & ineffabils diffuſio bonitatis divinæ: quanta quæſo erga talem Virginem deberet cor noſtrum devotione diffundi, per quam certè meruimus Deo eſſe fratres, & cohæredes in Regno. *op. ſtim p. 3. c. 16.* Vide ergo ô homo quam debitores ſimus huic Beatiſſimæ Virgini, dum ad confraternitatem ſui filij Jeſu Chriſti nos ſuſcipere dignatur, & intra gremium, & numerum ſuorum filiorum ſuſcipere: Hoc advertant, qui in Confraternitatibus Mariæ dicatis adnumerantur.

25. *Maria Virgo plurimos ſua interceſſione educit è portis Inferni.*

Domine eduxiſti ab Inferno Animam meam: Salvaſti me à deſcendentibus in lacum. Hoc dicitur in perſona ejus, qui à peccati morte liberatur: Sed quis eſt, qui extendit manum ad hanc liberationem? Hic eſt Chriſtus Jeſus per manus Mariæ ſuæ matris, per quas tot Animas in dies eripit, & reducit à portis Inferni, liberando eas de manibus diaboli, & imminenti certiſſima damnatione: Per Mariam igitur à privatione eſt homo regreſſus ad habitum: per ipſam mors expellitur, & mors in vitam (quia ipſa eſt vita noſtra) convertitur: vita eſt, mortem non timens, mortales immortales conſtituens: vita non ſeneſcens, ſed potius ſenes ad juventutem reducens: Vita eſt Maria carnales vitas ad nihilum redigens, & abhorrens:

abhorrens: Vita est divina impetratione, & potestate fortificans; Divina sapientia regulans, & divina vegetans bonitate, ô Maria Virgo, si vita es, reduc me de portis mortis, & Inferni: si vita es; semper in me sis, semper vegeta Animam meam. *op. stim.p.3. c.19. & opusc. Psalt. B. Virgin. Psal.29.*

26. *Post maximam afflictionem pro Christo Crucifixo Maria transijt ad immensum gaudium in ipsius Resurrectione.*

Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Hoc dictum est primò de Christo, & etiam de Maria Virgine, quæ tempore passionis Christi sui dilectissimi filij demorata est veluti sepulta in fletu, & pœna: Sed verè ad matutinum lætitia: nam primò ante omnes alios apparuit suæ dulcissimæ matri resuscitatus: & ob id magnum Pascha celebravit. *opusc.meditat. Vita Christi cap.87.*

27. *Deus decorem cum omnibus virtutibus præstitit Mariæ.*

Præstitisti decori meo virtutem. Hoc dixit Christus Patri: hoc & dicere poterat Maria Christo: nam suo decori, & pulchritudini interiori, & exteriori addidit virtutum omnium cumulum: nam in Maria fuit aurum infinitum dilectionis Dei, & proximi, fuerunt & gemmæ pretiosæ virtutum, & donorum, aromata bonorum operum, & exemplorum, *opusc. spec. B.Virg. lect.13.*

28. *Propter imperium, & magnificentiam potentiæ Maria laudanda est perpetuò ab omnibus creaturis.*

Vt cantet tibi gloria, & non compungar: Domine in æternum confitebor tibi &c. Hæc est conclusio hujus psalmi, nempè laus debita Deo, ob magnificentiam Christo collatam: Quod & Beatæ Mariæ Virgini est à nobis vertendum: nam ob decorem virtutum, ob magnificentiam suæ dexteræ, qua conterit inimicos nostros, & nos adjuvat, debemus ei offerre sacrificium laudis, & gloriam ipsius devotissimè exaltare: Laudate igitur Cœli, & terra, & omnes creaturæ, quia consolatur maria servos suos, & pauperum suorum miseretur. *op. Psalt. B.Virg. Psal.29.*



PSALMUS XXX.

Titulus: In finem: Psalmus David pro extasi.

1. PRIMÒ nota, quòd hic psalmus cantatur in persona Christi, qui ad exemplum suum conatur excitare nos ad spem, & confidentiam in Deum contra timorem significatum hoc nomine extasis, quasi extra se homines sapientem, ne in periculis, & persecutionibus timeant &c. *Psal.30.*

2. *Qualis spes fuerit in Christo.*

In te Domine speravi &c. Si hoc dicit Christus, ergone in Christo fuit spes? spes est expectatio præmij substantialis absentis, & supponit fidem, cognitionemque ænigmaticam, & ideò hanc non habuit: quomodò ergo dicit: *In te Domine speravi?* Sed Respondetur quod in Christo non fuit spes propriè sumpta, sed tantùm quædam expectatio gloriæ corporis cum certitudine scientiæ. *Psal.30. & l.3.d.26 dub.5. & 6.* Unde dicit? *Inclina*, scilicet per benignitatem; *aurem*, scilicet per sollicitudinem; *ad me*, humiliter petentem: *accelera*, scilicet sine dilatione: *erue*, scilicet cum festinatione, idest à morte: Hæcque dicebat Christus, ut homo: ne differretur resurrectio ejus usque ad finem: Potest etiam hoc applicari Christo in persona membrorum. *l.3.d.31.a.2.q.2.*

3. *Alij benè sperant: alij malè.*

In te speravi, non confundar in æternum. Quomodò dicit non confundar in æternum, cum multi sperantes remaneant in fine confusi? Sed attende, quod alij benè sperant: alij malè: Sperant cum fructu, & liberantur à confusione æterna, qui certissimè sperant in meritis Christi, & ex meritis Christi in proprijs meritis, & expectant retributionem vitæ æternæ: malè sperant, qui præsumentes de proprijs meritis, vel peccantes absque eo quod proponant emendationem, sperant veniam: Isti subjacent confusioni æternæ. *Psal.30. & Psal.118.c.1.v.15.*

4. *Confidentia perfecta in Deum confortat, & tribuit certitudinem obtinendi à Deo petita.*

In te Domine speravi, non confundar in æternum: Inclina ad me aurem tuam &c. Quomodò dicit cum tanta certitudine vir justus: *non confundar?* & petit cum tanta libertate quasi præcipiendo? Sed hic est effectus perfectæ confidentiæ in Deum: qui enim non in proprijs meritis, sed Christi & in promissis divinis confidens vivit, in Anima mirabiliter confortatur, & ad Deum fiducialiter recurrit: Unde sic orat ad Deum quasi filius confidens de dilectione paterna, non tam observat, quàm imperat Patri, ut exaudiat expectans, erga se benevolentiam Patris allegans. *opusc. Incendium amor. c. 3. & opusc. de perfect. Religios. l.2. cap.68.*

5. *In Deum confidens, ejusque voluntatem faciens deducitur in omnibus à Spiritu Sancto.*

Quoniam fortitudo mea es tu, & refugium meum, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me, educes me de laqueo hoc &c. Vide quid faciat confidentia justi, Dei voluntatem exequentis: Deduces me, scilicet in conversatione bona, & de virtute in virtutem: qui enim Voluntatem Dei facit, iste de virtute in virtutem procedit. *serm.3. Dom 8. post Pentecost.*

6. *Exemplo Christi debemus expirare clamando, & orando.*

In manus tuas Domine commendo Spiritum meum redemisti

redemisti me Domine &c. Nota, quod hæc verba prolata fuerunt clamando à Christo, quando expiravit, ut patet, *Luc. c.* 2·. ut se per clamorem ostenderet Deum, & per orationem, hominem, & ut daret nobis exemplum imitationis. *In Luc. c.* 23. *v.* 46.

7. *Humilitate à malo liberatur homo, in bono adjuvatur & in Cœlo exaltatur.*

Odisti observantes vanitates, quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus Animam meam &c. statuisti in loco spatioso pedes meos. Vide quomodò justus ponit in medium humilitatem suam postquam dixit, Deum odisse vanitates, postea subdens se liberatum de necessitatibus, & positum in loco spatioso: Ut videas, quod per humilitatem homo liberatur à malo, adjuvatur in bono, & exaltatur in Cœlo. *serm.* 3. *Dom.* 16. *post Pentecost. & Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 2.

8 *Deus odit observantes vanitates mundi.*

Odisti observantes vanitates. Quomodò Deus odit, si dicitur *Sap. c.* 11. *nihil odisti eorum, quæ fecisti?* Sed odit Deus iniquitatem, & diligit naturam: non facturam, sed facturæ vitium: odit igitur qui est veritas observantes vanitates, scilicet diligentes nimis tenaciter res hujus mundi, quæ sunt vanitas vanitatum & omnia vanitas, scilicet divitias, delicias & honores. *Psal.* 30. *& In Sap. c.* 11. *& Eccl. c.* 1.

9. *Peccato succedit miseria, nisi misericordia impediat.*

Miserere mei quoniam tribulor &c. conturbatus est in ira oculus meus Cur tribularis? Quænam est origo hujus tribulationis? Sed nota illud verbum (*miserere mei*) quod est actus supplicationis ad Deum pro venia peccatorum: ergo tribulatio est effectus peccati, cui occurrendum est per orationem, & supplicationem, ut Deus eam impediat. *Psal.* 12. *c.* 2. *v.* 13.

10. *Ira, & quodlibet peccatum conturbat potentias, in nobis constituentes imaginem sanctissimæ Trinitatis.*

Conturbatus est in ira oculus meus, Anima mea, & venter meus. Quænam sunt ista conturbata? Quomodò cum Anima collocat ventrem? Sed nota, quod per hæc tria intelliguntur tres partes constituentes imaginem sanctissimæ Trinitatis in nobis: per oculum ratio, per animam Voluntas, & per ventrem memoria: Conturbatio autem advenit, & excæcatio, quando concupiscentia advenit, & venter Animæ, scilicet memoria recipit serpentes vitiorum. *serm.* 4 *Dom.* 22. *post Pentecost. & in Thren. c.* 1. *&* 2. *& Psal* 26.

11. *In oratione captatur benevolentia à Deo quando quis exponit propriam miseriam.*

Miserere mei Domine, quoniam conturbatus est in ira oculus meus &c. Vide quomodò vir justus in oratione captat benevolentiam exponendo propriam miseriam: sic & nos facere debemus. *Psal.* 30.

12. *Naturalia vulnerantur propter peccatum.*

Miserere mei, quoniam conturbatus &c. Vide quod hic exponitur effectus peccati in naturalibus ea vulnerando: nempè quantum ad finem, dicens, oculus meus conturbatus: addit animam quantum ad sensualitatem, & tandem ventrem quantum ad carnem: unde peccatum vulnerat potentias animæ, & corporis. *Psalm.* 30.

13. *Miseria peccati quanta.*

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus: Infirmata est paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt. Ecce effectus peccati expressi in his verbis: indicat enim magnitudinem pœnæ in acerbitate, undè dicit, *defecit in dolore &c.* & in duratione, undè dicit, *anni mei*, & in paucitate gratuitorum donorum, undè dicit, *in paupertate &c. Psalm.* 30.

14. *Sancti Deum amantes torquentur ex dilatione unionis ipsorum cum Christo in gloria.*

Defecit in dolore vita mea. Sic dicit justus Dei amans: sed cur dolore defecit? quia desiderat esse cum Christo: dolent enim Sancti, tum propter dilationem gloriæ, tum quia hic præmuntur inter mala; tum quia hic non sunt securi. *Psalm.* 30.

15. *Gratia Dei sanat animam; peccatum eam infirmam reddit.*

Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt &c. In paupertate ergo infirmatur anima: sed quomodò ejus virtus infirmatur? Vide quid facit peccatum, nam reddit animam infirmam, quoad posse, quoad nosse, & quoad velle: Gratia Dei è contra virtuosam reddit animam quoad hæc tria. *serm.* 1. *Dom.* 23. *post Pentecost. & Psalm.* 67. Undè ut sanetur tatim debet adire Deum gressibus cordis. *in Ioan. collat.* 24.

16. *Christus fuit in omnibus pauperrimus.*

Infirmata est in paupertate virtus mea &c. Nota hoc dicit Christus, quia vere fuit pauper in tota vita sua, & ingrediens, & vivens, & in morte, quia non habuit, ubi reclinaret caput suum. *in Thren. cap.* 3.

17. *Majora opprobria nunc sustinet Christus à Christianis, quam jam ab ipsis Iudæis inimicis.*

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde, & timor notis meis: qui videbant me foras fugerunt à me: oblivioni datus sum tamquam mortuus à corde. Vide quomodò Christus conqueritur magis de amicis, quàm de inimicis, dicens, quod super inimicos suos factus est in opprobrium ipsis amicis: qui sunt isti amici tam proximi Christi? & si sunt amici, quomodò magis inimici, quàm ipsi inimici? sed attende, quod hic conqueritur de malis Christianis: qui ut Christiani sunt amici Christi, sed ut mali sunt magis inimici, quàm ipsi inimici Judæi, & quomodò hoc verificatur? quia fugiunt multi crucifixum,

xum, ipſum oblivioni tradunt, quia ipſum in medio latronum crucifixum relinquunt, quia ipſum blaſphemijs, & malis operibus malè tractant, ac ſi eſſet purus homo, & non Deus. *op ſtim. p. 1. c. 31. & Pſal. 11.*

18. *Ingratitudo diſplicet Chriſto pluſquam ejus Paſſio.*

Oblivioni datus ſum tamquam mortuus à corde. Quid eſt hoc, de quo tam validè conqueritur Chriſtus? hoc eſt peccatum ingratitudinis; de quo conqueritur pluſquam de ſua Paſſione. *In ſap. c. 14.*

19. *Chriſtus in cruce vas medicinale, quod abominabile eſt apud malos.*

Factus ſum tamquam vas perditum. Quid eſt vas perditum, niſi perforatum non valens retinere, quod continet? quid eſt ergo, quòd Chriſtus atteſtatur ſe factum eſſe vas perforatum? Nota, quod hominum alij ſunt veri Fideles in ipſum confidentes, hoſque retinet in vaſe ſuæ charitatis, eis communicans ſua medicamenta pretioſiſſima: alij ſunt perverſi, & ingrati, de iſtis conqueritur, quod reſpectu iſtorum eſt velut vas perforatum, quia in ipſum ſe nolunt per ſpem projicere, & ideò medicamenta paſſionis ſuæ eis nihil proſunt. *Pſal. 30.*

20. *In Eccleſia homines alij ſunt vaſa in honorem: alij in contumeliam.*

Factus ſum tamquam vas perditum. Nota hæc dici à Chriſto in perſona membrorum ad differentiam vaſis non perditi, quia alia ſunt vaſa Chriſti in honorem, alia vaſa diaboli in contumeliam; vas in honorem eſt vel aurum, vel argentum, in quibus reponit gratiam ſuam; vaſa Chriſti ſunt ſancti Doctores pleni manna ſcilicet doctrinæ: vel Diſcipuli Chriſti, qui pleni ſunt auro charitatis, & argento bonorum operum: vaſa diaboli ſunt Hæretici, & qui in corde retinent venenum peccati. *Pſal. 30.*

21. *Chriſtus in cruce conqueritur de ſcandaloſis tamquam de ſævioribus hoſtibus.*

Factus ſum tamquam vas perditum. Cur hoc? *quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu &c.* Nota, quòd hæc dicuntur in perſona Chriſti in cruce pendentis; ſed quid eſt, quod dicit audire vituperationes multorum commorantium in circuitu? Sed attende, quod in circuitu Chriſti commorantur infideles nolentes ad Chriſtum centrum procedere, ſed magis ipſum vituperationibus, & contumelijs afficiunt propter mala exempla, & ſcandala Chriſtianorum; & ideò merito conqueritur, quia graviorem perſecutionem patitur ab ijs, qui ſuggeſtione mala, pernitioſo exemplo, ſcandali occaſione avertit animas, quas ipſe redemit. *Pſal. 30. & op. i har l. 3. cap. 30.*

22. Juſtus ſibi pro objecto ſuarum operationum præfigit Deum: undè dicit continuè: *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum*: nempè ut te ſemper præſentem habeam *Pſal. 49.*

23. *Eccleſia orat, ut obſtinati deducantur in Infernum.*

Erubeſcant impij, & deducantur in Infernum &c. Ergone Eccleſia deſiderat damnationem hominis? minimè, ſed ſuppoſito, quod velint impœnitentes vivere, orat, ut de ſocietate bonorum auferantur, & ad pœnam Inferni deducantur, vel dicendum ſe orare ut deducantur ad Infernum per conſiderationem. *Pſalm. 30. op faſcicul c. 3.*

24. *Exorciſta exemplo Chriſti obmuteſcere faciat Dæmonem hominem obſidentem.*

Muta fiant labia doloſa. Hoc dirigitur ad Prædicatores immiſcentes falſa veris: item ad Dæmonem in hominibus inſidentem, & loquentem, quem obmuteſcere facere debet Exorciſta exemplo Chriſti. *in Luc. c. 4. v. 35.*

25. *Dulcedo divinæ miſericordiæ magna, & abſcondita, ſcilicet reſervata à Deo ſuis amicis, elongata inimicis.*

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te. Quomodò dicitur abſcondita timentibus Deum, & non potiùs revelata? dicitur abſcondita, ideſt inimicis, & reſervata timentibus Deum, quibus ab ipſo eſt aperta, & communicata, maximè poſt Paſſionem. *l. 1. ſent. in prol. In Eccleſ. cap. 11 & opuſc. de dono tim. c. 4.*

26. *Electi exteriùs audiunt verbum Dei, & interiùs guſtant: reprobi exteriùs tantùm.*

Quam magna &c. quam abſcondiſti timentibus te. Cur dicitur abſcondiſti, & non potiùs revelaſti? abſcondita quidem eſt dulcedo divinæ pietatis in ipſis timentibus Deum, abſcondita inquam reprobis, & revelata electis; reprobi enim tantùm exteriùs audiunt & recipiunt abſque ſapore ut cibum verba ſapientiæ divinæ; ſed electi etiam interiùs guſtant, eis enim talis cibus ſapit per amorem medullitùs incluſum. *op. de dono tim. c. 4.*

27. *Maxima multitudo dulcedinis divinæ ineſt timentibus Deum: magna multitudo veneni, & afflictionis amantibus mundum.*

Quam magna multitudo &c. Nota, quod dicit timentibus ſe; quia in corde iſtorum effluunt chariſmata dulcedinis divinæ: non timentibus Deum verò magna multitudo veneni, & afflictionum internarum. *op. de contemptu ſæculi, & in Luc. c. 1. v. 50. & c. 14. v. 24.*

28. *Diligentibus, & timentibus Deum bona creaturarum ſunt medium perveniendi in fruitionem dulcedinis divinæ.*

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ. Cur dicitur multitudo, & non potiùs magnitudo, & unitas, ſi hæc in unum Deum reducit? Dicitur multitudo, quia omnis bonitas diſperſa in univerſitate creaturarum inſeruit diligentibus Deum veluti per

ſcalam

ſcalam perveniendi ad deguſtandam dulcedinem divinæ pietatis, ſapientiæ, potentiæ, magnitudinis, & aliorum attributorum. *op. ſolilogn. c. 1. & op. Incendium : c. 3. & op. de ſex alis Cherub. & ſerm. 2. Dom 4. Quadrageſima.*

29. *Dulcedo, quam reſervat Deus ſuis amicis multa, & magna.*

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ &c. Nota illa duo verba (*magna, & multitudo.*) ſcilicet magna, & multa, quia continet in excellentia omnia bona deſiderabilia. *in Luc. c. 6. v. 35.*

30. *Anima contemplativa à Deo elevatur in abſcondito faciei ſuæ.*

Abſcondes eos in ab ſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Qui ſunt iſti, qui abſconduntur à Deo, & removentur ab omni conturbatione? iſti ſunt contemplativi, quos Deus eleva. ſuper omnia creata, & introducit ad conſpectum faciei ſuæ removens eos ab omni conturbatione hominum, veluti beatos. *op. ſpecul. Beata Virg lect. 12. & opuſc. de ſeptem itiner. æternit. itiner. 3. d. 6. & in Pſal. 55.*

31. *Dominus oſtendit ſuam miſericordiam ſuis amicis ſolùm intra Eccleſiam militantem, & triumphantem.*

Benedictus Dominus, quoniam mirificavit miſericordiam ſuam mihi in civitate munita. In quanam civitate? in civitate munita, ideſt in Eccleſia militante, quæ eſt veluti civitas munita: ergo qui extrà hanc civitatem eſt, hanc miſericordiam non percipiet hìc, nec in alia civitate, ſcilicet triumphante. *Pſal. 30. & ſerm. 3. Dom. 2. poſt Pentecoſt.*

32. *Anima juſti eſt civitas munita.*

Quoniam mirificavit mihi miſericordiam ſuam in civitate munita. Nota, quod civitas munita myſticè eſt anima juſti, munita quidem gratia Dei, & cuſtodia Angelorum, & virtutum exteriorum, & interiorum, in hac civitate Deus diffundit theſauros ſuæ miſericordiæ. *Pſalm. 30. & in Thren. c. 2.*

33. *Congregationes, & confraternitates ſacræ ſunt civitates munitæ.*

Quoniam mirificavit &c. in civitate munita. Nota etiam, quòd civitas munita myſticè ſunt congregationes, & confraternitates Deo dicatæ, verè munitæ, muris præceptorum, & conſiliorum Dei, & cuſtodia divina, protectione Angelorum, ab inſidijs, & violentia Dæmonum, in hiſque Deus maximè mirificat, & manifeſtat ſuam miſericordiam. *Pſal. 30.*

34. *In civitate diaboli non mirificatur miſericordia, ſed juſtitia, quia in ea regnat omnis turpitudo.*

Quoniam &c. in civitate munita. Ergo in civitate non munita gratia Dei non mirificat Deus ſuam miſericordiam, ſed juſtitiam, quia in anima impij regnat diabolus, & iniquitas. *ſerm. 1. de dedicat. & Pſalm 30.*

35. *Oratio, ut exaudiatur, quid exigat.*

Ideò exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. Cur addit dum clamarem ad te? nonne clamor iſte involuitur in oratione? ſed nota, quod clamor in oratione innuit qualitatem orationis, quæ exauditur à Deo, nempè affectum in ſupplicando, quo exhibetur reverentia Deo, petit & clementiam, & offert indigentiam. *in Luc c. 9. v. 38.*

36. *Deus eſt ſumma veritas, & ſecundùm veritatem Sanctos præmiabit, & impios condemnabit.*

Diligite Dominum omnes Sancti ejus, quoniam veritatem requiret faciemibus ſuperbiam. Nota ex hoc, quod Chriſtus nobis ſæpè inculcat, ut præ oculis ad memoriam ſemper revocemus, & præmium bonorum, & pœnam malorum, quia amicos ipſum diligentes præmiabit, inimicos puniet juxta qualitatem ſuorum peccatorum. *Pſ. 18. c. 9. v. 15. & in ſap. c. 5.*

37. *Gratia continentiæ datur à Deo caſtis, non luxurioſis.*

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum omnes, qui ſperatis in Domino. Quid eſt viriliter agere, niſi viriliter omnes motus ſenſualitatis rebellantis conterere, & allidere, quod non poteſt fieri, niſi gratia virtutis Dei infundatur: hanc verò Deus caſtis, & continentibus, & in ipſo ſperantibus confert: non verò voluptuoſis, & luxurioſis. *opuſcul. de Eccleſ. Hierarch. p. 1. cap. 1.*

38. *Prælatis, & Iudicibus in Deo confidentibus dicitur à Chriſto.*

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum. Iſti enim viriliter agunt, ſi odio, amore, vel timore à vigore juſtitiæ non deflectunt. *opuſ. Eccleſ. Hierarch. p. 2. cap. 2.*

39. *Ad exercitium fortitudinis invitatur homo à Chriſto Ieſu.*

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum. Hæc verba diriguntur unicuique noſtrum, ut exerceamur in virtute fortitudinis, quæ viriliter agit in aggreſſione arduorum, in contemptu terrenorum, in ſuſtinentia tribulationum, in reſiſtentia tentationum, & impugnatione vitiorum. *opuſc. Comp. Theol lib. quinto, cap. trigeſimoſexto.*

40. Qui in Mariæ protectione confidit verè, & ſecurè poteſt dicere ipſi in oratione. In te Domina ſperavi, ergo non confundar in æternum, ideò in gratia tua ſuſcipe me; quia confidentia in ejus interceſſione, & protectione liberar ab omni malo. *opuſc. Pſalt. Beatæ Virg. Pſal. 30. & op. ſtim p. 3. c. 19.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

41. Maria

41. *Maria protectrix nostra, & refugij domus ad salutem nostram.*

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut salvum me facias. Sed qua fiducia id petis ô homo à Deo? illa, quæ ex thesauris misericordiæ Mariæ emitur: est enim fortitudo nostra, & domus refugij, consolatio, & protectio nostra: est potentissima mediatrix secura apud Deum. *op. Psalt. Beatæ Virg. Psalm.* 30. *& op. specul. B. Virg. lect.* 11. *&* 15.

42. *Ut educamur è periculorum medio, & à laqueis inimicorum confugiamus ad Mariam.*

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu, educes me de laqueo hoc &c. Hoc dicebat Propheta Domino; hoc dicamus nos Beatæ Virgini; ipsa enim est fortitudo nostra, quæ nos educit de laqueis, quos absconderunt nobis Dæmones: ô quot homines caperentur à Diabolo, si Maria venatrix animarum nostrarum nos non caperet, & liberaret sua intercessione, protectioneque *opusc. Psalt. Beatæ Virg. Psalm.* 30. *& op. stim. p.* 3. *c.* 15.

43. *Felix qui vitam, & exitum suum commendat, & committit in manus Mariæ.*

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis. Nota, quod si hanc commendationem spiritus facit vir justus ad Deum, quia est Redemptor noster, idem & faciendum est Beatæ Virgini, quia est corredemptrix nostra, & ideò in manus suas quotidie committamus vitam nostram; spiritum nostrum, & diem ultimum nostrum, dicamus ergo frequenter: In manus tuas Domina Virgo commendo spiritum meum, vitam, & mortem meam. *op. Psalt. Beatæ Virg. Psalm.* 30.

44. *Qui vult invenire misericordiam, eam quærat in humilitate cum Maria Virgine.*

Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus &c. Hoc dicebat Christus; hoc & Maria Virgo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ergo qui vult gratiam, & misericordiam Christi, & liberationem ab omni malo, quærat cum Maria humilitatem, & cum Mariæ subsidio ad Deum recurrat, & totum inveniet. *op. specul. Beatæ Virg. lect.* 5.

45. *Dum Christus in Passione, & in cruce expositus erat, omnes fugerunt: sola Maria remansit, ut nos ad pedes crucis invitaret.*

Qui videbant me, foras fugerunt &c. Nota hoc dixit Christus dum in passione fuit expositus: Advertе tamen, quòd sola Maria remansit cum Jesu in cruce pendente: remansit inquam pendens in cruce pœnalitatum cum eo, ut nos invitaret ad pedes crucis, ut audire possimus, Ecce Mater vestra; & ipsa dicere possit, Ecce filij tui. *op. stim. p.* 1. *c.* 1.

46. *Deus abscondit suos amicos in abscondito faciei Mariæ à conturbatione hominum.*

Abscondes eos &c. Ubi abscondes? in abscondito faciei Mariæ quia per ipsam à terrore divinæ justitiæ, & inimicorum, liberat suos amicos. *op. specul. Beatæ Virg. lect.* 12.



PSALMUS XXXI.

Titulus: Ipsi David intellectus.

1. PRIMÒ: Nota, quod iste est secundus Psalmus pœnitentialis, in quo agitur de confessione, sicut in primo egit de contritione: sensus tituli est: ipsi intellectus David, scilicet dirigitur ad Davidis intellectum; ut intelligat se peccatorem, & peccata accuset, & bona, quæ facit, cognoscat, & fateatur à Deo esse &c. Et quia tria sunt vitia in homine, nempè cum ignorat se peccare, & quando dedignatur confiteri, & quando bonum, quod habet, sibi attribuit: hic triplex antidotum proponitur, scilicet sui cognitio, pia confessio, & pia attributio Deo; hæc debemus cognoscere, & facere si volumus verè pœnitere. *Psalm.* 31.

2. *Pœnitentia qualem beatitudinem conferat animæ.*

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus. Nota hic quatuor, quæ ponuntur à Propheta, ut indicet beatitudinem pœnitentis: quæ consistit in duobus, nempè in deletione peccati, & in vitatione supplicij: peccatum verò aliud est actuale, undè dicit, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*: aliud originale, & ideò dicit, *& quorum sunt tecta peccata*: & quia vitatio supplicij est vel materialis pœnæ, ideò dicit, *cui non imputavit peccatum*: vel spiritualis, & ideò dicit, *nec est in spiritu ejus dolus*; nam mala conscientia est maximum tormentum. *Psalm.* 31. *& l.* 1. *d.* 30. *art.* 2. *qu.* 1.

3. *Pœnitentia perfecta hic describitur, ejusque effectus.*

Beati, quorum remissa sunt iniquitates. Scilicet per veniæ condonationem, & quorum sunt tecta peccata per offensæ satisfactionem: non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum propter pœnitentiæ assumptionem; nec est in spiritu ejus dolus, per noritiæ restitutionem: pœnitentia enim ad perfectum reducit omnem defectum, & ideò Deus dimittit delictum propter æquipollentiã condignæ satisfactionis. *ser.* 4. *Dom.* 21. *post Pent.*

4. *Pœnitentia ad beatitudinem conducit.*

Beati quorum remissæ &c. Quomodò beati, si beatitudo spectat ad aliam vitam? verum quidem est; sed tamen attende, quòd modus perveniendi ad eam, est pœnitentia, per quam purgatur cor in contritione, os in confessione, & oratione, & manus in eleemosynarum largitione. *serm.* 2. *de om. sanct. & in Luc. c.* 7. *v.* 47.

O 5. Per.

5. *Per pœnitentiam peccata teguntur coram Deo.*

Et quorum sunt tecta peccata. Ergone tantùm teguntur, non dimittuntur? minimè: dimittuntur per pœnitentiam, per quam teguntur, ne Deus ea videat, scilicet quantum ad punitionem: videat tamen per compassionem, & misericordiam. *Psal.* 31.

6. *Dæmonium aufert aliquando loquelam suis sequacibus inducens eos ad tacendum peccata in confessione, vel in laudando Deum, vel in ædificatione proximi.*

Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea. Idest virtutes animæ significatæ per ossa per peccatum fractæ in fractione, & vetustate perduraverunt, quoniam tacui; sed quomodò tam malus effectus ex silentio potest provenire? nonne silentium à Deo toties laudatur? sed nota, quod est silentium bonum, & malum: quia lingua, & loquela nobis data est à Deo ad laudandum Deum, ad revelanda peccata in confessione, & ad ædificandum proximum, hinc diabolus facit suos sequaces mutos in his tribus; & hinc oritur inveteratio in peccato, & præcipuè ex eo, quod quis non facit confessionem integram ex reticentia alicujus peccati voluntaria, vel nullo modo volt confiteri, vel accusare se coram Deo, & Sacerdote. *In Luc. c.* 11. *v.* 14. Nota etiam, quòd istud tacere est clamor magnus ad Diabolum, ut super se posteriorem acquirat. *Psalm.* 68. Vide ergo ô peccator, ne taceas peccata, clames, & voces ad te diabolum, quia tale silentium est clamor, & clamor verè grandis.

7. *Pœnitentia exteriùs est amara, & gravis, sed intus dulcis redditur in effectu.*

Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua &c. Cur gravata manus Dei hic prædicitur? quia inducit ad pœnitentiam, quæ videtur gravis, & dura. *Psalm.* 10. quæ tamen postea in nucleo est dulcis, & suavis: quod patet in hoc Psalmo pœnitentiali, qui post enarratas varias tribulationes, postea terminat in dulcedinem, & lætitiam.

8. Passio Christi aggravata est ob multas circumstantias, sed præcipuè propter supplicij longitudinem, & continuationem, quia passus est die, ac nocte, scilicet per totam noctem, & per diem usque ad horam nonam, qua expiravit. Undè hic dicit, *Die, ac nocte gravata est super me manus tua. serm.* 6. *in Parasceve.*

9. *Quæcumque tribulationes, & pœnæ hujus vitæ comparatæ æterno supplicio sunt veluti punctura parva spinæ respectu trucidationis gladij.*

Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Quid est hæc compunctio, vel punctura spinæ? sed hæc dicta sunt pro ænimnis hujus vitæ; quæ quæcumque & quotcumque sint, in comparatione suppliciorum æternorum sunt veluti punctura parva spinæ. *serm.* 6. *Cinerum.*

10. *Festum coronæ spineæ cur non celebratur in Ecclesia.*

Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Videtur hic allusionem fieri ad coronationem spineam factam capiti Christi: & dicitur, *conversus in ærumna mea*, quia tunc Rex non clarus imperio, sed plenus opprobrio ostensus est: & quia hæc coronatio facta fuit à noverca synagoga, & cum irrisione salutabatur ut Rex Judæorum genu flexo; hinc nec celebratur festum de corona Christi, & in Parasceve orat Ecclesia pro Judæis, non flectendo genua. *Psalm.* 8. *& in Ioann.* 19. *v.* .

11. *Christus sibi elegit spineam coronam, ut nobis pararet coronam gloriæ in Cælo.*

Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Si hæc verba dicuntur in persona Christi, dum configebatur ejus caput corona spinea, ubi conversus est? conversus sum, ait: & ad quam partem? ad nos utique, nempè ut nos coronaret in Cœlo corona gloriæ, ipse portavit coronam spineam. *serm.* 4. *Dom.* 1. *quadragesimæ.* Hinc attende amorem in nos Christi Jesu, qui sibi elegit spinas, ut nobis pararet rosas.

12. Si homo agnoscit peccatum illud Deo exponit & Deus ignoscit: Unde hoc sciens Propheta dicebat, *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. sp. Comp. Theol. l.* 6. *c.* 26. *& in Luc. c.* 5. *v.* 16. *& in Psalm* 118. *c.* 2. *v.* 3. *& c.* 9. *v.* 5.

13. *Propositum confitendi cum contritione remissionem peccatorum obtinet.*

Dixi confitebor &c. & tu remisisti &c. Dixi, idest præhabita deliberatione, & proposito sancivi confiteri peccata mea, & tu remisisti impietatem peccati mei; Ecce quod solùm propositum confitendi peccata cum contritione, sufficit ad remissionem peccati obtinendam: & si hoc, cur posteà superadditur actualis confessio? Hoc non est ad obtinendam veniam, sed ad implendum præcepti. *serm.* 4. *Dom.* 21. *post Pentec. & in Luc. c.* 17. *v.* 14.

14. Cùm copiam Confessarij non habes in tempore necessitatis, sufficit, ut confitearis peccata tua Domino cum contritione: unde dicit, *Dixi confitebor Domino &c.* idest proposui &c. sola enim contritio in hoc casu sufficit cum voto confitendi. *l.* 2. *d.* 40. *articul.* 1. *quæst.* 5. *& serm.* 8. *Rogat.*

15. *Conditiones bonæ confessionis hic enodantur.*

Dixi confitebor &c. Dixi, idest proposium sancivi confiteri peccata mea (ecce examen antecedens:) *confitebor*, idest orè, & corde fatebor; ecce contritio, & actualis confessio peccatorum: *Adversum me*, scilicet non laudando, vel adulando, vel palliando peccata: *injustitiam*, scilicet peccata, non alia impertinentia: *meam*, idest peccata mea, non proximi: *Domino*, idest confessario tanquam ministro, sed Deo tanquam principali, à quo expecto remissionem, & absolutionem peccatorum. *opuscul. Confession. cap. primo*, *p.* 5. *Psalm.* 118. *c.* 4.

c.4 v.9.op.Diat.sal. tit.2 c.5.& l.4.d.21.p.2.art.1.q.3. & serm 2 in Rogat & serm 4.Dom.16.post Pentecost. & Psal.118.c.1.v.10.

16. *Beatitudo hic promissa consistit in remissione peccatorum.*

Beati, quorum remissa sunt iniquitates &c. dixi confitebor.&c. & tu remisisti &c. Ecce in quonam consistit beatitudo promissa à Spiritu Sancto pœnitentibus per confessionem, nempè in remissione peccatorum. *in Luc.c.7.v.47.*

17. Confitentes rectè peccata habent sanctos omnes pro ipso orantes: unde dicit. *Pro hac orabit omnis sanctus in tempore opportuno.serm.4. Dom.16. post Pentecost.*

18. *Oratio impetrat remissionem peccatorum.*

Pro hac orabit omnis sanctus &c. Pro hac, pro qua? pro remissione peccatorum, quia oratio est efficax ad obtinendam eorum veniam.*in Luc.c.18. v.1.& serm.4.Dom.16.post Pentec.*

19. *Alij in diluvio aquarum multarum à Deo elongantur: alij approximantur.*

Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Cur non approximabunt? quia in diluvio aquarum Deo volunt occurrere: sed quid est hoc,quodnam malum? Nota, quod alij occurrunt Deo in diluvio aquarum male, alij benè:Illi malè in diluvio aquarum occurrunt Deo, qui inter concupiscentiæ aquas,scilicet peccata fluunt, in morte effluent, & ad gehennam profluunt, & ideò ad Deum numquam in æternum approximabunt: Alij verò in diluvio aquarum, scilicet lachrymarum, & pœnitentiæ Deo occurrunt,isti Deo in morte, & post mortem approximabunt.*Psal.76.& 51.*

20. *Litterati,& docti sæpè à Deo elongantur per superbiam, & alia vitia: Idiotæ, & simplices per vita innocentiam Deo approximantur.*

Verumtamen in diluvio aquarum ad eum non approximabunt &c. Quid est in diluvio aquarum multarum, nisi in abundantia doctrinarum? nam nomine aquæ venit doctrina in sacra Scriptura: ergo multi in abundantia doctrinarum Deum perdunt; simplices autem per vitæ innocentiam Deum inveniunt; Infelices ergo sunt illi litterati,qui multa sciunt. & mala faciunt. *Psalm.71. & serm.1. Dom. infra oct. Ascens. & Psal. 118. capite 2.v.11.*

21. *Deus refugium est pœnitentium.*

Tu es refugium meum à tribulatione &c. Ecce quid notat Sanctus Propheta post pœnitentiam, & remissionem peccatorum, quod Deus est suum refugium in tribulationibus, quia pœnitentia advocat, & appropinquare facit Deum. *Psal.76.*

22. *Donum intellectus post pœnitentiam quibus,& quomodò datur,& quos effectus producit in anima.*

Intellectum tibi dabo &c. Quid est, quod Deus hic promittit? nonne jam habebat intellectum in anima? sed attende, quod loquitur hic de dono intellectus Spiritus Sancti, ubi describit ejus modum, & effectus mirabiles: dicit enim, *intellectum tibi dabo*, idest tibi, qui jam per perfectam contritionem, & pœnitentiam mihi approximasti, intellectus donum meum tibi dabo; quod est regula omnium operum moralium, quia dirigit hominem in ijs, quæ vitanda sunt, agenda, & expectanda: subdit, *Firmabo super te oculos meos*, idest approbando in præsenti, & remunerando in futuro tua opera, si non eris bestialis sequendo inclinationem sensualitatis, sed regulam rationis. *serm. 3. Hexaem. & serm 4. Rogat. & Psalm.118.c.7.v.2.*

23. *Donum intellectus reformat imaginem Sanctissimæ Trinitatis: ejus carentia in bestiam inducit hominem.*

Intellectum tibi dabo &c. Nota, quod subdit, *Nolite fieri sicut equus quibus non est intellectus &c.* Quid est, quod hic infert? ex promissione doni intellectus infert, quod cavere debet, ut non fiat sicut equus &c. Ut videas, quòd donum intellectus mentem elevat ad considerandum, quid in se portet homo, scilicet imaginem Sanctissimæ Trinitatis, ut vitando mala, & faciendo bona opera eam reformet; & è contra, quod carentia talis doni in bestiam reducit hominem,ut evenit Adæ, qui comparatus est jumentis.*serm.3 Hexaem & op.de dono intellectus c.3. & op.de dono consilij c. 6.*

24. *Qui in conjugio Deum à se,& à mente excludunt, & vacant libidini comparantur equis,& mulis.*

Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Quomodò potest homo rationalis fieri sicut equus,& mulus? sed audi Spiritum Sanctum. *Tob.c.6.* qui ita conjugium suscipiunt, ut Deum à se,& à mente sua excludant, & suæ libidinis in cœno volutantur,isti fiunt sicut equus, & mulus. *serm.1. Dom.3. quadragesima.*

25. *Homo carnalis cogens spiritum ancillari carni est veluti bestia.*

Nolite fieri sicut equus &c. quibus non est intellectus, scilicet ratio prædominans: hæc verba diriguntur ad omnes homines, ne cogant spiritum servire carni: nam isti prævertendo ordinem naturalem fiunt sicut equus, & mulus sine rationis usu. *serm. 3. Dom. 2. post oct. Pascha, & sermon. primo, Dom. vigesimaquarta, post Pentec.& serm. 2. in convers. Sancti Pauli & serm. primo de Apost. & serm. primo, de una Virgine: & Psalm. 31.*

26. *Homo malus nisi constringatur fræno, & chamo in præcipitium ruit.*

In chamo, & fræno maxillas eorum constringe. Quid est hoc, quod petiit Propheta? nonnè chamus, & frænum adhibentur ad frænandum equos, & mulos? sed optimè dicit, nam sicut equus sine chamo, vel fræno ad nihil valet, sic homo, ne ruat in præcipitium indiget fræno continentiæ, & calcari, vel chamo pœnitentiæ. *Op. Diat. tit. 1. c. 8. & 9.*

27. *Peccata luxuriæ hominem in bestiam reducunt.*

In chamo &c. multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit &c. Vide quid sequitur ad peccata incontinentiæ, quæ reducunt hominem ad statum jumentorum, scilicet multa flagella &c. nam homo dicitur jumentum propter stoliditatem, propter fœtorem, & propter laborem, & flagella. *Psalm. 72. & in sap. c. 19.* Utitur igitur Deus chamo, & fræno tribulationum, ut ad bonam frugem bestiam, scilicet peccatorem reducat.

28. *Peccatori imminent multa flagella: speranti in Deo adven t misericordia.*

Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. Ecce quid facit peccatum; nempè portat multa flagella: è contra virum justum sperantem in Domino gratia, & venia circumdat. *Sup. c. 19. & op. Comp. Theol. l. 5. c. 22.*

29. *Justi soli lætantur, & exultant in gloria etiam in hac vita.*

Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti &c. Nota, quòd hic ad delicias, ad lætitiam, & gloriam invitantur solùm justi, & recti corde, quia justi solùm perfruuntur gloria etiam in hac vita, & lætitia, & exultatione, quæ consistit in conscientiæ puritate, in recta animi voluntate, in mentis, & corporis integritate. *Serm. 1. de uno sancto Martyre.*

30. *Beati sunt, quorum remissa sunt iniquitates, à Deo, & simul Beati, qui diligunt Mariam, quia per ipsam obtinetur remissio peccatorum.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c.* Et qui sunt isti felices? illi qui à Deo obtinent remissionem peccatorum; sed attende, quòd nihil Deus nos habere voluit, quin per manus Mariæ non transiret, ergò id per Mariam obtinet peccator; Beati igitur, qui diligunt Mariam Virginem quia peccatorum per ipsam obtinent misericordiam. *Op. Psalt. Beatæ Virg. Psalm. 31. & op. specul. Beatæ Virg. lect. 13. & 14.*

31. *Christus ad remissionem peccatorum obtinendam pro nobis ostendit Patri vulnera: Maria verò ubera ostendit Filio.*

Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Et quibus fit hæc remissio? & quibus mediis? Nota, quòd Filius ostendit Patri vulnera, Maria verò ostendit pectus, & ubera Filio, & tunc nulla potest esse repulsa, ubi occurrunt tot amoris insignia. *Serm. 5. Dom. 1. quadragesimæ, & serm. 2. de Virg.*

32. *Maria oratio nobis impetrat omnia bona.*

Pro hac orabit ad te omnis sanctus &c. Si sancti orant pro remissione peccatorum nostrorum, multò magis Maria, cujus oratio nunquam redditur vacua, sed Deo est grata super thus, & balsamum. *Serm. 2. de Beata Virg. & op. Psalt. B. V. Psal. 84.*

PSALMUS XXXII.

Titulus: Psalmus David.

1. PRIMÒ: Nota hunc Psalmum dirigi in Christum, ut ejus omnipotentiam cognoscendo, ipsum timeamus: & ejus misericordiam, ut ipsum amemus, & in eo speremus, quia beneplacitum ejus est in timentes eum.

2. *Exultatio justorum est conformitas voluntatis ipsorum cum voluntate Dei.*

Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. Quid est exultare in Domino, & quomodò fit hoc? exultare in Domino est facere ejus voluntatem: illi igitur exultationem veram percipiunt; qui similitudinem Dei per gratiam recipiunt, & volunt solùm quod, & quomodò Deus vult; & hæc est vera beatitudo, quæ potest haberi in hac vita. *l. 1. d. 48. art. 1. qu. 1.*

3. *Justi solùm veram lætitiam, & exultationem habent: impii veram tristitiam, & afflictionem.*

Exultate justi in Domino. Nota, quòd hic invitantur solùm justi; cur non etiam alii? quia solùm justitia est verum bonum, & fons lætitiæ, & hanc verè solùm habent justi: impii verò confusionem, & mærorem. *In Luc. c. 1. v. 14.*

4. *Qui vult Deum debitè honorare, & collaudare debet esse rectus.*

Rectos decet collaudatio. Nota, quòd collaudatio hic tribuitur tantùm rectis: & quis est rectus? ille est, qui modica de seipso, & magna de Deo sentit, qui jucundus est in laude divina, libenter, & promptè Deum laudans, & qui in Deum flammeus est. *Diat. tit. 10. c. 5.*

5. *Confessio alia laudis, alia peccati, & quid ad laudem requiritur.*

Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi, cantate ei canticum novum, benè psallite ei in vociferatione. Nota hoc verbum, (*confitemini,*) quomodò, & qua confessione? confessione scilicèt laudis, & peccati; confessio autem laudis quinque exigit hic notata: scilicet ut fiat in carnis maceratione significata in cithara

cithara; in operatione ſancta ſignificata in pſalterio; in decalogi obſervatione, ſignificata in decem chordis; & in mentis hilaritate ſignificata in cantico novo, & in vitæ novitate, undè dicitur, *cantate ei canticum novum. Pſal.32.*

6. *Chriſtus vult à nobis ſonitum pſalterii decem chordarum.*

In pſalterio decem chordarum. Cur decem chordarum, & non duodecim? decem chordæ ſunt decem præcepta decalogi per quorum obſervantiam redditur ſonus Deo gratiſſimus. *Pſalm.32.*

7. *Chriſtus vult ſonitum citharæ, & pſalterii, ſcilicet opera pœnitentialia.*

Confitemini Domino in cithara, & in pſalterio. Cur hic mentionem facit ſolùm de citharæ. & pſalterii ſono? Nota, quòd per citharam ſignificatur carnis maceratio, quia in cithara chordæ extenduntur in ligno; ſic in cruce pœnitentiæ debemus collocare noſtram carnem: Pſalterium ſignificat operationes bonas, quia ſolùm manibus percutitur, vult ergo Chriſtus, ut ipſum laudemus his duobus inſtrumentis. *Pſalm.32. & Pſalm.97.*

8. *Qui vult dignè laudare Deum, ad Chriſtum in cruce aſpiciat.*

Confitemini Domino in cithara Cur in cithara? Nota myſticè cithara eſt Chriſtus, cujus membra ſunt extenſa in cruce in qua dulcem ſonum reddidit pro nobis, ad hunc igitur debemus adſpicere per imitationem, ſi volumus dulcem ſonum laudis ipſi reddere. *Serm.3.Dom.3.quadrageſima,& ſerm.3.in Paraſceve, & ſerm.2. in Paſcha, & Pſalm.97.*

9. *Chriſtus nobis continua, & ſemper nova beneficia confert, ut nos ipſi exhibeamus ſemper nova cantica laudis.*

Cantate Domino canticum novum. Cur canticum novum vult à nobis Chriſtus? quia ipſe nova beneficia contulit, & in quo novitas magna apparuit, nempè novitas in conceptione, in prædicatione, in miraculis, & in reſurrectione: ergò ſi continuè à Chriſto nova beneficia recipimus, ad ipſum debemus per novitatem vitæ, & continuam laudem nos convertere *Pſalm.*[illegible]. Propter hæc mirabilia igitur debemus benè pſallere ei in vociferatione, ſcilicèt cum devotione interiori, & exteriori. *In Luc. c.19. v.37.*

10. *Deus cum ſit æquè juſtus, & miſericors, in hac vita miſericordiam ſuam maximè diffundit per totam terram.*

Diligit Dominus miſericordiam, & judicium; miſericordia Domini plena eſt terra. Nota, quòd poſtquam attributa divinæ juſtitiæ, & miſericordiæ prædicavit, relinquens juſtitiam tranſit ad miſericordiam: cur non connectit etiam juſtitiam, quia in hac vita præcipuum maximè ejus eſt miſereri? & ideò dicit, quòd miſericordia Domini plena eſt terra, quod eſt veriſſimum: hæc enim patet in tot beneficiis naturalibus, temporalibus, & ſpiritualibus, quibus nos ditat; hoc & patet in vita Chriſti, quam in hac vita duxit, & in beneficiis, quæ nobis confert è Cœlo die, & nocte. *Serm.2. Dom. 4. poſt oct. Paſchæ, ſerm.3. Dom.6. poſt Pentecoſt. in ſap. c.11.op. Meditat. vitæ Chriſti c.34.& 48.& Pſalm.32.*

11. *Verbo Domini firmata eſt omnis Hierarchia increata, & creata.*

Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Quomodò dicitur verbo Domini firmatos eſſe Cœlos, & omnem virtutem eorum ex ſpiritu oris? Nota, quod per Cœlos intelligitur Hierarchia cœleſtis, ſupercœleſtis, & ſubcœleſtis, indicaturque; quòd per verbum Dei omnes ſunt firmatæ: ſcilicèt Hierarchia ſupercœleſtis expreſſa per verbum, quod & Patrem, & ſeipſum; & Spiritum ſanctum exprimit: item, & Angeli creati, & tot virtutibus repleti: item & inferior Hierarchia, ſcilicèt Eccleſiaſtica, & anima fidelis, & cæteræ creaturæ per verbum firmatæ ſunt in ſua ſtabilitate, & virtute. *Serm.9. Hexaem.& in ſap. c.7.& in Ioan. c.1.v.3.& op. Comp. Theol.l.1. c.10.*

12. *Spiritus ſanctus miſſus eſt à Patre per Verbum in Eccleſiam.*

Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Nota, quòd hic notatur Spiritus ſancti miſſio in die Pentecoſtes: miſſus enim eſt à Patre per Verbum ad duos præcipuos effectus, nempè ad roborandam Eccleſiam; undè dicitur, *Cœli firmati ſunt*; & ad conferendam virtutem miraculorum; undè dicitur, *ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Comp. Theol.l.1.c.9* Nota etiam, quod per os hic intelligitur Verbum Filius Patris. *Op. de inviſibil. Dei, & l. 1. ſent. in prol.*

13. *Verbum Dei, & ſacra Scriptura firmitatem habet, ſcientiæ humanæ vanæ ſunt.*

Verbo Domini Cœli firmati ſunt &c. Cœli, ſcilicèt Eccleſia, & Doctores ejus firmati ſunt, & ſtabiliſſimi facti in perceptione veritatis virtute Verbi Dei, quod non poteſt deficere: è contra ſcientiæ mundanæ, quæ non ſunt fundatæ in ſacra Scriptura, vanæ ſunt, & inutiles. *Op. de Eccleſ. Hier. p 4 c.4. & ſerm.2. de Evangeliſt.*

14. *Sancti præcipuè Apoſtoli ſunt Cœli firmati, & virtuoſi virtute Verbi Dei.*

Verbo Domini Cœli ſunt firmati &c. Nota, etiam, quòd nomine Cœli veniunt ſancti, ſcilicet propter vitæ ſublimitatem; propter propoſiti firmitatem; propter operum claritatem; & propter Deum in eis per gratiam quieſcentem: totumque habent Verbi divini virtute. *Op. in Pater noſter, & ſerm.2.de Evangeliſt.in Luc. c.1. v 79.*

15. *Per Verbi Dei prædicationem, & receptionem omnis virtus communicatur animæ.*

Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Nota, quòd ex Verbo

Dei dicitur provenire & firmitas, & virtus omnis Cœlorum, quòd myſticè eſt intelligendum de Cœlo ſpiritali, ſcilicèt de Eccleſia, vel anima: daturque intelligi, quòd per Verbi Dei prædicationem, & receptionem Deus communicat animæ vitam ſpiritualem, medicamentum ad ſanandum, firmitatem ad roborandum, & delectamentum. *In Ioan. collat.* 44. *& ſerm.* 1. *de Evangeliſt. Pſalm.* 118. *c.* 6. *v.* 9.

16. *Potentia, & providentia maxima Dei elucet in congregatione facta aquarum in mari, ſicut in utre, ſcilicèt materialium in mari, & ſpiritualium in ſacra Scriptura.*

Congregans ſicut in utre aquas maris. Vide quòd in congregando omnes aquas in mari, veluti in utre, ſeparans eas à ſuperficie terræ mirabilis elucet divina potentia, & providentia; ſed plus elucet in congregando omnes aquas univerſalium intelligentiarum in mari ſacræ Scripturæ: qui vult ergo ad patriam cœleſtem dives pervenire, intret, & enaviget hoc mare verè magnum, & ſpatioſum. *Serm.* 13. *Hexaem.*

17. *Cor hominis eſt abyſſus plena theſauro iræ, vel divinæ miſericordiæ.*

Ponens in theſauris abyſſos. Qui ſunt iſti abyſſi? ſunt corda hominum; verè abyſſus eſt cor hominis, quòd Deus reponit in theſauro, vel iræ ſuæ, vel miſericordiæ: ſi enim recondit bonas cogitationes eſt in theſauro miſericordiæ: ſi recondit malas eſt in theſauro iræ divinæ. *Pſalm.* 41.

18. *Iuſti timent Deum, non homines: impii timent homines, non Deum.*

Timeat eum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes habitantes orbem. Vide quomodò invitat, & excitat omnes homines ad Deum timendum, eo quia ab ipſo commoventur, & ſubjacent ejus potentiæ omnes habitantes orbis, & meritò, nam timor reverentiæ circa Deum eſt proprium juſtorum, fundamentumque omnis boni, quia per eum homo recedit à malo, facit bonum, aſpirat ad optimum, & impeditur, ne recidat in malum; & ideò proprium eſt juſtorum timere Deum, non mundanam potentiam; è contra impii timent homines, non Deum. *Serm.* 1. *de ano S. Doct. & in Luc. c.* 12. *v.* 5.

19. *Dicere Dei eſt facere.*

Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Vide mirabilem omnipotentiam Dei, nam inter dictum, & factum nihil mediat, ejuſque dicere eſt facere. *In Luc. c.* 5. *v.* 13. *& l.* 1. *d.* 17. *p.* 1. *art.* 1. *qu.* 2.

20. *Deus diſſipat, & punit conſilia, & cogitationes carnalium, avarorum, & ſuperborum: conſilium autem Domini manet in æternum.*

Dominus conſilia diſſipat gentium, reprobat cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum. Nota ad litteram: Deus diſſipavit conſilia Principum, perſecutorum Eccleſiæ, & Judæorum perſecutorum Chriſti: illi contra fidem ſe armaverunt, ut eam ad nihilum redigerent: Judæi, & Principes contra Chriſtum volentes exterminare ejus nomen, ſed Deus eos omnes confudit, & diſſipavit eorum conſilia: myſticè per gentes intelliguntur avari, per populos carnales, & per Principes ſuperbi: horum autem conſilia Deus diſſipat, vel evertendo tribulationibus, vel eos convertendo ad ſe. *Pſalm.* 32. *in Luc. cap.* 13. *verſ.* 31.

21. *Principes, & Prælati malè exercentes ſuum munus reprobati, & puniti à Deo.*

Reprobat conſilia Principum, conſilium autem Domini manet in æternum &c. Nota, quòd mentionem peculiarem hic facit de malis conſiliis Principum, quia Deo magis diſplicent, quàm aliorum peccata; nomine autem Principum veniunt omnes Rectores, Prætores, Judices, & Prælati mali; nomine etiam conſilii venit eorum omnis nequitia, dat ergo intelligere, quòd conſilium Dei ſtabile manet, ut puniat, reprobet, & diſſipet Prælatorum mala conſilia, injuſtitias, negligentias, violentias, malorum adhæſentias, familiæ, & miniſtrorum peſſimorum indecentiam; contra iſtos Deus maximè ſe iratum oſtendit, eoſque punit ſeveriſſimè. *Serm.* 1. *Dom.* 16. *poſt Pentecoſt.*

22. *Beata eſt ſola gens, cujus eſt Dominus ejus, & quem Deus elegit in hæreditatem; non verò, qui bonis temporalibus dives eſt.*

Beata gens, cujus eſt Dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hæreditatem ſibi. Nota conſequentiam horum verborum; poſtquam enim Propheta introduxit peſſimum ſtatum carnalium, avarorum, & Principum, qui oculis lippis videntur eſſe beati; ſubdit beatitudinem amicorum ſuorum, qui Deum ſolum amant, volunt, & poſſident, & quos Deus elegit in numero ſuorum electorum, tanquam hæreditatem peculiarem, dicens, *Beata gens, cujus eſt Dominus Deus,* quaſi dicat: ſtulti quidem prædicant beatos illos, quibus eſt opulentia bonorum mundanorum, ſed verè decipiuntur, cum ſint tranſitoria, & ducant non ad vitam, ſed ad ignem æternum; ſunt autem verè beati, qui Deum habent, qui gratia ſua perfruuntur, qui iſta caduca deſpiciunt; iſti enim tranſeunt ad illam beatitudinem perfectam Cœli, in qua anima vivet glorioſa in æternum, & corpus item per redundantiam gloriæ animæ. *Serm.* 4. *Dom.* 19. *poſt Pentecoſt. & ſerm.* 7. *de Apoſtol. & l.* 4. *d.* 49. *p.* 1. *art.* . *qu.* 3.

23. *Homo peccat, quia non attendit Dominum videntem clarè omnia bona, & mala; unde Propheta, ut imprimat hanc conſiderationem in mente omnium, clamat ad omnes: ubi de præſentia Dei exercitio.*

De Cœlo reſpexit Dominus omnes filios hominum, de præparato habitaculo &c. qui finxit &c. Quaſi dicat;

dicat, ò vos, qui habitatis mundum, attendite, quòd Deus videt omnes filios hominum bonos, & malos, in tenebris, & in luce, in angulo, & in publico, benè, vel malè agentes; væ ergo eis, qui occultas suas nequitias credunt celari posse Domino: sed hoc in causa est, quia videntes Deum non statim punire abutentes ejus patientia, cumulant sua peccata, quasi Deus ea non attendat. *Serm. 1. Dom. 1. post Pascha.* Vide igitur, qua cura ad exercitium divinæ præsentiæ te convertere debeas, & sæpè dicere, Deus me videt.

24. *Deus vocat omnes multipliciter, & ad hoc tendit omnis voluntas divina.*

Deus de Cœlo respexit super filios hominum. Quid est respicere de Cœlo? nonne Deus est ubique omnia prospiciens? cur peculiariter dicitur de Cœlo respicere? Nota mysterium, dicitur de Cœlo respicere, idest cœlestia bona immittere in homines, quasi totus intentus in vocando omnes ad se; de Cœlo igitur respicit, & vocat multipliciter, nempè per naturam, per Angelos, per Patriarchas, per legem, per Prophetas, per Christum, per Apostolos, per doctrinam, per prospera, & per adversa, nec in ullo datur excusatio. *Psalm. 32.*

25. *Deus singillatim creat animas ad constitutionem corporum.*

Qui finxit singillatim corda eorum. Nota ex hoc textu eruitur, quòd Deus creat animas successivè, & non simul, ut falsò dixerunt aliqui; quas statim ac effectum est corpus, in ipso infundit. *1. 2. d. 18. art. 2. qu. 2. & in Psalm. 102.*

26. *Qui diffidunt de sua virtute salvabuntur: qui in propria virtute confidunt damnabuntur.*

Non salvatur Rex per multam virtutem, & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Ecce quid requiritur ad salutem acquirendam, nempè non confidere in propria virtute; qui enim sic confidunt, etiam si sint potentes, & gigantes confundentur, & damnabuntur: qui in humilitate radicati solùm in virtute Dei confidunt, exaltabuntur, & salvabuntur. *In Luc. c. 18. v. 17.*

27. *Idem confirmatur sub metaphora equitis insidentis in equo boni, vel mali.*

Fallax equus ad salutem; in abundantia autem virtutis suæ, non salvabitur. Quid est fallax equus ad salutem? quid sibi vult talis modus loquendi? sed attende metaphoram verè dignam: equi sunt corpora nostra, hos equos regere debet anima rationalis, tamquam miles eis insidens; si in hoc equo bonus miles eris, & hostes superaveris, tunc coronaberis; & quantò equo pugna fuerit diuturnior, tantò erit corona gloriosior: in equis autem mali sperant, qui de fortitudine, & sanitate corporis præsumentes, different pœnitere, & sæpè falluntur; fallax equus talis est ad salutem, quia antequam sciant, mortis lancea equo transfixo ejicientur. *Serm. 3. Dom. 10. post Pentecost.*

28. *Oculi misericordiæ Dei sunt defixi in metuentes eum, & quinam sunt isti.*

Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant &c. Vide oculos Dei fixos in metuentes eum; & quænam sunt? sunt illi, qui humiliter se subjiciunt cum fide, spe, & charitate Deo; hos enim Deus respicit, defendit, pro egit, & à periculis eripit. *In Luc. c. 8 v. 51. & c. 19. vers. 5.*

29. Deus totus intentus, ut satiet esurientes justitiam, & gratiam Dei; dicit enim Propheta. *Vt alat eos in fame, oculi Domini super metuentes eum. Psal. 32.*

30. Nota, quòd, ut supra dictum est, hic Psalmus dirigitur ad inducendum nos in notitiam potentiæ, & misericordiæ Dei, ut ipsum timeamus, amemus, & in ipso speremus; mysticè ordinatur etiam ad exponendam potentiam, & misericordiam Mariæ Virginis, ut ipsam timeamus, amemus, & in ipsa speremus; hinc ad justos dicitur mysticè: Exultate justi in Virgine Maria, & in rectitudine cordis ejus collaudate eam, accedite ad eam cum reverentia, & devotione, & delectetur cor vestrum in salutatione ejus; impendite illi sacrificium laudis, & inebriamini ab uberibus dulcoris ejus; influet enim vobis radios suæ pietatis, & clarificabit vos fulgoribus misericordiæ suæ: suavissimus est fructus illius in ore, & corde sapientis dulcescit. *Op. Psalt. Beata Virg. Psalm. 32.* *Applicatis ad Mariam Virginem.*

31. *Maria Virgo vas plenum oleo misericordia divina.*

Misericordia Domini plena est terra. Quomodò terra dicitur plena misericordia? cur non potiùs dicitur repositum oleum misericordiæ Dei in vase? optimè dicitur terra, quæ figurabat Beatam Virginem terram benedictam, quæ ut vas immensum repletum est oleo divinæ misericordiæ; nam Deus in Maria extruxit sibi locum, vel domum, qui adeò ipsam replevit, ut de plenitudine ejus, scilicèt de ejus fæcunditate ipse Deus sumere carnem posset. *Op. specul. Beata Virg. lect. 7.* Et hinc meritò Ecclesia in quadam collecta dicit: Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, præparasti.

32. *Misericordia Maria plena est terra.*

Misericordia ejus plena est terra. Quomodò tota terra plena dicitur misericordia ejus? Sed nota, quia Mariæ misericordiæ longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum sunt investigabilia; longitudo enim suæ misericordiæ est tanta, quòd usque ad diem novissimum invocantibus eam subvenit universis, latitudo replet orbem terrarum, & sublimitas confert supernæ civitati restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem. *Op. spec. B. Virg. lect. 5.*

33. *In Maria congregavit Deus veluti in mari omnes aquas gratiarum.*

Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Hic ad litteram exprimitur congregatio aquarum, facta in mari veluti in abysso: mysticè

myſticè innuitur congregatio omnium gratiarum facta in Maria: nempè gratiæ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum; & nota, quòd ſicut ex mari per totam terram diffluit aqua ipſam fœcundans; ſic ex Maria diffluxit gratia ad omnes; ideò dicitur, quòd gratiam apud Dominum invenit tantam, & talem, quod per totum mundum ipſam effundere meruit. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 3.*

34. *Maria abyſſus theſaurorum Dei.*

Ponens in theſauris abyſſos. Quid eſt, quod Deus poſuit in ſuis theſauris abyſſos? quos abyſſos? Nota duo ſunt abyſſi in theſauris divinæ miſericordiæ repoſiti; ſcilicèt Chriſtus, & Maria Virgo: Maria abyſſus eſt in bonitate, & miſericordia profundiſſima, invocans abyſſum, ſcilicèt profundiſſimam miſericordiam filii ſui pro nobis interpellans. *Op. ſpecul. Beatæ Virg. lect. 5.*

PSALMUS XXXIII.

Titulus Davidi, cum immutavit vultum ſuum coram Abimelech & dimiſit eum, & abiit. Ex 1 Reg. c. 21.

1. PRIMÒ: Nota, quòd hic Pſalmus fuit compoſitus à Rege David, quando immutavit vultum ſuum; ſed quia duplex immutatio legitur de David, altera in Achis coram Rege, quando ſtultum ſe finxit: altera coram Abimelech fingens ſe miſſum à Rege Saül, & comedit panes propoſitionis, ut patet in loco citato, & ideò ſignificat immutationem factam à Chriſto quando immutavit Sacramenta veteris teſtamenti in nova, maximeque quantum ad carnis, & ſanguinis Sacramentum. *Pſal. 88.*

2. *Laus perfecta Dei in quibus conſiſtat.*

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo, in Domino laudabitur &c. Nota quod hic Propheta ſe excitat ad Deum laudandum: laus autem Dei in tribus conſiſtit, ſcilicèt in benedictione, in magnificentia, & in bonorum proſequutione: benedictio notatur, ibi (*benedicam,*) magnificentia, ibi (*magnificate.*) bonorum proſecutio, ibi (*exquiſivi Dominum,*) & quia benedictio debet eſſe univerſalis addit, *omni tempore*, quoad vocem, & quoad mentem, addit, *in Domino laudabitur anima mea*, id eſt Dominus in anima laudabitur; magnificentia conſiſtit in hoc, quod per noſtram laudem Deus magnus oſtenditur, undè dicitur, *magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus &c.* bonorum proſecutio conſiſtit in tribus, ſcilicèt in inquiſitione, undè dicit, *exquiſivi Dominum*: in acceſſu, undè dicit *accedite ad eum*; & in clamore, undè dicit, *iſte pauper clamavit*; exquiſitio refertur ad mentem, clamor ad vocem, & acceſſus ad operationem: requiritur ergò ad perfectam laudem Dei fervor devotionis in corde, clamor oris in voce, & exercitium bonæ operationis in opere. *Pſalm. 13.*

3. *Laudatio Dei undè naſcitur.*

Benedicam Dominum omni tempore &c. laus ejus ex ore meo. Nota, quòd hic excitatur anima ad Deum laudandum: & quia eſt digniſſimus affectus, ideò adverrendum eſt, undè naſci debeat nempè ex conſideratione divinæ bonitatis, ex ſtupore divinæ potentiæ, & ex admiratione divinæ ſapientiæ, & immenſitate majeſtatis, ad quæ dirigimur vel lumine fidei, vel infuſione inſpirationis, vel ex veſtigiis creaturarum, quæ omnia præparant nobis abundantiſſimam copiam laudis divinæ. *Op. de profect. religioſ. l. 2. c. 64 & op. de ſex alis Seraph. c. 8. & ſerm. in feſto omnium ſanctorum.*

4. *Juſtus ſemper Deum laudat in proſperitatibus, & in adverſitatibus.*

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. Nota, quòd dicit, *in omni tempore*, quia tam in adverſis, quàm in proſperis Deum laudat juſtus. *Sap. c. 18.*

5. *Laus perfecta Dei priùs fit in mente, poſtea in ore.*

In Domino laudabitur anima mea &c. Quomodò dicitur, quòd in Domino laudabitur anima mea, & non potiùs Dominus laudabitur ab anima? ſed nota, quòd hoc modo dicendi indicat, quòd anima priuſquam laudet voce Deum, debet mentaliter in Deum intrare, & ipſum mente laudare, poſteà voce laudes Dei promere talique pacto anima interius, & exterius impletur laude Dei. *Pſal. 33.*

6. *Laudans Deum ipſum magnificare dicitur, ejuſque attributa.*

Magnificate Dominum mecum. Quomodò id dicitur, ergone magnus ex noſtra laude poteſt fieri Deus? minimè ſecundùm ſe: ſed benè quoad oſtenſionem; nam laudans Deum, magnificat ipſum amplificando, & exprimendo cognitionem ſuæ bonitatis, ſapientiæ, potentiæ, majeſtatis, & aliarum perfectionum. *Serm. 4. Dom. 15. poſt Pentecoſt. & ſap. c. 14.*

7. *Modus hic traditur Deum benedicendi, & magnificandi.*

Benedicam &c. magnificate Dominum mecum &c. exquiſivi Dominum &c. Vide hic quomodò David magnus præco, & ampliator divinæ laudis non contentus ſe laudibus Dei incumbere, invitat omnem hominem ad gratiarum actionem, & ad laudis divinæ amplificationem dicens, *magnificate Dominum mecum*, id eſt corde ore, & opere, & exaltemus nomen ejus in idipſum: nota ly (*in idipſum,*) ſcilicet ſibi ſoli honorem, & gloriam tribuendo, & in perſona ſanctorũ Patrum adjungit, *exquiſivi Dominum*, nempè cum devota precum inſtãtia, petendo accelerari beneficium divinæ Incarnationis, & *exaudivit me*, ſcilicet promittendo eamdẽ Incarnationem. *Serm. 4. Dom. 15. poſt Pent & in Luc. c. 5. v. 25.*

8. Nomen Jesus ab omnibus exaltatum: Undè hic dicitur, *& exaltemus nomen ejus in idipſum*, ſcilicet nomen Jesus ad ſui honorem, & gloriam. *Op. Comp. Theol. l. 4. c. 12.*

9. *Solùm anima devota, & humilis magnificat, & verè laudat Dominum.*

Magnificate Dominum mecum. Vide fervorem hujus juſti, qui omnibus, & coram Deo ſe humiliat invitans

invitans ad Deum laudandum omnes: tunc enim anima devota verè Deum laudat, quando se ipsam sub ipso Deo captivat, & humiliat. *in Luc. capit. 1. v. 46.*

10. ***Exquirere debemus à Deo in oratione intelligentiam Dei, & sanctitatem.***

Exquisivi Dominum. Sed quid prætendis à Deo? exquiro Deum scilicet ejus notitiam, & amorem, & ab eo sanctitatem, gratiam, & gloriam, hæc à nobis sunt in oratione exquirenda, & petenda. *Psalm 33.*

11. ***Qui vult Dei, & fidei notitiam accedat ad Deum, & instet in oratione.***

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur. Ecce quomodò hic tribuit modum adipiscendi notitiam de Deo, ejusque fidei mysterijs, nempè concurrere ad Christum, ipsum humiliter rogare. *in Luc. c. 5 v. 15.* ... Sed nota, quod iste accessus ad Deum fit per elevationem animæ ab his terrenis rebus in Deum per amorem, & charitatem. *In Ioan. collat. 4. & op. mystica Theol. c. 3. p. 2.*

12. ***Quomodò ad Deum fiat accessus, ejusque effectus quales.***

Accedite ad eum, & illuminamini. Nota correspondentiam istorum verborum: primò dicit, *accedite ad Deum*; secundò, *& illuminamini*, quia jus hominis est ad Deum accedere; & jus Dei est accedentem illuminare: sed quis est, qui accedere possit, & quomodò ad Deum, qui est ubique? Ad Deum spiritualiter accedit, qui affectiones suas ad Deum dirigit: qui spectat in Dei bonitate, & desiderat Dei laudem: qui timet Dei contumeliam: qui lætatur de omnibus, quæ Deo placent, qui tristatur de omnibus, quæ Deo displicent: qui diligit virtutes, & opera virtutum: qui odit vitia, & opera vitiorum: qui erubescit iniqua; Deus lux vera illuminat accedentem ad cognoscendum virtutes. *op. de grad virt. in prologo. & op. de dono consilij c. 6. & op. meditat. vitæ Christi c. 54. & Psalm. 118. v. 169.* Nota hic, quod Ecclesia orat ad orientem, undè dicit accedite ad eum, & illuminamini, per hoc enim significatur, quòd oratio illuminat mentem. *in sap. c. 16.*

13. ***Pauperes spiritu facilè exaudiuntur à Deo.***

Iste pauper clamavit, & exaudivit eum &c. Cur pauper, & non dives? quia pauper faciliùs exauditur à Deo cui Deus libenter condescendit. *in Luc. cap. 7. vers. 11.* Sed nota, quod paupertas alia est infelicitatis, scilicèt naturalis: alia est cupiditatis, estque avarorum: alia superfluitatis, estque prodigalitatis, alia calliditatis estque ficta: alia est voluptatis, estque religiosa: prima est misera; quia flagellat: secunda est noxia quia necat: tertia veorosa, quia inflat: quarta dolosa, quia dissimulat, quinta gloriosa, quia inflammat, & de hac ultima loquitur Propheta *Psalm. 33.*

14. ***Angelus bonus immittit cogitationes bonas animæ: malus malas.***

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos &c. Quid est immittere, nisi intus mittere? Quid est, quod intus mittit Angelus? mittit intùs inspirationes, & cogitationes bonas: è contra diabolus malas, excitando, & hortando. *l. 2. d 8. p. 1. art 1. qu. 4. & op Ecclesi. ...* Nota etiam quod dicit, *eripiet eos*, quia Deus per Angelos nos eripit à plurimis tribulationibus, & periculis. *serm. 4. Dom. 4. quadragesimæ.*

15. ***Qui vult habere notitiam theoricam de Deo, & mysterijs fidei priùs habeat practicam priùs gustet, & posteà videat.***

Gustate, & videte quàm suavis sit Dominus. Quomodò dicitur prius gustate, posteà videte? nonnè præcedit cognitio ad opera voluntatis? sed attende, quod hic diligitur anima contemplativa jam fide imbuta; non enim Deus dat animæ notitiam theoricam de Deo, nisi præcedat practica; ergo oportet priùs motu amoris consurgere in Deum, quàm occultissimum Deum intellectualiter cogitando cognoscere: & hinc oritur differentia inter notitiam specularivam, & practicam de Deo, quod in illa audimus, vel videmus, in ista sentimus, & tangimus: illa est arida notitia: ista sapida. *op. mystic. Theol. c. 3. p. 4. qu. unica & c. 1. p. 2. & serm. 1. de S Magdal. & serm. 4. de Apost. & serm. 19. Hexaem. & op Comp. Theol. l. 1. c. 16.*

16. ***Contemplativis dicitur peculiariter gustate, & videte quam suavis est Dominus, eorumque felicitas expenditur.***

Nota, quod Propheta priùs invitaverat animam ad accessum Dei, *accedite ad eum, & illuminamini*, promittens illustrationem divinam; & deindè addit *gustate, & videte &c.* & terminat ad suavitatis divinæ fruitionem, *quoniam suavis est Dominus*, & quoniam inter ea, quæ delectant, alia sunt turpia, & nociva, alia sunt honesta, & utilia, sed tamen simul laboriosa & difficilia, alia sunt utilia, delectabilia, & jucunda, non verò laboriosa, & difficilia: hic loquitur de hoc genere tertio delectabilium, suntque propria animæ contemplativæ, cui virtutis affectus, & sapientiæ gustus, & divinæ suavitatis fruitio dulcis est, & venerabilis, & conscientiam lætificat, & magnificat: ô felix anima contemplativa, cum enim hæc sponsi amplexibus inhiantes inhæreat, & quasi vi quadam abstrahatur ab omni sensibilitate, incipit inter brachia sponsi aliquo modo consopiri, sicut potatus aliquo nobili vino in soporem resolvitur, & sic inebriatur anima amore hoc suavissimo Deo conglutinata, & conjuncta vinculo fortissimo, & in Deum rapta, & absorpta. *op. de profect. religios. l. 2. cap. 72.*

17. ***Religiosi, qui non conantur pervenire ad Deum degustandum quàm infelices.***

Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo, timete Dominum &c. Nota, quod post degustationem Domini, subdit beatus vir &c. *& timete Dominum*, ut videas, quàm

P felices

felices sunt isti degustantes Dominum; & è contra quàm infelices sunt illi, qui ad hanc degustationem non inhiant, maxime Religiosi; nam nec felices imò infelices, nec sunt Deum timentes, imò ob defectum hujus degustationis vivunt] ut homines duræ cervicis, disciplinæ insusceptibiles, mansuescere nescientes, tepidi, curiosi, superbi, sæculati habitu dumtaxat deposito, non affectu, adhuc in moribus, in verbis, in gestibus, & propriarum voluntatum pertinacia, sæculo fidem servant, itaut monstru mirabilius & miserabilius sub religiosa veste, hominem videas sæcularem; ô infelices! verè adulterina plantatio, & pestis religionis. *op. specul. discipl. p. 2 c. 3.*

18. *Differentia qualis inter cibum corporalem, & spiritualem.*

Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus &c. Cur invitat ad degustandum hunc cibum spiritualem? nonne sufficiebat dicere accedite ad eum, desiderata hunc cibum ut pateat quale discrimen est inter cibum corporalem, & spiritualem; nam cibus corporalis cù non sumitur, placet, & in principio sumptionis avide sumitur in fine autem generat fastidium, & displicet, nam extrema gaudij luctus occupat: E contra spiritualis cibus, cum non sumitur displicet, quia amarus est Deus malis: sed sumentibus placet, & quantò quis magis sumit de illo cibo, tantò magis ei placet, nec in præsenti potest de illo cibo satiari; sed attende quod modo est refocillatio tantùm, eum non veniat usque ad ventrem scilicet usque ad satietatem, sed satiat tantùm in gloria. *Psalm 33.*

19. *Sumptio Sacramenti Eucharistiæ qualem dulcedinem afferat animæ.*

Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Nota, quod hic invitat Propheta ad Sacramentorum perceptionem, sed maximè ad illud, quod percipitur degustatione, & manducatione, & hoc est Sacramentum Eucharisticum, quia enim habet omne delectamentum, & omnem saporis suavitatem, ideò ejus gustu anima tanto ardore accenditur, ut destructa omni tepiditate, & carnalitate soli cibo isti per amorem uniatur, & in eum convertatur, & tunc gustus, (quoniam suavis est Dominus,) experitur, quomodò spiritus ejus est super mel dulcis, & comprehendit sensibiliter, quam magna multitudo dulcedinis sit, quæ absconditur in hoc Sacramento amoris *serm. 1. Dom. 6. post Pentecost. & Psalm 33. & in Luc. c. 24. v. 43.*

20. *In Deo omnes sensus spiritualizantur.*

Gustate & videte &c. Nota, quod primò dicit, *gustate*, deinde, *videte*, & quia nomine visus veniunt cæteri sensus, hinc videtur indicare, quod per sensus corporales possit degustari Deus, quod videtur non posse id fieri, cum in hac degustatione spirituali Deus sit objectum, & sensus corporales exigant objectum corporeum? Attamen per hoc datur intelligi excellentia vitæ spiritualis, quæ potest spiritualizare omnes sensus nostros: nam anima Deum amans, & gustans audit vocem Dei, videt lucem, fruitur odore cœlesti tangit, & amplexatur Deum: hæc omnia percipit anima, dum Deum amat. *op. de 7. donis c. 3 & op. de 7. itin. ætern. itin. 6. d. 2. & 3.* Et nota, quod primo loco ponit, *gustare*, deindè addit, *videre*, quia intellectus foris stat: sed sapientia per affectum intrat, & ipsa delicias suggerit, & quod intellectus penetrat, ipsa mature disponit, & ad spiritualem delectationem convertit, *op. Diat. sal. tit. 6. c. 3.*

21. *Una gutta dulcedinis divinæ omnem aliam fastidire facit.*

Gustate, & videte. Quid est gustare? cur non dicit bibere, & satiamini, sed tantùm gustate, quasi indicat unicam guttam sumite dulcedinis divinæ? sed optimè dicit ad differentiam delectationum terrenarum, quæ non delectant, sed onerant, & fastidium generant: una autem gutta, vel scintilla dulcedinis divinæ ita inebriat animam, ut omnem aliam mundi fastidire facit; hac stilla inebriatus Laurentius, Agatha, Andreas, Petrus, & alij Sancti lætanter ibant ad carcerem, ad ignem, ad crucem, ô felix anima, quæ introducitur in cellam vinariam Dei ad degustandam dulcedinem divinam! *op. collatio. de contemptu sæculi: & op. Meditat. vita Christi c. 36. In sup. cap. 12. in princip. & cap. 15.*

22. *Anima contemplativa soli Deo vacare debet, nihil solicita de externis.*

Gustate, & videte. Post gustationem quid sequitur? *Videte*: quid videndum, & exquirendum? nihil aliud, quam Deus, & ideò dicit *videte quam suavis est Dominus.* Per hoc datur discrimen inter contemplativam, & activam vitam, nam activa videt, & incumbit ad exteriora; sed contemplativa gustat Deum, & gustando Deum, in ipsum intrat nihil solicita de externis rebus, nec de seipsa, sed immota manet, solum videns quemadmodum vacet, & quam suavis sit Dominus. *op. medit. vita Christi c. 53.*

23. *Timor donum Spiritus Sancti omnia bona affert animæ.*

Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. Mirum est quomodò post propositum donum sapientiæ in præjactis verbis, *Gustate, & videte, &c.* redeat ad timorem Domini suadendum; nonnè perfecta charitas excludit omnem timorem; & quomodò dicit, quod timentibus Deum non est inopia? nonnè sunt multi Deum timentes inopes? nonnè etiam si spiritualiter intelligantur hæc supersunt varij gradus, quibus pervenitur à timore ad apicem sapientiæ? sed attende ad mysterium, & sublimitatem verborum Domini: nam redactus ad sapientiæ degustationem, iterum ad exercitium timoris invitatur, quia sine hoc non potest anima se conservare in tanta spiritus sublimitate, quia hic timor filialis initium est sapientiæ: addit, quod, *non est inopia timentibus eum*, quia de timore Domini nascitur compunctio salutaris; de compunctione contemptus omnium rerum: de contemptu humilitas: de humilitate mortificatio voluptatum: de hac extirpatio vitiorum: de hac fructificatio virtutum: de hac puritas cordis, & de puritate cordis charitatis perfectio; vide igitur quomodò timor Domini inchoat, & perficit omne bonum animæ. *op. de dono timor. c. 4 op. Diat. tit. 6. c. 1.*

24. *Nullus*

24 *Nullus timens Deum eſt pauper.*

Timete Dominum, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Quomodò non eſt inopia timentibus eum? nonnè tot ſunt pauperes timentes Deum? ergone ſoli divites timent Deum? optimè dicit, ſoli divites timentes ſunt Dei; Verum quidem eſt; quod inter iſtos timentes Deum plures ſuſtinent exteriorem inopiam, & carentiam rerum exteriorum, ſed tamen magnum theſaurum continent in domo, ſcilicet in anima, nempè gratiam, & amorem Dei, & ideò exterior inopia cum interiori ſufficientia non debet reputari pro inopia, ſed opulentia. *in Luc. c. 22 v. 36.*

25. *Divites non timentes Deum ſunt verè pauperes: Pauperes timentes Deum ſunt verè divites.*

Quoniam non eſt inopia timentibus eum, divites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Nota emphaſim horũ verborum, quæ videntur contradictionem involvere; dicitur enim, quod non eſt inopia timentibus Deũ, & tamen plures ſunt inter timentes Deum pauperiẽ patientes? dicit, quod divites eguerũt; quomodò eguerunt, ſi ſunt divites? ſed attende, quod duplex eſt inopia, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis, quoad corporalem ſolum pauperes illam patiuntur, non divites; quoad ſpiritualem ſolùm Deum non timentes illam patiuntur, & ideò quia timor Domini fert animæ maximum theſaurum, ſcilicet Deum, ejuſque gratiam, inopes corporaliter ſi Deum timent verè divites ſunt, & divites ſi Deum non timent verè pauperes ſunt. *op. de Paup. Chriſti quaſt. 1. art. 2. & in Luc. cap. 22. v. 36. & c. 16. v. 23.*

26. *Religioſus qui vovit paupertatem, ſi hanc contempſerit, Pauper miſer fit; & ob id à Domino rejicietur; ſi paupertatem amaverit pauper felix, & verè dives erit à Deo dilectus.*

Non eſt inopia timentibus eum; divites eguerunt &c. Nota rursùs hæc verba, quæ diriguntur Religioſis, qui voto promiſerunt paupertatem; nam ſi Deum timentes erunt, ſi paupertatem Chriſti ſponſam dilexerint iſti felices erunt pauperes, imò divites, & quantò perfectiores imitatores evangelicæ paupertatis, & amatores erunt, tantò magis bonis omnibus tam temporalibus, quàm ſpiritualibus abundabunt. E contra ſi paupertatem contempſerint, paupertatem in avaritiam commutantes omnium bonorum, & temporalium, & ſpiritualium egentes erunt. Vide igitur ô ſerve Dei quis ſit pauper dives, & quis dives pauper, omnẽ igitur ſolicitudinem tuam projice in Chriſtum, cui cura eſt de omnibus. *op. de perfect. vita c. 3.*

27. *Anima deſiderans divitias, & delicias ad fontem ipſarum recurrat, ſcilicet ad Chriſtum.*

Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Vide quid tibi faciendum ò anima, ſi deſideras felicitatem, divitias, delicias & omne bonum, quære abſentem Chriſtum tuum ſponſum, & ipſum invenies: invenies inquam à pulcherrimo pulchritudinem, à ditiſſimo omnem abundantiam, à potentiſſimo fortitudinem; ab optimo omne bonum: Chriſtus enim eſt fons omnium bonorum. *ſerm. 3. Dom. 24. poſt Pentec.*

28. *Timor Domini dirigit hominem ad Deum proximum, & ſeipſum.*

Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos; quis eſt homo qui vult vitam &c. Vide quomodò David factus præco divini verbi vult nos docere timorem Domini, indicans, quod conſiſtit in fugiendo malum propter timorem divinæ reverentiæ, dicens, diverte à malo, in faciendo bonum, & inquirendo pacem, nempè in ordine ad Deum, ad proximum, & ſeipſum, in hocque conſiſtit perfecta juſtitia. *ſerm. 3. Dom. 3. poſt Paſcha.*

29. *Ad Chriſtum vadit, qui culpas relinquit, ut Chriſto obediat.*

Venite filii, audite me. Nota hæc dicuntur à Chriſto omnibus hominibus, venite ait, quomodò, & quibus paſſibus? Venire ſcilicet paſſibus cordis contriti, culpas, & peccata relinquendo propter obedientiam Chriſto vos vocanti præſtandam, qui enim peccatum relinquit verè ad Chriſtum vadit, & accedit. *ſerm. 2. de SS. Philip. & Iacob.*

30. *Chriſtus nos continuè invitat: homo ſemper tenetur ipſum ſequi, & obedire.*

Venite filii audite me. Nota hæc eadem ſunt verba, quibus vocavit Apoſtolos Chriſtus ad ſui ſequelam, hæc eadem ſunt, quibus nos continuè invitat, dicens, *Venite*, ſcilicet poſt me, audite me ut Pontificem ſummum, ut Dominum, & magiſtrum, & Patrem, & ideò ſubdit, *Venite filii*, per quod notatur Domini benevolentia, nihil enim eſt in amoribus majus amore filiorum, dicit venite, ſcilicet à præterita vita ſurgite, & ad Chriſtum accedite; addit, *audite*, per quod notatur obedientia, quam debemus exhibere, quia verus obediens attente audit præcipientem, immo relinquit voluntatem propriam, ſe totum tradens alterius voluntati. *ſerm. 2. de SS. Philip. & Iacob.*

31. *Quot modis ire ad Deum invitantem poteſt homo.*

Venite filii audite me. Venite ait, ſed ad quem locum? & ad quid? ô quot myſteria continet hoc invitatorium Domini Jeſu, Venite, venite ait: Primò ad divinam reverentiam Eccleſias frequentando, ad hoc enim Eccleſiæ ſunt ædificatæ, & conſecratæ, ad hoc ſunt inſtitutæ horæ canonicæ, & celebratio divinorum officiorũ, ad hoc diſtributa ſunt eadem officia per diurna tempora, & per ſigna externa invitatio fit, ut fideles ad exemplum diſcipulorum Chriſti ipſas frequentent, ut Deum corpore & mente adorent, qui creavit, redemit, & gubernat nos, & peccata plorent coram eo; & petant ab eo veniam, & gratiam: ſecundò invitat nos ad divini jugi bajulationem, Chriſto obediendo: & quia jugum Chriſti eſt leve, ideò frequenter repetit Chriſtus, *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, tollite jugum meum*, ſcilicet per obedientiam obediendo mandatis meis, & hiſce addit, *accedite ad me*, ſcilicet obedite mihi; tertiò invitat nos Chriſtus ad malorum omnium tolerantiam ipſum ſequendo, ait enim, qui vult me ſequi tollat crucem ſuam &c. quartò invitat *Quare Invitantur Fideles ad Eccleſiam.*

nos ad paupertatis tolerantiam propter Christum omnia relinquendo; nam valdè turpe est, quòd servus velit esse dives cum rex est pauper: quintò invitat nos ad præmii excellentiam ad patriam anhelando. *Serm. 1. de SS. Philip. & Iacob.* Qui igitur audire Christum invitantem non recusant, sed ad ipsum, ut magistrum accedunt, ut audiant doctrinam suam, & ut curentur ab infirmitatibus suis, signum est, quòd sunt connumerati inter oves Christi. *In Luc. c.6. v.18.*

32. *Vita quam exhibet Deus consistit in perfecta justitia.*

Quis est homo, qui vult vitam, & dies videre bonos? declina à malo, & fac bonum &c. Ecce quomodò possumus acquirere veram vitam, & longam, & felicem, *prohibe*, ait, *linguam à malo, & fac bonum, inquire pacem &c.* In quibus verbis proponitur fructus triplex, scilicet gratiæ, per vitam, quam exhibet; & justitiæ per sequentia, prohibe linguam à malo, declina à malo, & fac bonum; & sapientiæ per pacem, inquire pacem &c. qui vult ergo hanc vitam exerceat justitiam, scilicet faciendo bonum, fugiendo malum, formidando prospera, tolerando adversa; ex quibus actibus habetur vita gratiæ, & pax sapientiæ in anima. *Serm. 18. Hexaem.*

33. *Vera pax est pars justitiæ.*

Inquire pacem, & persequere eam &c. Quam pacem? nota, dicit pacem, scilicet omnimodam, pacem Dei: pacem cum carne, eam subjiciendo: pacem cum mundo, tolerando adversa: pacem cum diabolo, scilicet bellando eique resistendo, & de ipso triumphando, sic enim vera vita habetur. *In Psalm. 28.*

34. *Dominus oculos suos super justos desixos habet per collationem gratiæ, & aures ad audiendum preces.*

Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum. Habetne oculos Deus? habet quidem, quia omnia intuetur patenter: sed quomodò dicitur adspicere tantum justos, & eorum preces audire? hoc dicitur per collationem peculiarem suæ gratiæ, & peculiaris benevolentiæ ostensionem eos protegendo, & exaudiendo eorum preces; & hoc maximè exercet in pauperes spiritu, qui propriè dicuntur justi. *In Luc. c.6. v.19. & op. de invisibilitate Dei.*

35. *Expenduntur iterum hæc verba indicantia summam benignitatem Dei in justos, & ipsum timentes.*

Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum. Tria notanda sunt in hoc versu, scilicet potestas significata per ly (*Domini*,) voluntas per ly (*super justos*,) & intelligentia per ly (*oculi, & aures ejus ad preces eorum*;) ex quibus datur intelligi, quod ex divina potentia, & voluntate in hominem derivat gratia præveniens, & subveniens, & ex intelligentia derivat secunda gratia, & vita æterna: oculi igitur Domini super justos obedientes eos finaliter præmiando. *In Psal. 33. & 101.*

36. *Consideratio protectionis divinæ in justos, & severitas in malos excitat ad observantiam mandatorum Dei, & ad vitam spiritualem obtinendam.*

Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala. Nota, quòd priùs invitat omnes vitam desiderantes prosperam, postea advertit, quod oculi Domini sunt super justos, & vultus ejus super malos; quid est hoc? quid est, quòd oculi sunt ad bonos, vultus ad malos sed notandum, quòd in hac phrasi indicatur protectio Dei in bonos, nempe dum dicit, quòd oculi Domini sunt super justos: & severitas ipsius in malos significata in vultu; hocque dicitur, ut homo vitam desiderans conetur fugere mala, & facere bona observando divina præcepta. *Serm. 18. Hexaem. & in Psalm. 24. & 11. & 118. v. 133.*

37. *Vera justitia exigit, ut justus clamet ad Deum in oratione, maximeque positus in tribulatione.*

Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Vide quales effectus producit in anima justitia, nam erigendo eam in spe, & confidentia in Deum, ad ipsum clamat justus positus in tribulatione, tunc enim Deus promittit se exauditurum. *Serm. 3. Dom. 1. quadrages. & ep. Comp. Theol. l. 5 c. 17.*

38. *Domini gratia, & auxilium præsto est humilibus, & tribulatis patienter tolerantibus.*

Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Nota mysterium horum verborum. Dicit enim Propheta, quòd Dominus est propinquus, scilicet promptus auxiliari tribularis corde: sed tamen soli humiles salvantur; quid est hoc? vult dicere, quòd tribulatio cum humilitate, & patientia tolerata attrahit Deum, & talibus suam gratiam, & auxilium præstat. *In Luc. c.7. v. 10. & serm. 4. Dom. 6 post Pentecost.* Ergo tribulatio cum impatientia Deum elongat.

39. *Martyribus suis Deus adest, non martyribus diaboli.*

Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Dat per hoc intelligere, quòd multi sunt tribulati, sed non omnibus præstat salutem, gratiam, & gloriam: sed tantùm suis militibus humilibus, qui verè sunt martyres Christi, non diaboli; & quinam sunt? Nota, quòd ad martyrium Christi tria requiruntur, scilicet causa finalis, formalis, & perseverantia: causa finalis, ut pro Christo patiatur, non pro mundo, & carne: martyrium enim facit non pœna, sed causa; causa formalis, ut voluntarie, non violenter, & coactè patiatur: & tandem perseverantia hæc facit martyres Christi, juxta est Dominus his, quos salvos facit; non martyribus diaboli, qui pro diabolo, vel mundo, vel carne patiuntur, non voluntariè, sed coactè, & sunt sicut rota carri, quæ fœnum portat, & murmurat, & si aliquando patiuntur pro Christo, tamen non perseverant in patientia; illi felices, quia post hanc

hanc vitam æternam gloriam consequuntur ; isti infelices,quia post Infernum hujus vitæ alium in alia vita obtinent. *Psalm.* 33.

40. *Quomodò dicitur Deus custodire ossa sanctorum, & quod unum ex his non conteretur.*

Custodit Dominus ossa &c. Quomodò hoc potest verè dici ? & quot ossa,& corpora sanctorum resoluta sunt in aerem,vel ignem ? quot alia à feris, & ab hominibus devorata, & in substantiam comedentium transacta ? sed attende , quod hic allosio fit ad resurrectiunem futuram corporum, in qua nihil substantiæ ipsorum deperdetur, maximeque illius , quæ spectat ad prunam, & essentialem constitutionem corporis, nam virtute divina ad proprium corpus redibit ,& gloriosa cum anima in cœlum evolabit.*l.4.d.43.art.1.q.5.*

41. *Mors peccatorum pessima : mors justorum pretiosa.*

*Mors peccatorum pessima , redimet Dominus animas sanctorum.*Vide discrimen inter finē peccatorum , & justorum, nam impij malè terminant vitam,quorum mors est pessima, quia in vita laborayerunt spirituali infirmitate mortali,& pessima: justorum mors pretiosa , quia eorum infirmitas fuit sanguine Christi curata medicamento divinæ gratiæ.*serm.1.Dom.20. post Pentec. & op. meditat. vita Christi c.1.*

42. *Christus liberavit , & redemit animas sanctorum ex lymbo.*

*Redimet Dominus animas &c.*Hoc fecit Christus liberando eos de lymbo &c.*Psal.*33.

Applicatio Psalmi ad Mariam Virginem.

43. *Benedicam Dominum in omni &c.*Nota,quod hic Psalmus est compositus in memoriam immutationis factæ à Christo exhibitione Sacramentorum , & auxiliorum nobis in statu legis gratiæ ; & quia ad hoc etiam concurrit Beata Virgo Maria, hinc & ad ipsam possumus vertere laudes hujus Psalmi, & dicere cum Propheta : Benedicam Dominam Virginem Mariam in omni tempore , & non deficiet laus ejus in ore meo, magnificate eam mecum omnes , qui impinguati estis melle, & lacte recreationis ejus.*op.Psalt.B.V. Psalm.*33.

44. *Qui accedit devotione , & oratione ad Mariam , invenit illuminationem , & auxilium certum.*

Accedite ad eam , & illuminamini &c. & facies vestra non confundentur. O quam hoc est verum ! qui enim accedit ad Mariam orando,rogando, & petendo : illuminationem,& auxilium certum invenit.*op.specul.Beata Maria lect.*5.& 6. & 7.

45. *Maria suo exemplo invitat nos ad magnificandum , & laudandum Deum.*

Magnificate Dominum mecum. Hoc dicebat Propheta:hoc dixit verius Maria,quando elamavit, *Magnificat anima mea Dominum* , & quia ex profunda humilitate hæc laus processit,hinc nos docet Deum laudare cum humilitate. *in Luc. c.1. vers.*46.

46. *Ad Mariæ Virginis thronum accedat , qui vult Christum,& lumen gratiæ , & gloriæ acquirere,& possidere.*

Accedite ad eam , & illuminamini &c. Et post subdit,*gustate,& videte &c.* Dat nobis intelligere Spiritus Sanctus in his verbis, quòd qui vult invenire,& gustare Christum,qui vult invenire gratiam,& misericordiam Dei, qui vult lumen mentis,& auxilium in tribulationibus,adeat cum fiducia ad thronum misericordiæ Mariæ , ideò enim Deus in ipsius manus omnia bona nostra deposuit, ut ad ipsam recurramus.*op.Psalt.B.Virg lect.*5.& 7. In periculis igitur, in rebus dubijs invocate Mariam,& in necessitatibus invenietis auxilium , & refrigerium dulce.*op.Psalt.B.Virg.Psalm.*33.

47. *Maria sua humilitate attraxit Christum de sinu Patris in uterum suum.*

Iste pauper clamavit , & exaudivit eum.&c. Hoc dicitur de Christo , idem de Maria Virgine ; Ista pauper clamavit , Pauper inquam spiritu , & verè humilis, hæc enim clamavit ferventissimis precibus ad Deum,& Deus eam exaudivit , quia enim humillima fuit,Verbum increatum ex ipsa carnem suscipere dulciter coegit. *op. Psalt. Beata Virginis Psal.* 33.

48. *Maria invitat pauperes,& humiles ad possessionem Christi, & omnis boni.*

Divites esurierunt &c. inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Connecte hæc verba cum illis Beatæ Mariæ Virginis,*Esurientes replevit bonis,& divites dimisit inanes*, per hoc enim Beata Virgo Maria exemplar totius paupertatis invitat nos ad paupertatem , & humilitatem suam imitandam , ut digni efficiamur possessione omnium bonorum.*op.de perfect.vitæ c.*3. sumite igitur ò devoti Mariæ exemplum conversationis ejus , & æmulamini studia charitatis,& humilitatis illius. *op.Psalt.Beata Virg. Psalm.*33.



PSALMUS XXXIV.

Titulus est : Ipsi David.

1. PRimò : Nota , quòd iste Psalmus ordinatur in Christum , & tractat de victoria Christi in Passione,& de promissione vitæ, æternæ , nos invitans ad imitationem per tolerantiam adversitatum, & ideò incipit ab oratione , qua mediante obtinebimus triumphum de diabolo , de mondo , & carne &c. dicens,*Iudica Domine nocentes me,expugna impugnantes me*, idest judica nocentes me , scilicet Dæmones,me impugnantes judicio damnationis, vel discussionis me liberando.*Psalm.*34.

2. *Judicium multiplex hic petitur ab Ecclesia.*

Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Ergone hic petitur damnationis judicium? cur non potiùs salvationis? Nota, quòd multiplex judicium potest hic intelligi, triplex in præsenti, & triplex in futuro. In præsenti est judicium discussionis, quo petit justus separari à malis: judicium afflictionis, quo Ecclesia petit, ut per afflictionem emundentur inimici Dei; & judicium præmonstrationis damnationis illorum, qui nolunt credere, & converti, quod petitur non animo vindictæ; sed amore justitiæ: judicium in futuro est discussionis, salvationis, & damnationis, quod petitur à Christo in favorem bonorum, & in pœnam malorum. *Psal.* 4.

3. *Felix quem Deus apprehendere facit gladium, & scutum.*

Apprehende arma, & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Ergone Deus indiget armis, & scuto, ut nos defendat? sed nota, quòd dicitur Deus apprehendere arma, & scutum, cum ea nos apprehendere facit; sed quid est apprehendere arma, & scutum: Nota, quòd armis pugnamus, & scuto tegimur, & quia duobus modis mundus pugnat contra electos, scilicet verbo falsitatis, & gladio adversitatis; contra gladium doctrinæ falsæ pugnamus gladio sapientiæ, & cœlestis doctrinæ, & contra adversitates scuto patientiæ: hæc igitur petit justus à Deo. *Psalm* 34. Nota etiam, quod per arma virtutes intelliguntur, & tunc hæc arma Deus apprehendit, quando eas nobis infundit, quibus vitia impugnamus, & tunc surgit in adjutorium, quando à tentatione vitiorum facit proventum virtutum. *Serm.*4. *Dom.*56.*post Pentecost.*

4. *Deus severè castigat persecutores Christi, scilicet eos, qui animas scandalo, & malo exemplo rapiunt ipsi Christo.*

Effunde frameam adversus eos, qui me persequuntur &c. Hæc sunt verba Christi, & Ecclesiæ orantis Deum, ut gladio severitatis, & judicii puniat suos persecutores; sed quinam sunt isti impii Christum, & Ecclesiam persequentes? Nota, quòd subdit: *dic animæ meæ, salus tua ego sum*; sunt illi, qui quærunt rapere animas Christo: Vide igitur, quòd Christus non conqueritur de crucifixoribus suis, sed de iis, qui animas Christo conantur auferre, & rapere, nec mirum, nam si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur ab eo gravissimam sustinere persecutionem, qui suggestione mala, exemplo perniciosò scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit, quam ab illis qui sanguinem Jesu fuderunt? & ideò severissimè hoc peccatum Deus meritò punit. *Serm.*1. *Dom.*1.*post oct. Paschæ, in Luc. c.*17. *v.*1.& 2. *Psalm.*78.

5. *In schola Christi logica differens proponitur à logica Aristotelis.*

Et conclude adversus eos, qui persequuntur me. Quænam conclusio est ista, quam petit Christus, vel Ecclesia? Conclusio ordinata edocetur in logica Aristotelis facienda ex præmissis; quæ logica est ista? Nota, quòd in logica Aristotelis qui proponit propositiones antecedentes, etiam juxta earum qualitatem conclusionem infert: In logica Christi è contra; alius est, qui præmittit propositiones, & alius est qui concludit: homo est, qui præmittit operationes, & Christus juxta earum qualitatem conclusionem infert; si operationes sunt bonæ & Christus hominem justum concludit in Cœlo: si malæ, & Christus impios concludit in inferno. *Serm.*5 *Hexaem.* Igitur videns Ecclesia tot impios malè operantes, & Christum, & ipsam Ecclesiam persequentes, orat Christum, ut concludat adversus eos in furore suo.

6. *Angeli custodes obedientibus assistunt; non obedientibus resistunt.*

Fiat via illorum tenebræ &c. & Angelus Domini coarctans & persequens eos &c. Quid est hoc, quod petit Ecclesia? ergone Angeli, qui ad custodiam hominum sunt destinati, erunt causa ipsorum ruinæ? minimè: dat nobis intelligere, quòd cum via hominis justi sit observantia mandatorum, & exercitium virtutum: via impiorum sit peccatum: Angeli obedientibus assistunt inspirando, excitando, & adjuvando; impiis verò non obedientibus resistunt, & aliquando ne in pejus ruant, eos occidunt jussu Dei, vel occidi permittunt à diabolo. *Serm.*4. *de Angelis.* *Nota mirabile dictum de Angelis custodibus.*

7. *Impiorum perversitas persequentium innocentes hic exprimitur.*

Quoniam gratis absconderunt interitum laquei sui, supervacuè exprobraverunt animam meam. Hic notatur, quanta, & qualis sit perversitas eorum, qui innocentes persequuntur afflictionibus, angustiis &c. in quibus notantur quatuor consideratione digna: primum *gratis*, idest sine causa, & meritis, ubi notatur eorum malitia: subdit *absconderunt*, ubi notatur dolositas, subdit, *interitum laquei sui*, ubi notatur crudelitas; subdit, *supervacuè exprobraverunt animam meam*, ubi notatur stultitia eorum, quia cum vivant innocentes sub protectione Dei, solum possunt malum facere quòd à Deo permittitur ob sua occulta judicia, & non amplius. *Psalm.*54.& 118 *c.*11.*v.*1. *& in Ioan.c.*15 *v.*25. Per hæc etiam notatur malitia, & perversitas, & crudelitas Judæorum in Christum. *In Ioan. c.*15.*v.*25.

8. *Sola etiam memoria nominis* Iesu *jucunditatem, & securitatem affert animæ.*

Anima exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo. Quodnam est hoc salutare Dei? nihil aliud, nisi nomen Jesus; ex quo patet, quod etiam sola memoria, vel invocatio hujus sanctissimi nominis exultationem, jucunditatem, & securitatem in tribulationibus animæ affert. *In Luc. cap.*1. *vers.*47. *serm.*4. *de Circumcisione.*

9. Diabolus

9. *Diabolus tentat hominem vel ut leo, vel ut draco: ut leo inopem, ut draco pauperem; & Deus eos, qui in ipsum confidunt, liberat.*

Omnia ossa mea dicent (idest dicit omnis virtus animæ) *Domine quis similis tibi eripiens inopem de manu fortiorum, & pauperem à diripientibus eum.* Nota quòd in his verbis proponit inopem, & pauperem, tamquam duas res differentes: inopem positum sub manu fortiorum, & pauperem sub diripientium; per quod denotatur, quod diabolus præcipuè persequitur inopem, & pauperem sed differenti modo: inops est qui caret omni virtute, & bono opere: pauper, qui aliquam virtutem habet, sed imperfecto modo; inopem persequitur ut leo, ut ipsum violenter opprimat totaliter; pauperem ut draco, scilicet insidiis occultis, ut quod boni habet perdat: sed Deus neminem deserit, primos corroborando contra sevitiam apertam dæmonis; secundos custodiendo per circumspectionem. *Psalm.* 34.

10. *In Deo non est idea mali, sed illud cognoscit per boni oppositi ideam.*

Quæ ignorabam interrogabant me. Quomodò potest hoc dicere Christus, qui cum esset Deus omnia sciebat? ergone ignorantia in Deo? minimè: vult nobis innuere suam puritatem, & innocentiam, nempè quòd in Deo non est idæa mali; & hoc pacto dicitur illud ignorare, sed quia cum Deus omnia bona, & mala præsciat, illa directè per idæam propriam cognoscit: ista per idæam boni oppositi. *l.* 1. *d.* 6. *dub.* 4.

11. *Summus gradus ingratitudinis, & opus crudelissimum est pro bonis reddere, & retribuere malum.*

Retribuebant mihi mala pro bonis. Vide qua ratione Christus conqueritur de Judæis, quibus tot beneficia contulit, ipsi autem tanto benefactori responderunt tot malis; Idem & facit peccator cum Deum offendit; summa enim hæc est ingratitudo. *In Luc.c.*6.*v.*33 *in Ioan.c.*18.*v.* 30.

12. *Idem confirmatur, & quomodò Christus maximè conqueritur de ingratitudine, per quam sterilis redditur anima sua.*

Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ. Ecce quòd Christus explicat in quonam sita sit hæc ingratitudo reddentium mala pro bonis; scilicet sterilitatem animæ suæ: sed quæ est hæc sterilitas animæ Christi? Nota mirabilia: Christus dedit animam suam pro te, ut de servitute diaboli liberaret, ut tibi januam Paradisi aperiret, ut te ad opera virtuosa incitaret, & tu non solùm ardentius eum non amasti, sed peccando potiùs impugnasti, malaque innumera retribuisti ei pro tot bonis, quibus te ditavit: ô ingratitudo diabolica, quæ continuè Christum Jesum conqueri, & clamare facit de cruce! retribuerunt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. *Op. de perfectione vita c.*2.

13. *Arma tuta contra diabolum, & tentationes sunt vestes pænitentiæ.*

Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio. Cur induebas te cilicio contra eos, qui tibi molesti suot? & qui sunt isti te molestantes? sunt utique dæmones, & tentationes contra me insurgentes, contra quas induebam me cilicio, scilicet vestibus pœnitentiæ me ornabam, & induebam, nam per cilicium significantur opera pœnitentialia. *Psalm.*65.

14. *Humilitas operis summopere Deo grata.*

Humiliabam in jejunio animam meam. Quid est humiliari in jejunio? ergone solùm dum jejunat vir justus humiliatur, sed attende, quod alia est humilitas cordis, alia oris, alia operis: sic exercebat in omni humilitate sanctus Propheta, sed quia complementum humilitatis est in opere per satisfactionem, quæ Deo debetur pro peccatis significatam in jejunio; hinc in hac potissimè se exercebat, nempè exercendo corpus in cilicio, in vigiliis, & jejuniis, & sic divinam iram placabat, ut daret nobis exemplum modi placandi Deum. *Serm.* 3. *de uno Confess.& serm.*6. *in die cinerum, & Psalm.*118. *c.*5. *v.*11.

15. *Humilitas ad proximum qualiter exercenda.*

Humiliabam in jejunio animam meam. Nota, quòd post tot ingratitudines, & mala ab inimicis illata subdit sanctus Propheta, imò Christus, quòd humiliabat in jejunio animam suam, & orabat; quid est hoc? nisi ut daret nobis intelligi, quòd non sufficit humilitas respectu sui, sed & requiritur in ordine ad proximum, præcipuèque ejus infirma opera tolerare, læsiones, & molestias sustinere, & malum pro malo non reddere, nec odium, nec jurgia, nec clamores contra eos exercere, & correptiones eorum patienter recipere. *Op. de prof. religios. l.*2. *c.*31.

16. *Orandum est, & prædicandum prædestinatis, & præscitis: quia oratio, & prædicatio est semper utilis, vel illis, pro quibus oratur, vel pro iis, qui orant.*

Et oratio mea in sinu meo convertetur. Quid est hæc conversio orationis in sinu? dat per hoc intelligere, quòd pium est, & utile orare, & prædicare pro omnibus tam prædestinatis, quàm præscitis, & malis; nam & si malis, & non existentibus in charitate, sed volentibus in peccato perseverare non juvat, est tamen utilis iis, qui orant, & prædicant; talis enim oratio in sinum orantis revertitur, & convertitur. *In Luc. c.*6. *v.*6. *& in Psalm.*54.

17. *Justus omnibus omnia fit: humiliatur, compatitur proximum, ut ipsum ad Deum trahat.*

Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam & quasi lugens, & contristatus sic humiliabar. Vide hic effectus charitatis Christi in justis, qui ut proximo juvent, ipsumque attrahant ad Deum sciunt humiliari, modo lætari, modo flere, & lugere, & compati; hæc enim est vera

vera charitas Christi; idque fit non ex calliditate, sic enim esset vitiosa, sed ex charitate. *Op. de profect. religios. l. 2. c. 30. & Psalm. 118. c. 5. v. 3. in Luc. c. 0. v. 25.*

18. *Flagellatus est Christus à Iudæis, & nunc à Christianis magis flagello multiplici linguæ, quam flagellis materialibus.*

Et adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi Quomodò id potest dicere Christus, scilicet, quòd ignoravit congregationem factam flagellorum super se? nonnè sensibilis, & passibilis erat in carne? sed nota, quòd hic præcisè non loquitur de flagellatione materiali facta in suo corpore, sed de flagellatione secreta; nempè facta flagello linguæ, quia licèt ipse omnia nosceret, tamen ad modum ignorantis se habebat, quasi ignoraret conventum clanculum, qui continuè fiebat contrà ipsum ab inimicis; undè his flagellis linguæ flagellatus est continuè ab hora captivitatis suæ usque ad mortem; sed heu à malis Christianis flagellis pejoribus cæditur, nempè blasphemijs, irrisionibus, ingratitudine, convitijs. *serm. 2. Dom. quinquag. & in Ioan. c. 2. v. 16.*

19. *Sicut inimici Christi per iracundiam dissipati sunt: sic iracundus verè dissipatur spiritualiter.*

Dissipati sunt nec compuncti &c. Quomodò inimici Christi dicuntur dissipati; hoc dicitur spiritualiter, quia cum incitati essent per iracundiam contra Christum, iracundia verè dissipat animam, quia omnes cogitationes cordis conturbat, & torquet maximè animam. *in Luc c. 9 v. 40.* Undè iracundus similis est Dæmoniaco, qui à diabolo torquetur, & dissipatur totus. *in Luc. c. 15. v. 13.*

20. *Iudæi pluries tentaverunt Christum, & subsannaverunt eum.*

Tentaverunt me, subsannaverunt me &c. Hoc fecerunt Judæi Christo ipsum provocare conantes ad iracundiam, & decipere, subdit *subsannaverunt me*, quia veluti stultum eum tractaverunt. *Psal. 34. & serm. 2. Dom. quinquag. & serm. 3. in Parasceve.*

21. *Tentat Deus hominem multipliciter; tentat homo Deum.*

Tentaverunt me &c. Hoc potest dici ab homine respectu Dei, & à Deo respectu hominis: tentat Deus hominem, ut manifestetur aliquod mysterium, vel permissivè, vel ad probationem; tentat homo Deum dubitando, ad iracundiam provocando peccatis, vel ut addiscat. *Psalm. 33.*

22. *Christus, & justus abhorrens hanc vitam caducam petit glorificationem suam.*

Domine quando respicies restitue animam meam &c. Idest accelera glorificationem corporis mei, dicebat Christus; & justus dicit, accelera glorificationem animæ, & tolle me ab hac vita miserabili. *Psalm. 118. c. 6. v. 4.*

23. *Ecclesia Christi quare appellatur magna.*

Confitebor tibi in Ecclesia magna Hoc dixit Christus: sed quænam est hæc Ecclesia magna? hæc est non synagoga, sed Ecclesia Catholica à Christo fundata, in qua est vera confessio laudis divinæ: Dicitur autem *magna*, scilicet loco, quia per totum orbem terrarum diffusa est: item merito, quia in ipsa est congregatio meritorum Christi, & Sanctorum; & numero, quia ex omnibus genribus congregata est, item tempore, quia durabit usque ad finem mundi, imò in Cœlo in æternum, item scientia, quia in ipsa viget doctrina veritatis; item magna, quia catholica, & universalis est universis data, & ab universitate Apostolorum. *Psalm. 34. & 47 & l. 3 d. 25. art. 1. qu. 1.*

24. *Religio dicitur Ecclesia magna, quia in ea est populus gravis Deo serviens.*

Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te. Nota, quod hoc proprìè verificatur de statu religioso; est enim congregatio virorum, qui in communitate viventes Deo dicati, die, noctuque incumbunt confessioni, & laudibus Dei; ibi est populus gravis non quoad nos, sed quoad maturitatem morum. *op. Diæ sal. tit 4. c. 1.*

25. *Dignativa Christi bonitas, & patiens longanimitas expenditur ostensa in persecutionibus, & passionibus sibi illatis sine causa à suis inimicis, ut nos ad imitationem excitaret.*

Qui oderunt me gratis &c. mihi pacificè loquebantur, & in iracundia dolos cogitabant, qui dilataverunt super me os suum, & dixerunt Euge, euge &c. Nota, quod in hac serie tot opprobriorum, passionum, & pœnarum, quæ Christo inflixerunt Judæi, præmittit quod odio ipsum habuerunt gratis, scilicet sine merito, è causa, ut pateret ejus dignativa bonitas, & patiens longanimitas, dum post tot miracula, beneficia, gratias, documenta ipsum tam dire persecuti sunt gratis, ut suos discipulos ad sui imitationem excitaret. *In Ioan. c. 15. in fine.* Nota etiam, quod illud verbum, *Euge, euge*, replicatum aliquando sumitur precatoriè, aliquando exultatoriè aliquando applausoriè, aliquando illusoriè, ut hic, quia & verbis, & factis pro viribus suis illudebant Christum. *Psalm. 34. & in Luc. c. 19. v. 17.*

26. *Vidisti Domine &c. Exurge, & intende judicio meo &c.*

Nota, quòd exurgere Dei, dicitur multipliciter in Sacra Scriptura: Exurgere Christi per primum adventum; exurgere per meritum nostri, quia facit exurgere nos ad merendum, exurgere per auxilium, & exurgere ad judicium, sicut hic petit Christus. *Psalm. 34. & in sapient. cap. 12.*

27. *Pro fructu Passionis suæ petit Christus à Patre perfectam pœnitentiam peccatorum.*

Erubescant, & convertantur. Ecce finis tot Pas-

sionum

sionum Christi, scilicet perfecta conversio peccatorum,& pœnitentiæ, quæ exigit primò contritionem;undè dicit, *erubescant*,& remissionem peccati: undè dicit, *revertantur*,& deindè pœnitentiæ pœnam, undè dicit *induantur confusione*, & deindè laudem Dei, undè dicit, *exultent*, *& lætentur in te &c. Psalm. 34.*

28. *Religiosis incumbit laudes Dei decantare die, ac nocte.*

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Ecce quid [debet facere Religiosus in Religione, qui debet laudes laudibus jungere, & ad similitudinem Angelorum tota die incumbere obsequio, & servitio Dei. *op. de Eccles. Hierarch. p. 4. c. 4.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

29. *Judica Domine nocentes me &c.* Nota, quod sicut in hoc Psalmo agitur de victoria Christi contra inimicos, & etiam hanc victoriam Mariæ Virginis de inimicis nostris possimus decantare, & ad Mariam recurrere, causamque animæ nostræ, & nostrorum peccatorum in suis manibus deponere, & fidenter dicere Mariæ Virgini, Judica Domina Virgo Maria nocentes me, & contra eos exurge, & vindica causam tuam; anima mea in te lætabitur, & tuis beneficiis devotus exultabo, gratia, & dulcedine tua pleni sunt Cœli, & terra: undique tuis beneficiis irretiti nos semper, quocumque enim pergimus occurrit nobis diffusio tui uteri virginalis. *op. Psalt. Beatæ Virg. Psalm. 34.*

30. *Maria consistorium, & domus causarum summi Imperatoris, in quam Verbum divinum intravit ad salutem nobis dandam.*

Judica Domine nocentes me &c. Sed in qua domo? in quo consistorio? nam Imperator debet habere domum causarum; Nota, quod totus mundus jam erat domus causarum Dei omnipotentis: sed elongatus fuit ab hac domo ob peccatum Adæ, & hominum, thesaurum misericordiæ, & gratiæ à mundo abscondendo, ideò totus ignis vindictæ apparebat, sed tamen in plenitudine temporum venit Verbum divinum construens sibi domum causarum, scilicet Mariam, & in eam repletam gratia, & misericordia descendit, ut misericordiam in nos coërceret, & vindicaret nos de inimicis nostris: Adeamus igitur cum fiducia ad hoc consistorium, & eam moveamus suspiriis, & castigationibus, lachrymis, & orationibus, eleemosynis, & venerationibus, ut nobis effundat de sua plenitudine: curramus charissimi, & ita nobilem, & dulcissimam Virginem salutemus, ut in suæ dulcedinis gremio quiescamus. *opusc. spec. Beatæ Virgin. lect. 7. & opusc. Psalt. Beatæ Virginis Psalm. 34. & Psalm. 91.*

PSALMUS XXXV.

Titulus, In finem, servo Domini ipsi David.

1. PRIMÒ: Nota, quod in hoc Psalmo propriè agitur contra errorem dicentium mala esse ex constellatione, ex facto, ex vitio naturæ: bona autem ex homine, & libero arbitrio, undè Psalmus adscribitur David servo Domini: servus autem dicitur vel à serviendo, vel à servando: si à serviendo, servi Dei dicuntur boni,& mali; sed dissimiliter: nam boni serviunt Deo, ut à quibus: mali ut de quibus fit voluntas Dei, nam omnes actus bonorum, & malorum sunt subjecti divinæ dispositioni, ita tamen, quod boni conformitate suæ voluntatis ad id concurrunt, mali autem coactè, si dicitur à servando, solùm verificatur de bonis: nam antiquitùs cum homines in bello capiebantur, interficiebantur, sed modo capti servantur: undè cum Angeli mali capti fuerint in bello, & velint interfecti, scilicet damnati æternaliter: homines tamen, licèt omnes nascantur filij iræ non tamen interficiuntur, sed servantur, & Deus eos expectat ad pœnitentiam, & salutem: si igitur omnes sunt servi, ergo bona à se non habent, sed à Deo Domino omnium rerum: mala ergo ab homine, & hoc intentum est hujus Psalmi, nempè docere, quod omnia cadunt sub dispositionibus Dei: & hinc ut ostendat mala esse ab homine incipit sic, *Dixit injustus*, scilicet peccator deliberavit in semetipso delinquere ex industria. *Psal. 43. in fine, & Vgo Cardinalis hic.*

2. *Peccatum ex malitia undè oriatur.*

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus. Nota, quod in his verbis traditur radix, undè committitur ab homine peccatum voluntarium,& malitiosum; undè dixit scilicet deliberavit in semetipso, *non est timor Dei &c.* nempè, quia passione communis, rationis lege deposita, & prohibitione divina delinquit, & peccat: ergo liberè, & voluntariè: ergo non à Deo, sed à propria malitia. *Psalm. 18. c. 5. v. 3. & Psalm. 13.* Et nota, quod in his verbis comprehenditur omne genus peccati, scilicet peccatum in corde, unde iniquitatem meditatus est in cubili suo: in ore, unde verba oris ejus iniquitas, & dolus: in opere unde viæ non bonæ: item peccatum ex solicitudine, unde astitit: item universitas in peccando: unde dicit, omni viæ non bonæ, & peccandi delectatio, unde malitiam non odivit: Nota etiam, quòd hic præcisè loquitur de peccatis commissis non ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia. *Psalm. 35.*

3. *Peccatum est pœna sui; unde primum malum quod facit peccans est contra seipsum.*

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso. Quid est in semetipso? ergone peccans primò intendit sibi ipsi facere malum? & quis est peccans, qui peccando non sibi præfigat aliquod bonum? sed attende quod verum est, quod nemo intendens ad malum intentione deliberata, malum operatur: attamen intentione implicita ad malum sibi causandum intendit, eò quod peccatum est inseparabile à pœna, estque sui pœna: ratio est,

quia in peccando voluntas inordinatè se movet, & movetur passivè seipsam deformans & privans rectitudine: hinc primum malum, quod fit à peccante, est sibi ipsi illatum. *l. 2. d. 35. art. 1. qu. 1. & d. 5. art. 2. qu. 2. ad. 2. & l. 4. d. 42. art. 3. qu. 4. ad 1.*

4. *Peccator peccans vulnerat, & occidit primò seipsum.*

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso. Ergone ad seipsum feriendum, & lædendum dirigitur ictus primus peccantis, dum peccat? maximè: quia peccans in peccando delinquit primò in semetipso, nempè Deum offendit, gratia seipsum expoliat, lædit naturam, & vulnerat naturalia, excæcat intellectum, debilitat vires animæ, imò & corporis sæpè, & voluntatem præcipuè, & occidit animam, ei auferens vitam spiritualem. *Op. de tribus ternar. peccat. c. 3. & 4. & l. 4. in prolog. & d. 18. p. 2 art. 1. qu. 4. ad 1. & l. 3. d. 37. art. 2. qu. 1 ad 3. & op. Brevil. p. 3. c. 5.*

5. *Ibi non est timor Dei, ibi est lapsus in peccatum.*

Non est timor Dei ante oculos ejus. Ecce ratio, quarè impius peccat, quia est sine timore Dei: Timor enim Dei est initium sapientiæ, & facit recedere ab omni malo: ergo ubi non est, ibi lapsus in peccatum. *In Luc. c. 2. v. 25.*

6. *Dolosè agit cum Deo, qui aliter intus existens, aliter foris vult appretiari.*

Quoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Quid est dolosè agere in conspectu Dei? dolosè agit in conspectu Dei, qui aliter apparere vult foris, quam se invenit intus; qui seipsum cognoscens pessimum intus, se depretiatur secreto, & foris alterius pretii mentiens majori se pondere vendit proximo, quam à veritate ipsa accepit: hocque est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum: hoc facit inveniri à Deo, qui videt in abscondito, veritatem ad odium; hoc est quod Deus valdè odit, hoc est contra regulas veræ humilitatis. *Op. Meditat. vita Christi c. 16.*

7. *Peccatum ex ignorantia affectata Deo valdè exosum, & inducens in omnia mala.*

Verba oris ejus iniquitas, & dolus, noluit intelligere, ut benè ageret. Vide ad quantam perversitatem redigitur homo malæ voluntatis, quia non solum peccat in semetipso, sed & in ore per verba iniquitatis, quoad aperta mala, & dolus, quoad occulta, aliud in corde, aliud in ore versans, & quod pejus est ex ignorantia affectata. Nota autem, quòd peccare ex ignorantia fit, vel ex ignorantia excusabili, & hoc facilè dimittitur: vel ex ignorantia affectata, estque illius, qui non vult intelligere, & discere, ut benè agat, & hoc est peccatum malitiæ Deo summè exosum. *Psalm. 35. & in Luc. c. 12. v. 48. & l. 2. d. 22. art. 2. qu. 2. & in Sap. c. 13.*

8. *Ex corde puro proveniunt verba sancta, & veritatis instructio: ex corde impuro verba iniqua.*

Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni via non bonæ, malitiam autem non odivit. Nota antecedentia, & ea connecte cum his verbis: dixerat enim, quod verba oris injusti sunt iniquitas, & dolus, hic subdit radicem hujus perversitatis, quia scilicet iniquitatem meditatus est in cubili suo, scilicet in corde suo, quia enim cubile suum est plenum iniquitate, ideò mirum non est, quòd de tali cubili exeant furta, homicidia, fornicationes, iniquitas, dolus; quia qui de terra est, de terra loquitur: E contra, qui de Cœlo est, scilicet, qui sanctitatem meditatur in cubili suo, facit exire non iniquitates, sed meditationes odoriferas, verba dulcia, & sancta. *Op. de septem itiner. æternit. itiner. 2. d. 5.*

9. *Impiorum meditatio est circa iniquitatem: justorum circa sanctitatem.*

Iniquitatem meditatus est in cubili suo &c. Nota illud verbum, (*meditatus est*,) meditatio enim est consideratio non vaga, sed fixa, non lenta, sed attenta, & studiosa; & hinc patet sanctitas justorum, & malitia iniquorum: illi enim studiosi versantur circa meditationem rerum sanctarum, nempè circa cognitionem Dei, sui, & proximi; isti studiosè meditantur immunditias, rixas, contentiones, rapinas &c. ideò rectè cor ipsorum dicitur cubile, & receptaculum quietum, & firmum omnium malorum. *Psal. 118. c. 1. v. 16.* Et nota, quòd justi quærunt abigere à corde suo malas cogitationes, impii eas vocant, & quærunt. *Psalm. 35.*

10. *Cor nostrum vel cubile Dei, vel diaboli receptaculum sanctitatis, vel peccatorum omnium.*

Iniquitatem meditatus est in cubili suo. Idest in corde; & cur appellatur cor cubile? si cubile inservit pro loco quietis? quia cor nostrum, vel est cubile Christi, & receptaculum sanctitatis, vel cubile, & cloaca diaboli; & ideò ad ostium cordis pulsat Deus, & diabolus, ut ibi intrent, quia cor est fons, à quo omne bonum, vel malum inchoat, & ad reliquas partes diffunditur. *In Ioan. collat. 14. & serm. 1. Dom. infrà octavam Nativit. & serm. 5. Dom. infrà oct. Epiph. & serm. 1. Dom. 3. post oct. Epiph. & serm. 3. & 4. Dom. 4. post oct. Pascha, & serm 9. in Rogat. & serm. 1. & 2. de S. Matthia, & l. 4. d. 23. art. 2. qu 3. ad 1.*

11. *Ante adventum Christi misericordia regnabat in Cœlo, & justitia in terra: pòst misericordia regnat in terra.*

Domine in Cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. Quomodò veritas, scilicet justitia solùm usque ad nubes, & non etiam in Cœlo cum misericordia inveniebatur? quia antè adventum Christi in carnem misericordia potissimè regnabat in Cœlo, & justitia in terra: post adventum ejus misericordia, & veritas obviaverunt sibi, & regnat in terra pietas. *Op. meditat. vita Christi c. 1.*

12. *In Religiosis debet ut in Cœlo residere misericordia, & veritas, ut aliis etiam eam communicent.*

Domine in Cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. Mysticè per Cœlos intelliguntur Religiosi, & Prædicatores, qui debent influere in inferiores, & in alios actus misericordiæ prodire & veritatem docere: væ igitur mundo si deficiat hæc misericordia, & veritas in his Cœlis, & nubibus. *Op. Eccles. Hierarch. p. 4. c. 4.*

13. *Justificatio facit creaturam similem Christo, qui est mons altus, & sublimis.*

Justitia tua sicut montes. Quomodò sicut montes? quænam comparatio est ista? vult dicere, quòd justitia Dei, nempè lux fidei, & justificatio facit animam sicut montem Dei sublimem, & altum, & à Deo habitatum, similemque Christo; & ideò mons mysticè dicitur de Christo, de Angelis, de Ecclesia, & de justis. *Psalm. 35.*

14. *Aqua sapientiæ Christi est veluti abyssus exedens omnem capacitatem Sanctorum.*

Judicia tua abyssus multa &c. Quarè judicia Dei appellat abyssus? quia postquam comparaverat montes Sanctorum Christo, ne crederetur, quòd quis posset æquare sanctitati, justitiæ, & sapientiæ ejus subdit, quòd hoc totum est veluti abyssus, scilicèt transcendens colles, & montes, idest virtutes hominum, & virtutum cacumina: & ideò mirum non est, quòd quandoque transfusa largiùs, & abundanter talis sapientia, & perfectio aliquibus Sanctis ex speciali privilegio, veluti in abysso se submergi crederent: sic Divus Paulus exclamabat, *ò altitudo sapientiæ, & scientiæ quam &c. Psal. 28.*

15. *Judicia Dei quomodò dicuntur abyssus multa, circa salutem, & damnationem multorum.*

Judicia tua abyssus multa. Cur multis abyssis comparantur judicia Dei? sed nota sequentia. *Homines, & jumenta salvabis Domine, quemadmodũ multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Quasi dicat, quod homines, & illi, qui ducebant vitam jumentorum in peccatis, salvabuntur, quòd istos salvet misericordia: alios condemnet justitia, hoc est inscrutabile, quia ejus judicia sunt veluti abyssus multa. *Psalm. 118. c. 4. v. 14. & c. 7. v. 12. & sap. c. 17. in principio.*

16. *De Deo altissimè, piissimè, & sanctissimè sentiendam.*

Justitia tua sicut montes; judicia tua abyssus multa: Homines, & jumenta &c. Nota, quòd in his profundissimis verbis Sanctus Propheta nobis indicare vult sublimitatem, profunditatem, & magnitudinem imperscrutabilem Dei tum in se considerati, tum in ordine ad creaturas, præcipuè in ordine ad prædestinationem, & reprobationem creaturarum rationalium, prætendens erigere nos ad sentiendum de Deo altissimè certa fide credendo suæ fidei mysteria; ejus potentiam immensam, infinitam sapientiam, & indeterminatam justitiam admitando & perspiciendo; item piissimè ejus divinam misericordiam in nos meditando, amplexando, & benedicendo; item sanctissimè ejus sanctitatem mirando, & laudando, simulque cor humile altissimo, cor devotum piissimo, & cor illibatum sanctissimo exhibendo; timendo simul, & amando ejus judicia profundissima. *Op. de regimine animæ, & l. 1. sinem in Prolog.*

17. *Quomodò dicitur Deus salvare homines, & jumenta.*

Homines, & jumenta salvabis Domine quemadmodum multiplicasti misericordiam Quomodò dicitur, quòd Deus salvat cum hominibus etiam jumenta? ergo animæ brutorum erunt immortales, & gloriæ æternæ capaces? minimè, sed loquitur Propheta metaphoricè, nam per homines intelligit contemplativos, qui lumine fidei, & acumine mentis illuminatæ Deo perfectè serviunt; per jumenta activos, qui laborant in vinea Domini; item per homines, perfectos: per jumenta, imperfectos: item per homines, Prælatos: per jumenta, subditos: talium enim seminum domus Dei seminata est, quia utrumque ad Ecclesiam Dei pertinet; vel potest etiam dici, quòd homines sunt evolantes ad Cœlum, jumenta sunt, quæ remanent in terra, ubi laborare oportet: super hos omnes diffunditur Dei misericordia, volens eos salvare, ut videas, quod Deus non est acceptator personarum. *Serm. 4 Dom. 4. post oct. Epiph.*

18. *Quidquid boni habemus ex Dei misericordia provenit.*

Homines, & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam. Vide, quod omnis salus nostra originem trahit ex Dei misericordia, quæ omnibus diffunditur & justis & peccatoribus. *Serm. 3. Hexaem. In Luc. c. 4. v. 14.* Nota etiam, quod dicit, *homines, & jumenta*, nempe quia ex Dei misericordia proveniunt bona temporalia communia hominibus, & jumentis: Item liberatio à pœnis, collatio gratiarum, & tandem vitæ æternæ glorificatio: Unde non est qui se abscondat à calore ejus. *Psalm. 35.*

19. *Deus nos regit, vehit, & protegit alis veteris, & novi testamenti.*

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Quæ sunt istæ alæ nos excitantes ad spem, & fiduciam in Deum? Duæ sunt, scilicet vetus, & novum testamentum: his enim Deus nos regit, & ducit ad Cœlum, & erigit ad spem vitæ æternæ. *Psal. 35.*

20. *Qui sub protectione Dei vivit alis ditatur, quibus ad Deum volat.*

Filii hominum in tegmine alarum tuarum &c. Quid est in tegmine alarum Dei? habetne Deus alas? Alas dicitur habere, quia nos alis munit: & sunt sex: duæ pedestres, quæ sunt patientia, & cordis compunctio, quæ humilem reddunt: Duæ collaterales; & sunt spes, & timor, quæ latus ambiunt: & duæ capitales, suntque charitas, & humilitas, quæ nos exaltant ad Deum. *Psalm. 35.*

21. *Sacra Scriptura ut elevet nos ab amore terrenorum, promittit ſatietatem omnem animæ in Cœlo.*

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos &c. Vide quomodò ſæpe ſacra Scriptura promittit eſurientibus, & ſitientibus nobis ſatietatem omnis dulcedinis in vita æterna, ut elevet nos ab amore terrenarum rerum, & ut toto corde cor noſtrum collocemus in Cœlum ſolumque Deum fontem vitæ deſideremus. *Serm. 17. Hexaem. & ſerm. 1. in Circumciſ.*

22. *De torrente Baptiſmi ad torrentem gaudii in Cœlo transferuntur qui ex hac vita evolant purgati à culpa.*

Inebriabuntur &c. & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Cur ſub metaphora torrentis voluptatis proponitur ſatietas Regni Cœlorum? Ut finis reſpondeat principio noſtræ ſalutis: quia enim Principium noſtræ ſalutis eſt immerſio in torrente Baptiſmi: hinc iis, qui baptizati, & purgati ab omni culpa evolant ex hac vita, transferuntur ad torrentem voluptatis cœleſtis. *Serm. 4. Dom. in albis.*

23. *Conſolationes ſpiritus hujus vitæ ſunt parvus fons: In altera vita ſunt torrentes, & fluvii.*

Et torrente voluptatis tuæ potabis eos &c. Cur dicitur de torrente, & non de fonte? quia conſolationes, quas Deus in hac vita ſuis infundit ſunt velut parvus fons: In altera vita propter abundantiam, & ſatietatem ſunt torrentes, & flumina. *Serm. 4. Dom. 2. poſt oct. Paſcha.*

24. *Ebrietas ſpiritualis, quæ in domo Eccleſiæ militantis confertur eſt parva gutta: quæ in domo triumphanti, eſt maximus fluvius, imo mare immenſum.*

Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis &c. Quæ eſt hæc domus Dei, in qua anima inebriatur? Nota: duplex domus Dei: ſcilicet Eccleſia militans, & triumphans: In utraque Deus inebriat ſuos, ſed differenter: nam in militante inebriat quidem, per collationem dulcedinis ſpiritualis, & cœleſtis, per quam ad modum ebrii anima privatur uſu membrorum, ſenſuum, & negotiorum, quoad mundana: & relinquitur quoad Deum. ſed tamen hoc provenit ex unica gutta dulcedinis divinæ: In domo verò Eccleſiæ triumphantis ebrietas provenit ex inundantia fluminum, imò maris immenſi deliciarum: Si ergò tantam dulcedinem experitur anima in hac vita ex una gutta, quod præ dulcedine expirare videtur; quid erit in gloria, quando de omnibus ſimul, imò de immenſiſſimo mari totius Trinitatis erit continua influentia, & inebriatio? O felix anima! ò quando erit illud tempus, in quo ſatiabor gloria tua dulciſſime Jesu. *Serm. 1. de Circumciſ. Serm. 1. fer. 2. Penteceſt. Pſal. 35. & ſerm. 1. de Dedicat. Eccl. Op. Brevil p. 7. c. 7. & op. ſolil. c. 4. & op. de perfect. vitæ c. 8. in Luc. c. 6. v. 10.*

25. *In Cœlo Chriſtus erit ſponſus, cibus, vinum, Dominus, & miniſter.*

Inebriabuntur ab ubertate Domus &c. quoniam apud te eſt fons vitæ &c. Si tanta bona præparata ſunt in menſa gloriæ, quis erit tanta bona miniſtrans? Sed nota, quod dicit. *Apud te eſt fons vitæ* Hic eſt Chriſtus: qui enim tranſibunt ad Cœlum à Chriſto per Chriſtum tranſibunt ad Chriſtum, ſcilicet à gloria corporis Chriſti, ad gloriam animæ, & per hanc ad Divinitatem: Chriſtus autem miniſtrabit, quia ſemper dabit materiam gaudii actualis refectionis indeficientis: Ibi erit ipſe ſponſus, cibus, potus, Dominus, & miniſter: ò beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. *In Luc. c. 2. v. 37. In Ioan. collat. 58. & in Ioan. collat. 79. & in Luc. c. 14. v. 16.*

26. *Nomine domus Dei immenſitas gloriæ ſignificatur.*

Inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Cur domus, & non potius civitas appellatur Regnum æternum? quia domus eſt coopertimentum protegens à corruptione, à ventis, imbribus, & tempeſtatibus: Sic in Regno Cœlorum erit immunitas ab omni infelicitate, & malo: Item in domo ſignificatur bonorum omnium copioſitas, & honeſta ordinabilitas, & manſio æterna: & ideò benè dicitur. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ &c. *In Ioan. collat. 63. & in Luc. cap. 17. verſ. 37.*

27. *Non ſolùm in Cœlo, ſed in hac vita anima inebriatur dulcedine cœleſti.*

Inebriabuntur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis tuæ potabis eos &c. Nota, quod etiam per domum Dei intelligitur Eccleſia militans, in qua eſt ubertas omnium bonorum, & in qua anima perfruitur participatione dulcedinis Cœli. Hæc autem ebrietas eſt amor intenſus, quo anima fertur in Deum, efficitque alienationem, ita quod tanta eſt virtus veri amoris boni, & pulchri, quod non ſolùm facit homines, & Angelos quaſi naturam propriam egredi, & in Deum aſcendere, ſed Deum etiam facit quaſi naturam propriam egredi, ingreſſibilem tamen à ſe, ut ad creaturas quaſi infra naturam ſuam procedendo condeſcendat, ut adamas ferrum trahit ad ſe immotus manens. *Op. de dono ſap. c. 7.* Hæc autem prægustatio in præſenti vita eſt quidem modica, ſed tamen eſt arrha imperfecta æternæ beatitudinis, propter quam ſanctis quidquid hic patiuntur, non ſolùm leve videtur, ſed etiam dulce. *Serm. 1. de dedicat. Eccleſ.*

28. *Ubertas domus, ſcilicet Eccleſiæ militantis expenditur multipliciter.*

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos &c. Nota, quod dicit ab ubertate inebriabuntur, non dicit à vino, ſed ab ubertate; ut indicet, quod in Eccleſia Dei militante eſt ubertas omnis boni: Undè appellatur meritò nomine domus Dei: Cur domus Dei? dicitur domus Dei, quia ſibi Deus appropriat peculiari modo dominium

minium suum ; exercens tres actus hierarchicos, ut fit in triumphante Ecclesia, qui sunt purgare, illuminare, & perficere : purgat enim pœnitentium affectus à sordibus peccati : illuminat intellectum per eruditionem ab omni errore, & dirigit in Deum, & reficit per Sacramenta, terminatque appetitum mirabiliter, & hoc præcipue facit per sumptionem panis, & vini Eucharistici, *serm. 4. Dom. 9. post Pentec.*

29. *Apud Deum est fons vitæ : Apud Diabolum fons mortis.*

Quoniam apud te est fons vitæ. Cur apud Deum est fons vitæ ? quia separatio à fonte vitæ mors est, & damnatio æterna, quæ apud Diabolum est, & sita est in peccato : sic conjunctio cum illo est vita æterna : & hinc, quia gratia conjungit cum Christo dicitur vita æterna. *In Luc cap. 18. v. 30. & In Ioan. collat. 75. & 41.* Et nota, quod connectit simul fontem, & lumen, quia est simul fons, & lumen Christus : lumen est. hoc est fons, qui sibi lucet, ut videas, ipse tibi manans, ut bibas : lumen illuminans in intellectu, & fons satians in affectu ; & quia est fons vitæ roborat, & firmat in statu. *In Ioan. coll. 41. & serm. 1. Dom. 2. post oct. Paschæ : & serm. 1. de Invent. S. Crucis.*

30. *Sine lumine supernaturali non possumus videre veritatem supernaturalem rerum divinarum.*

Et in lumine tuo videbimus lumen. Quid est videre lumen in lumine Dei ? Idest auxilio luminis supernaturalis videre veritatem supernam, & intelligere scripturam sacram : sine tali lumine enim non est possibile intellectui nostro videre lumen veritatis : sicut naturaliter non potest oculus videre colorem sine luce. *serm. 1. de Evangelist. In sap. c. 7. in fine. op. de septem Itin. ater. Itin. 2. d. 7. & op. de septem gradib. contemplat.*

31. *Anima, quæ est domus & templum Dei admittitur ad ubertatem divinæ misericordiæ, & deliciarum cælestium.*

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ &c. Prætende misericordiam tuam his, qui recto sunt corde. Ecce quod in his verbis exprimit qualis sit illa Anima, quæ sit domus, & templum Dei, & quæ abundat ubertate, & ebrietate divina : nempè quæ recta est corde cum Deo, sibi conglutinata est per imitationem. *In Ioan. c. 6. v. 40. Psal. 35. & op. de perfect. religios. l. 2. c. 72.*

32. *Humilitas introducit Animam in domum Dei : superbia excludit.*

Non mihi veniat pes superbiæ &c. Expulsi sunt, nec poterunt stare &c. Quomodò supra dicitur, quod fideles inebriabuntur ab ubertate Domus Dei, hic dicit, quod expulsi sunt &c. nec poterunt stare ? Sed nota, quod omnes introducimur in domum Christi per fidem, sed non omnes inebriantur : sed tantùm qui Christo adhærent per imitationem : expelluntur autem, qui à pede superbiæ sinunt se dominari : Veniamus igitur ad eum, intremus ad eum, incorporemur ei, faciamus ejus voluntatem, & non ejiciet foras. *In Ioan. 6. vers. 40. & serm. 5. Dom. 14. post Pentecost. & in Psal. 59.*

33. *Peccator lædit non solùm Christum, sed & Mariam Virginem.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Dixit impius ut non delinquat in semetipso &c. Nota, quod talis malitiosus delinquit in semetipso, quia a se ablegare facit Deum, & consequenter omne bonum : & si hoc est verum, ergo & Mariam Virginem à se discedere facit : quid igitur faciet iste miser, qui matrem misericordiæ offendit, & inimicam habet? *op. Psalt. B. V. Psal. 35.*

34. *Qui non habuerit characterem nominis Mariæ, non annotabitur in libro vitæ.*

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso &c. non est timor ante oculos ejus. Nota, non solùm rejicitur à numero electorum, quia non est timor Dei ante oculos ejus, sed quia etiam non est timor Mariæ, quia scilicet non habet characterem nominis ejus, quia ejus obsequium, & devotionem, & amorem deserit. *Psal. 35. & 91.*

35. *Misericordia Mariæ residet in Cœlo, & diffunditur per totam terram.*

Domine in Cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. Nota, quod in his verbis exprimitur misericordia, & justitia Dei : At loquendo de Maria possumus dicere, quod misericordia ejus est in Cœlo, & diffusa est super terram ubique, quia extenditur & ad Cœlos, & ad terram ; & ad Animas quæ sunt in Purgatorio. *op specul. B Virg. lect. 5. & op. Psalt. B. Virg. Psal. 35.*

36. *Maria inclinat vultum suæ pietatis ad homines, & jumenta, scilicet ad bonos, & malos.*

Homines & jumenta salvabis Domine &c. Si hoc dicitur de Christo in ordine ad bonos, & malos ; multò fusius dici potest de Maria Virgine, quia inclinat vultum Dei super nos, & cogit Deum pauperibus misereri. *op. Psalt. B. Virgin. Psal. 35.*


37. *Ubertate Mariæ inebriat Deus suos servos.*

Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ. Quæ est hæc domus tam uberrima, & abundans ? Hæc est Maria repleta manna, scilicet Christi humanitate, & Divinitate : Benedicta verè domus à Deo, & repleta omnibus bonis, de cujus benedictione inebriantur omnes Animæ. *op specul. B Virg. lect. 7. & 14.*

38. *Maria est fons vitæ apud Deum existens, & irrigans totum orbem terrarum.*

Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Quis est iste fons apud Deum ?

ſed perge ad Gabrielem, & audies, quod Maria eſt, quæ inveoit gratiam apud Deum, ſcilicet gratiam omnimodam, & plenitudinem omnium gratiarum: & ideò apud Deum Maria exiſtens, eſt fons vitæ: nempè mater gratiæ, Mater, & fons bonitatis, fons,& fomes pietatis,Triclinium Deitatis, ſcilicet conciſtorium cauſarum, cœnaculum ciborum, & cubiculum quietis, Mater ſolis juſtitiæ perpetuæ claritatis, conferens lumen, & gloriæ. fons rigans terram charitate, & gratia *op. Laus B. Virg. ſig. 1. & 12. op. ſpecul. B.Virg. lection. 7.*



PSALMUS XXXVI.

Titulus: Pſalmus ipſi David.

1\. PRIMÒ Nota,quod in hoc Pſalmo figuratus David, ſcilicet Chriſtus oſtendit non eſſe curandum, vel æmulandum de temporalibus, morteque,ut ſpretis tranſitorijs, ſola æterna diligamus.

a Notat etiam Sanctus Bonav. *in Pſ. 118. v. 9.* & D.Hieronymus,*in præfatione ſuper lib. Reg.* quod hic Pſalmus inſcribitur,& texitur Alphabeto Hebræorum imperfecto, quia datur in hoc neceſſaria inſtructio, ſcilicet ne invideamus, vel indignemur proſperitati malorum. *Pſal. 118. v. 9. In Thren. in prolog.*

3. *Æmulatio bona, & mala quænam.*

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Vide quod in principio pſalmi ponit malignantes, & facientes iniquitatem, ne eos æmulemur, & zelemus: ſcilicet, ne indignemur, vel iraſcamur livore, nec eos imitemur videntes, quod omnia eis proſpera eveniunt: ſed tamen per hoc non prohibet, quin æmulemur bonos: hæc enim eſt æmulatio bona, quam Deus ſuadet: maligni autem ſunt, qui non ſolùm peccant, ſed etiam alios ſecum ad peccandum trahunt: Iſtos autem non debemus æmulari, quia tanquam fœnum velociter areſcent, *Pſal. 36 & 88.*

4. *Qui malum exemplum ſuperborum, luxurioſorum, avarorum ſectantur hi ſunt diſcipuli Antichriſti, Mahometis, & Simonis magi.*

Noli æmulari in malignantibus &c. Nota, quod meritò hic in medium poſuit malignantes, & facientes iniquitatem, qui non ſunt homines infecti ordinaria iniquitate, ſed peſſimi: non ſolùm enim in ſe mali ſunt, ſed ſuo malo exemplo alios trahunt, & ſæpe ſub ſpecie fictæ ſanctitatis: tales ſunt Antichriſtus, Mahometes, Simon magus, & hæreſiarchæ: qui igitur hos per imitationem æmulantur, eorum diſcipulos ſe profitentur: Unde diſcipuli Simonis ſunt ſimoniaci, & avari, Mahometis luxurioſi, Antichriſti ſuperbi, & ambitioſi, *In Luc. c. 21. v. 8.*

5. *Ignis tribulationis quoſdam comburit, & areſcit, quoſdam protegit, & conſervat.*

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent &c. Hic loquitur de malignis ſuprapoſitis & notat, quod ignis tribulationis, & afflictionis poſtquam in delicijs terrenis vixerunt, combutentur,& areſcent,quia tribulatio peſſimos conſumit: è contra bonus purgat. *Pſal. 65.*

6. *Carnales ſunt ſicut fœnum.*

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent Cur iſti comparantur fœno? quia fœnum eſt herba, quæ florem habet, & non folia, & ideò ad exſiccationem floris totus areſcit: Iſtique ſunt voluptuoſi, qui in carne voluptatibus immerſa videntur florere, ſed citò deflorefcunt, & areſcunt: nullum enim eſt vitium,quod tam ardenter deficeet Animam, & carnem ſicut luxuria. *Pſal. 36.*

7. *Caro noſtra mortalis citò floret, & citò areſcit.*

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent. Nota quod hoc poteſt diei de quocumque homine, ſive nobili, ſive plebejo,cujus caro florere videtur, ſed citò decidit,deficit, & areſcit. *Pſal. 36.*

8\. In Eccleſia ſunt olera herbarum, hortorum, & olus conditum: Olera herbarum ſunt infirmi in fide,& maligni:olera hortorum ſunt pœnitentes: olera condita ſunt perfecti, qui ſecundum condimentum litteræ Sacræ ſcripturæ cum ſpirituali intelligentia, ſcilicet per contemplationem ambulant: primi ſunt mali, qui citò areſcunt: ſecundi, & tertij ſunt boni &c. *Pſal. 36.* Hic autem loquitur de malis,qui poſtquam perſecuti ſunt bonos, & vitam induxerunt in voluptatibus carnis ſignificatis in oleribus herbarum,areſcunt in Inferno. *Pſal. 36. In ſep c. 4. in fine. & ſerm. 2. Dom. ſeptuag.*

9. *Spes debiles ſuſtentat in Dei obſequio,& exercitium virtutum conſolatur cor afflictum.*

Spera in Deo, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in divitijs ejus. Ecce quid Sanctus Propheta oppouit malignantibus, & perſeverantibus in impietate,quibus affligere conantur juſtos: Ait *ſpera in Domino & fac bonitatem*;io quibus duo proponit facienda:ſcilicet ſperare in Domino,& exercere ſe in bonitate, ſcilicet in virtutibus: nam per ſpem in Deum firmam ſuſtentatur Anima in tribulationibus immerſa, & per exercitium virtutum conſolationem ſpiritualem accipit: & hinc ſequitur, *inhabita terram, & paſceris in divitijs ejus* ideſt veluti in Paradiſo commorabetis. *op. Diat. Tit. in Append. Dom. 1. Adv. & tit. 2. c. 5. c. 1. & 4.*

10. *Contemplatio & oratio devotè, & exactè facta à Deo impetrat omnia bona.*

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis. Nota, quod hic exprimit conditiones bonæ orationis:Dicit *Delectare in Domino*,ſcilicet accede cum puritate in contemplatione,& corde,pete, ſcilicet

scilicet attentè, & devotè, & Deus dabit tibi petitiones cordis: Nota, quod dicit cordis, non oris, quia corde magis orandum est, quàm ore. *op. de sex alis Cherub. & serm. 5. in Rogat.*

11. *Oratio conformantis voluntatem suam cum Deo, quàm ipsi Deo chara.*

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis. Quid est delectari in Domino? hoc est conformare suam voluntatem cum Voluntate Dei; qua conformitate acquisita recurre ad Tribunal divinæ misericordiæ, & ora; sed nota, quod dicit *petitiones cordis*, scilicet devoti, attenti, & cum voluntate divina compositi, quæ petitiones sint circa bona temporalia tibi necessaria, circa spiritualia Animæ, & circa adeptionem vitæ æternæ. *op. medit. vita Christi cap. 36.*

12. *Sacra scriptura ejusque meditatio, & studium est Paradisus deliciarum.*

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones &c. Sed ubi recurrendum est, ut habeatur hæc delectatio? Respondet, *in Domino*: Sed nota, quod cum Deus sit invisibilis, nobis providit Paradisum visibilem, in quo habitat Deus: hic est sacra scriptura, cujus lectio, studium, & meditatio affert Animæ delicias Paradisi in Domino *Psalm. 118. vers. 1.*

13. *Confessio peccatorum suadetur.*

Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Quomodò dicitur revela Domino? Ergone indiget Deus, ut ipsi reveletur vita nostra, quasi igooretur ab ipso? Sed attende quod hic præcipitur confessio peccatorum, quæ facienda est ignoranti ea: ob id, non Deo, sed sacerdoti Vicario Christi tanquam si fieret Deo: quæ confessio exigit fiduciam obtinendi remissionem peccatorum, & tunc ipse Christus faciet, scilicet remittet tibi peccata tua, sicut intendis: *Ita Glossa.* Nota etiam, quod in his verbis innuuntur conditiones veræ confesstonis: debet enim esse propria, vera, pura, integra, munda & pia. *serm. 2. In Rogat.*

14. *Confessio illustrat intellectum, & accendit affectum, & ad exercitium virtutum inducit.*

Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tanquam meridiem. Vide quid faciet Dominus facta revelatione tuorum peccatorum in confessione: educet quasi lumen justitiam tuam: quid est eductin hujus luminis, seu justitiæ tanquam luminis? Cur comparat justitiam, & judicium lumini meridiei? Sed nota, quod confessio peccatorum est justitiæ, & judicij, quod in seipso facit pœnitens: Ad hanc justitiam Deus educit lumen clarificans intellectum, & inflammans affectum, & inducens Animam ad actum sanctæ conversationis, scilicet ad exercitium virtutum. *In Ioan. collat. 2.*

15. *Post confessionem integram quid à pænitente faciendum: & quis est iste subditus Deo.*

Subditus esto Domino: & ora eum. Quid est subditum esse? Nonne omnis homo subditus est Deo? Nota, quod hic innuit id, quod à pœnitente post acceptam remissionem peccatorum, & illuminationem Animæ faciendum est: *subditus esto Domino*: nempè subditum esse Domino, & ipsum orare: Subditum esse continet duo: primum, ne in posterum malè agendo, præcepta denuò despiciat: secundum, ut ad bona agendum, de suis viribus non præsumat: sicque poterit confidenter Deum orare, auxilium expectando. *Psal. 36.*

16. *Æmulatio livoris, & indignationis fugienda à justis.*

Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari, ut maligneris. Vide, quod post confessionem peccatorum justus dirigitur in operibus bonis, & quid debet in posterum cavere: nempè si adhuc experiatur se permanere in tribulationibus, debet cavere ab æmulatione livoris, & indignationis, & à malignitate maximè, quæ consistit, ut dictum est, in hoc, quod homo non solùm in se est malus, sed alios ad malum trahere quærit: Isti enim malignantes exterminantur à Deo; & è contra patienter tolerare adversa, & expectare auxilium à Deo. *Psal. 36.*

17. *Iusti post hanc vitam recipiuntur in locum suum, scilicet felicitatis: Impij citò deficiunt in hac vita, & post eis nulla spes remanet alicujus boni.*

Adhuc pusillum, & non erit peccator, quæres locum ejus, & non invenies. Quomodò dicitur, quod impij non habebunt locum post hanc vitam? Norme in Infernum detrudentur tanquam in locum proprium? maximè: Sed intellige, quod brevi vivunt tempore in delicijs, & peccatis; sed post hanc vitam eis nulla superest spes, quoad secundam stolam, scilicet glorificationis, quia ab electis separabuntur, & in Infernum detrudentur in æternum. *l. 4 d. 45. a. 1. q. 2.*

18. *Iracundi ejiciuntur de hæreditate cœlesti: mansueti introducuntur in eam.*

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Vide, quod Spiritus Sanctus postquam suasit fugam ab iracundia, & livore, notavitque iracundos, & malignos ejiciendos esse extra numerum electorum, proponit fœlicitatem mansuetorum dicens, quod isti hæreditabunt terram, scilicet Cœli: Unde patienter tolerare debemus persecutiones propter hanc hæreditatem obtinendam. *serm. 4. Dom. 2. post oct. Epiph.*

19. *Mansueti delectantur in multitudine pacis: Iracundi in multitudine belli torquentur.*

Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in

in multitudine pacis. Quænam eſt hæc multitudo pacis, quæ manſuetis promittitur? multiplex pax eſt hæc pax interna cordis: pax externa cum proximo, & pax cum Deo: Item pax Dei cum manſuetis, quia in corde ſuo tamquam in loco quietis, & tamquam in molli culcitra requieſcit Deus: Sicut è contra in corde inquieto non habitat Deus, ſed diabolus, ideò rixoſi torquentur in multitudine belli. *Op. Diat. Tit.7.c.6.*

20. *Malignorum inſidiæ quales in juſtum.*

Obſervabit peccator juſtum, ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis: Dominus autem irridebit eum &c. Vide effectus malignitatis impiorum in juſtum: Sic & Judæi obſervabant Chriſtum, ut invenirent, in quo poſſent eum accuſare: ſed Chriſtus eos irriſit, & confudit: ſic facit cum inſidioſis Dominus. *In Luc. cap.6. verſ.6. & ſeq.*

21. *Hæretici gladio hæreſis: Iracundi gladio rancoris: Detractores gladio detractionis diſcindunt Eccleſiam Dei.*

Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, ut dejiciant &c. trucident rectos &c. Qui ſunt peccatores iſti evaginantes gladium? Sed nota, quod triplex eſt gladius ſpiritualis peccatorum, ſcilicet rancoris, detractionis, & hæreſis: hos gladios evaginant peccatores, ut diſcindant unitatem, & charitatem fraternam, hoſque graviſſimè Deus ſpecialiter punit. *In Luc. c.2. v.35.*

22. *Impii, & maligni movent omnem lapidem, & dirigunt omnes ictus ſuos contra juſtos.*

Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, ut dejiciant pauperem, & trucident rectos corde &c. Quid eſt iſte arcus, & gladius, quos dirigunt impii contra rectos corde, & inopes? Reſpondetur, quod per arcum, & gladium, prava intentio, comminatio, promiſſio, inſidiæ, & omnes vires impiorum intelliguntur, quas dirigunt contra juſtos, & pios, ut eos trucident gladio perſecutionis, & dejiciant ad terram, & eos diſſipent. *Pſal.36.*

23. *Eccleſia ut pia mater orat pro ſuis inimicis, & perſecutoribus.*

Gladius eorum intret in corda eorum, & arcus eorum confringatur. Quomodò hic vir juſtus orat, & petit à Deo vindictam ſuorum inimicorum? Nonne Deus hanc vetat ſuis ſequacibus? Sed attende pietatem bonæ matris in filios malos, & perſecutores: Hæc eſt oratio ſancta, in qua Eccleſia mater orat Deum, ut ſua miſericordia faciat, quod gladius, quem evaginaverunt contra matrem intret in corda ipſorum, ſcilicet gladius non vindictæ, ſed compunctionis affectus deſideriorum malorum, quo gladio interficiantur omnia iſta deſideria mala, & pœnitentiam agant de peccato ſuo. *Pſal 118. c.11. v.50.* Vide igitur quomodò ſancta mater Eccleſia reddit ſuis filiis malis bonum pro malo; hæc enim eſt lex ipſi à Chriſto ſponſo conſtituta.

24. *Iuſtus veras divitias diligit: divitias peccatorum abhorret.*

Melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas. Quid eſt hoc modicum juſtorum, quod melius eſt ſuper divitias peccatorum multas? Nota, quod dicit, *divitias peccatorum*, quia aliæ ſunt divitiæ juſtorum, aliæ peccatorum: divitiæ juſtorum ſunt timor Domini, juſtitia, miſericordia, humilitas, caſtitas, patientia, & aliæ virtutes: juſto melius eſt hoc modicum, ſcilicet tale exiſtimatum à peccatoribus ſuper divitias temporales: melius, inquam, eſt, quia Deus libenter ſuſcipit hoſpitium ubi ſunt divitiæ iſtæ non apud peccatores. *Serm.1. fer.2. Paſchæ, & ſerm.2. In Rogat.*

25. *Iuſti quomodò dicuntur habere modicum, & peccatores multas divitias.*

Melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas. Cur juſtis aſſignatur modicum; & peccatoribus multum? Nonne juſtis eſt juſtitia, quæ eſt magna merces: & è contra divitiæ ſunt mera vanitas? Cur non tribuitur juſto multum, & peccatoribus parum? Sed optimè dicit, *modicum*: Connectamus hoc modicum cum verbis Chriſti. *Luc. c.12. Nolite timere puſillus grex*: & videbimus, quod appellat ſuos amicos puſillum gregem, & modicum, tum reſpectu multitudinis malorum: Tum ratione ſuæ modicitatis, & humilitatis: & quia talium eſt regnum Cœlorum; hinc dicitur melius eſt modicum ſuper divitias &c. *Luc.c.12. v.21 & 22.*

26. *Deus conterit ſuperbiam peccatorum, & confirmat debilitatem juſtorum.*

Quoniam brachia peccatorum conterentur: Confirmat autem juſtos Dominus. Vide effectus peccati, & gratiæ Dei in anima: nam Deus debilitat, & conterit ſuperbiam perfidorum; Juſtorum autem infirmitatem, & debilitatem roborat, ut patienter tolerent omnes adverſitates. *Pſalm.118. c.2. v.12.*

27. *Deus novit notitia ſimplici omnes bonos, & malos: notitia approbationis tantùm bonos.*

Novit Deus dies Immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Nota, quod dicit, *novit dies*, idest actiones Immaculatorum: ergo non etiam peccatorum? Reſpondetur (quod) Deus novit omnes notitia ſimplici; ſed notitia approbationis tantùm Immaculatos: & qui ſunt immaculati? qui æmulantur, non livore, & indignatione, ſed chariſmata meliora, ſcilicet inhians ad ſanctitatem cordis, & operis. *Pſal.118. c.5. v.16.* Nota etiam, quod hanc notitiam conſequitur æterna hæreditas, æterna tranquillitas, & æterna jucunditas, & ideò non confundentur in tempore malo &c. *Pſal.118. c.10. v.56.*

28. *Superbus, ſicut fumus, quò magis aſcendit, eò citius evaneſcit &c.*

Peccatores peribunt, & mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient &c. Nota hanc comparationem fumi, quæ

quæ rectè explieat vanitatem superborum: sicut enim fumus quò magis ascendit, eò ascendendo citiùs deficit: sic superbus plus ascendeos, plus evanescit. *op. Diat. Tit.1.c.3. & Psal.118.c.3. v.11.& sep.c.5.*

29. *Peccator peccans obligat se ad debitum, quod non potest solvere: Iustus autem solvere potest.*

Mutuabitur peccator & non solvet: Iustus autem miseretur & tribuet. Ecce quàm verum quod supra dictum est: melius est modicum justo super divitias multas: nam peccator peccans mutuat, & debitum gravissimum facit, quod non potest solvere: At justus adjuvatus gratia Dei verè solvit faciendo misericordiam proximo: Ideò judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam, è contra judicium cum misericordia fiet illi, qui fecit misericordiam. *In Lucam c.11.v.4.*

30. *Deus dirigit justos per vias multas hujus vitæ.*

Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam eius volet, idest velle faciet &c. Sed quo dirigentur gressus hominis? Nota; quod hic via multiplex invenitur, per quam Deus dirigit justos: Est enim via à qua, estque via peccati, à qua liberat suos: via in qua, estque virtutum, & bonorum operum: & via ad quam, estque gloria; & per quam, & est Christus: Per omnes istas vias Dominus justos dirigit, & eos obedire facit, sinentes seduci à divina voluntate. *Psal.36.*

31. *Iustus si cadit, non colliditur, quia Dominus supponit manum suam, quia cadit in via, non extra viam, vel à via.*

Si ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Quomodò dicit supra, quod Dominus dirigit gressus justorum, & postea, quod cadet? Sed nota quod aliud est cadere extra viam, aliud à via, aliud in via: Cadit extra viam, qui est separatus ab Ecclesia: Cadit à via, qui prius viam justitiæ ambulabat, sed eam omnino deserit, & uterque istorum colliditur: Cadit in via, quia non est ex malitia, sed statim redit ad pœnitentiam, quia septies in die cadit justus, non in nocte permanendo in peccato. *Psal. 36. & 47. & 118. v.113. In Thren. c.2. & opusc. Eccles. Hier.p.4.c.6.* Nota etiam, quod quidam cadunt coram Deo, qui malè credunt: quidam à Deo, qui à Deo recedunt: quidam in Deum, qui in lapidem angularem offendunt: quidam sub Deo, qui venialiter peccant: & in istis Deus supponit manum. *Psal.71.*

32. *Ecclesia in principio fuit junior: nunc senuit.*

Iunior fui, etenim senui. Nota hoc dividitur in persona Ecclesiæ, quæ fuit junior, quando paucos fideles habebat: nunc senuit, quia multos habet. *Psal.70.*

33. *Confidentia in Deum abigit avaritiam.*

Iunior fui, & senui, & non vidi justum derelictum nec semen eius quærens panem, tota die miseretur & commodat &c. Quomodò potest hoc dicere Propheta? Ergone non invenitur justus panem mendicans? Et quot sunt non valentes commodare, & facere eleemosynam? sed attende, quod hoc dicitur contra avaros, ut excitentur ad largiendas eleemosynas pauperibus, & confidentes, quod eleemosyna non redigit ad paupertatis statum: nunquam enim inventus est, qui pro Christo se facultatibus expoliaverit, & quod Deus ipsum deseruerit: Aut enim Deus eis providit necessaria, aut si reliquit eum in penuria, dat ei vires, quas in abundantia posset habere, aut quod subtrahit corpori, refundit menti in consolatione spirituali, ut libenter maneat in tali penuria: primum est jucundum: secundum jucundiùs. Tertium jucundissimum. *op. de perfect. relig. lib.1. cap.35.*

34. *Idem confirmatur contra avaritiam spiritualem.*

Et non vidi iustum, nec semen &c. Nota hoc est contra illos, qui tantum diffidunt de Deo, quod si convertantur non velit eis dare perseverantiam in spiritu, vel sustentationem pro corpore, quasi Deus propitius sit inimicis suis, dum in peccato morantur, & non sit propitius amicis suis justis, & pœnitentibus, & convertentibus se ad ipsum, ut peccatores pascat liberaliter, & salvet, conversos deserat, & fame perire sinat: ò quam indigna est hæc diffidentia! Advertant hoc diligenter, qui peccatum nolunt deserere ob timorem nimiæ inopiæ, quod & multis teis mulieribus evenit &c. *op. de perfect. religios. l.1. c.20. & op de paup. Christi q.1. art. 2. Vide ibidem a. 1. & 2. & q. seq.*

35. *Qui, licèt modica, dat in eleemosynam pauca habens, si tamen magnam voluntatem dandi habet, voluntas ei imputatur pro facto.*

Tota die miseretur, & commodat &c. Quomodò tota die dicitur de illo, qui est pauper? quia voluntas bona est thesaurus pauperum, & ei reputatur pro facto, & de isto dicitur: Tota die miseretur, hæcque integra est misericordia. *In Luc.c.10. v.36. & serm.2. Dom.2. post Pentecost.*

36. *Plura genera eleemosynarum proponuntur.*

Tota die miseretur, & commodat, & semen illius &c. Quomodò tota die potest diei de pauperibus non habentibus, onde eleemosynam faciant? Sed nota, quod quatuor sunt genera eleemosynarum; nempè proximi conversio, injuriarum remissio, suæ Animæ miseratio, & proprij beneficij proximo collatio, & qui non potest unum genus eleemosynarum exercere, exerceat aliud saltem in præparatione Animi, sicque de ipso dici poterit. Tota die miseretur, & commodat &c. *Psal.36.*

37. *Ad bonum faciendum quænam sint necessaria.*

Declina à malo, & fac bonum & inhabita in sæculum sæculi. Vide quid est necessarium ad hoc ut Anima ad terram promissionis reducatur, scilicet declinare à malo, & facere bonum: sed non est idem declinare, & facere bonum? Nonne declinare à malo, hoc est bonum? Attende, quod hic duo proponuntur, scilicet fuga à malo: ne amplius ad vomitum peccati redeas, quia hoc esset thesaurizare sibi iram: & aliud est facere bonum: quid est facere bonum? hoc est esse in gratia Dei, & quod agitur pluś agatur corde, quàm exterius, quia non Abel ex muneribus, sed ex Abel placuerunt Domino munera: & ob id debet superaddi intentionis ordinabilitas, & perseverantia: qui sic bona agent, ibunt in vitam æternam. *In Ioan. collat. 28. & 26. & in Psal. 1.*

38. *Ad resurrectionem Animæ quænam sint necessaria.*

Declina à malo, & fac bonum. Nota, quod hic duo tantùm exprimuntur, sed tamen tria continentur necessaria volenti resurgere à peccato, & salutem consequi: primum est declinatio mali: secundum melioris boni adeptio: & tertium obedientiæ subjectio: sed attende, quod declinatio à malo debet esse non purè negativa? hæc enim sic præcisè non est meritoria, sed debet esse positiva, & consistit in hoc, quod Anima contraria affectione, & exercitio virtutis contra vitium afficiatur: primo modo non meretur quis pœnam, sed nec etiam palmam: secundo modo & pœna evitatur, & palma obtinetur. *In Psalm. 1. & l. 2. d. 24. p. 1. dub. 1.*

39. *Deus amat judicium in nobis factum ab Anima de seipsa.*

Quia Dominus amat judicium, non derelinquit servos suos: in æternum conservabuntur. Quodnam est judicium, quod vult in Sanctis suis? Judicium hoc est proprium in Anima, in quo conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor cruciat. *serm. 1. in Rogat.*

40. *Deus non derelinquit suos amicos, sed eos protegit in necessitatibus, & impios punit.*

Deus non derelinquit sanctos, in æternum conservabuntur: Injusti autem punientur &c. Ecce finis bonorum, & malorum; licèt enim aliquando permittat Deus, ut justi in tribulationibus, & afflictionibus vivant, eos tamen non deserit, sed reservat ad vitam æternam: Et è contra licèt injusti videantur florere in hoc mundo, tamen eos reservat ad æternam pœnam. *In sap. c. 10.* Amorosum enim est judicium Dei in amicos, licèt videatur asperum, quia eos non contemnit, sed amplexatur, & præmiat. *Psal. 118. cap. 9. vers. 4. & cap. 7. v. 16.*

41. *Iusti hæreditabunt terram viventium in sæculum sæculi: Injusti terram morientium.*

Iusti autem hæreditabunt terram. Sed quæ est hæc terra? Non terra hæc, quam pedibus calcamus, quia est terra morientium, sed viventium terra, & ideò subdit: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam: Quid est in sæculum sæculi? sæculum est subsequens ad hoc sæculum præsens: Vide hic quæ hæreditas est, quam habent impij, & quam habent Dei amici: nam illis relinquitur terra morientium: istis terra viventium, in qua in æternum cum Deo habitabunt, collaudabunt cum Angelis sine ulla perturbatione. *Psal. 118. c. 3. v. 12.*

42. *Prædicatoribus quænam sint necessaria.*

Os Iusti meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium, lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus. Quid est hoc, quod os Justi meditatur sapientiam? Nonnè hoc est opus cordis, non oris? Sed attende, quod hic instruitur Prædicator, & Doctor Sacræ Scripturæ, qui cum in ore, & per linguam habeat explicare divina mysteria, quia vox oris est instrumentum vocis interioris exigitur, ut quod ore promit, prius corde meditetur: Ad hanc autem meditationem perfectam requiritur conscientiæ perfecta mundatio, abdicatio à terrenis rebus, Animæ humiliatio, & divinæ sapientiæ diligens inquisitio, ut sic mente purgatus homo à temporalibus curis abstractus, & per humiliationem reversus, sit dispositus ad lumen sapientiæ per amorem sapientiæ: sicque os ejus, & lingua rectè loquitur judicia, & mysteria divina. *serm. 2. de S. Gregorio.*

43. *Vox sensibilis aliquando coadjuvat meditationem cordis: ubi de oratione vocali.*

Os Iusti meditabitur sapientiam. Ergone os meditari habet? minimè: sed attribuitur ori, quia sensibilis aliquando coadjuvat cor ad meditandum, & orandum interius: oratio enim vocalis instituta est ad nostri excitationem per verba, & ad recollectionem cogitationum per sensum verborum. *Psal. 118. cap. 10. v. 4. & op. Brev p. 5. c. 10. & sup. cap. 8.*

44. *Prædicator prius in corde suo fructificet antequam aliis prædicet.*

Os Iusti meditabitur sapientiam &c. lex Dei ejus in corde ipsius &c. Vide hic quænam sunt necessaria volenti docere legem Dei: prius enim eam in corde debet portare: hoc enim est fundamentum hujus fabricæ, quam intentant Prædicatores fabricare: alioquin vana sunt verba, & opera, nisi prius purgata fuerint corda. *serm. de S. Luca.*

45. *Dei protectio quanta in servos suos.*

Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus &c. Vide quomodò Deus assistit sua protectione justis suis, maximè contra technas

&

& dolos diaboli, qui hic significatur nomine peccatoris: quia facienti voluntatem Dei, ipse ei tribuit pacem in corde, & liberat eum à diabolo tempore tentationis. *ferm.3. Dom 8. post Pentecost.* Subdit: *non damnabit eum, cum judicabitur illi.* Quid est judicabitur illi? Cur non dicit judicabit illum? sed dicit illi, scilicet ad utilitatem ejus, quia judicium ejus erit salvationis, non damnationis: Proteget igitur illum in hoc sæculo Deus, & in futuro. *Psalm.35.*

46. *Angeli Custodes incumbunt prabere confortationem, & corroborare Animam Dei adventum desiderantem, dicentes:*

Expecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram. Hæc inquam sunt verba Angeli Custodis cordi justorum expressa: Unde tripudiant, collætantur, & condelectantur quando vident Animam fideliter Deo servientem, patienter adversa tolerantem, & Deum ferventer amantem. *opusc. medit Vita Christi, cap.37.*

47. *Secundùm qualitatem observantia mandatorum Anima exaltatur, & pramiatur in gloria.*

Custodi viam ejus. Scilicet, ait Spiritus Sanctus, ejus præcepta: quia exaltabit te per accumulationem meritorum, ut postea hæreditate capias terram per retributionem præmiorum. *fer.4. Dom.10. post Pentecost. & In Ioan. coll.75. & Psal. 36.*

48. *Vanitas amatorum rerum terrenarum expenditur: & quis sit locus eorum.*

Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut Cedros libani, & transivi, & ecce non erat, & quasivi eum, & non est inventus locus ejus. Quomodò dicitur, & ecce non erat? Annihilantur forsan impij? Et quomodò dicitur, quod non invenitur locus eorum? Nonne cuicumque rei convenit necessariò esse in loco? sed attende, quod hic exprimit vanitatem amatorum mundi, qui quidem videntur magnificari, & exaltari ad statùs altitudinem, sed ecce, quod improvisè cadunt, & non amplius apparent, & eorum locus non invenitur in Cœlo, nec in mundo, sed tantùm in Inferno, ut patet in divite, de quo *Luc. c.16. ferm.1. Dom.2. post Pentecost. & ferm. 1. de S. Thoma. & ferm.5. de pluribus Martyr.* Dicit autem & transivi, & ecce non erat: nempè in transitu umbræ, idest in ictu oculi, in momento tanta vanitas, & superbia ad modum fumi se per terra elevantis præterit. *In Luc.c.4.v.5. & c.21.v.33. & In Ecclesc.8.*

49. *Salus patria non via optanda.*

Salus autem justorum à Domino &c. Nota, hæc est salus, quam expetere, & exoptare debemus: salus à Domino, non salus ab hominibus, salus patriæ, non viæ, & mundi. *In Luc.c.10.v.4. & Brevil. p.7.c.7.*

50. *Spes in Deum affert salutem, protectionemque divinam.*

Salus autem justorum à Domino &c. quia speraverunt in Domino. Ecce causa quare tot bona Deus homini adfert: nempè quia speraverunt in Domino: postulat enim spes ad portas divinæ misericordiæ postulando, præstolando, allegando, rogando, & totum securè obtinet. *Psal. 118. c.11.v.10.*

51. *Maria Virgo posita est in mundo à Deo, ut amulationem, indignationemque Dei mitiget, & mala in hominibus auferat.*

Noli æmulari in malignantibus &c. Nota, quod si hic Psalmus ad literam directus est ad nos, no æmulemur, vel indignemur malignis prosperitatibus in hac vita, & ut adspiciamus eorum exitus pessimos: Et Beata Virgo Maria in mundo est à Deo posita, ut iram Dei mitiget, & mala in peccatoribus destruat sua intercessione, & meritis: Unde ad ipsam possumus dirigere hæc eadem verba: Noli æmulari in malignantibus Domina Virgo: furorem eorum, & nequitiam dulcifica per gratiam, & intercessionem, & merita tua. *op. Psalt. B.Virg. Psal.,6.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

52. *Sperans in Domino ditatur terra benedicta, & fructibus Maria Virginis.*

Spera in Deo, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus. Nota ordinem horum verborum: primò præmittit spem in Domino: secundò opus bonitatis, & hinc possessionem terræ, & deinde opulentiam omnium bonorum: Quænam est hæc terra, quæ promittitur facientibus bonitatem, & sperantibus in Deo? Nota, quod Maria Virgo est hæc terra benedicta, de quâ habemus omnia bona: Istis igitur promittitur possessio hujus terræ: & hinc sequitur abundantia omnium bonorum, quia Maria est hæc terra bona donans petenti panem de ipsa procreatum, & vinum vera hac vite natum. *op. specul. B.Virg. lect.7. & op. Psalt. min. quinquag.3.* sperate ergo in Maria Religiosi, & Claustrales: Confidite in illa Clerici, & sæculares: delectamini in laudibus illius, & exaudiet petitiones cordis vestri. *opusc. Psalt. B.Virg. Psal.36.*

53. *Melius est modicum cum gratia Maria, quam thesauri argentei, & lapides pretiosi.*

Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Nota, quod non solùm hæc verificantur de justo in ordine ad spem, & confidentiam in Deum, sed in ordine ad Mariam Virginem: nam tanta est plenitudo bonorum, quæ ex devotione in illâ redundant, quod melius est modicum nobis cum gratia Mariæ, quàm haberè thesauros argenti, & lapidum pretiosorum. *op. Psalt. B.Virg. Psal.36.* Ex gratia enim Mariæ Virginis provenit nobis fructus panis, vini, olei, & mellis: Panis inquam, nos confortans contra defectus hujus vitæ: Vinum nos reducens ad perfectum statum: oleum illuminans intellectum, mel dulcorans affectum, *op. specul. B.Virg. lect.18.*

54. *Gladium evaginaverunt Iudæi in passione,& pertransierunt corpus Christi, simulque Animam Beatæ Virginis.*

Gladium evaginaverunt peccatores, ut dejiciant, & trucident pauperem, & inopem. Qui sunt isti impij gladium evaginantes? & contra quem pauperem diriguntur isti ictus? & si loquitur hic de Christo tormentis exposito, quomodò dicitur: gladium evaginaverunt Judæi? cum certum sit, Christum gladio non fuisse peremptum? sed verte mentem ad gladium, quem prædixit Simeon pertransiturum Animam Beatæ Virginis: nam ipsius Anima tot gladijs fuit transverberata, quot convitijs, blasphemijs, percussionibus, clavis fuit Christus afflictus: Gladius igitur pertransivit Animam Beatæ Virginis, quando vidit filium suum nudum in Cruce levatum, clavis perforatum, ac per omnia laceratum plagis, ac verberibus, & vulneribus: Sic sic est ô Beata Virgo: Ideò adjuva nos propter istos dolores, ut cor nostrum vulneretur gladio divini amoris, compunctionis,& compassionis. *op.specul.B.Virg lect.4. & op.offic.de compassione B.Virginis.*



PSALMUS XXXVII.

Titulus: Psalmus David in commemorationem de Sabbato.

1. PRIMÒ nota, quod iste est tertius psalmus pœnitentialis, in quo invitantur peccatores ad agendam pœnitentiam in commemorationem peccatorum, & præmiorum, quæ ex pœnitentia consequuntur.

2. *Furor Christi judicantis valdè timendus: quàm efficax ejus consideratio ad pœnitentiam excitandam.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Vide quomodò pœnitens considerans furorem Christi judicantis, iramque ejus, petit liberari ab isto furore, & indignatione: & nota, quod primò petit liberationem à furore arguente, & postea ab ira corripiente: per quod denotatur omnis furor, quo Deus pœnam infligit in peccatorem in hac, & in alia vita: nam maximus furor est, quo Deus in principio punit Animas: major est furor, quo Deus permittit hominem cadere de peccato in pœnam peccati præcedentis: & maxima ira, & indignatio, qua condemnat æternaliter, & punit in Inferno: Unde dicamus frequenter cum Psalmista: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira &c. *Psal. 37. & Glossa hic.*

3. *Iustus aqualiter timet peccatum sicut Inferni pœnas.*

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Nota, quod hic petit pœnitens liberari à furore,& ab ira Dei. Quis est furor,& ira Dei? Hic est casus in peccatum & in furorem: Unde vides, quod, qui rectè cognoscit malignitatem peccati, æqualiter timet à casu in peccatum, & in Infernum. *Psal.37.& 57.*

4. *Verbum Dei, & præsentia, vel memoria Christi est sagitta vulnerans cor, & ad pœnitentiam inducens.*

Quoniam sagitta tua infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Quæ sunt istæ sagittæ quibus transfixum est cor istius pœnitentis: sagittæ Dei sunt ipse Christus, ejusque divina verba emissa per ora Prædicatorum, per quas sagittas transfigitur cor peccatoris,& ad pœnitentiam inducitur. *Psal.37.*

5. *Qui sine Deo est, sine sanitate spirituali, & pace Anima est.*

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum. Nota, quod dicit esse sine sanitate à facie iræ Dei, & sine pace à facie peccatorum, quia qui est in peccato mortali, est sine Deo, & subjectus iræ Dei, & ob id in ipso non est sanitas: scilicet est nudus gratia, vulneratus in naturalibus: Item caret pace interna,& ideo vivit iste miser veluti in Inferno: quod maximè evenit ob peccata luxuriæ, quæ inficiunt Animam,& corpus. *op. In Pater noster, & In sap. c.16.* Et hinc ad medicum Christum recurrit, qui solus hanc infirmitatem potest curare.

6. *Qui infirmus est in Anima, numquam recipiet sanitatem, nisi ostendat vulnera medico spirituali.*

Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Sed quæ proportio est inter infirmitates carnis, tumoremque ossium cum peccatis? sed intellige hic pro carne totum hominem: nam cum Propheta à vulneribus peccatorum sentiret se vulneratum, & à febre multiplici vitiorum oppressum, ad medicum recurrit, ostendens ei vulnera sua,& partes leprosas: Numquam enim peccator medicamenta utilia, & salutifera recipies, nisi ostendas medico, scilicet Christo, & Confessario tua vulnera. *serm. 1. de S.Marco.*

7. *Christus seipsum exhibuit medicum, & medicinam, & reliquit sacramenta in Ecclesia, ut sanitatem nobis conferret omnium ægritudinum.*

Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis: scilicet ob maximum tremorem. Sed quid prætendis ô Propheta? Si infirmitate laboras recurre ad medicum. Confugit quidem ad medicum iste pœnitens: nempè ad Christum, qui seipsum etiam constituit nostrum medicamentum in Sacramentis Ecclesiæ, quæ sunt medicamenta efficacissima contra omnem morbum: tribuunt enim sanitatem Animæ, & disponunt ad gloriam. *l.4. sent.in prol.*

8. *Peccatum aufert usum rationis, onerat Animam, ipsamque vulnerat.*

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput, & sicut onus grave gravatæ sunt super me, putruerunt cicatrices meæ &c. Quid est hæc supergressio super caput? scilicet supra rationem:

Dat

Dat nobis intelligere pessimos effectus peccati mortalis, quod rationi aufert usum, onerat animam pondere gravissimo, & simul vulnera gravissima infligit. *In Ioan. coll.51.*

9. *Qui Christum à se abjicit, gravissimum onus suscipit, se submittens diabolo, & oneri peccati.*

Et sicut onus grave gravata sunt super me &c. Quodnam est hoc onus, ob quod Propheta clamat ad Deum? Ut det intelligere stultitiam peccatoris, qui jugum suave Christi à se abjiciens, in aliud gravissimum incidit, nempè diabolum sessorem suscipit, & onere gravissimo peccati oneratur, & ideò meritò dicitur equus, vel asinus diaboli, à quo ducitur ad infernum. *Serm.3. Dom. Palm.*

10. *Plura genera cicatricum animæ hic innuuntur.*

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Quæ sunt cicatrices istæ, nisi spirituales animæ contractæ per peccatum? Unde hic nota, quod alii sunt, qui habent vulnera hiantia: Alii, quibus remanserunt signa jam sanata: Alii, quibus non remanserunt nec vulnera, nec signa: primi sunt, qui in peccato permanent: secundi, quibus remissa est culpa, sed remansit reatus pœnæ: Tertii sunt, qui deletionem culpæ, & pœnæ receperunt *Psalm.37. & serm.2. Dom.9. post Pentecost.*

11. *Qui in consuetudine peccati vivunt habent vulnera putrida.*

Putruerunt cicatrices meæ &c. Vide, quod multi sunt, quibus putrida sunt vulnera animæ significata in quatriduano Lazaro, qui in consuetudine peccati voluntariè vivunt. *Psalm.37.*

12. Peccatum mortale fœtet naribus Dei: Unde dicit? *Putruerunt cicatrices meæ. Psal.37.* Tolerabilius enim fœtet putridus canis mortuus hominibus, quàm anima peccatrix Deo: ò miseria &c. *In Ioan. collat.53.*

13. *Peccatum scandali fœtet Deo, & proximo.*

Putruerunt &c. Sed quibus naribus? Naribus scilicet Dei, & proximi, & sui: Ista sunt peccata scandali, & detractionis. *Psalm.37. & in Ioan. collat.53.* Vide ergo, quod inter omnia peccata, scandalum est Deo abominabilius.

14. *Omne peccatum oritur ab insipientia.*

Putruerunt à facie insipientiæ meæ. Quomodò appellat seipsum insipientem, dum cum tanta advertentia ad Deum recurrit? Optimè dicit: quia in omni peccato concurrit tamquam radix insipientia, quia in omni peccato peccans deviat ab ipsa summa veritate, & incidit in errorem, intendens enim bonum, malum facit, & incidit in pessimum statum, sicque omnis peccans est insipiens. *l.2. d.42. dub.4.*

15. *Alii incurvantur Christo, alii diabolo.*

Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar. Quænam incurvatio est ista? Nota, quod potest intelligi in bonum, & in malum: Alii enim incurvantur diabolo peccando, in quibus diabolus residet: Istis diabolus dicit: incurvare, ut transeam: & isti veri miseri, & contristati semper vivunt: Alii in bonum, & sunt pœnitentes, in quorum persona dicit Propheta. *Miser factus sum, & curvatus sum,* scilicet me humiliando Deo; *tota die contristatus ingrediebar*, scilicet compunctus contritione. *Psalm.56. & serm.3. Dom. 3. post oct. Pascha, & Psal.118. v.81.*

16. *Peccata luxuriæ auferunt sanitatem corporis, & animæ, & afferunt immunditiam abominabilem.*

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, non est sanitas in carne mea afflictus sum & humiliatus sum nimis. Notanda sunt diligenter hæc verba, quibus explicantur pessimi effectus luxuriæ: Dicit igitur primò. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*, scilicet turpibus mulierum cogitationibus, & fœtidis affectibus: Undè sicut cum abundant mali humores, in corpore, generant in corpore scabiem quamdam, & lepram, quæ tollit munditiam corporis: sic istæ imaginationes malæ in corde generant mores corruptos inordinata desideria in carne, quæ animam, & corpus contaminant auferendo munditiam castitatis: Unde hæc infirmitas in corde generatur, & de corde redundat in corpore: & ideò dicit; *non est sanitas in carne mea, afflictus sum nimis, Domine ante te desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Serm.4. Dom.16. post Pentecost. In Luc. c.8. v.45. & cap.14. v.6.*

17. *Remedia luxuriæ hic proponuntur.*

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei: Domine ante te omne desiderium meum. Ecce quomodò vir pœnitens postquam proposuit qualitatem suæ infirmitatis luxuriæ, ad remedia recurrit, sciens, quod castitas generatur principaliter in corde, & de corde redundat in corpore: hinc dicit, *afflictus sum*, scilicet per carnis mortificationem, sine qua castitas fundari non potest, & quia carnis delectationes corrumpit, motus, & desideria carnis restringit: addit: *& humiliatus sum nimis*, per delectationis dejectionem: *rugiebam à gemitu cordis mei*, scilicet per doloris compunctionem, quia potest dicere: *Domine ante te omne desiderium meum*, per perfectam cordis ordinationem. *Serm.4. Dom.16. post Pentecost. & in Luc. cap.14. vers.17. Psalm.41. & 52. & 67. & 118. v.145. & op. de 7. Itin. æternit. Itiner.5. d.5.*

18. *Contritio debet ex cordis compunctione oriri.*

Rugiebam à gemitu cordis. Nota à gemitu cordis mei: quia vera pœnitentia à corde compuncto oritur, & exit in gemitus, & rugitus ad extra. *Op. de perfect. vita c.3. & in Luc. c.1. v.14. & c.17 v.13. Psal.45.*

19. Afflictiones hujus vitæ memorandæ, ut hæc

vita contemptui habeatur: Unde in perfona Ecclefiæ, & animarum dicit Propheta: *Afflictus fum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei &c. In Thren. cap.* 1.

20. *Peccatum reducit hominem in beftiam.*

Rugiebam à gemitu cordis mei. Quid eft rugiebam? Rugitus nonne eft vox propria beftiarum? ergone converfus eft in beftiam? Sed tamen per hoc dat intelligere effectus peccati: quia enim exiftens in peccato eft veluti coarctatus, & anguftiatus ficut beftia, ideò dicit, rugiebam à gemitu cordis mei, habens captivatam confcientiam. *In Pfal.* 1.8. *v.* 145.

21. *Modus orandi mentalis per actus defideriorum eft fublimis, & utiliffimus.*

Domine ante te omne defiderium meum & gemitus meus à te non eft abfconditus. Hoc dicebat vir juftus, dum ferventem orationem fuam Deo fundebat: fciebat enim, quod modus orandi mentalis eft fublimiffimus, & utiliffimus: hoc enim modo anima fola mente, & tacito ore fua defideria pandit Deo, & affectum cordis Deo effundit, & eum intus per amorem amplectitur, vel cum reverentia adorat, & tunc tantò latius in Deum fe diffundit, quantò plura valet affectus comprehendere quàm lingua exprimere, qui modus eft pius, fanctus, efficax, & fuper omnes utiliffimus. *Op. de perfect. religiof. l.* 2. *c.* 65. *& c.* 73. *& in Ioan. c.* 10. *v.* 15. Qui modus à Magdalena exercebatur, dum fedens ad Chrifti pedes, audiebat ipfum, & cum ipfo interius colloquebatur. *In fap. c.* 4.

22. *Tentatio qualis in viris fpiritualibus committitur potentiis animæ, ut viam virtutis deferant, & qualiter vincenda.*

Cor meum conturbatum eft, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum. Vide quare juftus ad Deum confugit in oratione, & tanta cordis intentione aperit ei fua defideria, & gemitus: quia cor ejus conturbatum eft, quia virtus eum dereliquerat, & lumen mentis: Hic autem innuitur triplex tentatio, qua Deus folet probare fuos: nempè in concupifcibili, irafcibili, & rationali potentia: prima tentatur per propofitionem delectabilium, ut alliciatur ad ipfa: fecunda per contraria, & afpera, ut terreatur: & tertia per falfa, & apparentia, ut decipiatur: & ideò in fimilibus tentationibus, debet anima ad Deum recurrere, & dicere eum Propheta: Cor meum conturbatum eft ficut aqua luto turbata: dereliquit me virtus mea, qua debui vero bono tenaciter adhærere, & lumen oculorum meorum, quo verum à falfo difcernere debui. *Op. de perfect. religiof. l.* 2. *c.* 5. *In Luc. c.* 5. *v.* 26.

23. *Luxuria paralyfim animæ & cæcitatem affert.*

Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum. Vide, quod ficut in paralyfi defectus virtutis naturalis debilitat membra; fic & jacens in peccato luxuriæ fignificato per paralyfim, deftituitur virtute in anima, & corpore, & excæcatur mente. *In Ioan. c.* 5. *v.* 8.

24. *Peccatum enervat virtutem corporis, & animæ, & excæcat mentem.*

Cor meum conturbatum eft in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum &c. Nota, quod in his verbis repræfentatur ftatus exiftentis in peccato, cujus cor conturbatum perpetuò eft, & deturpatum: cujus virtus deficit in anima, & in corpore, & advenit enervatio, fimul & excæcatio mentis. *In Ioan. collat.* 45. *& ferm.* 1. *in op. de decem præceptis, & Pfal.* 105.

25. *Pauci verè amici Chrifti: multi ficti, & veri inimici.*

Amici mei, & proximi mei adverfum me appropinquaverunt, & fteterunt, & qui juxta me erant, & vim faciebant &c. Videntur hæc verba continere contradictionem: quomodò Chriftus conqueritur de fuis amicis? Et fi funt amici, quomodò adverfus ipfum ftant, armantur, & quærunt perdere animam ejus? Ad litteram hoc dicitur de Judæis, qui erant populus Dei, qui ipfum confiterentur: myfticè loquitur de multis Chriftianis, qui ut tales videntur amici, & fequaces Chrifti: fed verè funt inimici, quia eorum amicitia fub nomine Chriftiano palliata, & fub pelle ovis animum lupinum gerit. *Serm.* 1. *de S. Bartholomæo.*

26. *Qui proximum perfequuntur, vel per fcandalum animas ad peccatum trahunt, funt amici ficti, veri inimici Chrifti.*

Amici, & proximi mei adverfum me fteterunt, & qui juxta &c. quærentes animam. Qui funt ifti amici, inimici, & adverfarii? funt ait Chriftus qui quærunt animam meam: Et ad quid quærūt hanc animam Chrifti, fi jam eft gloriofa in Cœlo? Sed recurre ad illa verba falvatoris, quando dixit Saulo: *Saule, Saule quid me perfequeris?* Cur dicit, perfequeris me, & non potiùs perfequeris difcipulos meos, meam Ecclefiam? optimè tamen: quia perfequens membra Chrifti, & trahens animam vel propriam, vel aliorum à Chrifto, perfequitur Chriftum: O quot fimiles perfequutores Ecclefiæ funt in mundo! & ideò de iftis conqueritur. Amici mei, fcilicet nomine, adverfum me fteterunt inimici re, quærentes animam meam. *Serm.* 1 *de fancto Bartholom. & ferm.* 3. *Dom.* 1. *poft oct. Pafcha. In Luc. c.* 10. *v.* 29.

27. *Patientia Chrifti expenditur in non refpondendo accufantibus eum.*

Locuti funt vanitates, & dolos &c. Ego autem tamquam furdus non audiebam, & ficut mutus non aperiens os fuum. Nota hæc dicta effe in perfona Chrifti, qui accufantibus eum in paffione nihil refpondit, ut nobis daret exemplum fummæ patientiæ. *In Thren. c.* 3. Sed dices: Cur non tunc aperuit veritatem, cum illi falfa objicerent? Hoc non fecit, ut non unum fcandalum deftruens, aliud faceret, nempè ut confunderentur ejus patientia mirabili: ut videas, quod aliqua veritas aliquando revelanda non eft ad evitandum majus malum. *In Ioan. c.* 6. *v.* 41.

28. *Christus in cruce exhibuit se ad nova flagella, & pœnas Patri.*

Quoniam ego in flagella paratus sum &c. Nota hæc verba dicuntur in persona Christi in cruce pendentis, quando dixit, *consummatum est: q.d.* Pater obedientiam, quam dedisti mihi perfectè complevi: adhuc etiam quidquid vis mihi filio tuo præcipe: paratus sum quidquid restat ulterius adimplere: ego enim in flagella paratus sum. *Op. medit. Vita Christi c.79.*

29. *Verus pœnitens numquam obliviscitur sui peccati.*

Sic verus pœnitens David post remissionem obtentam nos docet, dicens: *quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus renovatus est &c. iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Hoc enim exigit vera contritio. *In Luc. c.15.v.21. & op. de regimine animæ, & op. Diat. tit.2. cap.1.*

30. *Impii cogitant de rebus transitoriis, ut bruta: Justi de peccatis, ut doleant.*

Et cogitabo pro peccato meo. Ecce quid facit verus pœnitens: cogitat namque non de auro, ut avarus, non de cibo, ut gulosus, nec deluto ut lascivus, nec de vento ut superbus, nec de mendacio ut verbosus, sed de peccatis suis, ut doleat; hocque est negotium omnium negotiorum. *Op. Diat. tit.1. c.4.*

31. *Qui vult evitare judicium temerarium, vel murmurationem de proximo suo, ad sua peccata vertat mentem.*

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Nota, quod cum Propheta præmisisset multa mala impiorum, protestatur se velle annuntiare suas iniquitates, & cogitare de ipsis: Sed cuinam volt has anountiare? sibi ipsi: hoc enim est remedium efficax ad evitandum judicium temerarium de proximo, vel murmurationem: nempe ad seipsum vertere judicium, & sibi ipsi annuntiare propria peccata, &, de ipsis cogitare. *Op. Regul. Novit. c.12.* Et hoc ut annuntientur per confessionem, & cogitentur ad conscientiæ discussionem. *Psalm.118. cap.4. v.11. & cap.5. v.1.*

32. *Devotio aliquando oritur ex timore, & dolore: aliquando ex desiderio, vel ex devotione.*

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me: Intende in adjutorium &c. Sed quid times ò Propheta? Timesne te deserendum à Deo? Nonne tot beneficia, & signa amoris recepisti? &c. Sed attende, quod hæc postulat ex vera devotione, quam in Deum habebat; hæc enim oritur aliquando ex timore, & dolore ex consideratione peccatorum, ut hic patet: aliquando ex aliis motivis. *Op. de perfect. Religios. l.2. c.73.* Ex quo patet, quod talis devotio efficax est ad detinendum Deum apud se. *In Lucam c.4. v.42.*

33. *Pœnitens si vult indulgentiam peccatorum obtinere, & furorem Domini evitare confugiat ad Mariam Virginem.*

Domine ne in furore tuo arguas me &c. Verte te ò peccator ad Mariam, si vis hanc gratiam obtinere, quia ipsa est figurata Abigail, quæ placatum reddit Deum, & prohibet sua miseratione, ne irascatur Deus, & ulciscatur de nobis suis inimicis: Dic ergo fidenter Mariæ: Domina, ne in furore suo arguat me Dominus: Nobis veniam obtine de peccatis. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.37. & opusc. specul. B. Virg. lect.11. & 14.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

34. *Ad conspectum Virginis Mariæ offerenda sunt desideria nostra, & necessitates nostræ, quia ipsa subvenit omnibus ad eam recurrentibus.*

Dicamus ergo toto corde, & Deo, & Mariæ Virgini: Domina in conspectu tuo sit omne desiderium nostrum, spes nostra, & confidentia nostra: Cor meum conturbatum est in me: recedit lux de visceribus meis: Illumina splendore tuo cæcitatem meam: Dulcifica dulcore tuo contritionem meam: ne derelinquas me Domina mater Dei: gratia tua, & virtus sit à dextris meis. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm.37.* Maria autem est, quæ colligit omnes peccatores ab aliis sanctis derelictos, & ad pœnitentiam, & gratiam, & gloriam evehit. O quot damnati essent, si precibus Mariæ non collecti fuissent. *Op. specul. B. Virg. lect 5.*



PSALMUS XXXVIII.

Titulus: In finem, ipsi Idithun, Canticum David.

1. PRIMò nota, quod Idithun interpretatur transilieos, & est pro transilieote in finem, scilicet in Christum de hoc mundo, in quo noo est nisi labor, & afflictio; & ideò in hoc Psalmo invitatur quilibet fidelis ad transeundum de vitiis ad virtutes, à temporalibus ad æterna, ut intelligat quid faciendum, diligat, & operetur bonum. *Psalm.38. in titulo.*

2. *Qui vult transire de mundo ad Cœlum, debet custodire se totaliter in corde, in lingua, & actionibus.*

Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Nota hæc tria: *dixi: custodiam vias: & non delinquam in lingua mea:* & quia hic Psalmus dirigitur ad eos, qui cupiunt transire de mundo ad Deum, proponit custodiam trium habendam: Unde, *dixi*, scilicet in corde proposui: item, *custodiam vias meas*, quantum ad actiones, & addit, *ut non delinquam in lingua*, quantum ad verba. *Psal.38. & in Luc. c.17. v.11. Psal.118. c.3. v.7.*

3. *Qui vult cuſtodire mandata Dei, & cor à peccatis, refrænet linguam ſuam.*

Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Sed quæ connexio eſt inter linguæ cuſtodiam, & mandatorum Dei? Nonne ſunt alia peccata præter peccata linguæ? Sed ſic eſt, ait D. Jacobus. *Lingua maculat totum corpus: & qui in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Qui ergo vult ſe cuſtodire à macula peccati refrænet linguam ſuam. *Pſalm.* 38.

4. Linguæ uſus debet eſſe cum moderatione, & maxima cautela: Unde dicit Propheta. *Poſui ori meo cuſtodiam &c. Pſal.* 38. Attendant hoc viri ad perfectionem tendentes, maximè Religioſi.

5. *Humiliari coram Deo debemus in hac vita corde, ore, & opere.*

Dixi cuſtodiam vias meas &c. obmutui, & humiliatus ſum &c. & ſilui à bonis. Vide ad quid terminat cuſtodia cordis, operis, & oris: nempè ut in hoc tranſitu humiliemur corde per contritionem, opere per actiones humilitatis, & ore etiam aliquando ſilendo ex humilitate à bonis. *Serm.* 3. *Dom* 6. *poſt Pentecoſt. & Pſal.* 38. *c* 7. *v* 11.

6. *Silentium eſt fons humilitatis, & devotionis, & contritionis.*

Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renovatus eſt. Nota, quod poſt ſilentium ſubdit humiliationem, & deinde denuò refricat ſilentium, dicens, *& ſilui à bonis &c.* Et hinc ortus eſt dolor: Cur hoc? Cur humiliationem in medio ſilentii reſtringit? Et deinde quomodò ex ſilentio ortus eſt novus dolor, & non potius lætitia? Sed attende, quod in his verbis exponitur nobis virtus ſilentii, daturque intelligi, quod ſilentium eſt fons humilitatis, & devotionis, & compunctionis cordis: nam homo cum tacet, cogitat vias ſuas, & locum habet cogitandi, quàm multiplex ſit ſuus defectus, & ex hoc ſurgit compunctio: conſervat item juſtitiam cum Deo, & pacem cum proximo, & hominem cœleſtem demonſtrat: nam qui de terra eſt. de terra loquitur: qui de Cœlo eſt, de Cœlo tantùm loquitur: Videant hoc Religioſi quam ſit neceſſarium ſilentium in Religione. *Op. de perfect. vita, c* 4. *Pſal.* 38. *&* 118. *c.* 7. *v.* 11. Videant inquam, quod cuſtodia linguæ, & ſilentium eſt principium, medium, & conſummatio perfectionis.

7. *Alii ſilent à bonis, alii à malis.*

Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renovatus eſt &c. Quid eſt ſilere à bonis? ergone Propheta omiſit loqui bona? Sed attende myſterium: nam alii ſilent à bonis: alii à malis: ſilent à malis, ſcilicet benè operando, ſicut Angeli boni in Cœlo, quia numquam malè fecerunt: Alii à bono, ut fecit Adam peccando, qui cum teneretur Deum laudare, gratias ei agere, fugere tranſgreſſiones præceptorum Dei, hæc omnia ignorans omiſit, ſilens à bonis, & loquens in malis: ſic & Lucifer ſiluit à bonis, & rupit ſilentium in malis, dicens. *Aſcendam in Cœlum &c.* Alii verò ſunt, qui ſilent non à bonis, ſed in bonis, ſcilicet permanentes, & perſeverantes in bono propoſito, & operibus, & malum fugientes, & vitantes: Ex quibus patet, quod eſt ſilentium bonum, & malum. *Pſal.* 38.

8. *Silere in bonis, quando eſt tempus loquendi, malum eſt: Et hoc maximè in Prædicatoribus, & correctoribus, tum in confeſſione peccatorum, tum in laudibus Dei.*

Obmutui, & ſilui à bonis, & dolor meus renovatus eſt. Vide quomodò etiam dolet iſte juſtus, quod ſiluerit à bonis, ſcilicet verbis, quia malum eſt ſilere, quando tempus eſt loquendi, ut patet in Prædicatoribus, & iis, quorum munus eſt corrigere alios: Nam aliquando diabolus ligat multorum linguam per vitioſum ſilentium, ne miſer homo per confeſſionem, orationem, laudationem Dei, & prædicationem verbi Dei vincula iſta ſolvant. *Serm.* 3. *Dom.* 11. *poſt Pentecoſt.*

9. *Sancta, & pura meditatio in laudibus Dei accendit ignem ſpiritualem in corde.*

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Nota illud verbum, (*concaluit*:) Cur non dicit caluit ſed concaluit? ly, (*con*,) importat concordiam plurium: Ad quænam igitur alludit ſanctus Propheta? Sed jam ſupra dixerat, ſe corde, & ore cuſtodire vias ſuas: ergo importat concordiam mentis, & oris: & hinc addit, *concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea*, ut ſignificet fructus uberes piæ meditationis: nempe, quod in laudibus promptè, libenter, & cum addita meditatione charitatem ferventem in corde ſcotiebat. *Pſal.* 38.

10. *Meditatio pura, & intima accendit, & conſervat ignem ſpiritualem in corde.*

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Nota, quod prius fatetur habere cor fervidum, & deinde ex meditatione exardeſcentem ignem in ipſo corde: ut daret intelligi, quod ſervus Dei habens cor fervens, & mundum, ſi vult, ut talis fervor non ſolùm conſervetur, ſed & augeatur, debet illud accendere, conſervare, & augere piis, & ſanctis meditationibus: Meditatio enim de Deo, & divinis myſteriis fert ſecum ignem diſſipantem omnem accidiam, perplexitatem, anxietatem, timorem, mæſtitiam, & accendit cor amore Dei. *Op. meditat. vita Chriſti c.* 92. *ſerm.* 1. *de S. Laur. op. de dono ſap. c.* 6. *in Luc. c.* 12. *v.* 19. *In Pſal.* 118. *c.* 9. *v.* 15.

11. *Idem de meditatione contemplationis, & amore Dei.*

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Nota, quod primò ſupponitur in corde ignis calens, & deinde dicit adveniſſe ignem exardeſcentem: Ignis autem iſte, de quo loquitur ſanctus Propheta eſt vehemens divini caloris, vel amoris fervor ex camino ſuperſplendentis Hieruſalem flabellatus: calor hujus ignis animam orantem ſubitò irradiat valde perlucido ſplendore, ignit, & accendit motus, affectioneſque voluntatis, concremans malos motus, eoſque exſufflans, teporem inflammans, & torporem expergiſci faciens, & tunc medita

meditatione perseverante, Deus concurrit augens hunc ignem, & exardere faciens animam, & quò ampliùs subministratur materia accendendi cor per orationem, eò majus redditur incendium. O felix, qui pedem figit super hunc gradum! *Op. de septem grad. contemplat.*

12. ***Non sufficit servo Dei recta intentio in Deum tendendi, nisi meditatio pia, & pura consequatur.***

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione exardescet ignis. Nota, quod hic duo proponit sanctus Propheta: primum concaluit cor meum intra me, per quod indicat, se direxisse suam intentionem in Deum: nam, ly, (*intra me*,) importat actum rationis, scilicet voluntatis, & intellectus, qui exercetur amore boni, & cognitione veri: Secundum est, *in meditatione mea exardescet ignis*, sciens, quod meditatio est necessaria: intentio enim ad cognitionem veri illuminat, & desiderium amoris inflammat: sicque intentio meditationem in finem intentum dirigit: & meditatio viam ad summa, & æterna pandit, & disponit providè quæ sunt necessaria. *Op. de septem itin. atern. Itin. 2. d. 1. & 7.*

13. ***Regula observanda proponitur primò intrantibus in statum via unitiva, & supereminentis.***

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Ergone semper sistendum est in meditationibus? Nonne superest ascensus ad viam unitivam, in qua ablata solicitudine meditationum per amorem fertur anima immediatè in Deum? Sed attende, quod hic datur regula observanda in principio a tyronibus transeuntibus à via illuminativa ad unitivam.: Cum enim meditatio mysteriorum Dei sit exercitium viæ illuminativæ proprium; hinc primò proponitur hæc meditatio, & deinde ignis exardescens viæ unitivæ, docens sanctus Propheta, quod talibus tyronibus primò est necessarium, ut aliquantulum meditentur mysteria divina, ut per cogitationem præviam paulatim anima incipiat scintillando affici in illum, in quem in via unitiva sine omni cognitione concomitante, vel prævia, quotiescumque vult sine obstaculo sursum elevetur: Unde his proponitur meditatio, sed tamen tamquam adjuvans ad fabricam spiritualem elevationis per amorem exardescentem in Deum, & tunc abscissa omni meditatione anima debet in statu amoris ferventis permanere. *Op. mystic. Theol. c. 3. p. 3. & ibid q. unica ad prim.*

14. *Lingua alia Dei; alia diaboli.*

Locutus sum in lingua mea. Cur dicit in lingua mea? ergone potest quis loqui lingua aliena? Sed optimè dicit. Nota, quod supra dixerat, se linguam suam dedicasse Deo, ut non derelinqueret, sed solùm ea uteretur ad Deum laudandum: Nunc dicit se loqui sua lingua, scilicet Dei, non lingua diaboli: Et quæ est lingua hæc Dei, & diaboli? Lingua Dei est, quæ loquitur, & se exercet in orando, docendo, confitendo, & alia utilia promendo, & tunc Spiritus sanctus est, qui eam movet, & per illam loquitur: lingua diaboli est, quæ adhibetur in turpiloquio, in vanitatibus, & inutilibus, & tunc est spiritus infernalis, qui per eam loquitur: & quia lingua Dei inservit ad inflammandum, vel conservandum ignem amoris Dei: hinc dicit. *Locutus sum in lingua mea*, scilicet Dei. *Serm. 1. & 2. Dom. 11. post Pentecost. & ser. 2. de S. Laurent. & ser. 11. in Pentecost.*

15. ***Ad confessionem peccatorum excitatur anima consideratione mortis.***

Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi diem meum, & numerum annorum meorum Nota ordinem verborum: primò dicit, se locutum fuisse in lingua sua: deinde petit scire diem suum. Quis est iste dies suus? Resp. Diem nostrum esse diem mortis, qui est terminus annorum, vel etiam vita hæc mortalis, quæ nomine unius diei exprimitur ob brevitatem: ideò ad memoriam revocans suam futuram mortem brevi tempore, hinc dicit, se locutum fuisse in lingua sua, scilicet propalando peccata sua in confessione: hinc petit scire numerum dierum, quibus in hac vita vivet, ut possit dignè satisfacere Deo pro peccatis commissis, & confessis: & per hoc datur intelligi, quod ad pœnitentiam, & confessionem peccatorum facilè inducitur, qui suæ mortis memoriam retinet. *Serm. 2. Dom. 11. post Pentecost.*

16. ***Vita nostra præsens incerta, brevis, & mala.***

Notum fac mihi finem meum &c. Ecce mensurabiles &c. & substantia mea &c. In his verbis miserias vitæ nostræ præsentis innuit: nempe quia incerta est ejus brevitas, & longitudo, & dies mortis: Unde dicit, *notum fac mihi finem meum*: quia brevis, dicit: *Mensurabiles dies meos*: quia mala, dicit: *substantia mea tamquam nihilum ante te. Psal. 38. & 538.*

17. ***Vita nostra vanissima, & velati ens metaphisicum.***

Et substantia tamquam nihilum ante te. Quomodò tamquam nihilum est substantia? nonne est verè substantia physica, vera, & realis? Sed recurre ad Philosophum, qui duas substantias recognoscit, scilicet primam, & secundam: prima consistit in ente substantiali physico singulari: Secunda est ens metaphisicum abstractum: prima subsistit in se: Secunda subsistit in prima: Hinc sanctus Propheta cognoscens, Deum esse hanc substantiam primam, à qua omnis creatura veluti substantia secunda dependet: Deus enim est prima substantia, quia dignitate, immutabilitate, immortalitate est una simplex, & stabilis: Nostra autem est veluti ens metaphisicum, abstracta ab istis perfectionibus Dei, caduca, brevis, instabilis, & vana: & ideò subdit. *Universa vanitas omnis homo vivens*: scilicet vanitas de nihilo veniens, & veluti in nihilum transiens. *Psal. 38. & in Eccles. proam. & cap. prim.*

18. *Quomodò homo dicitur univerſa vanitas ſecundum eſſe naturale.*

Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens. Quomodo homo dicitur univerſa vanitas? Vanitas eſt purum nihil, & homo eſt aliquid? Item de nihilo non datur ſcientia, de homine datur, ergo non eſt univerſa vanitas: præterea, ſi adſit aliqua vanitas permixta in homine, non poteſt tamen dici univerſa vanitas? ſ.d Reſpondetur quod optimè, & veriſſimè dicitur homo univerſa vanitas, tum ratione principij, quia eſt de nihilo: tum quia de ſe tendit in nihil ratione ſuæ vanitatis, & de facto evaneſceret, ſi Deus ſua pijſſima miſericordia ipſum continuè non conſervaret, quod fit per quandam veluti novam creationem continuatam: hinc optimè dicitur univerſa vanitas. *Eccleſ proœm & c.1.*

19. *Homo ſecundùm eſſe morale, ſcilicet malè, & non ſecundum Deum vivens eſt univerſa vanitas.*

Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens. Cor additur vivens? cur homo vivens, & non potius homo mortuus dicitur vanitas? Sed attende ad myſterium verborum: dicitur homo vivens, ſcilicet vivens ut homo, & ſecundùm hominem, non ſecundùm Deum: Dicitur vanitas univerſa, ſcilicet vanitas culpæ, & vanitas pœnæ: Vanitas culpæ, ſcilicet ſuperbiæ, quæ reddit hominem infructuoſum: avaritiæ, quæ ipſum reddit negotioſum, & multis laboribus ſubjectum: luxuriæ, quæ reddit hominem marcidum, & variæ ſapientiæ, quæ reddit vaniloquum: Vanitas pœnæ, quia ſubjicitur infinitis pœnalitatibus, & defectibus. *In Eccleſ. proœm. & c.1. & op. de perfect. Religioſ. l.1 c.37.* Vide igitur ad quas miſerias redigit peccatum.

20. *Homo non vivens ſecundùm Deum in imaginem pertranſit, tamquam ſomnians.*

Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens: in imaginem pertranſit homo &c. Quid eſt pertranſire in imaginem? Ergone in umbram, & picturam, vel in perſonatam rem pertranſit? Nota, quod dicitur omnis homo vivens, ſcilicet non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm inclinationes malas hujus humanitatis corruptæ: Iſte dicitur pertranſire in imaginem. ſcilicet ad modum ſomniantis, qui ſomniatur divitias, delicias, honores, & expergiſcens, videns hæc fuiſſe ſomnia triſtatur: ſic multi in mundo imaginantur, & inhiant ad læta, ad divitias, delicias &c. Sed in fine pertranſeunt in imaginem deluſi vana imaginatione, & in triſtitiam cadunt. *opuſc. de perfect. Religioſ. l.1.c.37.*

21. *Homo vivens in peccato, & non ſecundùm Deum, in imaginem pertranſit, ſpoliatus ſimilitudine Dei.*

Verumtamen in imaginem pertranſit homo. Nota, quod etiam poteſt dici, quod homo vivens non ſecundùm Deum, ſed in peccato, in imaginem pertranſit, nempè ſpoliatus remanet ſimilitudine, & gratia Dei; remanet cum ſola imagine Trinitatis communi ſtatui naturali omnium hominum. *Luc. cap. 10. verſic. 37. Pſal. 118. verſ. 71.*

22. Anima tranſiens ad Cœlum, in imaginem pertranſit. Nempè deperditur eſſe hominis, remanet ſpoliata unione cum corpore, pertranſit in imaginem, nempè cum ſolis poteotijs beatis; ſed cum inclinatione naturali ad corpus, quod reliquit in terra. *op. de dono ſap. c.8.*

23. *In Deo ſolo ſpes eſt collocanda, non in homine, qui eſt vanitas.*

Univerſa vanitas omnis homo vivens &c. Cur vanitas? quia in ſe ſubſiſtit, quia vera firmitas eſt ſolùm in Deo, qui ſolùm in ſe eſt ſubſiſtens, & à quo omnis creatura ſubſiſtere poteſt: ideò ſpes non in homine, ſed in ſolo Deo eſt collocanda, alioquin in vanitate te fidens, eadem in foveam cum ipſo. *ferm. 1. de uno Confeſſ. & ferm. 1. de plurib. Confeſſor.*

24. *Vanitas avari theſaurizantis aliis expenditur.*

Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea &c. Ecce alia vanitas hominis, qui in avaritiæ cœno volutans, non ceſſat laborare, ut theſaurizet, neſciens cui laborat: & quod eſt dignum conſideratione, ſæpe theſaurizat ei, quem in vita ſua odit. *ferm. 2. de Invent S. Crucis: & in Eccleſ c.4. In Luc. c.12. v.21.*

25. *Iuſtus corde deſerens omnia, in ſolum Deum figit ſuam expectationem.*

Et nunc quæ eſt expectatio mea Nota, quod poſtquam vanitates ſtultorum Propheta expreſſit, ſe profitetur in ſolum Deum omnem ſuam ſpem collocaſſe, dicens: quæ eſt expectatio, ſcilicet finis, & objectum unicum meatum affectionum? Nonne Dominus, ſcilicet Chriſtus, qui eſt ſuper omnia, ſcilicet loco, potentia, dignitate, & ſufficientia, cum ſit omne bonum. *Pſal. 1. 8.*

26. Contra detrahentes, & perſequentes non aperit os ſuum juſtus, ſed totum in Deum refert: ſic dicebat Propheta: *obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti. Pſal. 118. c.9. v.3.* Hinc omnia mala à creaturis illata, Deo vel permittente, vel efficiente, ea recognoſcit, dicens: obmutui, quoniam tu feciſti. *Pſal. 118. c.9. v.3.*

27. *Ad Deum confugere debet homo in tribulationibus, ut eas auferat, vel ut patientiam conferat.*

Obmutui &c. Amove à me plagas tuas. Nota hæ plagæ Dei ſunt acerbiſſimæ tribulationes, quas Deus in nos immittit, in quibus homo debet ad Deum recurrere, vel ut eas auferat, ne fiot cauſa impatientiæ, & divinæ offenſæ, vel ut patientiam tribuat. *In Luc. c.7. v.21. & Pſal 118. c.1. v.13.* Hinc diſcat homo, qualem orationem in tribulationibus ad Deum debeat fundere: nempè, ut liberetur ab ijs, vel ut patientia ditetur, & armetur: & hinc talis oratio debet eſſe conditionata, ſcilicet cum conformitate ad divinam voluntatem,

28. *Caveat vir justus ab impatientia, quæ affert secum diffidentiam de Dei auxilio.*

A fortitudine ego defeci in increpationibus, & tabescere &c. Nota, quod hic loquitur Propheta in persona viri oppressi à tribulationibus, propter quas incidit in impatientiam ortam ex diffidentia de Dei auxilio, & hoc ut quisque nostrum maximè ab ipsa caveat: est enim valdè periculosa tentatio,& verè maxima *Psal. 118. c. 1. v. 1. & op. de perfect. religios. l. 1. c. 1. & 3. & Psal. 118. c. 10. v. 14.*

29. *Paupertas facit homines peregrinos.*

Ne sileas, quoniam advena sum, & peregrinus filius unicus matris meæ &c. Quomodò se dicit Propheta advenam, & peregrinum, & filium unicum matris suæ cum regnaret in Judæa, & haberet alios fratres? Sed nota, quod hoc dicebat in persona Christi, & veri Religiosi profitentis paupertatem: Christus enim pauperrimus fuit filius unicus matris Mariæ, & vixit ut peregrinus. Idem debet dicere quilibet Religiosus, qui vovit paupertatem. nam paupertas facit homines esse peregrinos: Peregrinus enim liberè, & voluntariè, perseveranter,& humiliter relinquit patriam: sic qui vovit paupertatem. *Serm. 3. Dom. infrà oct. Epiph.*

30. *Peregrini,& hospites sumus in hac vita.*

Quoniam advena, & peregrinus apud te, sicut omnes Patres nostri. O quàm benè dicit! nam omnes sumus in hac vita hospites, & peregrini quasi in aliena domo, quia hic non permanentem civitatem, vel domum habemus. *Sap. c. 5. & Thren. c. 4. & in Psal. 119.*

31. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

Homo excitare debet seipsum ad custodiam mandatorum Dei, & ad transeundum per istas tribulationes ad Cœlum, & in hac vita, de vitiis ad virtutes, confidendo in auxilio, & protectione Beatæ Mariæ, quia solùm per Christi gratiam potest fieri iste transitus, & quia hæc solum habetur per Mariam Virginem, ideò ad ipsam recurramus totis præcordiis, dicendo: Dixi, idest deliberavi custodire vias meas ò Domina Virgo; eum per te gratia Christi mihi sit data: exaudi orationem meam, & contabescant inimici mei; miserere mei de Cœlis, & ne permittas me in valle miseriæ conturbari. *Op. Psalt. Beatæ Virg. Psal. 38.*

32. *Ex meditatione virtutum, & vitæ Beatæ Mariæ Virginis concalescit cor, & exardescit ignis amoris Dei.*

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Nota, (*in meditatione,*) &c. quia sicut ex mysteriorum nostræ fidei meditatione augescit ignis, & exardescit cor amore Dei, ergo ex meditatione magnalium Beatæ Virginis Mariæ dulcore ejus liquefit cor nostrum, & amore ejus inflammantur viscera nostra. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 38.*

33. *Maria nobis præbuit exemplum custodiendi linguam,& observandi silentium.*

Obmutui, & silui à bonis &c. dixi &c. Nota, hic agere Prophetam de custoditione linguæ, & de silentio servando: Sed quis umquam fuit magis cautus in hoc ipsa Virgine Maria? discant igitur Religiosi, & maximè Virgines Deo dicatæ, à Maria Virgine, silentii disciplinam: nam legitur in Evangelio, quod cum Angelo solùm duo verba: cum filio suo duo, cum Elisabeth duo, & cum ministris in nuptiis unum. In hoc confundatur nostra loquacitas, ad quam sumus tam proni,& prompti. *Op. de perfect. vitæ c. 4.*



PSALMUS XXXIX.

Titulus: In finem Psalmus David ipsi.

1. PRIMò nota, quod hic Psalmus dirigitur in Christum, ut in finem consummantem nostram expectationem: sicut enim expectatus fuit Christus ut in hunc mundum veniret, & operaretur mirabilia in salutem humani generis; sic & nos invitamur ad expectandum ipsum in hac vita per justitiam, & gratiam, & in gloria per beatitudinem.

2. *Alii benè expectantes expectant: Alii malè expectant non expectantes.*

Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. Cur fit hæc repetitio? quinam sunt, qui expectant expectantes? sunt illi, qui expectant gratiam à Christo, & perseverant desiderando, & precando: Illi verò, qui non perseverant, expectant quidem, sed non sunt permanenter expectantes: Illi exaudiuntur à Deo: Isti nequaquam: primi expectant Dominum in præsenti, & expectantur à Christo, ut eos coronet in gloria: secundi expectaor, sed non expectantur à Christo. *Psal. 39. & 65. & 69.*

3. *Mundus iste est lacus miseriæ, & fæcis, à quo educit Deus animam, cum ad Cœlum vocat.*

Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, &c. Nota hoc dicitur in persona animæ quæ à Deo ad Cœlum vocatur de hoc mundo, qui est lacus miseriæ, & lutum fæcis, scilicet peccatorum. *Serm. 2. Dom. 1. post oct. Paschæ. In Thren. cap. 3.*

4. *Qui vult à Deo educi de lacu miseriæ, & peccati, debet levare oculos, os, & manus oculis, ore, & manibus Christi.*

Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Cur exauditus fuisti, & quomodò fuisti extractus de isto lacu? quia expectans expectavi Dominum, respondet sanctus Propheta: sed quomodò, quo situ, quibus actibus expectasti? expectans expectavit: totus, scilicet ore, oculis, & manibus ad Christum humiliter conversis: sicque & ipse in-

tendit mihi os suum verbis inspirationum, oculos suæ illuminationis, & manus gratiæ: Ista sunt necessaria, ad hoc ut anima liberetur de lacu miseriæ, & de luto fæcis: Unde rectè subdit: *& statuit supra petram pedes meos, & immisit in os meum canticum novum. Psalm. 122.*

5. *Qui educitur à Deo de lacu miseriæ, deducitur etiam ad statum perfectum, & statuitur stabiliter super petram.*

Eduxit me de lacu miseriæ, & statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum novum. Vide quot bona subsecuta sunt, & quot beneficia contulit Deus viro justo ex eo, quod expectans expectavit Dominum: quia cum expectans expectabat auxilium à Domino, quia ipsum rogavit perseverantèr pro liberatione à lacu miseriæ, & à statu peccati: Ecce quid fecit secum, & quid facit nobiscum continuè: nam non solùm extendit manus, oculos, & os suum ad peccatorem expectantem, & invocantem, sed eductum deduxit, deducendo conducit, & conducendo inducit super petram, scilicet in viam veritatis. Nota etiam, quod in his verbis indicatur progressus gratiæ in servitio Dei, nempè gratia incipiens: Unde eduxit me de lacu miseriæ: secundò gratia perficiens: Unde direxit gressus meos: Tertiò gratia proficiens: Unde immisit in os meum canticum novum. *Psal. 39. & Psal. 118. v. 125.*

6. *Felix, qui educitur de luto fæcis.*

Eduxit me de luto fæcis. Nota hæc duo, lutum, & fæcem: lutum significat luxuriam, & fæx amorem terrenum: Sed Christus volens liberare hominem fecit lutum ex sputo, scilicet ex carne, & sapientia Patris: nosque liberavit. *Psal. 39.*

7. *Fides stabilem reddit animam in obsequio Dei.*

Et statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos. Ecce quid facit Deus cum suis servis: nam post eductionem de lacu miseriæ, postquam ipsum inter servos suos adnumeravit: eumdem statuit super petram, scilicet solidavit in petra fidei, ut per tale exercitium confirmaretur in bono, & fortis esset contra omnes ictus adversarii. *Serm. 5 in Cœna Domini*: Ex quibus vide, quod per exercitium fidei practicæ solùm potest anima proficere in Dei servitio.

8. *Justus in via Dei progreditur non retrò aspiciens: Tepidus retrogreditur.*

Et direxit gressus meos. Quid est direxit gressus meos? quo direxit? Direxit quidem Deus gressus hujus justi, ut tendens ad perfectionem semper progrederetur, nec retrò respiceret, quia hæc est obligatio stricta Religiosorum, & ideò tepidi non progrediuntur, sed retrogrediuntur. Hoc intendit docere Ecclesia in missa, dum sacerdos, postquam apposuit manum ad calicem, non amplius se convertit ad populum: Ut detur intelligi, quod mittens manum ad aratrum, & retrò respiciens, non est aptus Regno Dei. *Psal. 39.*

Ritus Ecclesiastici.

9. *Serviens Domino debet habere omnia nova.*

Et immisit in os meum canticum novum. Quodnam est hoc canticum novum? Nota, quod Deus sicut à suis exigit canticum novum, sic & cætera omnia nova; in ore canticum novum; in actibus vestem novam, & albam: nempè vult ut ipsum laudent in novitate vitæ, & exercitio continuo virtutum: In hujus veritatis signum summus Pontifex semper equitat in equis albis, & tectis pannis sericis, sicut & Cardinales habent equos rectos albis pannis. *Psal. 39.*

10. *Beatitudo Justi in quibus consistit: Et item beatitudo falsa mundi.*

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias falsas. Nota, quod in his verbis exprimit in quonam consistat beatitudo vera justorum, & consequenter in quonam beatitudo falsa mundi: quia enim beatitudo est primum appetibile: & hoc vel est æternum, vel temporale, hinc in nobis duplicem amorem generat, scilicet charitatis, & libidinis, concupiscentiæque, & quia amor charitatis continet convenientiam morum cum legibus æternis, & amor libidinis disconvenientiam: hinc etiam duplex fundamentum duplicis civitatis, scilicet Hierusalem, & Babylonis: In prima erigitur anima ad æterna, in æternis quiescit, & in eis beatitudinem ponit, despiciendo terrena, & caduca: In secunda anima per libidinem deprimitur ad terrena, & in his beatitudinem ponit: & hinc etiam oritur duplex beatitudo: Vera, & falsa, & utraque ante oculos cujusque ponitur: prima à Deo: secunda à diabolo: Hic verò sanctus Propheta nos dirigit ad veram beatitudinem, dicens. *Beatus vir cujus est nomen &c.* duoque nobis ostendens facienda necessaria ad beatitudinem veram consequendam, scilicet æterna bona diligendo, in solo Deo spem suam figere, & temporalia bona contemnere, quæ sunt vanitates, & insaniæ falsæ: E contra diabolus incitat ad contemnendum æterna, & ad diligendum has vanitates, & insanias falsas. *In Eccles. proœm.*

11. *Beatitudo justorum in hac vita stat in fidei, & spei, & charitatis firmitate.*

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates &c. Nota, quod sanctus Propheta intendit ostendere beatitudinem justorum in hac vita: postquam enim introduxit firmitatem fidei (*& statuit super petram pedes meos*) hic introducit spem, & charitatem, dicens. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates,* scilicet per dilectionem Dei: quia in provisione harum trium virtutum consistit beatitudo justorum. *In Luc. c. 1. v. 45. & in Eccles. proœm.*

12. *Mundani insani, & fatui: Justi sapientes, & prudentes.*

Et non respexit in vanitates, & insanias falsas, Ergone qui Deo non serviunt insani erunt: maximè: Vide hic discrimen inter Deo servientes, & mundo, & Diabolo: nam qui serviunt Deo, verè

verè sapientes sunt, quia verum, & bonum cognoscunt, & sectantur, & quod falsum est, & malum respuunt, quia in solo Deo, & æternis bonis suam spem collocant: Totos se dedicantes, mundo, carni, & Diabolo, & isti insani sunt, & stulti. *In sap c.14. & In Eccles. proœm.*

13. *Reprobi sunt supra numerum à Deo præfixum, & à Deo non computati inter suos.*

Multa fecisti tu Domine Deus mirabilia tua, & cogitationibus tuis, non est qui similis sit tibi: Annuntiavi, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Ingerunt gravem difficultatem hæc verba sancti Prophetæ, in quibus protestatur se in admirationem elevatum ob judicia Dei mirabilia, & deinde dicit, se annuntiasse auditoribus hæc mirabilia, sed inde consequutam fuisse multiplicationem hominum super numerum: quem numerum? nonne apud Deum est numerus certus hominum omnium, & Angelorum? maximè: Sed nota, quod hic loquitur de numero prædestinatorum, & dicit, quod reprobi multiplicati sunt supra hunc numerum. Quomodò supra numerum? quia reprobi sunt ex abundanti, nec sunt in computatione, & veluti extra numerum libri suæ misericordiæ. *l.1.d.46.a.1.q 6. & in fine corp.* Quasi dicat: Reprobi quidem sunt multi, & apud mundum in magna æstimatione, & in hac vita cum electis degentes, sed tamen apud Deum nihil æstimantur, & reputati, ac si nihil essent, & veluti peripsema, & stercus à suorum numero rejecti.

14. *Obedientia est Deo super omnia gratissimum sacrificium.*

Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi Quid est hoc, quod dicit Propheta? nonne multa sacrificia præcepit Deus in lege veteri? Et quid est, *aures autem perfecisti mihi.* Nota, quod per aures perfectas intelligitur obedientia: hanc vult Deus à nobis ut sacrificium omnium charissimum: Vult quidem sacrificia, sed quod sint condita virtute obedientiæ: & ideò obedientia melior est, quàm victimæ, quia per obedientiam mactatur voluntas propria; in victima caro aliena. *In Eccles. c.4. in fine, & serm.1. Dom.11. post Pentec.*

15. *Oblatio à Christo de seipso ex obedientia Patri facta omnes alias præcellit: & nobis sola salutem contulit.*

Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi, tunc dixi, ecce venio &c. Nota, quod Apostolus Paulus pro aure posuit corpus, dicens, *corpus autem aptasti mihi: ad Hebr.10.* & optimè stat, quia Christus ex obedientia significata in auribus, corpus assumpsit, dicens, ecce venio, & ex obedientia Deo Patri obtulit: quia oblationes aliorum non erant efficaces ad satisfaciendum Deo offenso: & hinc obedientissimus filius se promptè obtulit ad Crucem, & mortem pro nobis. *l.4. sent. in prol. & op. medit. Vita Christi c.75.*

16. *Christus adimplevit perfectè Voluntatem Patris: & ideò nihil aliud præter obedientiæ actum legitur in libro vitæ ejus.*

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei &c. Nota, hæc dicta esse à Christo Jesu, ut nobis intelligentiam daret, in quonam consistit vera perfectio, nempè in adimpletione divinæ Voluntatis: dicit ergo: *Deus meus volui*: quid, & quomodo? Nota volui, scilicet quo voluisti, & quid voluisti, & quod voluisti me velle quo volui: quia voluit facere, quod Pater voluit, & hoc idcircò voluit, quia Pater hoc velle ipsum voluit, & ideò ejus mandatum fuit redemptio mundi: Vide igitur qualis perfectio fuit obedientiæ Christi exhibitæ Patri, & quid nos facere debemus pro adimplenda ejusdem Voluntate. *In Psal. 118. c.5. v.3. & In Ioan. c.14. v.10. & l.3. d.17. op. q.2. & 3. op. medit. vita Christi, c.75.* Hinc nota, quod sequitur. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Quid est hoc, quod est scriptum in capite libri? nihil aliud, nisi obedientia: hæc legitur in capite, & in principio vitæ Christi, & omnium suorum operum usque ad mortem.

17. *Christus est liber nobis expositus scriptus intus, & foris, in quo semper legere debemus.*

In capite libri scriptum est de me. Cujusnam libri? & à quo scriptus est? Nota, quod iste liber est Christus: in quo Verbum Patris pelli humanitatis unitum est, & in ligno Crucis est extensa: In hoc libro Spiritus Sancti calamus scripsit velociter: nempè intus sapientiam, & foris exempla: hic liber exponitur, ut semper à nobis legatur. *serm.3. Dom.2. Adventus.*

18. *Prædicationis Christi qualitas expenditur.*

Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti: Iustitiam tuam non abscondi, veritatem tuam, & salutare tuum dixi, non abscondi misericordiam tuam &c. Sed quando hæc fecit Rex David? fuitne concionator populorum? Sed nota, hæc dicta esse in persona Christi ad exprimendam celebritatem, & qualitatem suæ prædicationis factam in Ecclesia magna, scilicet in mundo, & toti Ecclesiæ: Colligitur celebritas prædicationis Christi ex his quatuor præcipuè: scilicet ex plenitudine gratiæ quæ erat in ostensione spiritus, & virtutis: ex latitudine famæ: ex certitudine doctrinæ, & magnitudine efficaciæ, quia ad omnes extendebatur, & omnem veritatem divinam patefaciebat. *In Luc. c.4. v.14.*

19. *Prædicator exemplo Christi non debet abstinere ab exercendo suo munere pro viribus suis.*

Ecce labia mea non prohibebo. A quo non prohibebis? non desistam ab annuntiando justitiam tuam: sic dicebat Christus: sic debent eum imitari Concionatores, ut muneri suo satisfaciant. *Psal.118. v.13.*

20. *Pœnitent non debet abscondere justitiam Dei, scilicet se ab aspectu justitiæ, quam exigit Deus ab ipso.*

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Quid est justitiam abscondere in corde, nisi justitiæ, & contritionis aspectum fugere? Ideò pœnitens debet pistillo justitiæ Dei, scilicet contritione conterere radicem injustitiæ commissæ, ipsamque manifestare Deo in confessione, sicque salutem consequi. *Psal. 118. c. 2. v. 3.*

21. *Misericordiæ, & Iustitiæ exercitium in Deum, & proximum quale, & misericordia Dei in nos qualis.*

Misericordia tua, & Veritas tua susceperunt me. Quid est susceperunt me? scilicet me attraxerunt ad exercendam misericordiam, & veritatem. Hæc autem consistit in duobus, scilicet in dando, & dimittendo, & utraque habet tres gradus: misericordiæ primus gradus est dando de suis rebus pauperibus, & Deo: secundus gradus melior est in dando sua, relinquendo omnia pro Christo: Tertius gradus optimus est in dando seipsum totum, sic dicebat Apostolus: *ego impendam, & non solùm impendam, sed impendar pro Animabus vestris*: In dimittendo, primus gradus remittit partem debiti: secundus, qui remittit totum debitum: Tertius, qui etiam ipsum servum remittit, scilicet benefacit inimico. *In Psal. 39.*

22. *Peccatum, & maximè inobedientia est trabes excæcans oculum rationis, & aperiens oculum concupiscentiæ.*

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Mirum est quid hic dicit Propheta; & non potui videre? erat ne cæcus? Sed attende, quod hoc dicebat in persona primi hominis & cujuslibet peccatoris existentis in peccato sciens, quod peccatum, & maximè inobedientia est trabes excæcans oculum rationis, & aperiens oculum sensualitatis: factus cæcus ad Deum, perspicax ad mundum: obscurus ad scientiam, acutus ad concupiscentiam: Dicit ergo: & non potui videre Deum, & cœlestia, sed solùm terrena. *Psal. 105.*

23. *Calamitates peccatoris accedentis ad judicium expenduntur.*

Quoniam circumdederunt me mala, iniquitates me comprehenderunt &c. Nota, quod etiam hæc dicuntur in persona peccatoris accedentis in peccato ad judicium, & examen mortis: Iste enim circumdatur à peccatis accusantibus, comprehenditur, & constringitur ab infirmitate, & doloribus, & impeditur, ne videat Deum misericordem; videt tamen mala sibi imminentia, & præsentia, nempè Deum superiùs iratum, subtus horrendum chaos, & patentem Infernum; à dextris peccata accusantia; à sinistris Dæmonia ad Infernum trahentia; intus conscientiam urentem: foris mundum, quem deseruit: miser sic deprehensus, quò fugiet. *In Luc. c. 19. v. 44.*

24. *A nemine quantumcumque peccatore desperanda est salus, dummodò pœniteat.*

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: multiplicati sunt super capillos capitis mei: complaceat tibi Domine, ut eripias me: Domine ad adjuvandum me &c. Vide quid infert iste pœnitens ex propositione infinitorum peccatorum quæ in Deum commiserat: non ad desperationem, sed confugit ad divinam pietatem, ut ipsum à tam enormibus peccatis, & tam patentibus periculis liberet: per quod admonentur peccatores, quod numquam desperare habent de remissione, dummodò ex corde pœniteant, & recurrant ad Tribunal divinæ pietatis. *serm. 4. de Circumcis. & Psal. 20.*

25. *Qui malè quæris Christum, invenit confusionem, & maledictionem: qui benè quærit, invenit salutem.*

Confundantur, & revereantur simul, qui quærunt Animam meam &c. Cur Christus petit confusionem, & tremorem pœnalitatis significatam in illo verbo, revereantur, qui quærunt Animam ejus? Nonne bonum est quærere Christum? Sed nota, quod subdit, ut auferant eam: Nam quæritur Deus multipliciter, malè, & benè: sunt enim, qui quærunt Christum in peccato, vel in multitudine carnalis cogitationis, vel affluentiæ mundialis, vel in tumultuositate mundanæ occupationis, & negotiationis, vel in delicijs carnalis concupiscentiæ, vel non in tempore debito: & quia malè quærunt, ideò vel eum perdunt, vel non inveniunt, nisi ad ipsorum perditionem: Benè quærit Christum, qui in corde puro, & simplici eum quærit, & ideò invenit: Confundantur igitur, ait Christus malè me quærentes, ut Judæi, qui ipsum quæsierunt, ut perderent. *In Ioan. c. 7. v. 34. & c. 8. v. 21. & c. 11 v. 54 & In Luc. c. 19. v. 17.* De istis, ergo, qui sanctè quærunt Christum dicitur *Exultent, & lætentur in te omnes quærentes te, & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. In Luc. c. 1. v. 47.*

26. *Mendicitas, & paupertas cuiuscumque hominis, etiam sancti expenditur.*

Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus solicitus est mei: Adjutor meus tu es &c. Hoc dicebat Christus: sed quomodò verè id poterat dicere, qui est dives, & Dominus omnium? Nota; hoc dicebat ut homo: & ut addisceremus, quod omnis homo quantumcumque sanctus, est mendicus, & inops: & hoc ob suam insufficientiam, inopiam, & instabilitatem: In primo est de se imperfectus: In secundo non habet bonum proprium: & in tertio debet timere malum: Videat enim ne cadat: Ideò à Deo solo debet expectare auxilium, dicens: Domine, ne tardaveris præbere auxilium de præsenti, & futuro. *Psal. 39 v. 18. & 118. cap. 4. v. 15. & serm. 1. in festo omnium Sanctor.*

27. *Christus fuit pauper, & mendicavit ostiatim: ad cujus exemplum Sanctus Pater Franciscus jussit fratribus suis eamdem mendicitatem.*

Ego autem mendicus, & pauper &c. Si hæc dicuntur in persona Christi, quomodò verificantur de illo, qui creavit omnia? Vide ex hoc, quod Christus per omnia voluit se conformare in vitæ humanæ calamitatibus, & ideò quasi unus ex turba pauperum stipem per ostia mendicare, maximè in illo triduo, quando amissus fuit à Maria, & Joseph, & ideò ad suam indigentiam relevandam, non solùm à bonis, sed etiam à malis accipiebat eleemosynam, ut patet quando discubuit ad mensam Pharisæi: In quo dat nobis formam, quod licitè possumus accipere eleemosynam à bonis, & à peccatoribus occultis, ut fiant boni, dummodò non dent de alienis: & hinc Sanctus Pater Franciscus hanc mendicationem ostiatim faciendam præcepit suis fratribus ad imitandum exemplum Christi, & humilitatem exercendam. *In Luc. c. 9 v. 57. & op. expos. Regula S. Franc. c. 6. & op. de paupert. Christi q. 1 a. 2.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

28. *Expectans expectavi Dominum &c.* Hic Psalmus, ut supra dictum est, dirigitur ad nos, ut expectantes quæramus auxilium à Christo, ut nobis in præsenti conferat auxilium gratiæ, & in futuro gloriam. Idem & proportionaliter dicendum est in ordine ad Mariam Virginem; ad quam conversus pœnitens potest dicere: Expectans expectavi gratiam tuam ô Beata Virgo, & fecisti mihi secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui; exaudisti preces meas, & eduxisti me de lacu miseriæ, & de fovea inimici. *op. Psalt. B. Virg. Psal. 39.*

29. *Maria sua gratia educit peccatores de lacu miseriæ, & de luto fæcis.*

Eduxisti me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Hoc dicitur à pœnitente ipsi Christo. O quot peccatores possunt hoc dicere Beatæ Virgini! Ipsa enim est, per quam datur regressus à privatione vitæ ad habitum vitæ, vivificans mortuos, per quam est resurrectio, & vita, & remissio peccatorum, & omne bonum. *op. stim p. 3. c. 19.*

30. *Beata fuit Maria Virgo, quia fide concepit Christum spiritualiter, spe ipsum attraxit, & deinde corporaliter ipsum generavit.*

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus &c. Si hoc dicitur de omni justo: hoc peculiari modo dicendum de Maria Virgine, quæ fide concepit Christum, spe attraxit in se, & corporaliter generavit: Ideò beatissima super omnes creaturas. *In Luc. capit. primo, vers. 45.*

31. *Virgo Maria ut corpus aptum ad redimendum Verbo preberet, mundificata fuit ab omni culpa, & repleta omni gratia.*

Sacrificium, & oblationem, scilicet antiquæ legis, noluisti, aures autem, vel corpus perfecisti mihi. Si hæc verba sunt Christi: cur non dicit, corpus autem meum perfecisti, sed dicit mihi? ergo de alio corpore loquitur? maximè: loquitur enim de Beata Virgine Maria, quam aptavit, & perfecit Deus Pater eam mundificans ab omni culpa, & replens omni plenitudine gratiarum, & omni puritate; qua sub Deo major nequit intelligi ut esset vas munditiæ contentivum omnis fragrantiæ, & ad alios redundaret: Dicit igitur Christus Patri: Corpus aptasti mihi in Maria Matre. *l. 4 sent. in prol.*

32. *Maria Virgo Dominum super omnes quæsivit: ideò invenit, & magnificavit Dominum.*

Exultent, & lætentur in te omnes quærentes te, & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Sed qui sunt isti quærentes, & dicentes magnificetur Dominus? At recurre ad Canticum Mariæ, & audies: *Magnificat Anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo &c.* Quis ergo plusquam Maria quæsivit toto corde Deum? quis cum majori perfectione invenit Deum? quis majori ardore dilexit Jesum? Ideò Anima ejus magnificat Dominum, & Spiritus ejus exultavit in Deo salutari suo. *In Luc. c. 1. v. 47.*

33. *Paupertas summa Beatæ Virginis Mariæ, Joseph, & Pueri Jesu expenditur.*

Ego autem mendicus, & pauper &c. Si hoc dicitur de Jesu Christo, ergo Maria, & Joseph erant forsan divites? minimè, sed pauperrimi: filius erat pauper, pater, & mater pauperrimi: Vide qualem paupertatem exercuit Maria in Betbleem in nativitate Christi, ubi multis necessarijs indiguere: Item in oblatione Columbarum: nam ob paupertatem non potuerunt offerre Agnum: Item in itinere Ægypti, in quo ostiatim sæpe stipem quæsierunt, & post habitantes in Ægypto in Civitate Heliopolis Maria colo, & acu quærebat sibi, & filio necessaria: suebat, & nebat mundi Domina paupertatis amatrix, & ipse Jesus puer reportabat opera facta, petens ex parte matris solutionem, & pretium, & quod est valde mirabile, sæpè puer Jesus petebat panem more puerorum, & Maria angebatur, non habens, unde posset dare: concutiebantur ejus viscera, sibique aliquando subtrahebat de victu, ut reservaret filio: Hæc est igitur pretiosissima margarita paupertatis, quam quæsierunt Jesus, Maria, & Joseph, & quam in hac vita tam asperè exercuerunt. *op. meditat. Vita Christi, c. 5. & 7. & c. 12. & In Luc. c. 2. v. 24. & op. specul. B. Virg. lect. 4. & op. Pharet. l. 1. c. 5.*



PSALMUS XXXX.

Titulus: In finem Psalmus ipsi David.

1. PRimò nota, hunc Psalmum dirigi in Christum, ut à nobis credatur paupetem fuisse crucifixum resuscitatum, & ut imitatores simus suæ paupertatis, & passionis.

2. *Ex Christo fonte misericordiæ derivat in pauperes eleemosyna per manus viri misericordis: Unde sub persona pauperis latet Christus.*

Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Quid est intelligere super egenum, & pauperem? Ergone sufficit intelligere, & cognoscere pauperem? & quis est, etiam crudelis, & avarus, qui non intelligat, & cognoscat pauperes? Sed attende illam particulam, (*super*:) Vult enim, ut aliquid aliud intelligamus præter pauperem: nempè, quod super pauperem est Christus (Delitescit enim, ait Sanctus Cæsarius, sub persona paupetis:) Christus enim est fons omnis misericordiæ, & vult, ut per manus divitum derivet ad pauperem, ergo hæc prius derivat à Christo ad divitem, & à divite ad pauperem, tamquam per rivum misericordiæ divitis: Beati igitur erunt in gloria tales intelligentes super pauperem, quia ipsorum miserebitur Deus, in die mala eos liberabit. *ferm. 1. de omnibus sanctis.* Nota etiam quod dicitur. *Beatus qui intelligit super egenum &c.* Quia sicut benè intelligentes assumuntur ad honores, & dignitates: sic qui intelligunt necessitateio pauperis promoventur, & quasi episcopantur ad æternam beatitudinem. *op. Diat. Tit. 6. c. 3.*

3. *Quàm sit beatus, qui legem misericordiæ eligit super egenum.*

Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem. Nota iterum illam particulam (*super*) scilicet superintelligit: ergo aliquid aliud à paupere innuit? & quid? nihil aliud, nisi intelligentiam per lumen fidei ad æternas leges: hæc enim est radius supernus, qui illuminat mentem, ad ea, quæ nobis facienda sunt? Lex autem hæc divina dirigit hominem ad Deum, & ad seipsum, & ad proximum per legem justitiæ, patientiæ, & miserationis; ergo qui internus legit hanc legem misericordiæ, eamque dirigit super egenum, & pauperem, beatam partem elegit. *Psal. 118. cap. 7. vers. 4.*

4. *Prædicatoribus, & laborantibus in vinea Domini debetur eleemosyna, & sustentatio.*

Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem &c. Ergone sola intelligentia potest quis adipisci hanc beatitudinem? Nota, quod hoc discrimen est inter pauperes hujus mundi, qui sunt tales veluti coactè, & pauperes spiritu, qui omnia relinquunt, ut Deo, & Ecclesiæ serviant: quod illis debetur non intelligentia, sed eleemosyna: Istis verò beatitudo competit intelligentiæ scilicet ut intelligamus, quod illis à Deo promissa est beatitudo, & ideò etiam ex justitia debetur sustentationis alimentum, quia metunt carnalia, & seminant spiritualia. *opuscul. Apol. paup. responf. 4. cap. 3.*

5. *Immisericordes miseri, & damnati.*

Beatus, qui intelligit &c. Si hoc, ergo immisericordes sunt miseri, quia judicium istis fiet sine misericordia: nempè illis qui despiciunt pauperes, qui contemnunt inopes, qui affligunt humiles, qui persequuntur debiles. *sermon. 1. in festo om. sanct.*

6. *Qui audit egenum rogantem, audit & Ecclesiam pro ipso rogantem Deum, ut beatum faciat eum in toto tempore vitæ.*

Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra &c. Nota hæc tria, quæ ab Ecclesia petuntur à Deo pro misericordibus: nempè, Dominus conservet eum ab omni tentationis periculo, & tribulationis occasione: Vivificet eum, quoad progressum hujus vitæ per collationem gratiæ, & beatum faciat in terra, scilicet in egressu Animæ à corpore. *Pal. 118 c. 4. v. 2.* Hæc omnia petit Ecclesia ad profectum viri misericordiæ.

7. *Christi lectus in tota sua vita fuit doloris.*

Universum stratum ejus in infirmitate &c. Nota, quod hæc propriè verificantur de Christo, cujus lectus fuit doloris, scilicet Crux, & ejus stratum toto tempore vitæ versatum fuit in infirmitate carnis. *op. specul. discipl. p. 2. c. 2.*

8. *Deus sæpè immittit infirmitates, ut Stratum libidinis evertat, & destruat.*

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, universum Stratum ejus versasti in infirmitate ejus. Quid est hoc, quod Deus versat stratum infirmi? Nota, quod per Stratum hic intelligitur lectus sensualitatis, in quo carnalis jacet: Deus verò sæpè ipsum convertit in lectum doloris, immittendo infirmitates, ut ipsum curet à morbo spirituali: ô felix, & beata infirmitas, ob quam Ecclesia orat, dicens: Dominus opem ferat illi. *Psal. 61.*

9. *Deus immittit infirmitates pauperibus, ut excitet divites ad erogandam eleemosynam.*

Dominus opem ferat illi &c. Universum stratum ejus versasti &c. Si Deus est, qui immittit infirmitates, versando stratum inopis, cur Ecclesia orat, ut Deus opem ferat? Orat Ecclesia, ut Deus excitet eos, qui possunt ferre auxilium, ut eum adjuveot: Unde infirmitates paoperum sunt clamores vocantes divites ad actus Misericordiæ. *In Luc. 5. v. 18 & 19.*

10. *In lecto pœnitentia Deus excitat suos jacentes in hac vita.*

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus &c. Quis est lectus doloris, nisi pœnitentia, & contritio peccatorum? qui in tali lecto jacet, à Deo adjuvatur, & habet Ecclesiam pro se orantem: Beatus igitur, qui in tali lecto doloris in hac vita dormit, moritur non in patibulo avaritiæ, vel igne luxuriæ, vel lecto luxuriæ, sed gratiæ divinæ. *serm.3. Dom.18. post Pentecost. & In Ioan. coll.25.*

11. *Sanitas Spiritualis Animæ à Deo solo petenda est, & expectanda.*

Domine miserere mei, sana Animam meam, quia peccavi tibi. Hic nota, quod peccatum est infirmitas Animæ, quæ spoliat gratia, vulnerat naturalia, cujus sanatio à solo Deo dependet; & ideò ab ipso petenda cum Propheta dicente: *Sana Animam meam, quia peccavi tibi.* Animam scilicet oneratam peccatis, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes. *L.1.d.18.a.1. q 1. & serm.1. Dom.6.post Pentec.*

12. *Ubi concurrit peccatum, ibi necessariò miseria, & infirmitas succedit, ad quam auferendam recurrendum est divinæ pietati.*

Miserere mei Domine, sana Animam meam, quia peccavi tibi. Nota hic, quod tria afferuntur in medium: nempè peccatum, quia peccavi tibi: ad quod necessaria consequitur miseria, unde sana Animam meam; & hinc utrumque cognoscens peccator, ad misericordiam medici recurrere debet, dicens, miserere mei. *Ps.118. c.2.v.13. & Luc.c.17.v.13.*

13. *Religiosus lectum intraturus instruitur ad propulsandas tentationes malas.*

Miserere mei Domine, sana Animam meam, quia peccavi tibi. Nota, quod postquam exposuit Propheta subversionem lectuli, vel stratii in infirmitate, subdit orationem Deo, ut ipsum liberet ab infirmitate: Quænam connexio est ista? At ista diriguntur Religioso, ut instruatur, quod intraturus in lectum, ad Deum recurrere debet, & si aliqua luxuriæ tentatione concussus fuerit, recordetur dilectum suum, scilicet Christum positum super lectum doloris, & universum stratum ejus in carnis infirmitate versatum, hæc dicens in corde suo: Dominus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Domine Jesu miserere mei, sana Animam meam: sicque invocato nomine Salvatoris, & sæpius geminando nomen salutis, cessabit quassatio. *op.specul. discipl. ad Novit. p.1.c.2.*

Virtus sanctissimi nominis Iesu invocati valet contra tentationes luxuriæ.

14. *Christus mortuus quare dicitur dormire.*

Nunquid, qui dormit, non adjiciet, ut resurgat? Hic loquitur de Christo in triduo mortis: Sed cur dicitur, quod dormiebat? Nunquid verè mortuus non erat? Sed respondetur, quod dicitur dormire, & simul mortuus: mortuus quidem, quia Corpus, & Anima verè separata sunt: Sed postea dicitur dormisse, quia hæc separatio fuit non coacta, sed voluntaria: & quia Corpus, & Anima numquam separata fuere à Divinitate, & ideò aliqualiter vivus. *Psal.40.*

15. *Homo duplex est in quolibet homine: exterior, & interior: Inter quos est vel pax bona, vel diabolica.*

Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Hæc verba videntur contradictoria: nam conqueritur hic de homine, quem appellat pacis, postea dicit esse sibi adversarium: quomodò hæc subsistunt? Sed nota, quod in quolibet homine est duplex homo: scilicet exterior, & interior, inter quos est continua pugna: Si autem spiritui obedit caro, tunc est sancta pax: Si caro repugnat, & Spiritum sibi subjicit, tunc est pax maledicta, & diabolica; & hoc est quod dicit Propheta, quod homo exterior, qui deberet esse in pace cum interiori, obediendo, magnificat super ipsum supplantationem, subjiciendo sibi hominem interiorem. Nota etiam, quod dicit, *homo pacis, qui edebat panes meos &c.* Quia cum caro obedit spiritui, tunc comedunt simul panem, scilicet doloris, nempè interior dolendo, exterior flendo, & mortificando. *Psal.40.*

16. *Qui post pœnitentiam ad vomitum peccati redit, in majus periculum, & infirmitatem recidit.*

Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Jam dictum est, quod tunc homo interior, & exterior simul comedunt panem pœnitentiæ, quando exterior obedit interiori, & spiritui: Sed quid sibi vult, *magnificavit super me supplantationem?* Idest maximam de me victoriam obtinuit & in pejus præcipitavit? Nihil aliud nisi postquam spiritus exteriori panem exhibuit, postquam cum eo ipsum comedit agens pœnitentiam, caro consurrexit adversus spiritum ipsum dejiciendo, & inde magis peccavit, & ad pessimum statum redoxit: nam post pœnitentiam ad vomitum rediens, in pejus ruit, quàm antea esset. *Psal.40.*

17. *Multiplex panis à Christo homini propositus expenditur.*

Qui edebat panes meos &c. Qui sunt isti panes à Christo propositi homini? Nota, quod est multiplex panis in mensa Ecclesiæ à Christo homini expositus, nempè panis Sacræ scripturæ: Sacramentum Eucharistiæ, panis in utero Virginis formatus, in ara Crucis coctus, & in Ecclesia expositus: Item pœnitentia: Item charitas: Item & voluntas Dei: his panibus Christus reficit nos. *Psal.40.*

18. *Ingratissimus & Deo exosus, qui post comestionem panum à Christo exhibitorum, ad peccatum redit.*

Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos magnificavit &c. Vide quomodò côqueritur Christus de homine, qui prius ad suam mensam comederat panes, denuò levat calcaneum contra ipsû ut fecit Judas: Iste enim manducat panê Domini sed contra Dominum, dum abutitur tot beneficijs à Deo collatis contra Christum: Ideò manducavit

T non

non vitam, sed mortem, pœnam, & judicium: Audiant hoc qui prius in abdita Sacræ scripturæ, vel vitæ contemplativæ introducti fuerant, & qui ad mensam eucharisticam admissi sunt, vel qui ad pœnitentiam, gratiamque Dei receperant, quàm cautè debeant ambulare, ne ista contra se vertantur. *Psal. 40. & in Ioan. c. 13. v. 18. & in Luc. c. 22. v. 21. & serm. 2. Dom. 6. post Pentec.*

19. *Magnum signum misericordia divinæ erit resuscitatio bonorum in die Iudicii, magnum signum iræ divinæ in reprobos.*

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me. Nota, quod prius dicit, *miserere mei*, postea *resuscita me*; ut videas, quod resuscitatio futura in Judicio pro bonis erit actus summæ Dei misericordiæ, sed non pro reprobis: nam hæc erit in majorem pœnam, & confusionem. *serm. 3. Dom. 6. post Pentec.*

20. *Maximus actus divinæ misericordiæ est resuscitatio à peccato; iræ verò, & severitatis est derelictio peccatoris in sepulchro peccati.*

Tu autem miserere mei, & resuscita me. Ecce quomodò recognoscit hic vir illuminatus à Deo qualis sit divina misericordia, dum homo resuscitatur à sepulchro peccati: & qualis sit divina severitas relinquere hominem in putredine peccati. *ser. 3. Dom. 6. post Pentec. & Psal. 118. c. 4. v. 10.*

21. *Victoria de inimicis infernalibus signum est electionis divinæ.*

In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me, me autem propter innocentiam suscepisti. Sed quomodò cognovisti, quod Deus te elegit, & voluit in numero suorum electorum? *quia non gaudebit inimicus meus super me.* Idest quia fecisti voluntatem meam victricem, & triumphantem de inimicis meis: hæc est probatio electionis divinæ. *Psal. 118. c. 5. v. 11.*

22. *Felix, qui adspicit ad paupertatem Mariæ: hanc enim intelliget Superiorem omnis cujuscumque pauperis, & ad imitationem ipsius excitabitur.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem &c. Nota, quod, ut supra dictum est hæc beatitudo promittitur illis, qui ad superiores legis divinæ misericordiæ adspiciunt: Unde potest rectè dici, quod beatus est, qui respicit, & intelligit pauperem superiorem cæteris pauperibus: supra autem diximus *num* 4. hos esse pauperes spiritu: ad quos intelligentia nostra debet ferri: Sed quis magis in mundo fuit pauper spiritu Beata Virgine Maria? Ipsa enim se ancillam profitetur Domini, cujus est electa major; & ideò nulla fuit humilior Maria, nec est, nec umquam erit in æternum: fuit item omnium pauperrima rebus temporalibus, ut nos ad paupertatem invitaret, & sua inopia ditaret. *In Luc. c. 1. v. 7. op. spec. B. Virg. lect. 4. & 10.*

23. *Beata Virgo Maria intellexit, & subvenit Christo pauperi.*

Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem &c. Nota, quod hoc dicitur de Maria Virgine, quæ bene intellexit paupertatem Christi, & cui subvenit in suis necessitatibus: subveoit inquam præbendo ei suam carnem ad induendum, sanguinem, & lac ad nutritionem, & suos labores ad subventionem. *opusc. meditat Vita Christi, c. 10. & 12. & 17.*

24. *Beata Virgo Maria intelligit super egenos, & pauperes sibi devotos, eosque subvenit, & invitat ad sustinendam paupertatem.*

Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem &c. Ergo & beata est Virgo Maria, quæ intelligit super egenos, & pauperes in ejus laudibus permanentes: eosque invitat ad tolerandas miserias suæ paupertatis exemplo suo. *op. Psalt. B. Virgin. Psal. 40. & op specul. B. Virg. lect. 4.*

25. *Panis eucharisticus nobis à Christo paratus est panis Mariæ in ejus Utero formatus, & coctus ut in clibano igne Spiritus Sancti.*

Qui edebat panes meos &c. Nota: supra diximus inter panes, eucharisticum esse præcipuum nobis à Christo paratum: Sed quando formatus, & coctus est? formatus fuit in Utero Mariæ Virginis, & igne Spiritus Sancti ad perfectum redactus, qui postea recoctus in Ara Crucis, fuit expositus in mensa Altaris: ergo ille panis est panis Mariæ. *Psal. 40.*



PSALMUS XLI.

Titulus: In finem intellectus filiis Chore.

1. PRIMÒ nota, quod Chore propter ambitionem fuit damnatus: tamen multi ex filiis fuerunt boni, & à David deputati ad ministerium domus Domini: & quia Chore interpretatur Calvaria, in quo fuit Christus crucifixus, ideò mysticè, filij Chore sunt filij Crucifixi, ad quos dirigitur hic Psalmus, nempè ut per amorem, & charitatem sitiant Christum, quia totus iste psalmus agit de charitate exercenda.

2. *Sitiens Anima, & desiderans Dominum fontem, debet esse sicut Cervus.*

Quemadmodum desiderat Cervus ad fontem aquarum ita desiderat Anima mea ad te Deus: sitivit Anima mea ad Deum fortem vivum. Nota, quod hic proponit meritò exemplum Cervi sitientis, ut addiscamus sitire Deum, & modum, quo ad ipsum ire debeamus: Cervus enim senio gravatus excrescentibus pilis, atque cornibus serpentem naribus aurit, quo

hausto

hausto veneno æstuat: Unde fontem ad hibendum ardentissimè desiderat, ut sic cornua, & pilos deponat: Sic volens recurrere ad Dominum, veneno vitiorum contractorum à serpente diabolo se æstuare cognoscens, fontem gratiæ desiderat, ut sic cornua superbiæ, & pilos vitiorum deponat, & reviviscit factus homo novus. *serm. 1. f. 3. Pentecost. & ser. 1. de S. Maria Magdal.*

3. *Christus ab omnibus desiderabilis probatur.*

Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad te Deus. Nota hæc dicuntur ab Anima æstuante ferventissimo desiderio fruendi Christo: & meritò, quia Christus est desiderabilis omni tempore ab omni genere, in omni necessitate, in omni prosperitate, in omni adversitate, ex omni parte: eò quod est desiderabilis visui, auditui, & gustui: Visui, quia est summa pulchritudo, afferens summam delectationem in videndo: Auditui, quia est summa sapientia summè delectans sensum auditus interiorem: Gustui, quia est summum bonum summè delectans cor. Unde mirum non est, si Maria Magdalena iam ferventer quærebat videre, audire, & gustare dilectum. *serm. 1. de S. Maria Magdal. & serm. 2 de Angelis & serm. 2. Dom. 1. Adv. & op. Brevil. p. 5. c. 6. & op. medit. Vita Christi c. 37. op. Incend. am. c. . & 3. & In Luc. c. 17. in fine, & In Ioan. coll. 21. & 38.*

4. *Exauditur oratio, quæ habet conditiones hic expressas.*

Quemadmodum desiderat &c. Nota hic conditiones bonæ orationis: primò quantitatem desiderij: Unde quemadmodum desiderat &c. Secundò desiderium interius: Unde sitivit anima &c. Tertiò pœnitentiam exteriorem: Unde fuerunt mihi lachrymæ meæ. *Psal. 41.*

5. *Christus fons, in quo extinguitur ardor libidinis, & omnium vitiorum.*

Sitivit Anima ad Deum fortem vivum: Alij legunt, *fontem vivum.* Meritò Christus dicitur fons, & fortis, quia habet ejus gratia vim extinguendi omnem ardorem libidinis, & vitiorum: Qui vult ergo extinguere ignem concupiscentiæ, ad Christum currat: Dicat ergo Anima: Bone Jesu fons indeficiens, & humana corda reficiens, ad te curro, te solum sitiens, tu solus es mihi sufficiens. *serm. 6. Dom. infr. oct. Epiph. & serm. 4. Dom. sexages. & serm. 1. S. Maria Magdal & opusc. de Regim. Anima. op. de septem Itin. aetern. Itin 2. d. 7. & Itin. 4 d. 5. art. 1. & opusc. de perfect. Religios. l. 2. cap. 61.*

6. *Desiderium ardens unionis Christi est fundamentum fabricæ spiritualis.*

Sitivit Anima mea ad fontem vivum, quando veniam &c. Ecce quomodò collocat in imo scalæ itineris ad Deum ardens desiderium uniendi se cum Deo: hoc enim desiderium est fundamentum totius fabricæ spiritualis, & super quod cæteri actus debent fundari, & sine quo nulla sunt omnia. *op. de perfect Religios. l. 2. cap. 61. & opusc. de regim. Anima. & op. de sept. Itin. ater. Itin. 2. d. 7. & In Luc. cap. 3. v. 5. & cap. 14. vers. 17. & Psalm. 118. cap. 6. v. 4.*

7. *Iusti per desiderium ardens ad Deum ambulant, & Deus eos ad se trahit.*

Sitivit in te Anima mea, quando veniam &c. Vide quomodò justus ardenter unionem cum Deo desiderans ad Deum corde vadit: Deusque è converso ipsum justum ad se trahit. *In sap c. 4.*

8. *Lachryma contritionis, & pænitentiæ sunt panis multipliciter reficiens Animam.*

Fuerunt mihi lachryma mea panes die, ac nocte &c. Cur nomine panis appellat lachrymas? quænam comparatio est ista? Sed attende quod panis dicitur à Pan, quod interpretatur totum, quia panis dat totum nutrimentum corporis, nec ullus cibus est suavis, & utilis sine pane: Sic & contritio, & pœnitentia dicitur panis Animæ, quia hunc debet esurire, & mirabilem delectationem affert Animæ. Attende tamen, quod dicit, *die ac nocte*, ob perseverantiam: quia enim semper peccamus, ideò etiam semper plangere debemus. *Psalm. 41. & 42. & 130. & serm. 3. Dom. 4. quadrag. & In Luc. c. 6. v. 21. & c. 17. v. 8. In Ioan. c. 11. v. 38. & col 30.*

9. *Memoria passionis Christi debet à Prædicatoribus proponi, ut homines ad lachrymas excitent.*

Fuerunt mihi lachryma mea panes die, ac nocte, dum dicitur mihi, ubi est Deus tuus. Ergone tantùm cum dicitur, ubi est Deus tuus, lachrymæ sunt effundendæ? Sed attende, quod hic exprimitur quale sit munus Prædicatorum, nempè exponere fidelibus, ubi est Christus, scilicet in Cruce nudatus, flagellatus, & crucifixus, ut per memoriam suæ passionis Anima excitetur ad lachrymas: & hinc se examinans, dicendo: quare tristis es Anima mea: & postea sibi respondens dicat: abyssus abyssum invocat, scilicet abyssus compassionis Christi invocat abyssum compassionis christiani, in voce, & virtute plagarum ejus.

10. *Imploratio perfecta divinæ misericordia tres gradus exigit.*

Hæc recordatus sum, & effudi in me Animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei; in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. Nota, quod hic volens implorare vir justus divinam misericordiam, ostendit id faciendum per tres gradus: primò debet incurvari cor ad divinam reverentiam: Unde dicit, *hæc recordatus sum*: Secundò debet dilatari ad divinam benevolentiam: Unde dicit, *effudi in me Animam meam*, scilicet dilatatione affectus: Tertiò elevari ad divinam complacentiam, & mutuam allocutionem, quæ est sponsi, & sponsæ, & sic ingredi in Tabernaculum usque ad domum Dei, ubi in voce exultationis, & sono epulantis, scilicet per excessum mentis. *op. Incend. amor. cap. 2. & Psalm. 41.*

11. *Locus confessionis est domus Dei positus in Ecclesia, in quo est vox exultationis, & sonus epulantis.*

Introibo in locum tabernaculi admirabilis. Scilicet in Ecclesiam, usque ad Domum Dei, scilicet in locum confessionis, in quo est vox exultationis, & confessionis, & sonus epulantis, quia confessio peccatorum Paradisum aperit, animum jucundat, & Deo conjungit. *opuscul. Comp. Theolog. lib. sexto, capit. 26. & opuscul. Confess. in prolog.*

12. *Transitus vitæ contemplativæ est ad tabernaculum, scilicet vulnerum meditationem Christi, & hinc ad domum cœlestem, ubi est vox exultationis &c.*

Transibo in locum tabernaculi usque ad domum Dei, in voce exultationis &c. Nota, quod in hoc processu traditur ordo vitæ contemplativæ: hæc enim primò transit ad locum tabernaculi, nempè ad contemplandam humanitatem Christi, scilicet intra vulnera ipsius tamquam in foramina petræ: In hoc loco debet se prius exercere Anima longo tempore, donec purgata, & sanata mentis acie possit usque ad domum Dei pertransire, scilicet ad contemplationem Majestatis divinæ, & cœlestis gloriæ: tuncque inveniet in voce exultationis, & confessionis sonum epulantis. O felix Anima cui datum est transire per hos gradus. *opusc. meditat. Vita Christi cap. 51. & 52. In Luc. cap. 9. vers. 33. & c. 17. vers. 11.*

13. *Idem confirmatur de vita contemplativa.*

Transibo in locum tabernaculi, usque ad domum Dei. Quodnam est hoc tabernaculum? Quisnam locus, & Domus Dei? Sed transfer mentem ad D. Petrum, qui tria tabernacula volebat facere, & in hoc fuit reprehensus,: nam unicum est tabernaculum, & hoc non materiale, & manufactum, quod proponitur contemplativis: nempè si volunt intrare in tabernaculum contemplationis usque ad Domum Dei, debent relinquere phantasmata, & figuras, quæ sunt propriè activæ vitæ, & per fidem, & charitatem immediatè ferri in Divinitatem usque ad Domum Dei, & ibi sistere: ibique invenient, & experientur quàm sit admirabile hoc tabernaculum, quàm dulce, & suave. *In Luc. c. 9. v. 32. & c. 17. v. 11.*

14. *Gaudium verum est in æternorum contemplatione, non in temporalibus.*

In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. Vide, quomodò promittit sibi ipsi vir justus fruitionem exultationis, & delectationis, non quidem in temporalibus, & extra se, sed in domo Dei, scilicet in contemplatione Divinitatis, in qua sola potest obtineri exultatio, & delectatio. *Psal. 41.*

15. *In quocumque statu hujus vitæ subjicitur Anima tribulationibus ob peccata.*

Quare tristis es Anima mea, & quare conturbas me? Nota, quod vir justus post ingressum in domum Dei ad statum contemplationis sublimissimæ, adhuc conqueritur de turbatione Animæ. Quid est hoc? nisi quod dum sumus in hoc mortali corpore in quocumque statu subjecti sumus necessariò motibus carnis, peccatis venialibus, & debilitatibus hujus mortalitatis nostræ. *Psal. 41.*

16. *Peccata venialia conturbant Animam; mortalia ligant.*

Quare tristis es Anima mea &c. Nota, quod in hac turbatione etiam se convertit ad Dominum dicens: *spera in Deo &c.* ut videas discrimen inter peccata venialia, & mortalia: Illa solùm turbant, nec impediunt: Ista ligant, & impediunt progressum in Deum. *Psal. 41.*

17. *Conturbatio Animæ est à nobis; à Deo solùm quies, & maximè in meditatione passionis Christi.*

Ad me ipsum Anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim a monte modico. Notanda hæc verba, quæ continent pulcherrima mysteria. Primò dicit, quod ad se ipsum Anima conturbata est. Quomodò ad me ipsum? nisi quia ex memetipso, scilicet ex peccatis, & imperfectionibus meis solùm recognosco turbationem? hæc enim sunt, non à Deo, sed à nobis: & hinc subdit, *Propterea memor ero tui de terra Iordanis*: Jordanis est locus pœnitentiæ, & Hermon est mons modicus ibi vicinus: Jordanis interpretatur rivus Judicij: Hermon excommunicatus. *Psal. 132. & 118. c. 4. v. 11. & In Ioan. c. 10. v. 40.* significatque separationem, & contemptum mundi. Dat igitur intelligere, quod omnis conturbatio est à mundo, & à nobismetipsis: Et ideò per pœnitentiam, mundationemque & contemptum mundi ad Deum ambulandum est, ubi est vera quies, & delectatio, & præcipuè in meditatione passionis Christi, *memor ero tui*, ait, scilicet tuæ passionis. *Psal. 118. c. 2 v. 9. & serm. 3. Dom. 2. post oct. Pascha.*

18. *Meditatio passionis Christi suadetur: est enim abyssus abyssum invocans.*

Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Quid est iste abyssus aliam abyssum invocans in voce cataractarum Dei? Nota, quod abyssus multipliciter sumitur in sacra scriptura: nempè abyssus est elementorum, de qua *in Gen. cap. 1.* Abyssus judiciorum Dei de qua *Psalm. 35.* est abyssus cordium humanorum, de qua *Psalm. 32.* Est abyssus sacræ scripturæ: Item est abyssus passionis Christi, & nostræ mortificationis, & de hac hic loquitur sacer textus: nempè abyssus compassionis Christi patientis, & Crucifixi in voce plagarum ejus invocat meditationem, & compassionem hominis Christiani, & retorquere facit omnia excelsa, & fluctus Christi, scilicet opprobria, dolores, & tormenta

in

in ipsum hominem compatientem, ita ut possit dicere transformatus in Christum: ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. *Serm. 3. Dom. 2. post oct. Pacha, & Psal. 4. Sic (ait Alex. Alen.)* Hæc verba possunt verè applicari Christo, & Seraphico Francisco, quando in monte Alverniæ fuerunt in isto impressa vulnera Christi Jesu: abyssus &c. Sic dicebat Franciscus Christo: sic Christus Francisco.

19. *Imitatio Christi crucifixi, & mortificatio nostra vocat in auxilium patientiam, & passionem Christi.*

Abyssus abyssum invocat &c. Idest nostra mortificatio, patientia, & imitatio passionis Christi, vocat in auxilium passionem, mortificationem, & patientiam Christi, quia tali pacto merita Christi communicantur Animæ compatienti. *Psalm. 41.*

20. *Vulnera Christi vocem ad cor nostrum immittunt divina pietatis, & invitant animam ad imitationem.*

In voce cataractarum tuarum. Quæ vox est hæc cataractarum Christi, nisi vox vulnerum Christi? Istæ enim nobis ostensæ, & meditatæ immittunt vocem ad cor nostrum, ut in ipsum transformati, possimus dicere, omnia excelsa tua, & fluctus tui, scilicet opprobria, passiones & pœnæ in me per transformationem, & amorem transierunt. *Serm. 3. Dom. 1. post oct. Pascha.*

21. *Christus in die incumbebat prædicationi, & conversioni animarum, & in nocte orationi.*

In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Cur de die voluit Dominus misericordiam, & non in nocte, sed canticum? Nota, quod hæc est prophetia de Christo, qui de die exercebat opera misericordiæ in homines, scilicet prædicando, sanando infirmos, & convertendo peccatores, & de nocte orationi incumbebat. *Op. determinat. circa Regul. S. Franc. quæst. 1.*

22. *Sanctus Pater Franciscus voluit, ut fratres sui de die exercerent se in operibus misericordiæ; & de nocte orarent exemplo Christi.*

In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Ecce ratio quare sanctus Pater Franciscus noluit fratres suos adstrictos ad curam animarum ex debito necessitatis, sed ex affectu charitatis liberæ: & quid prætendit in suis prædicatoribus? nempè ut se exercerent in operibus misericordiæ de die, & ad lucrum animarum: sed postea voluit, quod secederent in montem solitudinis ad orationem, & sibi ipsis incumberent in profectu proprio, ut sic meritum expectarent de fructu salutis aliorum, & periculum evitarent de perditione eorum, alios extrahendo de incendii periculo, & ipsi consistentes in solido. *Op. determinat. cir. q. 1.*

23. *Nox est tempus maximè aptum divinis laudibus.*

Et nocte canticum ejus. Cur de nocte, & non de die? De nocte principaliter vult à suis Deus, ut incumbant in divinis laudibus, & orationi, quia nox est tempus magis opportunum divinis laudibus, & meditationibus; & hoc maximè vult à suis servis, quando cæteri dormiunt, & omnia tumultuantia silent. *Op. myst. Theol. cap. 3. part. 3.*

24. In missione Spiritus sancti, in Ecclesia Christus ostendit suam misericordiam: propter quod dicitur. *In die mandavit misericordiam suam,* scilicet quando post Ascensionem ad Cœlos, misit Spiritum sanctum in die Pentecostes. *Psal. 117.* Hæc est dies lucida, & splendens, quam Spiritus sanctus Ecclesiæ fecit.

25. *Sicut peccator est debitor Dei: sic Deus est debitæ satisfactionis susceptor promptissimus.*

Apud me oratio vita mea, dicam Deo susceptor meus es. Vide correspondentiam animæ orantis, & Dei orationem suscipientis: Deus enim promptus est suscipere orationem, & satisfactionem, quam ipsi debemus: Unde ait Isaias c. 50. *Ad vocem clamoris tui, statim cum audierit respondebit tibi. Psal. 118. c. 8. v. 2.*

26. *Confessio peccatorum efficacissimum remedium contra afflictiones temporales, & spirituales animæ.*

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus. Nota seriem horum verborum: primò dicit animam suam conturbatam afflictam, & in tribulationibus immersam: & quale remedium ei propinavit? *Spera in Deo &c. quoniam adhuc confitebor illi &c.* Dat per hoc intelligere, quod confessio peccatorum est efficacissima ad tolerandas infirmitates corporis, & dissipandas afflictiones, tribulationes, tristitias, & desperationes animæ. *Serm. 5. in Rogat.*

27. *Ad Mariæ amorem anhelare debet anima, si vult dissipare sordes suas, & mala.*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum &c. Cervus volens mundare, & se renovare currit anhelans, & sitiens ad fontem: Sic anima volens se mundare, & renovare, debet accendere se amore Domini Jesu, & Beatæ Mariæ Virginis, & ad fontem suæ misericordiæ recurrere, quia ipsa est genitrix vitæ nostræ: quia fontem lactis exhibuit salvatori, & fuit initium salutis nostræ: ipsa est per quam mundantur sordes nostræ, & illuminantur tenebræ animarum. *Opus. Psalt. B. Virg. Psal. 41.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

28. *Maria Virgo fuit fons voluptatis, ad quem sitiens Christus cucurrit, & est irrigans totam terram.*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,

rum, ita desiderat anima ad Mariam fontem vivum. Hoc dicere poterat Christus parvulus, qui sitiens cucurrit ad ubera matris, ut ex ipsis sugeret lac dulcissimum: fons verè fuit, dum Christum Deum lactavit: fons item est voluptatis rigans mundum suo rore, & charitate, Deique amore. *Op. laus Virg fig.1. rorem & fig.1. & op Psalt. B.Virg. Psal.41.*

29. *Maria Virgo ad pedes Crucis fuit abyssus doloris.*

Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum, omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt. Nota, quod si hoc potest dicere quælibet anima compatiens doloribus Crucifixi: multò magis hoc dicere potuit Beata Virgo Maria, quia abyssus, idest Christus patiens, & crucifixus abyssum Mariæ compatientis invocavit ad pedes Crucis: nam omnes dolores, & pœnæ Christi transierunt in cor ejus. *Op. stim. p.1. c. 5. & op. officium compass. B. Maria, & in Psalm 104 & serm. 3. Dom. 2. post oct. Pascha.*

30. *Maria misericordia est abyssus invocans abyssum misericordiæ divinæ ad nostrum auxilium.*

Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Vide hic duplicem abyssum expositam mundo: & quænam sunt? Ecce quod abyssus misericordiæ Mariæ profundissimæ, & immensæ invocat abyssum misericordiæ divinæ ad nostrum auxilium: Verè est abyssus misericordia Mariæ, cujus latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum non potest comprehendi. *Op. specul. B. Virg. lect. 5.*

31. *Conturbatio Mariæ Virginis in passione filii solùm ad partem sensitivam, non ad rationalem pervenit.*

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Poterat ne hoc dicere Maria Virgo ad pedes Crucis? ergone fuit perturbata? Sed attende, quod ejus perturbatio, & immensitas doloris non refertur ad partem animæ rationalis, sed ad sensibilem, prout convertitur ad corpus, quia ex parte superiori animæ in totum erat Deo ordinata. *l. 3. d. 5. p 1. a. 2. q. 3. ad t.*



PSALMUS XLII.

Titulus: Psalmus David.

1. PRimò nota, quod hic Psalmus est in persona Christi mystici, scilicèt Ecclesiæ, vel justi orantis Deum contra pressuras hujus sæculi: quia enim mundus pugnat contra justos, ideò hic petitur auxilium à Deo contra ipsum. *Psalm 41.*

2. *Judicium aliud in præsenti, aliud in futuro: primum desiderandum: secundum timendum.*

Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me. Quomodò petit propheta judicari à Deo, & postea liberari ab hominibus iniquis? Nonne si vult judicari à Deo vult etiam puniri? Sed nota, quod aliud est judicium discretionis, aliud retributionis: primum est desiderandum, quo petitur discretio à malo, & à malis hominibus: aliud timendum est. *Psal. 42. & 34. In sapi. c. 18. & in Joan. c. 8. v. 50.*

3. Justus videns differri petitionis suæ executionem existimat veluti repulsam sui factam à Deo & ideò clamat: *quare me repulisti! &c. Psal. 42.*

4. *Maxima omnium gratiarum divinarum est liberatio à malis, & inductio ad bonum.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Quid est hoc quod prætendis Rex hac luce, & veritate divina? prætendebat, & petebat illuminationem, & per hanc misericordiam, liberationem à malis, & veritatem, scilicet inductionem ad bonum opus: hæc duo conducunt animam ad montem Dei, & ad tabernaculum Cœli: primum per fidem: secundum per bonam operationem. *Psal. 42.*

5. *Christus lux illuminans mundum, & ducens ad Cœlum animum, & ad charitatis possessionem.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Nota, hic Propheta petebat à Deo Incarnationem Verbi: sub nomine emissionis lucis: verè enim Christus adveniens in mundum, fuit lux expellens tenebras infidelitatis, & ignorantiæ, & sua luce perducens homines ad gloriam, & in tabernacula Dei, scilicet ad Choros Angelorum. *Serm. 5. Dom. 2. Adv.* Item dirigens ad montem Dei, scilicet ad charitatem Dei, & in tabernaculum ejus, idest in charitatem proximi. *Psal. 118. c. . v. . & op. de deno piet. c 3. & op. de septem Itiner. aternit. prol. d 5 & Psal. 42.*

6. *Mons est hac vita, in quo offeruntur opera nostra: Cœlestis gloria est altare, in quo beati sua vota offerunt.*

Introibo ad altare Dei Quodnam est hoc altare? Nota, quod primò proponit montem, dicens. *Ipsa me deduxerunt in montem sanctum.* Postea dicit: *Introibo ad altare Dei*: quia ista se mutuo consequuntur: primò mons: secundò altare: mons est præsens vita, in quo nostra offerimus in Ecclesia militante; postea introducitur anima ad altare cœlestis gloriæ, ubi perpetuò offerunt beati sua vota. *Psal. 42.*

7. *Per fidem, spem, & charitatem ascenditur ad perfectionis apicem.*

Introibo ad altare Dei &c. Nota, quòd prius præmiserat ascensum ad montem, postea ingressum in tabernaculum, & inde accessum ad altare Dei: ut mysticè denotetur cursus spiritualis, ejusque ordo per tres virtutes theologicas ad apicem perfectionis: per montem enim fides significatur: per tabernacula spes, quæ facit operari: & per altare charitas, quæ habet complementum in gloria. *Psal. 42.*

8. *Sacerdos accedens ad altare debet exuere vetustatem peccati, ejusque tristitiam, accendere cor suum ardentissimo desiderio se Deo uniendi perfectè.*

Emitte lucem tuam &c. Vide quid tibi faciendum ô sacerdos, quando ad altare accedis oblaturus Sacrificium Missæ: debet cor tuum ardenti desiderio inflammari, & ad Deum recurrere, ut emittat, & tibi communicet lucem suam per illuminationem intellectus, & inflammationem affectus: ut scilicet agnoscat sublimitatem mysteriorum Dei: debes totus incumbere, ut vetustatem, & tristitiam peccati deponas, & veluti sanctum holocaustum Deo offerens quidquid impuritatis est in anima, comburatur igne amoris, & gratiæ Dei, ut dignus inveniaris accedendi ad altare. *Psal.*41.

9. *Confessio in principio missæ quare præmittitur.*

Confitebor tibi in cithara Deus &c. spera in Deo quoniam adhuc confitebor tibi &c. Nota, quod hæc dicuntur à Propheta antequam perveniat ad salutare vultus sui, scilicet ad Jesum, & salvatorem suum: Hæc etiam dicuntur à sacerdote in principio missæ: & ideò præmittitur ante omnia confessio particularis omnium peccatorum, quæ in sono citharæ decem chordarum significantium decem præcepta decalogi significatur: Item & in principio missæ confessio generalis omnium peccatorum, dicendo *Confiteor Deo omnipotenti;* & hoc duplici ratione: primò, quia licèt sacerdos sit nuntius, & legatus fidelium in missa, tamen est etiam peccator: ideò in principio accusat seipsum: Secundò, quia repræsentans Christum sacerdotem, ostendit, quod Christus in seipso assumpsit nostra peccata, & pro ipsis mortuus est: sic per talem confessionem accedit ad Altare, & ad salutare vultus sui, & ad Deum suum. *Op. Exposit. Missæ c.*2.

10. *Applicatio ad Beatam Virginem Mariam.*

Primò nota, quod in hoc Psalmo petitur auxilium à Domino contra hostes,& ut Deus separet nos ab ipsis: Hoc etiam est munus Beatæ Mariæ Virginis, cui à Christo data est potestas contra hostes malignos: ideò ad ipsam Beatam Virginem toto corde invitamur vertere verba hujus Psalmi, & dicere: Judica me Domina, & discerne causam meam de gente perversa, à serpente maligno & à dracone pestifero libera me: Sancta fæcunditas tua disperdat eum: beata Virginitas tua conterat caput ejus: sanctæ preces tuæ corroborent nos contra eum: sancta merita tua exinaniant virtutem ejus: persequentem animam meam mitte in abyssum: puteus infernalis deglutiat eum viventem: Ego autem, & anima mea in terra captivitatis meæ benedicam nomini tuo, & glorificabo te in sæcula sæculorum. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.*42.

11. *Maria Virgo consistorium causarum nostrarum, Deusque in manibus ejus commisit causam animæ nostræ.*

Iudica me Deus &c. Hoc dicebat Propheta Deo tunc, quando adhuc in mundo non constitutum fuerat aliud consistorium, & Tribunal causarum: sed felices nos, qui ad aliud Tribunal divinæ misericordiæ possumus transferre causas peccatorum nostrorum: nempè ad Tribunal Mariæ Virginis: Ipsa enim est constituta consistorium omnium causarum humani generis à summo Imperatore: Hinc fidenter nos peccatores recurramus ad Mariam, ut ipsa discernat nos, & segreget ab hostibus, & ad dexteram filii nos collocet: Judica ergo me Domina Virgo Maria, & discerne causam meam de gente perversa, à serpente maligno, & à dracone pestifero libera me. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.*41. *& op spec. B.Virg. lect.*7.

12. *Maria Virgo lucerna, quæ attulit nobis lucem divinam, illuminans totum mundum.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam &c. Hic optat Propheta lucem divinam, & Verbi Incarnationem, & consequenter, lucernam, vel corpus solare, in quo apparitura erat hæc lux: nempè Beata Virgo Maria, quæ erat lucerna continens lucem divinam: Corpus item solare illuminans totum mundum: ut videas quod si ab hac luce cupis illuminari, ad Mariam debes recurrere. *Op. specul. B. Mariæ Virg. lect.*3.

13. *Beata Virgo Maria altare, in quo Christus oblatus est.*

Introibo ad altare Dei &c Quid est hoc altare Dei? Nota quod per altare significatur Incarnatio Verbi, quæ erat facienda in Maria: Unde dicitur. *Exod.*20. *Altare de terra facietis mihi,* scilicet de Maria Virgine, ergo ad hoc altare mysticum accedamus, & in ejus gremia offeramus sacrificium. *Psal.*25.

PSALMUS XLIII.

Titulus: In finem, filiis Chore ad intellectum.

1. Primò nota in titulo, quod Psalmus iste dirigit nos in finem, scilicet Christum, estque pro filiis Chore: idest Crucifixi imitatoribus, scilicet martyribus: Ad intellectum, ut nempe intelligant, quare Deus eos exponat tot tribulationibus, eosque separet à mundi deliciis, videlicet ut solùm Deum appetant, & in Deum solùm cor affigant.

2. *Vocat Deus multipliciter hominem.*

Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis: opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis &c. Quid est, quod audistis ô sancti Prophetæ? quid est, quod vobis narraverunt Patres vestri? Respondent: opus, *quod operatus est in diebus eorum.* Litteraliter allusio

allusio fit ad vocationem populi Israël de Ægypto factam per comminationes, flagellationes, auxilia, & beneficia, quæ ipsi populo exhibita fuere à Deo: per quod indicatur multiplex vocatio hominum, quæ fit à Deo: modò enim vocat per promissa, modò per comminationes, modò per flagella, modò per collationem bonorum temporalium, modò spiritualium: Istæ enim sunt omnes inspirationes, & vocationes, quibus ad se nos Deus vocat. *Psal.* 43.

3. *Beneficia nobis à Deo collata in hac vita sunt excitamenta, & voces, quibus vocamur ad patriam.*

Opus, quod operatus es in diebus eorum &c. Quid est hoc opus? opus Dei ad extra est duplex, scilicet creationis, & redemptionis, estque in præsenti, & opus retributionis, quod erit in futuro: primum ordinatur ad secundum: ergo beneficia, quæ nobis Deus confert in hac vita tam naturalia, quàm supernaturalia sunt voces, quibus invitamur ad meritum augendum in præsenti, & ad gloriam acquirendam in futuro: felix igitur, qui sæpè meditatur cum Propheta hoc opus operatum à Deo. *Psal.* 43.

4. *Quidquid boni habemus totum à Deo habemus.*

Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos &c. Quid est plantasti eos? Ad litteram loquitur de dispersione gentium in terra promissionis & de ejusdem possessione tradita filiis Israël, expressa nomine plantationis factæ à dextera & brachio Dei: datque hac metaphora intelligere, quod quidquid boni habemus est à Deo plantatum pro nobis, & in nobis: est enim plantatio bonorum temporalium, & bonorum spiritualium in hac vita, ut excellentes has plantationes mereamur, & crescamus in merito bonorum cælestium ut ea habeamus, & possideamus in Cœlo. *Psal.* 42.

5 *Salus patriæ, non viæ est à nobis quærenda.*

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutem Iacob. Quid est mandare salutem Jacob? & si intendit per hoc, ut proximum salutemus, sicut dicunt plures doctores, quomodò postea dicit *Luc. c.* 10. *Neminem per viam salutaveritis?* Sed attende illud verbum, *(per viam,)* salutare aliquem est salutem ei optare: prohibet igitur optare salutem viæ, scilicet bona terrena, sed vult, ut optemus proximo, & nobis salutem patriæ, scilicet bona spiritualia: hoc igitur mandat, & præcipit Deus Prædicatoribus, & Prælatis, ut totis viribus quærant salutem proximi spiritualem: sic enim dicitur mandare salutem Jacob, scilicet pugnantibus in via. *Luc. c.* 10. *v.* 4.

6. *In invocatione nominis* JESU *inimicorum obtinetur perfecta victoria.*

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis: non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me &c. In nomine tuo confitebimur in sæculum &c. Nota hic, quod David obtinuerat victoriam contra Goliath. & ne quis crederet ipsam consecutum fuisse suis viribus, & confidendo in arcu, & gladio &c. dicit quod totum obtinuit in virtute nominis Dei: tu ad me venis cum gladio &c. & ego venio ad te in nomine Domini exercituum: Sed quodnam est hoc nomen Domini? Nonne plurima nomina attribuuntur Deo in Sacra scriptura? loquitur de illo nomine, quod est super omne nomen, & quod omnia nomina Dei continet, nempè de nomine Jesus, quod litteris quinque veluti lapidibus componitur: Nobisque dat intelligere, quod virtus nominis Jesus invocati devotè in oratione est efficacissima contra hostes: Nomen dignissimum, & omni reverentia dignum, nomen, quod continet virtutem quinque vulnerum, & passionis Christi. *serm.* 4. *in Circumcis.*

7. *Idem de virtute nominis Iesus, & de confidentia in ipso collocanda.*

Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me: salvasti enim tu nos &c. In Deo laudabimur tota die, & in nomine ejus confitebimur in sæcula. Vide quomodò hic vir à Deo illustratus cognoscebat hanc irrefragabilem veritatem, quod præsumentes de sua potentia à Deo deseruntur, & confunduntur: Confidentes in Dei potestate, & invocantes devotè ejus nomen adjuvantur à Deo: Istique volunt solùm laudari in Deo, & confiteri nominis ejus virtutem attribuendo omne bonum ipsi omnium largitori: Væ igitur præsumentibus de se. *serm.* 1. *Dom.* 4. *post oct. Epiph.*

8. *Deus repellit justos à se aliquando ad suum ipsorum majus bonum: Deus repellit impios ad ipsorum perditionem.*

Deus repulisti nos, & confudisti nos, & non egredieris Deus de virtutibus nostris. Quomodò dicit, quod Deus ipsos repulit, & quod non eos deserit? Quomodò possunt hæc simul consistere? Sed nota, quod repulsio alia est in bonum justorum, alia in perditionem malorum: Deus suos amicos repellit vel quantum ad opinionem Vulgi, (nempè quando sinit eos in tribulatione, & videntur veluti derelicti à Deo, & hominibus, quod non est verum:) vel repellit eos, quando aliquam gratiam eis denegat, ad majus ipsorum bonum: vel quando Deus differt dare eis præmium: hæc omnia inserviunt justis ad majus meritum, & profectum: tractat enim cum eis ad modum medici, qui vulnerat, & diætam imponit ad sanitatem; vel etiam aliquando permittit eos peccare, ut fortiores evadant: tunc enim cadunt, sed feliciter cadunt: Impios autem Deus repellit ad ipsorum damnationem. *Psal.* 43. De prima repulsa agit hic Propheta, dum dicit. *Avertisti nos &c. Vendidisti populum tuum sine pretio &c. hæc omnia venerunt super nos &c.*

9. *Verecundia bona Deo chara: mala Deo exosa.*

Tota die verecundia mea contra me est. Quæ est hæc verecundia contra me? Nota, quod est verecundia de die, & verecundia de nocte: prima est, quæ detegit peccata, detestatur, & dolet, & facit ea in confessione revelare, & hæc est medicinalis, Deoque chara: E contra verecundia, quæ facit occultare peccata est verecundia

cundia nocturna, Deoque exosa, quia in tenebras peccatorem inducit. *serm. 2. Dom. infra oct. Epiph.*

10. *Impii inimici justorum insurgunt in ipsos, & verbis, & factis.*

Confusio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis, & obloquentis. Vide quomodò vir justus eum Deo conqueritur de persequentibus, qui & factis in eos insurgunt, & dictis maledictis obloquuntur, & exprobrant eos: hic enim est mos impiorum contra justos: Unde tales exprobrationes vindictam clamant ad Dominum. *Psalm. 118. cap. 3. vers. 10.*

11. *Iusti Deum amantes pro quacumque adversitate, Dei non obliviscuntur, nec ipsum deserunt.*

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo. Ecce signum maximum amoris Dei residentis in suos amicos, dum ob quamcumque tribulationem, & persecutionem, adversitatemque Dei, & suorum mandatorum non obliviscuntur, vel deserunt: Istique sunt verè fideles Deo, ò quot è contra infideles Deo reperiuntur amici Dei in prosperitatibus, sed ipsum deserunt in adversitatibus. *Ps. 118. c. 6. v. 3. & Psal. 43.*

12. *Memoria suppliciorum, quæ Deus impiis præparavit, retrahit à peccato.*

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis: si obliti sumus &c. Nonne Deus requiret ista? &c. Vide quo motivo iste justus non est oblitus mandatorum Dei, nec transgressus est ea, quia Deus novit abscondita cordis, & quia requiret ea, ut puniat: oblivio ergo non solùm beneficiorum Dei, sed & suppliciorum induc̃it ad transgressionem: memoria ipsorum retrahit à transgressione. *Psal. 43.*

13. *Oves Christi simplicitatem innocentiæ, tractabilitatem patientiæ, & fœcunditatem operationis habent: Hædi diaboli habent contrarium.*

Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Cur sicut oves dicit esse justos, & oves occisionis? Nota, quod oves sunt Christi sequaces: Hædi sunt sequaces diaboli: oves Christi habent simplicitatem innocentiæ per rectitudinem intentionis, nulla habent arma ad impugnandum, non cornua superbiæ, non calces violentiæ, non dentes crudelitatis, non ungues rapacitatis, non venenum malignitatis: habent tractabilitatem patientiæ per tolerantiam adversitatum: ovis enim dum ducitur ad macellum non recalcitrat pede, non mordet dente, non impetit cornu: sic verus Discipulus Christi ad exemplum magistri non murmurat in corde, dum est in tribulatione, non obloquitur ore, non repugnat in opere: habet & fœcunditatem multiplicis operationis bonæ, dans pastori suo Christo lac mundæ affectionis, caseum bonæ operationis, & lanam honestæ conversationis. *serm. 1. Dom. 1. post oct. Paschæ & Psal. 48.*

14. *Deus qualiter obdormire dicatur.*

Exurge quare obdormis Domine, & ne repellas in finem &c. quarè faciem tuam avertis? quarè obliviscaris inopiæ nostræ? &c. Ergone Deus dormit? Nota, quod de Christo dicitur obdormire in morte: dicitur dormire in nobis per negligentiam nostram: Item & per gratiæ subtractionem: Item per dilationem auxilij, vel præmij. *Psal 4. op. de Invisibili. Dei.* Quasi dicat exurge idest fac nos exurgere auxilio tuo per meritum tuum. *Psalm 34. & 67.* Et hinc amici Dei confidenter ad Deum tanquam filii recurrunt, dicentes, exurge Domine, & ne repellas in finem: scilicet, ne differas quæso auxilium tuum &c. *op. de perfect. Religios. l. 2. c. 2. & Psal. 118. v. 10.* Idem & dicebat David optans videre Incarnationem Verbi &c. *Psal. 43.*

15. *Qui sordibus ventris solùm sunt intenti, eique serviunt, sunt serpentes terræ adhærentes, hocque maximè dicitur de malis Prælatis.*

Quoniam humiliata est in pulvere Anima nostra, conglutinatus est in terra venter nostr &c. Ecce quare Deus videtur obdormire nobiscum, nempè ab torporem, & ignaviam nostram, & præcipue quia venter noster in terra conglutinatus est: Sed quomodò terræ conglutinatus est venter? quia solùm sordibus ventris servimus, quia solùm ventris curæ sumus intenti: hocque maximè dicitur de Prælatis, & Religiosis, qui relinquentes, & omittentes vitalia auxilia debita toti corpori, scilicet subditis, vel Animæ, solùm proprio ventri indulgent. *In Thren. c. 1.* quia igitur terræ toti adhæremus reptantes in terra ad modum serpentum; ideò dicitur Deus veluti obdormire, scilicet nos privando suis gratiis, & auxiliis, ut infra dicitur.

16. *Christus obdormire dicitur nobiscum per subtractionem gratiarum, quia toti ad terram conversi sumus, & in terra cor defixum habemus.*

Exurge quare obdormis Domine &c. Nota, quod hic quærit Propheta causam quare videtur obdormire, nempè per subtractionem gratiarum: Deinde respondet adducens causam, nempè quia humiliata est in pulvere Anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster: Quid est hoc? quid sibi vult hæc conglutinatio, & humiliatio? Nihil aliud nisi in terra corde jacere: & ideò, quia homo, maximè Deo dicatus, & Religiosus totus prostratus in terra, totus adhærens terræ, totus conglutinatus est cum terra tenacissime, sicut forti bitumine lapides conjunguntur, ut vix amplius dissolvantur: & hæc est causa quare Deus obdormit nobiscum: quare Deus non diffundit suas gratias, quare homo non proficit in via Domini: non enim possunt simul stare dilectio Dei, & amor avaritiæ, & terrenorum. *fer. 1. de Sancta Agnete. & op. de Eccles. Hier. p. 3. c. 3. Psal. 118. c. 7. v. 11.* *Non possunt simul stare delicia Dei, & amor terrenorum.*

17. *Qui jacet in terra ventre, alienus fit à gratiarum distributione cœlestium: qui solo pede terram tangit, à Deo amatur, & dicitur spiritualiter.*

Quia humiliata est in pulvere Anima mea, conglutina

20. *Pænitens non debet abſcondere juſtitiam Dei, ſcilicet ſe ab aſpectu juſtitiæ, quam exigit Deus ab ipſo.*

Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi. Quid eſt juſtitiam abſcondere in corde, niſi juſtitiæ, & contritionis aſpectum fugere? Ideò pœnitens debet piſtillo juſtitiæ Dei, ſcilicet contritione conterere radicem injuſtitiæ commiſſæ, ipſamque manifeſtare Deo in confeſſione, ſicque ſalutem conſequi. *Pſal.* 118. *c.* 2. *v.* 3.

21. *Miſericordia, & Iuſtitiæ exercitium in Deum, & proximum quale, & miſericordia Dei in nos qualis.*

Miſericordia tua, & Veritas tua ſuſceperunt me. Quid eſt ſuſceperunt me? ſcilicet me attraxerunt ad exercendam miſericordiam, & veritatem. Hæc autem conſiſtit in duobus, ſcilicet in dando, & dimittendo, & utraque habet tres gradus: miſericordiæ primus gradus eſt dando de ſuis rebus pauperibus, & Deo: ſecundus gradus melior eſt in dando ſua, relinquendo omnia pro Chriſto: Tertius gradus optimus eſt in dando ſeipſum totum, ſic dicebat Apoſtolus: *ego impendam, & non ſolùm impendam, ſed impendar pro Animabus veſtris:* In dimittendo, primus gradus remittit partem debiti: ſecundus, qui remittit totum debitum: Tertius, qui etiam ipſum ſervum remittit, ſcilicet benefacit inimico. *In Pſal.* 39.

22. *Peccatum, & maximè inobedientia eſt trabes excæcans oculum rationis, & aperiens oculum concupiſcentiæ.*

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Mirum eſt quid hic dicit Propheta; & non potui videre? erat ne cæcus? Sed attende, quod hoc dicebat in perſona primi hominis & cujuſlibet peccatoris exiſtentis in peccato ſciens, quod peccatum, & maximè inobedientia eſt trabes excæcans oculum rationis, & aperiens oculum ſenſualitatis: factus cæcus ad Deum, perſpicax ad mundum: obſcurus ad ſcientiam, acutus ad concupiſcentiam: Dicit ergo: & non potui videre Deum, & cœleſtia, ſed ſolùm terrena. *Pſal.* 105.

23. *Calamitates peccatoris accedentis ad judicium expenduntur.*

Quoniam circumdederunt me mala, iniquitates me comprehenderunt &c. Nota, quod etiam hæc dicuntur in perſona peccatoris accedentis in peccato ad judicium, & examen mortis: Iſte enim circumdatur à peccatis accuſantibus, comprehenditur, & conſtringitur ab infirmitate, & doloribus, & impeditur, ne videat Deum miſericordem; videt tamen mala ſibi imminentia, & præſentia, nempè Deum ſuperiùs iratum, ſubtus horrendum chaos, & patentem Infernum; à dextris peccata accuſantia; à ſiniſtris Dæmonia ad Infernum trahentia; intus conſcientiam urentem: foris mundum, quem deſerit: miſer ſic deprehenſus, quò fugiet. *In Luc. c.* 19. *v.* 44.

24. *A nemine quantumcumque peccatore deſperanda eſt ſalus, dummodò pœniteat.*

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei: complaceat tibi Domine, ut eripias me: Domine ad adjuvandum me &c. Vide quid infert iſte pœnitens ex propoſitione infinitorum peccatorum quæ in Deum commiſerat: non ad deſperationem, ſed confugit ad divinam pietatem, ut ipſum à tam enormibus peccatis, & tam patentibus periculis liberet: per quod admonentur peccatores, quod numquam deſperare habent de remiſſione, dummodò ex corde pœniteant, & recurrant ad Tribunal divinæ pietatis. *ſerm.* 4. *de Circumciſ. & Pſal.* 50.

25. *Qui malè quærit Chriſtum, invenit confuſionem, & maledictionem: qui benè quærit, invenit ſalutem.*

Confundantur, & revereantur ſimul, qui quærunt Animam meam &c. Cur Chriſtus petit confuſionem, & tremorem pœnalitatis ſignificatam in illo verbo, revereantur, qui quærunt Animam ejus? Nonne bonum eſt quærere Chriſtum? Sed nota, quod ſubdit, ut auferant eam: Nam quæritur Deus multipliciter, malè, & benè: ſunt enim, qui quærunt Chriſtum in peccato, vel in multitudine carnalis cogitationis, vel affluentiæ mundialis, vel in tumultuoſitate mondanæ occupationis, & negotiationis, vel in delicijs carnalis concupiſcentiæ, vel non in tempore debito: & quia malè quærunt, ideò vel eum perdunt, vel non inveniunt, niſi ad ipſorum perditionem: Benè quærit Chriſtum, qui in corde puro, & ſimplici eum quærit, & ideò invenit: Confundantur igitur, ait Chriſtus malè me quærentes, ut Judæi, qui ipſum quæſierunt, ut perderent. *In Ioan. c.* 7. *v.* 34. *& c.* 8. *v.* 11. *& c.* 11 *v.* 54 *& In Luc. c.* 19. *v.* 17. De iſtis, ergo, qui ſanctè quærunt Chriſtum dicitur *Exultent, & lætentur in te omnes quærentes te, & dicant ſemper magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. In Luc. c.* 1. *v.* 47.

26. *Mendicitas, & paupertas cuiuſcumque hominis, etiam ſancti expenditur.*

Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei: Adjutor meus tu es &c. Hoc dicebat Chriſtus: ſed quomodò verè id poterat dicere, qui eſt dives, & Dominus omnium? Nota; hoc dicebat ut homo; & ut addiſceremus quod omnis homo quantumcumque ſanctus, eſt mendicus, & inops: & hoc ob ſuam inſufficientiam, inopiam, & inſtabilitatem: In primo eſt de ſe imperfectus: In ſecundo non habet bonum proprium: & in tertio debet timere malum: Videat enim ne cadat; Ideò à Deo ſolo debet expectare auxilium, dicens: Domine, ne tardaveris præbere auxilium de præſenti, & futuro. *Pſal.* 39 *v.* 18. *&* 118. *cap.* 4. *v.* 15. *& ſerm.* 1. *in feſto omnium ſanctor.*

27. *Chriſtus*

27. *Christus fuit pauper, & mendicavit ostiatim: ad cujus exemplum Sanctus Pater Franciscus jussit fratribus suis eamdem mendicitatem.*

Ego autem mendicus, & pauper &c. Si hæc dicuntur in persona Christi, quomodò verificantur de illo, qui creavit omnia? Vide ex hoc, quod Christus per omnia voluit se conformare in vitæ humanæ calamitatibus, & ideò quasi unus ex turba pauperum stipem per ostia mendicare, maximè in illo triduo, quando amissus fuit à Maria, & Joseph, & ideò ad suam indigentiam relevandam, non solùm à bonis, sed etiam à malis accipiebat eleemosynam, ut patet quando discubuit ad mensam Pharisæi: In quo dat nobis formam, quod licitè possumus accipere eleemosynam à bonis, & à peccatoribus occultis, ut fiant boni, dummodò non dent de alienis: & hinc Sanctus Pater Franciscus hanc mendicationem ostiatim faciendam præcepit suis fratribus ad imitandum exemplum Christi, & humilitatem exercendam. *In Luc. c. 9 v. 57. & op. expos. Regulæ S. Franc. c. 6. & op. de paupert. Christi q. 1. a. 2.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

28. *Expectans expectavi Dominum &c.* Hic Psalmus, ut supra dictum est, dirigitur ad nos, ut expectantes quæramus auxilium à Christo, ut nobis in præsenti conferat auxilium gratiæ, & in futuro gloriam. Idem & proportionaliter dicendum est in ordine ad Mariam Virginem; ad quam conversus pœnitens potest dicere: Expectans expectavi gratiam tuam ò Beata Virgo, & fecisti mihi secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui: exaudisti preces meas, & eduxisti me de lacu miseriæ, & de fovea inimici. *op. Psalt. B. Virg. Psal. 39.*

29. *Maria sua gratia educit peccatores de lacu miseriæ, & de luto fæcis.*

Eduxisti me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Hoc dicitur à pœnitente ipsi Christo. O quot peccatores possunt hoc dicere Beatæ Virgini! Ipsa enim est, per quam datur regressus à privatione vitæ ad habitum vitæ, vivificans mortuos, per quam est resurrectio, & vita, & remissio peccatorum, & omne bonum. *op. stim p. 3. c. 19.*

30. *Beata fuit Maria Virgo, quia fide concepit Christum spiritualiter, spe ipsum attraxit, & deinde corporaliter ipsum generavit.*

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus &c. Si hoc dicitur de omni justo: hoc peculiari modo dicendum de Maria Virgine, quæ fide concepit Christum, spe attraxit in se, & corporaliter generavit: Ideò beatissima super omnes creaturas. *In Luc. capit. primo, vers. 45.*

31. *Virgo Maria ut corpus aptum ad redimendum Verbo præberet, mundificata fuit ab omni culpa, & repleta omni gratia.*

Sacrificium, & oblationem, scilicet antiquæ legis, noluisti, aures autem, vel corpus perfecisti mihi. Si hæc verba sunt Christi: cur non dicit, corpus autem meum perfecisti, sed dicit mihi? ergo de alio corpore loquitur? maximè: loquitur enim de Beata Virgine Maria, quam aptavit, & perfecit Deus Pater eam mundificans ab omni culpa, & replens omni plenitudine gratiarum, & omni puritate; qua sub Deo major nequit intelligi ut esset vas munditiæ contentivum omnis fragrantiæ, & ad alios redundaret: Dicit igitur Christus Patri: Corpus aptasti mihi in Maria Matre. *l. 4. sent. in prol.*

32. *Maria Virgo Dominum super omnes quæsivit: ideò invenit, & magnificavit Dominum.*

Exultent, & lætentur in te omnes quærentes te, & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Sed qui sunt isti quærentes, & dicentes magnificetur Dominus? At recurre ad Canticum Mariæ, & audies: *Magnificat Anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo &c.* Quis ergo plusquam Maria quæsivit toto corde Deum? quis cum majori perfectione invenit Deum? quis majori ardore dilexit Jesum? Ideò Anima ejus magnificat Dominum, & Spiritus ejus exultavit in Deo salutari suo. *In Luc c. 1. v. 47.*

33. *Paupertas summa Beatæ Virginis Mariæ, Ioseph, & Pueri Iesu expenditur.*

Ego autem mendicus, & pauper &c. Si hoc dicitur de Jesu Christo, ergo Maria, & Joseph erant forsan divites? minimè, sed pauperrimi: filius erat pauper, pater, & mater pauperrimi: Vide qualem paupertatem exercuit Maria in Bethleem in nativitate Christi, ubi multis necessarijs indiguere: Item in oblatione Columbarum: nam ob paupertatem non potuerunt offerre Agnum: Item in itinere Ægypti, in quo ostiatim sæpe stipem quæsierunt, & post habitantes in Ægypto in Civitate Heliopolis Maria colo, & acu quærebat sibi, & filio necessaria: suebat, & nebat mundi Domina paupertatis amatrix, & ipse Jesus puer reportabat opera facta, petens ex parte matris solutionem, & pretium, & quod est valde mirabile, sæpè puer Jesus petebat panem more puerorum, & Maria angebatur, non habens, unde posset dare: concutiebantur ejus viscera, sibique aliquando subtrahebat de victu, ut reservaret filio: Hæc est igitur pretiosissima margarita paupertatis, quam quæsierunt Jesus, Maria, & Joseph, & quam in hac vita tam asperè exercuerunt. *op. medit. Vita Christi, c. 5. & 7. & c. 11. & In Luc. c. 2. v. 24. & op. specul. B. Virg. lect. 4. & op. Pharet. l. 1. c. 5.*



PSALMUS XXXX.

Titulus: In finem Pſalmus ipſi David.

1. PRIMÒ nota, hunc Pſalmum dirigi in Chriſtum, ut à nobis credatur pauperem fuiſſe crucifixum reſuſcitatum, & ut imitatores ſimus ſuæ paupertatis, & paſſionis.

2. *Ex Chriſto fonte miſericordiæ derivat in pauperes eleemoſyna per manus viri miſericordis: Unde ſub perſona pauperis latet Chriſtus.*

Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Quid eſt intelligere ſuper egenum, & pauperem? Ergone ſufficit intelligere, & cognoſcere pauperem? & quis eſt, etiam crudelis, & avarus, qui non intelligat, & cognoſcat pauperes? Sed attende illam particulam, (*ſuper*:) Vult enim, ut aliquid aliud intelligamus præter pauperem: nempè, quod ſuper pauperem eſt Chriſtus (Deliteſcit enim, ait Sanctus Cæſarius, ſub perſona pauperis:) Chriſtus enim eſt fons omnis miſericordiæ, & vult, ut per manus divitum derivet ad pauperem, ergo hæc prius derivat à Chriſto ad divitem, & à divite ad pauperem, tamquam per rivum miſericordiæ divitis: Beati igitur erunt in gloria tales intelligentes ſuper pauperem, quia ipſorum miſerebitur Deus, in die mala eos liberabit. *ſerm. 2. de omnibus ſanctis.* Nota etiam quod dicitur. *Beatus qui intelligit ſuper egenum &c.* Quia ſicut benè intelligentes aſſumuntur ad honores, & dignitates: ſic qui intelligunt neceſſitatem pauperis promoventur, & quaſi epiſcopantur ad æternam beatitudinem. *op. Diat. Tit. 6. c. 3.*

3. *Quàm ſit beatus, qui legem miſericordiæ eligit ſuper egenum.*

Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. Nota iterum illam particulam (*ſuper*) ſcilicet ſuperintelligit: ergo aliquid aliud à paupere innuit? & quid? nihil aliud, niſi intelligentiam per lumen fidei ad æternas leges: hæc enim eſt radius ſupernus, qui illuminat mentem, ad ea, quæ nobis facienda ſunt? Lex autem hæc divina dirigit hominem ad Deum, & ad ſeipſum, & ad proximum per legem juſtitiæ, patientiæ, & miſerationis; ergo qui interius legit hanc legem miſericordiæ, eamque dirigit ſuper egenum, & pauperem, beatam partem elegit. *Pſal. 118. cap. 7. verſ. 4.*

4. *Prædicatoribus, & laborantibus in vinea Domini debetur eleemoſyna, & ſuſtentatio.*

Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem &c. Ergone ſola intelligentia poteſt quis adipiſci hanc beatitudinem? Nota, quod hoc diſcrimen eſt inter pauperes hujus mundi, qui ſunt tales veluti coactè, & pauperes ſpiritu, qui omnia relinquunt, ut Deo, & Eccleſiæ ſerviant: quod illis debetur non intelligentia, ſed eleemoſyna: Iſtis verò beatitudo competit intelligentiæ: ſcilicet ut intelligamus, quod illis à Deo promiſſa eſt beatitudo, & ideò etiam ex juſtitia debetur ſuſtentationis alimentum, quia metunt carnalia, & ſeminant ſpiritualia. *opuſcul. Apol. paup. reſponſ. 4. cap. 3.*

5. *Immiſericordes miſeri, & damnati.*

Beatus, qui intelligit &c. Si hoc, ergo immiſericordes ſunt miſeri, quia judicium iſtis fiet ſine miſericordia: nempè illis qui deſpiciunt pauperes, qui contemnunt inopes, qui affligunt humiles, qui perſequuntur debiles. *ſermon. 1. in feſto om. ſanct.*

6. *Qui audit egenum rogantem, audit & Eccleſiam pro ipſo rogantem Deum, ut beatum faciat eum in toto tempore vitæ.*

Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra &c. Nota hæc tria, quæ ab Eccleſia petuntur à Deo pro miſericordibus: nempè, Dominus conſervet eum ab omni tentationis periculo, & tribulationis occaſione: Vivificet eum, quoad progreſſum hujus vitæ per collationem gratiæ, & beatum faciat in terra, ſcilicet in egreſſu Animæ à corpore. *Pſal. 118 c. 4. v. 2.* Hæc omnia petit Eccleſia ad profectum viri miſericordiæ.

7. *Chriſti lectus in tota ſua vita fuit doloris.*

Univerſum ſtratum ejus in infirmitate &c. Nota, quod hæc propriè verificantur de Chriſto, cujus lectus fuit doloris, ſcilicet Crux, & ejus ſtratum toto tempore vitæ verſatum fuit in infirmitate carnis. *op. ſpecul. diſcipl. p. 2. c. 1.*

8. *Deus ſæpè immittit infirmitates, ut Stratum libidinis evertat, & deſtruat.*

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus, univerſum Stratum ejus verſaſti in infirmitate ejus. Quid eſt hoc, quod Deus verſat ſtratum infirmi? Nota, quod per Stratum hic intelligitur lectus ſenſualitatis, in quo carnalis jacet: Deus verò ſæpè ipſum convertit in lectum doloris, immittendo infirmitates, ut ipſum curet à morbo ſpirituali: ô felix, & beata infirmitas, ob quam Eccleſia orat, dicens: Dominus opem ferat illi. *Pſal. 61.*

9. *Deus immittit infirmitates pauperibus, ut excitet divites ad erogandam eleemoſynam.*

Dominus opem ferat illi &c. Univerſum ſtratum ejus verſaſti &c. Si Deus eſt, qui immittit infirmitates, verſando ſtratum inopis, cur Eccleſia orat, ut Deus opem ferat? Orat Eccleſia, ut Deus excitet eos, qui poſſunt ferre auxilium, ut eum adjuvent: Unde infirmitates pauperum ſunt clamores vocantes divites ad actus Miſericordiæ. *In Luc. c. 5. v. 18 & 19.*

10. *In lecto pœnitentiæ Deus excitat suos iacentes in hac vita.*

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus &c. Quis est lectus doloris, nisi pœnitentia, & contritio peccatorum? qui in tali lecto jacet, à Deo adjuvatur, & habet Ecclesiam pro se orantem: Beatus igitur, qui in tali lecto dolotis in hac vita dormit, moritur non in patibulo avaritiæ, vel igne luxuriæ, vel lecto luxuriæ, sed gratiæ divinæ. *serm.3. Dom.18. post Pentecost.& In Ioan. coll.25.*

11. *Sanitas Spiritualis Animæ à Deo solo petenda est, & expectanda.*

Domine miserere mei, sana Animam meam, quia peccavi tibi. Hic nota, quod peccatum est infirmitas Animæ, quæ spoliat gratia, vulnerat naturalia, cujus sanatio à solo Deo dependet; & ideò ab ipso petenda eum Propheta dicente: *Sana Animam meam, quia peccavi tibi.* Animam scilicet oneratam peccatis, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes. *l.2.d.18.a.1.q.1. & serm.1. Dom.6.post Pentec.*

12. *Ubi concurrit peccatum, ibi necessariò miseria, & infirmitas succedit, ad quam auferendam recurrendum est divinæ pietati.*

Miserere mei Domine, sana Animam meam, quia peccavi tibi. Nota hic, quod tria affetuntur in medium: nempè peccatum, quia peccavi tibi: ad quod necessaria consequitur miseria, unde sana Animam meam; & hinc utrumque cognoscens peccator, ad misericordiam medici recurrere debet, dicens, miserere mei. *Ps.118. c.2.v.13.& Luc.c.17.v.13.*

13. *Religiosus lectum intraturus instruatur ad propulsandas tentationes malas.*

Miserere mei Domine, sana Animam meam, quia peccavi tibi. Nota, quod postquam exposuit Propheta subversionem lectuli, vel strati in infirmitate, subdit orationem Deo, ut ipsum liberet ab infirmitate: Quænam connexio est ista? At ista diriguntur Religioso, ut instruatur, quod intraturus in lectum, ad Deum recurrere debet, & si aliqua luxuriæ tentatione concussus fuerit, recordetur dilectum suum, scilicet Christum positum super lectum doloris, & universum stratum ejus in carnis infirmitate versatum, hæc dicens in corde suo: Dominus meus pender in patibulo, & ego voluptati operam dabo: Domine Jesu miserere mei, sana Animam meam: sicque invocato nomine Salvatoris, & sæpius geminando nomen salutis, cessabit quassatio. *op.specul. discipl. ad Novit. p.2.c.1.*

Fonte sane. Iesu sini nomen Iesu invoked valet contra tentationes luxuria.

14. *Christus mortuus quare dicitur dormire.*

Nunquid, qui dormit, non adjiciet, ut resurgat? Hic loquitur de Christo in triduo mortis: Sed cur dicitur, quod dormiebat? Nunquid verè mortuus non erat? Sed respondetur, quod dicitur dormire, & simul mortuus: mortuus quidem, quia Corpus, & Anima verè separata sunt: Sed postea dicitur dormisse, quia hæc separatio fuit non coacta, sed voluntaria: & quia Corpus, & Anima numquam separata fuere à Divinitate, & ideò aliqualiter vivus. *Psal.40.*

15. *Homo duplex est in quolibet homine: exterior, & interior: Inter quos est vel pax bona, vel diabolica.*

Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Hæc verba videntur contradictoria: nam conqueritur hic de homine, quem appellat pacis, postea dicit esse sibi adversarium: quomodò hæc subsistunt? Sed nota, quod in quolibet homine est duplex homo: scilicet exterior, & interior, inter quos est continua pugna: Si autem spiritui obedit caro, tunc est sancta pax: Si caro repugnat, & Spiritum sibi subjicit, tunc est pax maledicta, & diabolica; & hoc est quod dicit Propheta, quod homo exterior, qui deberet esse in pace cum interiori, obediendo, magnificat super ipsum supplantationem, subjiciendo sibi hominem interiorem. Nota etiam, quod dicit, *homo pacis, qui edebat panes meos &c.* Quia cum caro obedit spiritui, tunc comedunt simul panem, scilicet doloris, nempè interior dolendo, exterior flendo, & mortificando. *Psal.40.*

16. *Qui post pœnitentiam ad vomitum peccati redit, in majus periculum, & infirmitatem recidit.*

Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Jam dictum est, quod tunc homo interior, & exterior simul comedunt panem pœnitentiæ, quando exterior obedit interiori, & spiritui: Sed quid sibi vult, *magnificavit super me supplantationem?* Idest maximam de me victoriam obtinuit & in pejus præcipitavit? Nihil aliud nisi postquam spiritus exteriori panem exhibuit, postquam cum eo ipsum comedit agens pœnitentiam, caro consurrexit adversus spiritum ipsum dejiciendo, & inde magis peccavit, & ad pessimum statum reduxit: nam post pœnitentiam ad vomitum rediens, in pejus ruit, quàm antea esset. *Psal.40.*

17. *Multiplex panis à Christo homini propositus expenditur.*

Qui edebat panes meos &c. Qui sunt isti panes à Christo propositi homini? Nota, quod est multiplex panis in mensa Ecclesiæ à Christo homini expositus; nempè panis Sacræ scripturæ: Sacramentum Eucharistiæ, panis in utero Virginis formatus, in ara Crucis coctus, & in Ecclesia expositus: Item pœnitentia: Item charitas: Item & voluntas Dei: his panibus Christus reficit nos. *Psal.40.*

18. *Ingratissimus & Deo exosus, qui post comestionem panum à Christo exhibitorum, ad peccatum redit.*

Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos magnificavit &c. Vide quomodò cõqueritur Christus de homine, qui prius ad suam mensam comederat panes, denuò levat calcaneum contra ipsũ ut fecit Judas: Iste enim manducat panẽ Domini sed contra Dominum, dum abutitur tot beneficiis à Deo collatis contra Christum: Ideò manducavit

T non

noo vitam, sed mortem, pœnam, & judicium: Audiant hoc qui prius in abdita Sacræ scripturæ, vel vitæ contemplativæ introducti fuerant, & qui ad mensam eucharisticam admissi sunt, vel qui ad pœnitentiam, gratiamque Dei receperant, quàm cautè debeant ambulare, ne ista contra se vertantur. *Psal.40.& in Ioan.c.13. v.18. & in Luc. c.22.v.21.& serm.1.Dom.6.post Pentec.*

19. *Magnum signum misericordiæ divinæ erit resuscitatio bonorum in die Iudicii; magnum signum iræ divinæ in reprobos.*

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me. Nota, quod prius dicit, *miserere mei*, postea *resuscita me*; ut videas, quod resuscitatio futura in Judicio pro bonis erit actus summæ Dei misericordiæ, sed non pro reprobis: nam hæc erit in majorem pœnam, & confusionem. *serm.3. Dom. 6. post Pentec.*

20. *Maximus actus divinæ misericordiæ est resuscitatio à peccato; iræ verò, & severitatis est derelictio peccatoris in sepulchro peccati.*

Tu autem miserere mei, & resuscita me. Ecce quomodò recognoscit hic vir illuminatus à Deo qualis sit divina misericordia, dum homo resuscitatur à sepulchro peccati: & qualis sit divina severitas relinquere hominem in putredine peccati. *ser.3.Dom.6.post Pentec.& Psal.118.c.4. v.10.*

21. *Victoria de inimicis infernalibus signum est electionis divinæ.*

In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me, me autem propter innocentiam suscepisti. Sed quomodò cognovisti, quod Deus te elegit, & voluit in numero suorum electorum? *quia non gaudebit inimicus meus super me.* Idest quia fecisti voluntatem meam victricem, & triumphantem de inimicis meis: hæc est probatio electionis divinæ. *Psal.118.c.5.v.11.*

22. *Felix, qui adspicit ad paupertatem Mariæ: hanc enim intelliget Superiorem omnis cujuscumque pauperis, & ad imitationem ipsius excitabitur.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem &c.* Nota, quod, ut supra dictum est hæc beatitudo promittitur illis, qui ad superiores legis divinæ misericordiæ adspiciunt: Unde potest rectè dici, quod beatus est, qui respicit, & intelligit pauperem superiorem cæteris pauperibus: supra autem diximus *num* 4. hos esse pauperes spiritu: ad quos intelligentia nostra debet ferri: Sed quis magis in mundo fuit pauper spiritu Beata Virgine Maria? Ipsa enim se ancillam profitetur Domini, cujus est electa major; & ideò nulla fuit humilior Maria, nec est, nec omquam erit in æternum: fuit item omnium pauperrima rebus temporalibus, ut nos ad paupertatem invitaret, & sua inopia ditaret. *In Luc.c.2. v.7. op. spec. B.Virg.lect.4. & 10.*

23. *Beata Virgo Maria intellexit, & subvenit Christo pauperi.*

Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem &c. Nota, quod hoc dicitur de Maria Virgine, quæ bene intellexit paupertatem Christi, & cui subvenit in suis necessitatibus: subvenit inquam præbendo ei suam carnem ad induendum, sanguinem, & lac ad nutritionem, & suos labores ad subventionem. *opusc.meditat Vita Christi, c.10. & 12.& 17.*

24. *Beata Virgo Maria intelligit super egenos, & pauperes sibi devotos, eosque subvenit, & invitat ad sustinendam paupertatem.*

Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem &c. Ergo & beata est Virgo Maria, quæ intelligit super egenos; & pauperes in ejus laudibus permanentes: eosque invitat ad tolerandas miserias suæ paupertatis exemplo suo. *op. Psalt. B. Virgin. Psal.40.& op specul.B.Virg. lect.4.*

25. *Panis eucharisticus nobis à Christo paratus est panis Mariæ in ejus Utero formatus, & coctus ut in clibano igne Spiritus Sancti.*

Qui edebat panes meos &c. Nota: supra diximus inter panes, eucharisticum esse præcipuum nobis à Christo paratum: Sed quando formatus, & coctus est? formatus fuit in Utero Mariæ Virginis, & igne Spiritus Sancti ad perfectum redactus, qui postea recoctus in Ara Crucis, fuit expositus in mensa Altaris: ergo ille panis est panis Mariæ. *Psal.40.*

PSALMUS XLI.

Titulus: In finem intellectus filiis Chore.

1. PRIMÒ nota, quod Chore propter ambitionem fuit damnatus: tamen multi ex filiis fuerunt boni, & à David deputati ad ministerium domus Domini: & quia Chore interpretatur Calvaria, in quo fuit Christus crucifixus, ideò mysticè, filii Chore sunt filij Crucifixi, ad quos dirigitur hic Psalmus, nempè ut per amorem, & charitatem sitiant Christum, quia totus iste psalmus agit de charitate exercenda.

2. *Sitiens Anima, & desiderans Dominum fontem, debet esse sicut Cervus.*

Quemadmodum desiderat Cervus ad fontem aquarum ita desiderat Anima mea ad te Deus: sitivit Anima mea ad Deum fortem vivum. Nota, quod hic proponit meritò exemplum Cervi sitientis, ut addiscamus sitire Deum, & modum, quo ad ipsum ire debeamus: Cervus enim senio gravatus excrescentibus pilis, atque cornibus serpentem naribus aurit, quo hausto

hauſto veneno æſtuat: Unde fontem ad hibendum ardentiſſimè deſiderat, ut ſic cornua, & pilos deponat: Sic volens recurrere ad Dominum, veneno vitiorum contractorum à ſerpente diabolo ſe æſtuate cognoſcens, fontem gratiæ deſiderat, ut ſic cornua ſuperbiæ, & pilos vitiorum deponat, & reviviſcit factus homo novus. *ſerm. 1. f. 3. Pentecoſt. & ſer. 1. de S. Maria Magdal.*

3. *Chriſtus ab omnibus deſiderabilis probatur.*

Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat Anima mea ad te Deus. Nota hæc dicuntur ab Anima æſtuante ferventiſſimo deſiderio fruendi Chriſto: & meritò, quia Chriſtus eſt deſiderabilis omni tempore ab omni genere, in omni neceſſitate, in omni proſperitate, in omni adverſitate, ex omni parte: eò quod eſt deſiderabilis viſui, auditui, & guſtui: Viſui, quia eſt ſumma pulchritudo, afferens ſummam delectationem in videndo: Auditui, quia eſt ſumma ſapientia ſummè delectans ſenſum auditus interiorem: Guſtui, quia eſt ſummum bonum ſummè delectans cor. Unde mirum non eſt, ſi Maria Magdalena tam ferventer quærebat videre, audire, & guſtare dilectum. *ſerm. 1. de S. Maria Magdal. & ſerm. 2 de Angelis & ſerm. 2. Dom. 1. Adv. & op. Brevil. p. 5. c. 6. & op. medit. Vita Chriſti c. 37. op. Incend. am. c. . & 3. & In Luc. c. 17. in fine, & In Ioan. coll. 21. & 38.*

4. *Exauditur oratio, quæ habet conditiones hic expreſſas.*

Quemadmodum deſiderat &c. Nota hic conditiones bonæ orationis: primò quantitatem deſiderij: Unde quemadmodum deſiderat &c. Secundò deſiderium interius: Unde ſitivit anima &c. Tertiò pœnitentiam exteriorem: Unde fuerunt mihi lachrymæ meæ *Pſal. 41.*

5. *Chriſtus fons, in quo extinguitur ardor libidinis, & omnium vitiorum.*

Sitivit Anima ad Deum fortem vivum: Alij legunt, *fontem vivum.* Meritò Chriſtus dicitur fons, & fortis, quia habet ejus gratia vim extinguendi omnem ardorem libidinis, & vitiorum: Qui vult ergo extinguere ignem concupiſcentiæ, ad Chriſtum currat: Dicat ergo Anima: Bone Jeſu fons indeficiens, & humana corda reficiens, ad te curro, te ſolum ſitiens, tu ſolus es mihi ſufficiens. *ſerm. 6. Dom. infr. oct. Epiph. & ſerm. 4. Dom. ſexageſ. & ſerm. 1. S. Maria Magdal & opuſ. de Regim. Animæ. op. de ſeptem Itin. ætern. Itin 2. d. 7. & Itin. 4 d. 5. art. 1. & opuſc. de perfect. Religioſ. l. 2. cap. 61.*

6. *Deſiderium ardens unionis Chriſti eſt fundamentum fabricæ ſpiritualis.*

Sitivit Anima mea ad fontem vivum, quando veniam &c. Ecce quomodò collocat in imo ſcalæ itineris ad Deum ardens deſiderium uniendi ſe cum Deo: hoc enim deſiderium eſt fundamentum totius fabricæ ſpiritualis, & ſuper quod cæteri actus debent fundari, & ſine quo nulla ſunt omnia. *op. de perfect Religioſ. l. 2. cap. 61. & opuſc. de regim. Animæ & op. de ſept. Itin. ætern. Itin. 2. d. 7. & In Luc. cap. 3. v. 3. & cap. 14. verſ. 17. & Pſalm. 118. cap. 6. v. 4.*

7. *Iuſti per deſiderium ardens ad Deum ambulant, & Deus eos ad ſe trahit.*

Sitivit in te Anima mea, quando veniam &c. Vide quomodò juſtus ardenter unionem cum Deo deſiderans ad Deum corde vadit: Deuſque è converſo ipſum juſtum ad ſe trahit. *In Sap c. 4.*

8. *Lachrymæ contritionis, & pœnitentiæ ſunt panis multipliciter reficiens Animam.*

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte &c. Cur nomine panis appellat lachrymas? quænam comparatio eſt iſta? Sed attende quod panis dicitur à Pan, quod interpretatur totum, quia panis dat totum nutrimentum corporis, nec ullus cibus eſt ſuavis, & utilis ſine pane: Sic & contritio, & pœnitentia dicitur panis Animæ, quia hunc debet eſurire, & mirabilem delectationem affert Animæ. Attende tamen, quod dicit, *die ac nocte*, ob perſeverantiam: quia enim ſemper peccamus, ideò etiam ſemper plangere debemus. *Pſalm. 41. & 47. & 130. & ſerm. 3. Dom. 4. quadrag. & In Luc. c. 6. v. 21. & c. 17. v. 8. In Ioan. c. 11. v. 38. & col 30.*

9. *Memoria paſſionis Chriſti debet à Prædicatoribus proponi, ut homines ad lachrymas excitent.*

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi, ubi eſt Deus tuus. Ergone tantùm cum dicitur, ubi eſt Deus tuus, lachrymæ ſunt effundendæ? Sed attende, quod hic exprimitur quale ſit munus Prædicatorum, nempè exponere fidelibus, ubi eſt Chriſtus, ſcilicet in Cruce nudatus, flagellatus, & crucifixus, ut per memoriam ſuæ paſſionis Anima excitetur ad lachrymas: & hinc ſe examinans, dicendo: quare triſtis es Anima mea: & poſtea ſibi reſpondens dicat: abyſſus abyſſum invocat, ſcilicet abyſſus compaſſionis Chriſti invocat abyſſum compaſſionis chriſtiani, in voce, & virtute plagarum ejus.

10. *Imploratio perfecta divinæ miſericordiæ tres gradus exigit.*

Hæc recordatus ſum, & effudi in me Animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei, in voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis. Nota, quod hic volens implorare vir juſtus divinam miſericordiam, oſtendit id faciendum per tres gradus: primò debet incurvari cor ad divinam reverentiam: Unde dicit, *hæc recordatus ſum*: Secundò debet dilatari ad divinam benevolentiam: Unde dicit, *effudi in me Animam meam*, ſcilicet dilatatione affectus: Tertiò elevari ad divinam complacentiam, & mutuam allocutionem, quæ eſt ſponſi, & ſponſæ, & ſic ingredi in Tabernaculum uſque ad domum Dei, ubi in voce exultationis, & ſono epulantis, ſcilicet per exceſſum mentis. *op. Incend. amor. cap. 2. & Pſalm. 41.*

11. *Locus confeſſionis eſt domus Dei poſitus in Eccleſia, in quo eſt vox exultationis, & ſonus epulantis.*

Introibo in locum tabernaculi admirabilis. Scilicet in Eccleſiam, uſque ad Domum Dei, ſcilicet in locum confeſſionis, in quo eſt vox exultationis, & confeſſionis, & ſonus epulantis, quia confeſſio peccatorum Paradiſum aperit, animum jucundat, & Deo conjungit. *opuſcul. Comp. Theolog. lib. ſexto, capit. 26. & opuſcul. Confeſſ. in prolog.*

12. *Tranſitus vitæ contemplativæ eſt ad tabernaculum, ſcilicet vulnerum meditationem Chriſti, & hinc ad domum cæleſtem, ubi eſt vox exultationis &c.*

Tranſibo in locum tabernaculi uſque ad domum Dei, in voce exultationis &c. Nota, quod in hoc proceſſu traditur ordo vitæ contemplativæ: hæc enim primò tranſit ad locum tabernaculi, nempè ad contemplandam humanitatem Chriſti, ſcilicet intra vulnera ipſius tamquam in foramina petræ: In hoc loco debet ſe ptius exercere Anima longo tempore, donec purgata, & ſanata mentis acie poſſit uſque ad domum Dei pertranſire, ſcilicet ad contemplationem Majeſtatis divinæ, & cœleſtis gloriæ: tuncque inveniet in voce exultationis, & confeſſionis ſonum epulantis. O felix Anima cui datum eſt tranſire per hos gradus. *opuſc. meditat. Vita Chriſti cap. 51. & 52. In Luc. cap. 9. verſ. 33. & c. 17. verſ. 11.*

13. *Idem confirmatur de vita contemplativa.*

Tranſibo in locum tabernaculi, uſque ad domum Dei. Quodnam eſt hoc tabernaculum? Quiſnam locus, & Domus Dei? Sed transfer mentem ad D. Petrum, qui tria tabernacula volebat facere, & in hoc fuit reprehenſus.: nam unicum eſt tabernaculum, & hoc non materiale, & manufactum, quod proponitur contemplativis: nempè ſi volunt intrare in tabernaculum contemplationis uſque ad Domum Dei, debent relinquere phantaſmata, & figuras, quæ ſunt propriè activæ vitæ, & per fidem, & charitatem immediatè ferri in Divinitatem uſque ad Domum Dei, & ibi ſiſtere: ibique invenient, & experientur quàm ſit admirabile hoc tabernaculum, quàm dulce, & ſuave. *In Luc. c. 9. v. 32. & c. 17. v. 11.*

14. *Gaudium verum eſt in æternorum contemplatione, non in temporalibus.*

In voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis. Vide, quomodò promittit ſibi ipſi vir juſtus fruitionem exultationis, & delectationis, non quidem in temporalibus, & extra ſe, ſed in domo Dei, ſcilicet in contemplatione Divinitatis, in qua ſola poteſt obtineri exultatio, & delectatio. *Pſal. 41.*

15. *In quocumque ſtatu hujus vitæ ſubjicitur Anima tribulationibus ob peccata.*

Quare triſtis es Anima mea, & quare conturbas me? Nota, quod vir juſtus poſt ingreſſum in domum Dei ad ſtatum contemplationis ſublimiſſimæ, adhuc conqueritur de turbatione Animæ. Quid eſt hoc? niſi quod dum ſumus in hoc mortali corpore in quocumque ſtatu ſubjecti ſumus neceſſariò motibus carnis, peccatis venialibus, & debilitatibus hujus mortalitatis noſtræ. *Pſal. 41.*

16. *Peccata venialia conturbant Animam, mortalia ligant.*

Quare triſtis es Anima mea &c. Nota, quod in hac turbatione etiam ſe convertit ad Dominum dicens: *Spera in Deo &c.* ut videas diſcrimen inter peccata venialia, & mortalia: Illa ſolùm turbant, nec impediunt: Iſta ligant, & impediunt progreſſum in Deum. *Pſal. 41.*

17. *Conturbatio Animæ eſt à nobis; à Deo ſolùm quies, & maximè in meditatione paſſionis Chriſti.*

Ad me ipſum Anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonium à monte modico. Notanda hæc verba, quæ continent pulcherrima myſteria. Primò dicit, quod ad ſe ipſum Anima conturbata eſt. Quomodò ad me ipſum? niſi quia ex memetipſo, ſcilicet ex peccatis, & imperfectionibus meis ſolùm recognoſco turbationem? hæc enim ſunt, non à Deo, ſed à nobis: & hinc ſubdit. *Propterea memor ero tui de terra Iordanis*: Jordanis eſt locus pœnitentiæ, & Hermon eſt mons modicus ibi vicinus: Jordanis interpretatur rivus Judicij: Hermon excommunicatus. *Pſal. 131. & 118. c. 4. v. 11. & In Ioan. c. 10. v. 40.* ſignificatque ſeparationem, & contemptum mundi. Dat igitur intelligere, quod omnis conturbatio eſt à mundo, & à nobiſmetipſis: Et ideò per pœnitentiam, mundationemque & contemptum mundi ad Deum ambulandum eſt, ubi eſt vera quies, & delectatio, & præcipuè in meditatione paſſionis Chriſti, *memor ero tui*, ait, ſcilicet tuæ paſſionis. *Pſal. 118. c. 2. v. 9. & ſerm. 3. Dom. 2. poſt oct. Paſcha.*

18. *Meditatio paſſionis Chriſti ſuadetur: eſt enim abyſſus abyſſum invocans.*

Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum. Quid eſt iſte abyſſus aliam abyſſum invocans in voce cataractarum Dei: Nota, quod abyſſus multipliciter ſumitur in ſacra ſcriptura: nempè abyſſus eſt elementorum, de qua *in Gen. cap. 1.* Abyſſus judiciorum Dei de qua *Pſalm. 35.* eſt abyſſus cordium humanorum, de qua *Pſalm. 31.* Eſt abyſſus ſacræ ſcripturæ: Item eſt abyſſus paſſionis Chriſti, & noſtræ mortificationis, & de hac hic loquitur ſacer textus: nempè abyſſus compaſſionis Chriſti patientis, & Crucifixi in voce plagarum ejus invocat meditationem, & compaſſionem hominis Chriſtiani, & retorquere facit omnia excelſa, & fluctus Chriſti, ſcilicet opprobria, dolores, & tormenta

in ipsum hominem compatientem, ita ut possit dicere transformatus in Christum: ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. *Serm. 3. Dom. 2. post oct. Pascha*, & *Psal. 4*. Sic (*ait Alex. Alen.*) Hæc verba possunt verè applicari Christo, & Seraphico Francisco, quando in monte Alverniæ fuerunt in isto impressa vulnera Christi Jesu: abyssus &c. Sic dicebat Franciscus Christo: sic Christus Francisco.

19. *Imitatio Christi crucifixi, & mortificatio nostra vocat in auxilium patientiam, & passionem Christi.*

Abyssus abyssum invocat &c. Idest nostra mortificatio, patientia, & imitatio passionis Christi, vocat in auxilium passionem, mortificationem, & patientiam Christi, quia tali pacto merita Christi communicantur Animæ compatienti. *Psalm. 41.*

20. *Vulnera Christi vocem ad cor nostrum immittunt divinæ pietatis, & invitant animam ad imitationem.*

In voce cataractarum tuarum. Quæ vox est hæc cataractarum Christi, nisi vox vulnerum Christi? Istæ enim nobis ostensæ, & meditatæ immittunt vocem ad cor nostrum, ut in ipsum transformati, possimus dicere, omnia excelsa tua, & fluctus tui, scilicet opprobria, passiones & pœnæ in me per transformationem, & amorem transierunt. *Serm. 3. Dom. 2. post oct. Pascha.*

21. *Christus in die incumbebat prædicationi, & conversioni animarum, & in nocte orationi.*

In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Cur de die voluit Dominus misericordiam, & non in nocte, sed canticum? Nota, quod hæc est prophetia de Christo, qui de die exercebat opera misericordiæ in homines, scilicet prædicando, sanando infirmos, & convertendo peccatores, & de nocte orationi incumbebat. *Op. determinat. circa Regul. S. Franc. quæst. 1.*

22. *Sanctus Pater Franciscus voluit, ut fratres sui de die exercerent se in operibus misericordiæ, & de nocte orarent exemplo Christi.*

In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Ecce ratio quare sanctus Pater Franciscus noluit fratres suos adstrictos ad curam animarum ex debito necessitatis, sed ex affectu charitatis liberæ: & quid prætendit in suis prædicatoribus? nempè ut se exercerent in operibus misericordiæ de die, & ad lucrum animarum: sed postea voluit, quod secederent in montem solitudinis ad orationem, & sibi ipsis incumberent in profectu proprio, ut sic meritum expectarent de fructu salutis aliorum, & periculum evitarent de perditione eorum, alios extrahendo de incendii periculo, & ipsi consistentes in solido. *Op. determinat. cir. q. 1.*

23. *Nox est tempus maximè aptum divinis laudibus.*

Et nocte canticum ejus. Cur de nocte, & non de die? De nocte principaliter vult à suis Deus, ut incumbant in divinis laudibus, & orationi, quia nox est tempus magis opportunum divinis laudibus, & meditationibus; & hoc maximè vult à suis servis, quando cæteri dormiunt, & omnia tumultuantia silent. *Op. myst. Theol. cap. 3. part. 3.*

24. In missione Spiritus sancti, in Ecclesia Christus ostendit suam misericordiam: propter quod dicitur, *In die mandavit misericordiam suam*, scilicet quando post Ascensionem ad Cœlos, misit Spiritum sanctum in die Pentecostes. *Psal. 117.* Hæc est dies lucida, & splendens, quam Spiritus sanctus Ecclesiæ fecit.

25. *Sicut peccator est debitor Dei: sic Deus est debitæ satisfactionis susceptor promptissimus.*

Apud me oratio vitæ meæ, dicam Deo susceptor meus es. Vide correspondentiam animæ orantis, & Dei orationem suscipientis: Deus enim promptus est suscipere orationem, & satisfactionem, quam ipsi debemus: Unde ait Isaias c. 30. *Ad vocem clamoris tui, statim cum audierit respondebit tibi. Psal. 118. c. 8. v. 2.*

26. *Confessio peccatorum efficacissimum remedium contra afflictiones temporales, & spirituales animæ.*

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus. Nota seriem horum verborum: primò dicit animam suam conturbatam afflictam, & in tribulationibus immersam: & quale remedium ei propinavit? *Spera in Deo &c. quoniam adhuc confitebor illi &c.* Dat per hoc intelligere, quod confessio peccatorum est efficacissima ad tolerandas infirmitates corporis, & dissipandas afflictiones, tribulationes, tristitias, & desperationes animæ. *Serm. 5. in Rogat.*

27. *Ad Mariæ amorem anhelare debet anima, si vult dissipare sordes suas, & mala.*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum &c. Cervus volens mundare, & se renovare currit anhelans, & sitiens ad fontem: Sic anima volens se mundare, & renovare, debet accendere se amore Domini Jesu, & Beatæ Mariæ Virginis, & ad fontem suæ misericordiæ recurrere, quia ipsa est genitrix vitæ nostræ: quia fontem lactis exhibuit salvatori, & fuit initium salutis nostræ: ipsa est per quam mundantur sordes nostræ, & illuminantur tenebræ animarum. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psal. 41.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

28. *Maria Virgo fuit fons voluptatis, ad quem sitiens Christus cucurrit, & est irrigans totam terram.*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,

rum, ita desiderat anima ad Mariam fontem vivum. Hoc dicere poterat Christus parvulus, qui sitiens eucurrit ad ubera matris, ut ex ipsis sugeret lac dulcissimum: fons verè fuit, dum Christum Deum lactavit: fons item est voluptatis rigans mundum suo rore, & charitate, Deique amore. *Op. laus Virg fig. 1. rorem & fig. 1. & op Psalt. B.Virg. Psal.* 41.

29. *Maria Virgo ad pedes Crucis fuit abyssus doloris.*

Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum, omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierant. Nota, quod si hoc potest dicere quælibet anima compatiens doloribus Crucifixi: multò magis hoc dicere potuit Beata Virgo Maria, quia abyssus, idest Christus patiens, & crucifixus abyssum Mariæ compatientis invocavit ad pedes Crucis: nam omnes dolores, & pœnæ Christi transierunt in cor ejus. *Op. stim. p. 1. c. 5. & op. officium compass. B. Mariæ, & in Psalm* 104. *& serm. 3. Dom. 2. post oct. Pascha.*

30. *Maria misericordia est abyssus invocans abyssum misericordiæ divinæ ad nostrum auxilium.*

Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Vide hic duplicem abyssum expositam mundo: & quænam sunt? Ecce quod abyssus misericordiæ Mariæ profundissimæ, & immensæ invocat abyssum misericordiæ divinæ ad nostrum auxilium: Verè est abyssus misericordia Mariæ, cujus latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum non potest comprehendi. *Op. specul. B. Virg. lect.* 5.

31. *Conturbatio Mariæ Virginis in passione filii solùm ad partem sensitivam, non ad rationalem pervenit.*

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Poterat ne hoc dicere Maria Virgo ad pedes Crucis? ergone fuit perturbata? Sed attende, quod ejus perturbatio, & immensitas doloris non referrur ad partem animæ rationalis, sed ad sensibilem, prout convertitur ad corpus, quia ex parte superiori animæ in totum erat Deo ordinata. *l. 3. d. 3. p. 1. a. 1. q. 3. ad 1.*



PSALMUS XLII.

Titulus: Psalmus David.

1. PRIMÒ nota, quod hic Psalmus est in persona Christi mystici, scilicèt Ecclesiæ, vel justi orantis Deum contra pressuras hujus sæculi: quia enim mundus pugnat contra justos, ideò hic petitur auxilium à Deo contra ipsum. *Psalm* 41.

2. *Judicium aliud in præsenti, aliud in futuro: primum desiderandum: secundum timendum.*

Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me. Quomodò petit propheta judicari à Deo, & postea liberari ab hominibus iniquis? Nonne si vult judicari à Deo vult etiam puniri? Sed nota, quod aliud est judicium discretionis, aliud retributionis: primum est desiderandum, quo petitur discretio à malo, & à malis hominibus: aliud timendum est. *Psal. 42. & 34. In sapi. c. 18. & in Joan. c. 8. v. 50.*

3. Justus videns differri petitionis suæ executionem existimat veluti repulsam sibi factam à Deo: & ideò clamat: *quare me repulisti? &c. Psal.* 42.

4. *Maxima omnium gratiarum divinarum est liberatio à malis, & inductio ad bonum.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Quid est hoc quod prætendis Rex hac luce, & veritate divina? prætendebat, & petebat illuminationem, & per hanc misericordiam, liberationem à malis, & veritatem, scilicet inductionem ad bonum opus: hæc duo conducunt animam ad montem Dei, & ad tabernaculum Cœli: primum per fidem: secundum per bonam operationem. *Psal.* 42.

5. *Christus lux illuminans mundum, & ducens ad Cælum animam, & ad charitatis possessionem.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Nota, hic Propheta petebat à Deo Incarnationem Verbi: sub nomine emissionis lucis: verè enim Christus adveniens in mundum, fuit lux expellens tenebras infidelitatis, & ignorantiæ, & sua luce perducens homines ad gloriam, & in tabernacula Dei, scilicet ad Choros Angelorum. *Serm. 3. Dom. 1. Adv.* Item dirigens ad montem Dei, scilicet ad charitatem Dei, & in tabernaculum ejus, idest in charitatem proximi. *Psal. 118. c. : . v. , . & op. de dono piet. c 3. & op. de septem Itiner. æternit. prol. d 5 & Psal.* 42.

6. *Mons est hæc vita, in quo offeruntur opera nostra: Cælestis gloria est altare, in quo beati sua vota offerunt.*

Introibo ad altare Dei Quodnam est hoc altare? Nota, quod primò proponit montem, dicens. *Ipsa me deduxerunt in montem sanctum.* Postea dicit: *Introibo ad altare Dei*; quia ista se mutuo consequuntur: primò mons: secundò altare: mons est præsens vita, in quo nostra offerimus in Ecclesia militante; postea introducitur anima ad altare cœlestis gloriæ, ubi perpetuò offerunt beati sua vota. *Psal.* 42.

7. *Per fidem, spem, & charitatem ascenditur ad perfectionis apicem.*

Introibo ad altare Dei &c. Nota, quòd prius præmiserat ascensum ad montem, postea ingressum in tabernaculum, & inde accessum ad altare Dei: ut mysticè denotetur cursus spiritualis, ejusque ordo per tres virtutes theologicas ad apicem perfectionis: per montem enim fides significatur: per tabernacula spes, quæ facit operari: & per altare charitas, quæ habet complementum in gloria. *Psal.* 42.

8. Sacerdos

8. *Sacerdos accedens ad altare debet exuere vetustatem peccati, ejusque tristitiam, accendere cor suum ardentissimo desiderio se Deo uniendi perfectè.*

Emitte lucem tuam &c. Vide quid tibi faciendum ò sacerdos, quando ad altare accedis oblaturus Sacrificium Missæ: debet cor tuum ardenti desiderio inflammari, & ad Deum recurrere, ut emittat, & tibi communicet lucem suam per illuminationem intellectus, & inflammationem affectus: ut scilicet agnoscat sublimitatem mysteriorum Dei: debes totus incumbere, ut vetustatem, & tristitiam peccati deponas, & veluti sanctum holocaustum Deo offerens quidquid impuritatis est in anima, comburatur igne amoris, & gratiæ Dei, ut dignus inveniatis accedendi ad altare. *Psal.*41.

9. *Confessio in principio missæ quare præmittitur.*

Confitebor tibi in cithara Deus &c. spera in Deo quoniam adhuc confitebor tibi &c. Nota, quod hæc dicuntur à Propheta antequam perveniat ad salutare vultus sui, scilicet ad Jesum, & salvatorem suum: Hæc etiam dicuntur à sacerdote in principio missæ: & ideò præmittitur ante omnia confessio particularis omnium peccatorum, quæ in sono citharæ decem chordarum significantium decem præcepta decalogi significatur: Item & in principio missæ confessio generalis omnium peccatorum, dicendo *Confiteor Deo omnipotenti;* & hoc duplici ratione: primò, quia licèt sacerdos sit nuntius, & legatus fidelium in missa, tamen est etiam peccator: ideò in principio accusat seipsum: Secundò, quia repræsentans Christum sacerdotem, ostendit, quod Christus in seipso assumpsit nostra peccata, & pro ipsis mortuus est: sic per talem confessionem accedit ad Altare, & ad salutare vultus sui, & ad Deum suum. *Op. Exposit. Missæ c.*2.

10. *Applicatio ad Beatam Virginem Mariam.*

Primò nota, quod in hoc Psalmo petitur auxilium à Domino contra hostes, & ut Deus separet nos ab ipsis: Hoc etiam est munus Beatæ Mariæ Virginis, cui à Christo data est potestas contra hostes malignos: ideò ad ipsam Beatam Virginem toto corde invitamur vertere verba hujus Psalmi, & dicere: Judica me Domina, & discerne causam meam de gente perversa, à serpente maligno & à dracone pestifero libera me: Sancta fæcunditas tua disperdat eum: beata Virginitas tua conterat caput ejus: sanctæ preces tuæ corroborent nos contra eum: sancta merita tua exinaniant virtutem ejus: persequentem animam meam mitte in abyssum: puteus inferoalis deglutiat eum viventem: Ego autem, & anima mea in terra captivitatis meæ benedicam nomini tuo, & glorificabo te in sæcula sæculorum. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.*42.

11. *Maria Virgo consistorium causarum nostrarum. Deusque in manibus ejus commisit causam animæ nostræ.*

Judica me Deus &c. Hoc dicebat Propheta Deo tunc, quando adhuc in mundo non constitutum fuerat aliud consistorium, & Tribunal causarum: sed felices nos, qui ad aliud Tribunal divinæ misericordiæ possumus transferre causas peccatorum nostrorum: nempè ad Tribunal Mariæ Virginis: Ipsa enim est constituta consistorium omnium causarum humani generis à summo Imperatore: Hinc fidenter nos peccatores recurramus ad Mariam, ut ipsa discernat nos, & segreget ab hostibus, & ad dexteram filii nos collocet: Judica ergo me Domina Virgo Maria, & discerne causam meam de gente perversa, à serpente maligno, & à dracone pestifero libera me. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.*41. *& op spec. B.Virg. lect.*7.

12. *Maria Virgo lucerna, quæ attulit nobis lucem divinam, illuminans totum mundum.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam &c. Hic optat Propheta lucem divinam, & Verbi Incarnationem, & consequenter, lucernam, vel corpus solare, in quo appariturа erat hæc lux: nempè Beata Virgo Maria, quæ erat lucerna continens lucem divinam: Corpus item solare illuminans totum mundum: ut videas quod si ab hac luce cupis illuminari, ad Mariam debes recurrere. *Op. specul. B. Mariæ Virg. lect.*3.

13. *Beata Virgo Maria altare, in quo Christus oblatus est.*

Introibo ad altare Dei &c Quid est hoc altare Dei? Nota quod per altare significatur Incarnatio Verbi, quæ erat facienda in Maria: Unde dicitur. *Exod.*20. *Altare de terra facietis mihi,* scilicet de Maria Virgine, ergo ad hoc altare mysticum accedamus, & in ejus gremia offeramus sacrificium. *Psal.*25.

PSALMUS XLIII.

Titulus: In finem, filiis Chore ad intellectum.

1. PRIMÒ nota in titulo, quod Psalmus iste dirigit nos in finem, scilicet Christum, estque pro filiis Chore: idest Crucifixi imitatoribus, scilicet martyribus: Ad intellectum, ut nempe intelligant, quare Deus eos exponat tot tribulationibus, eosque separet à mundi deliciis, videlicet ut solùm Deum appetant, & in Deum solùm cor affigant.

2. *Vocat Deus multipliciter hominem.*

Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis: opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis &c. Quid est, quod audistis ò sancti Prophetæ? quid est, quod vobis narraverunt Patres vestri? Respondent: opus, *quod operatus est in diebus eorum.* Litteraliter allusio

allusio fit ad vocationem populi Israël de Ægypto factam per comminationes, flagellationes, auxilia, & beneficia, quæ ipsi populo exhibita fuere à Deo: per quod indicatur multiplex vocatio hominum, quæ fit à Deo: modò enim vocat per promissa, modò per comminationes, modò per flagella, modò per collationem bonorum temporalium, modò spiritualium: Istæ enim sunt omnes inspirationes, & vocationes, quibus ad se nos Deus vocat. *Psal. 43.*

3. *Beneficia nobis à Deo collata in hac vita sunt excitamenta, & voces, quibus vocamur ad patriam.*

Opus, quod operatus es in diebus eorum &c. Quid est hoc opus? opus Dei ad extra est duplex, scilicet creationis, & redemptionis, estque in præsenti, & opus retributionis, quod erit in futuro: primum ordinatur ad secundum: ergo beneficia, quæ nobis Deus confert in hac vita tam naturalia, quàm supernaturalia sunt voces, quibus invitamur ad meritum augendum in præsenti, & ad gloriam acquirendam in futuro: felix igitur, qui sæpè meditatur cum Propheta hoc opus operatum à Deo. *Psal. 43.*

4. *Quidquid boni habemus totum à Deo habemus.*

Manus sua gentes disperdidit, & plantasti eos &c. Quid est plantasti eos? Ad litteram loquitur de dispersione gentium in terra promissionis, & de ejusdem possessione tradita filiis Israël, expressa nomine plantationis factæ à dextera & brachio Dei: datque hac metaphora intelligere, quod quidquid boni habemus est à Deo plantatum pro nobis, & in nobis: est enim plantatio bonorum temporalium, & bonorum spiritualium in hac vita, ut excellentes has plantationes mereamur, & crescamus in merito bonorum cælestium ut ea habeamus, & possideamus in Cœlo. *Psal. 42.*

5. *Salus patriæ, non viæ est à nobis quærenda.*

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutem Iacob. Quid est mandare salutem Jacob? & si intendit per hoc, ut proximum salutemus, sicut dicunt plures doctores; quomodò postea dicit *Luc. c. 10. Neminem per viam salutaveritis?* Sed attende illud verbum, *(per viam,)* salutare aliquem est salutem ei optare: prohibet igitur optare salutem viæ, scilicet bona terrena, sed vult, ut optemus proximo, & nobis salutem patriæ, scilicet bona spiritualia: hoc igitur mandat, & præcipit Deus Prædicatoribus, & Prælatis, ut totis viribus quærant salutem proximi spiritualem: sic enim dicitur mandare salutem Jacob, scilicet pugnantibus in via. *Luc. c. 10. v. 4.*

6. *In invocatione nominis* JESU *inimicorum obtinetur perfecta victoria.*

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis: non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me &c. In nomine tuo confitebimur in sæculum &c. Nota hic, quod David obtinuerat victoriam contra Goliath. & ne quis crederet ipsam consecutum fuisse suis viribus, & confidendo in arcu, & gladio &c. dicit quod totum obtinuit in virtute nominis Dei: tu ad me venis cum gladio &c. & ego venio ad te in nomine Domini exercituum: Sed quodnam est hoc nomen Domini? Nonne plurima nomina attribuuntur Deo in Sacra scriptura? loquitur de illo nomine, quod est super omne nomen, & quod omnia nomina Dei continet, nempè de nomine Jesus, quod litteris quinque veluti lapidibus componitur: Nobisque dat intelligere, quod virtus nominis Jesus invocati devotè in oratione est efficacissima contra hostes: Nomen dignissimum, & omni reverentia dignum, nomen, quod continet virtutem quinque vulnerum, & passionis Christi. *serm. 4. in Circumcis.*

7. *Idem de virtute nominis Iesus, & de confidentia in ipso collocanda.*

Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me: salvasti enim nos &c. In Deo laudabimur tota die, & in nomine ejus confitebimur in sæcula. Vide quomodò hic vir à Deo illustratus cognoscebat hanc irrefragabilem veritatem, quod præsumentes de sua potentia à Deo deseruntur, & confunduntur: Confidentes in Dei potestate, & invocantes devotè ejus nomen adjuvantur à Deo: Istique volunt solùm laudari in Deo, & confiteri nominis ejus virtutem attribuendo omne bonum ipsi omnium largitori: Væ igitur præsumentibus de se. *serm. 1. Dom. 4. post oct. Epiph.*

8. *Deus repellit justos à se aliquando ad suum ipsorum majus bonum: Deus repellit impios ad ipsorum perditionem.*

Deus repulisti nos, & confudisti nos, & non egredieris Deus de virtutibus nostris. Quomodò dicit, quod Deus ipsos repulit, & quod non eos deserit? Quomodò possunt hæc simul consistere? Sed nota, quod repulsio alia est in bonum justorum, alia in perditionem malorum: Deus suos amicos repellit vel quantum ad opinionem Vulgi, (nempè quando sinit eos in tribulatione, & videntur veluti derelicti à Deo, & hominibus, quod non est verum:) vel repellit eos, quando aliquam gratiam eis denegat, ad majus ipsorum bonum: vel quando Deus differt dare eis præmium: hæc omnia inserviunt justis ad majus meritum, & profectum: tractat enim cum eis ad modum medici, qui vulnerat, & diætam imponit ad sanitatem: vel etiam aliquando permittit eos peccare, ut fortiores evadant: tunc enim cadunt, sed feliciter cadunt: Impios autem Deus repellit ad ipsorum damnationem. *Psal. 4.* De prima repulsa agit hic Propheta, dum dicit. *Avertisti nos &c. Vendidisti populum tuum sine pretio &c. hæc omnia venerunt super nos &c.*

9. *Verecundia bona Deo chara: mala Deo exosa.*

Tota die verecundia mea contra me est. Quæ est hæc verecundia contra me? Nota, quod est verecundia de die, & verecundia de nocte: prima est, quæ detegit peccata, detestatur, & dolet, & facit ea in confessione revelare, & hæc est medicinalis, Deoque chara: E contra verecundia, quæ facit occultare peccata est verecundia

cundia nocturna, Deoque exosa; quia in tenebras peccatorem inducit. *serm. 2. Dom. infra oct. Epiph.*

10. *Impii inimici justorum insurgunt in ipsos, & verbis, & factis.*

Confusio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis, & obloquentis. Vide quomodò vir justus cum Deo conqueritur de persequantibus, qui & factis in eos insurgunt, & dictis maledictis obloquuntur, & exprobrant eos: hic enim est mos impiorum contra justos: Unde tales exprobrationes vindictam clamant ad Dominum. *Psalm. 118. cap. 3. vers. 10.*

11. *Justi Deum amantes pro quacumque adversitate, Dei non obliviscuntur, nec ipsum deserunt.*

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo. Ecce signum maximum amoris Dei residentis in suos amicos, dum ob quamcunque tribulationem, & persecutionem, adversitatemque Dei, & suorum mandatorum non obliviscuntur, vel deserunt: Istique sunt verè fideles Deo, ô quot è contra infideles Deo reperiuntur amici Dei in prosperitatibus, sed ipsum deserunt in adversitatibus. *Ps. 118. c. 6. v. 3. & Psal. 43.*

12. *Memoria suppliciorum, quæ Deus impiis præparavit, retrahit à peccato.*

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis: si obliti sumus &c. Nonne Deus requiret ista? &c. Vide quo motivo iste justus non est oblitus mandatorum Dei, nec transgressus est ea, quia Deus novit abscondita cordis, & quia requiret ea, ut puniat: oblivio ergo non solùm beneficiorum Dei, sed & suppliciorum inducit ad transgressionem: memoria ipsorum retrahit à transgressione. *Psal. 45.*

13. *Oves Christi simplicitatem innocentiæ, tractabilitatem patientiæ, & fæcunditatem operationis habent: Hædi diaboli habent contrarium.*

Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Cur sicut oves dicit esse justos, & oves occisionis? Nota, quod oves sunt Christi sequaces: Hædi sunt sequaces diaboli: oves Christi habent simplicitatem innocentiæ per rectitudinem intentionis, nulla habent arma ad impugnandum, non cornua superbiæ, non calces violentiæ, non dentes crudelitatis, non ungues rapacitatis, non venenum malignitatis: habent tractabilitatem patientiæ per tolerantiam adversitatum: ovis enim dum ducitur ad macellum non recalcitrat pede, non mordet dente, non impetit cornu: sic verus Discipulus Christi ad exemplum magistri non murmurat in corde, dum est in tribulatione, non obloquitur ore, non repugnat in opere: habet & fœcunditatem multiplicis operationis bonæ, dans pastori suo Christo lac mundæ affectionis, caseum bonæ operationis, & lanam honestæ conversationis. *serm. 1. Dom. 1. post oct. Pascha & Psal. 48.*

14. *Deus qualiter obdormire dicatur.*

Exurge quare obdormis Domine, & ne repellas in finem &c. quarè faciem tuam avertis? quarè oblivisceris inopiæ nostræ? &c. Ergone Deus dormit? Nota, quod de Christo dicitur obdormire in morte: dicitur dormire in nobis per negligentiã nostram: Item & per gratiæ subtractionem: Item per dilationem auxilij, vel præmij. *Psal 4. op. de Invisibilit. Dei.* Quasi dicat exurge idest fac nos exurgere auxilio tuo per meritum tuum. *Psalm 34. & 67.* Et hinc amici Dei confidenter ad Deum tanquam filii recurrunt, dicentes, exurge Domine, & ne repellas in finem: scilicet, ne differas quæso auxilium tuum &c. *op. de perfect. Religios. l. 2. c. 1. & Psal. 118. v. 10.* Idem & dicebat David optans videre Incarnationem Verbi &c. *Psal. 43.*

15. *Qui sordibus ventris solùm sunt intenti, eique serviunt, sunt serpentes terræ adhærentes, hocque maximè dicitur de malis Prælatis.*

Quoniam humiliata est in pulvere Anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster &c. Ecce quare Deus videtur obdormire nobiscum, nempè ob torporem, & ignaviam nostram, & præcipue quia venter noster in terra conglutinatus est: Sed quomodò terræ conglutinatus est venter? quia solùm sordibus ventris servimus, quia solùm ventris curæ sumus intenti: hocque maximè dicitur de Prælatis, & Religiosis, qui relinquentes, & omittentes vitalia auxilia debita toti corpori, scilicet subditis, vel Animæ, solùm proprio ventri indulgent. *In Thren. c. 1.* quia igitur terræ toti adhæremus reptantes in terra ad modum serpentum; ideò dicitur Deus veluti obdormire, scilicet nos privando suis gratiis, & auxiliis, ut infra dicitur.

16. *Christus obdormire dicitur nobiscum per subtractionem gratiarum, quia toti ad terram conversi sumus, & in terra cor defixum habemus.*

Exurge quare obdormis Domine &c. Nota, quod hic quærit Propheta causam quare videtur obdormire, nempè per subtractionem gratiarum: Deinde respondet adducens causam, nempè quia humiliata est in pulvere Anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster: Quid est hoc? quid sibi vult hæc conglutinatio, & humiliatio? Nihil aliud nisi in terra corde jacere: & ideò, quia homo, maximè Deo dicatus, & Religiosus totus prostratus in terra, totus adhærens terræ, totus conglutinatus est cum terra tenacissime, sicut forti bitumine lapides conjunguntur, ut vix amplius dissolvantur: & hæc est causa quare Deus obdormit nobiscum: quare Deus non diffundit suas gratias, quare homo non proficit in via Domini: non enim possunt simul stare dilectio Dei, & amor avaritiæ, & terrenorum. *ser. 1. de Sancta Agnete. & op. de Eccles. Hier. p. 3. c. 3. Psal. 118. c. 7. v. 11.*

Non possunt simul stare delicia Dei, & amor terrenorum.

17. *Qui jacet in terra ventre, alienus fit à gratiarum distributione cælestium: qui solo pede terram tangit, à Deo amatur, & ditatur spiritualiter.*

Quia humiliata est in pulvere Anima mea, con-

glutinatus est in terra venter noster. Nota quod homines alii jacent in terra conglutinatum habentes ventrem cum terra: Istis Deus denegat suas gratias: qui autem ad modum arboris, qui solùm radicem figit in terra, & reliquam partem ad Cœlum elevat, habent tantùm pedem in terra, attrahentes necessarium alimentum, reliquum elevantes ad Cœlum, & Deum: Isti à Deo amantur, & ditantur. Verè turpe est, quod homo, qui factus est ad possidendum Regnum supremum, semper faciem elevatam non portet ad Cœlum, nunquam se ad Cœlum erigat, & respiciat, sed brutorum more terram respiciat, & animam nobilissimam imagine Dei insignitam ad terrena convertat, seque totum terræ subjiciat, quam calcat; quid tibi anima cum terra? *Serm. S. Petri ad vincula, & serm. 1. de uno Doct.*

18. *Ad se, & in se respiciat, qui vult invenire motivum se humiliandi.*

Humiliata est in pulvere anima nostra &c. Conglutinatus est in terra venter noster. Nota, quod hæc verba etiam in bonum possunt sumi? Petit igitur Propheta, quod Deus evigilet ad se, & diffundat sua dona: Affert motivum, quare hoc prætendat, quia humiliata est in pulvere anima. Sed in qua terra? & cur dicit in terra? Sed respondetur, quod ad seipsum alludit, quia est terra: Cum enim homo sit pulvis, & terra, & corpus terræ conglutinatum, ad se respiciens consurgit ad humilitatis exercitium, & ideò ex hac humilitate petit gratias à Deo. *Ser. 1. Dom. 16. post Pent.*

19. *In Judicio Deus relinquet in terra, qui in hac vita terræ adhæserunt, & justos in aere, qui se levaverunt à terra.*

Humiliata est in pulvere anima mea: conglutinatus est in terra venter noster &c. Nota, quod hæc dicuntur in persona damnatorum, qui in Judicio Universali relinquentur in terra ad præsentiam Judicis, quia dum vixerunt toti terræ adhæserunt, & conglutinati terræ: E contra justi in aëre erunt à terra elevati, quia in hac vita se levaverunt à terra. *Op. Specul. B. Virg. lect. 18.*

20. *Omnes figuræ, Prophetiæ, & mirabilia, quæ in sacra Scriptura proponuntur, omnia diriguntur ad explicandas virtutes Beatæ Virginis Mariæ.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis &c.* Quid audivimus, quænam annuntiata sunt nobis? Omnia, quæ in sacra Scriptura referuntur: & ad quid? Ad explicandum mirabilia Dei: Imò & explicandas virtutes, & excellentias Mariæ Virginis: mira enim dicuntur de Maria Virgine in sacris Scripturis, quia in omnibus refertur ad filium & ubique fit sermo de ipsa: Dicamus igitur Domina auribus nostris audivimus, & Patres annuntiaverunt nobis: Quid annuntiaverunt nobis scriptores sacri? nempè quia sunt ineffabilia merita tua, & valde stupenda mirabilia tua, quod innumerabiles sunt virtutes tuæ, & inæstimabiles misericordiæ tuæ. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 43. & serm. 13. Hexaem.*

21. *In virtute Mariæ, & invocationis ejus nominis dissipantur inimici nostri.*

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis: non enim in arcu meo sperabo: Salvasti enim nos de affligentibus nos. Nota, quod supra dictum est hic allusionem fieri ad virtutem nominis Jesu: Addimus, quod idem possumus verè dicere de virtute, & invocatione efficacissima nominis Mariæ Virginis gloriosæ, quia ipsa est bellatrix nostra contra dæmones, & omnes adversarios, & per ipsam superamus hostes, ad cujus nominis devotam invocationem statim fugiunt. *Op. speculum Beatæ Virg. lect. 3. & 11. & 14.* Exulta igitur ò anima devota, & lætare in Maria, quia multa bona sunt, & benedictiones divinæ temporales, & spirituales ipsius laudantibus, & invocantibus præparata, & exhibita à Deo. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 43.*



PSALMUS XLIV.

Titulus: pro iis, qui commutabuntur filiis Chore ad intellectum, Canticum pro dilectis.

1. PRimò nota, quod ad litteram fuit compositus iste Psalmus pro Salomone: sed mysticè, cum supra egerit de pugna, & victoria martyrum imitatorum Crucifixi: hic proponit iisdem Canticum, seu epitalamium in nuptiis Ecclesiæ ordinatum ad laudandum Christum, qui vicit diabolum armis sumptis in tabernaculo Beatæ Mariæ Virginis, & hoc ad intellectum, scilicet, ut ejus filii, & imitatores intelligant mysterium Incarnationis, & dirigantur ad finem, scilicet ad æternam beatitudinem, ubi erit perfecta desponsatio cum Christo. Nota etiam, quod Canticum est compositum pro nuptiis spiritualibus: Istæ autem reducuntur ad tria capita: primum est vinculorum charitatis inter animam, & animam; secundum inter naturam humanam, & divinam in utero Virginis: Tertium est in beata gloria inter animam, & Deum: & de his omnibus fit sermo in hoc Psalmo mysticè intellecto. *Psal. 44.*

2. *Processio Verbi, & Spiritus sancti hic innuitur.*

Eructavit cor meum verbum bonum &c. lingua mea calamus &c. Nota, quod hic innuitur generatio Verbi sub nomine sapientiæ, quam eructavit ab æterno Pater, & processio Spiritus sancti sub nomine linguæ, per quam Deus manifestavit sua secreta hominibus. *Op. de invisibilit. Dei, & Psal. 117.*

3. Verba Dei recipienda tamquam verba exprompta ex corde Patris: Unde dicit. *Eructavit cor meum verbum bonum*; & eadem repetit in persona Christi Prædicator. *Serm. 3. Dom. 4. post oct. Pascha, & Psal. 118. c. 7. v. 9.*

4. *Prædicator à Deo directionem quærat, & ad prædicationem copulet opera bona.*

Sic enim dicere tunc poterit. *Eructavit cor meum*, scilicet à Deo rectum. *verbum bonum*. Verè bonum est hoc verbum, ad quod consequitur bonum opus: unde addit *Dico ego opera mea Regi*, quia ejus dicere est facere, & ejus facere est dicere. *Psal.* 158. *c.* 7. *v.* 12.

5. *Christus Verbum eructatum foras, & veluti liber scriptus à Spiritu sancto ut à nobis posset legi.*

Eructavit cor meum verbum bonum, lingua mea calamus scriba velociter scribentis. Vide quomodò Pater eructavit ab æterno Verbum: sed quia non poterat legi, & cognosci, nisi ab Angelis, hinc opera Spiritus sancti, qui est lingua Patris, hoc Verbum foras est expositum, & scriptum in pergamena humanitatis, ut à nobis posset legi. *Psal.* 118. *v.* 25.

6. *Sacra Scriptura verbum Dei eructatum à Patre, & à Spiritu sancto scriptum in Ecclesia.*

Unde dicitur. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Verè verbum bonum est Scriptura sacra, quia continet omne bonum: & addit. *Lingua mea calamus scriba*, scilicet stilo Spiritus sancti, veluti lingua foris in Ecclesia expresso. *Op. princip. sacræ Script.*

7. *Sacra Scriptura est cor Dei, os Dei, lingua Dei, calamus Dei, liber scriptus intus, & foris.*

Unde dicitur: *Eructavit cor meum.* Quid? scilicet verbum bonum, nempè Scripturam sacram, quæ est verbum bonum, quia est os Dei, & ex ore Dei: lingua item Deum exprimens, & calamus scribens ipsum: Unde Pater loquitur per filium, tamquam per linguam, & per Spiritum sanctum, tamquam per calamum eum memoriæ commendat. *Serm.* 12. *Hexaem.*

8. *Præcepta decalogi sunt scripta à Spiritu sancto in corde, & in corpore tamquam in pergamena.*

Lingua mea calamus scriba velociter scribentis. Cur Deus assimilat linguam suam calamo scribæ velociter scribentis? Sed nota, quod sicut ad scribendum requiruntur scriptor, pergamena munda, & alba, digiti, & manus scribentis: sic verbum bonum eructatum, & expositum à Deo, quod continet decem præcepta decalogi, scriptum est à Deo per manum, scilicet filium, & per calamum, scilicet Spiritum sanctum in pergamena cordis, & corporis: Ad hoc autem ut Scriptura benè formetur, oportet ut pergamenum sit album, & mundum, scilicet cor mundum, cujus incaustum est gratia Spiritus sancti, cujus rubrica est sanguis Christi: cujus continentia, seu frontispitium est charitas Dei, & proximi: Item scriptum est hoc verbum bonum in corpore, scilicet in manibus propter decem digitos in sensibus multiplicatis, & in pedibus habentibus decem digitos, ut denotetur, quod opera nostra omnia externa debent dirigi ab hoc verbo bono. *Diat tit.* 3. *cap.* 1.

9. *In Christo* IESU, *ut in libro scripta est sapientia Patris, nobisque exposita à Spiritu sancto.*

Lingua mea calamus scriba velociter scribentis. In quonam libro scripta est scriptura ab hoc scriba? Nota, quod hic scriba fuit Spiritus sanctus, vel Pater, qui per Spiritum sanctum scripsit, & exposuit foris in libro Christi Jesu omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei: & nota, quod filius Dei ut Verbum increatum est liber sapientiæ, & lux in mente Patris, viventibus plena rationibus & æternis: ut verbum inspiratum, est liber expositus intellectibus Angelicis, & Beatis: & ut Incarnatum est liber mentibus rationalibus carni unitis: felix igitur, qui ad hunc librum vertit oculos, & mentem: sic enim inveniet, & hauriet salutem à Domino. *Op lignum vitæ, tit. Iesus liber.*

10. *Pulchritudo Christi qualis.*

Speciosus forma præ filiis hominum. Nota, quod hic commendatur Christi pulchritudo secundùm humanitatem, quæ consistit in duobus, scilicet in peccati immunitate, & in donorum collatione. *Psal.* 44. *In Luc. c.* 8. *v.* 40. *& op. lignum vitæ & op. medit. Vita Christi c.* 7. Dicitur ergo speciosus præ filiis hominum, quia nullus fuit sine peccato actuali, vel originali, præter Christum, & Beatam Virginem Mariam ex meritis Christi: Ideò dicitur desiderium Angelorum, speculum sine macula, speciosior sole, in quem desiderant Angeli prospicere. *Serm.* 1. *Dom. Adv. & serm* 1. *Dom. inf. oct. Epiph. & serm.* 3. *Hexaem. & Psalm* 46. *op. medit. Vita Christi c.* 18. *& op. de dono intellect. cap.* 6. ideò ut speciosissimus diligendus est à nobis. *Serm.* 8 *In Nativit.* Dicitur autem speciosus forma præ filiis hominum, quia fuit speciosus secundùm Divinitatem, secundùm animam, & corpus verum, & gloriosum, & corpus mysticum. *Psalm.* 40. *&* 49. *&* 103. *& serm.* 2. *Dom.* 1. *Advent. & serm* 1. *Dom. infrà oct. Epiph. & serm.* 3. *Hexaem. & op. medit. vita Christi. & op. de dono intellect. c.* 6. Nota etiam, quod hic exprimitur pulchritudo pueri Iesu mirabilis. *Op. meditat. c.* 7. *&* 9.

11. *Ex ore Christi exhibant verba gratiosissima, quæ ipsum reddebant summè amabilem.*

Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus &c. Hic notatur, quod ex ore Christi exibant verba gratiosa, quæ ipsum reddebant amabilem, & summè admirabilem *In Luc. cap.* 4. *vers.* 22. *& in Ioan. collat.* 4. *& op. de Eccles. Hier. p.* 1. *cap.* 1. *In Eccles. cap.* 10. *& op. medit. vita Christi cap.* 55. Additur, *propterea, benedixit te Deus &c.* Scilicet in utero, in mundo, & in Cœlo. *Psal.* 44.

12. *Qui gratiam vult labiorum, habeat gratiam in corde &c.*

Unde dicitur de anima justa. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Et quia gratia non residet in labiis, sed in corde, hinc qui hanc habet in corde,

corde, eam demonstrat in labiis. *Serm. 5. de unu Virgine.*

13. *Verbum Dei est gladius, quo anima accingitur, & coarctat luxuriam*: Sic dicitur. *Accingere gladio tuo super femur tuum &c. Serm. 3. Dom. infr. oct. Nativit.*

14. *Justi ad exemplum Christi accincti semper vivunt in statu pugnandi.*

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime &c. Nota hoc dicitur viro justo, ut cum hæc vita sit perpetua pugna, seu militia, vivat semper accinctus, & promptus ad pugnandum: Sed quo gladio? gladio scilicet fortitudinis, sed fabricato in officina humilitatis exemplo Christi Jesu, qui exercendo se in actibus humilitatis, maximeque à duodecimo Anno usque ad prædicationem, quo tempore vixit semper subditus Mariæ, & Joseph, fabricabat sibi gladium humilitatis: nullus enim aptior gladius, quàm humilitatis potest inveniri ad debellandum superbum inimicum. *Op. medit. vita Christi c. 15. & Psalm. 17. & 108.*

15. *Qui vult ad prædicationem se praparare, accingat se gladio zeli virtutis.*

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime &c. Quis gladius est iste, quem vult accinctum in suis servis Christus? Sed audi Christum, qui suis Discipulis, antequam eos destinaret ad munus prædicationis, dixit. *Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium.* Hic gladius est zelus virtutis, quem Prædicator debet sibi præcingere per mortificationem propriæ carnalitatis, & deinde incumbere prædicationi. *In Luc. c. 22. v. 36.*

16. *Qui securè vult de adversariis triumphare, accingat se suo, non alieno gladio.*

Unde dicitur: *Accingere gladio tuo.* Nota, quod dicit, (*tuo*,) scilicet in te assume gladium tuum, scilicet mortificationem carnalitatis, si vis de inimicis triumphare. *In Luc. cap. 22. v. 36.*

17. *Prælati debent se accingere cingulo, & gladio justitiæ.*

Accingere gladio tuo super femur tuum &c. Hoc dicitur Judicibus, & Prælatis, ut Justitiæ cingulo præcingantur, & gladio auctoritatis utantur contra vitia, & vitiosos. *In Ioan. cap. 21. vers. 19.*

18. *Allusio fit ad funes, quibus Christus ejecit de templo vendentes: & ad virtutem funis, & cinguli S. P. Francisci.*

Accingere gladio tuo. Ergone gladio quis potest accingi, & non potiùs gladius accingitur? Sed transfer mentem ad id, quod fecit Dominus Jesus, quando sumpto funiculo, quo accinctus ipse erat (*ut ait Lyranus*) & quo ejecit vendentes in templo. *Ioan. c. 2.* item ad funiculum, quo ad similitudinem Christi utebatur S. P. Franciscus, & franciscanos suos voluit uti; nam istum funem, veluti gladium proposuit, ut à superbia, avaritia, & vanitate triumpharent. *Sic Alex. Alensis.*

19. *Christi adventus in mundum petitur à Propheta.*

Specie tua, & pulchritudine tua intende prosperè, & regna. Nota hic petitur Incarnatio, & Adventus Christi in corde, & ut regnet in Ecclesia, & super fideles secundùm humanitatem, & divinitatem, cujus pulchritudo attrahit animam ad sui contemplationem. *Psal. 44. & op. de sept. itin. ater. c. 5. d. 7.*

20. In Prælatis requiritur mansuetudo cordis, veritas oris, & justitia operis: hæc enim maximè prædicantur de Christo in his verbis: *Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam*: Quibus attrahebat homines quantumcumque obstinatos: & ideò subdit, *Sagitta tua acutæ, populi sub te cadent &c. op. diat. tit. 7. c. 2. & in Ioan. c. 3. v. 6. & op. de sex alis seraph. c. 3.*

21. *Ecclesia triumphans est sedes, & Thronus Christi, in quo virga directionis regit.*

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: Virga directionis, virga Regni tui. Quænam est hæc sedes Christi? Sed attende, quod multiplex thronus est assignatus Christo nempe Ecclesia militans, in qua nunc regnat: Beata Virgo Maria, & anima Justi, & Ecclesia triumphans, in qua regnabit in sæcula sæculorum virga directionis, & æquitatis. *Psal 88. & Psal. 2. & in Ioan. collat. 81. & Psal. 118. c. 1 v. 7.*

22. *Veritas in actu pænitentiæ quos effectus pariat in anima.*

Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Nota, quod in his verbis primo loco ponitur justitia, ad quam consequuntur tot bona, scilicet mansuetudo, justitia, & deductio ad Deum: & quæ virtus est hæc? loquitur hic de virtute, non speculativa, & indicativa, sed de practica, & judicativa conscientiæ, & peccatorum: hæc enim judicium educit, justitum deducit, & in supernam Hierusalem introducit: Educit in confessione: deducit in satisfactione, & introducit in consummatione. *Psal. 118. c. 5. vers. 11.*

23. *Christus unctus est, & missus ad prædicandum, deditque exemplum Prædicatoribus; & quid sit id, quod in ipsis requiritur.*

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem propterea unxit te Deus oleo lætitiæ &c. Vide, quod Christus dicitur unctus, scilicet missus in mundum inter cætera ejus munera præcipuè ad exercendum officium prædicationis: notatque id, quod requiritur in Prædicatore, nempe diligere justitiam in semetipso, & in aliis, & odisse iniquitatem. *Serm. 1. Dom. quadragef. In Luc. proem. & c. 9. v. 10. & in Ioan. c. 4. v. 25. & c. 6. v. 27. Diat. tit. 7. c. 5.*

24. *Unctio olei in sacra Scriptura est gratia Spiritus sancti, quæ fortificat animam.*

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem propterea unxit te Deus oleo justitia. Quodnam oleum est hoc, quo unctus est Christus Jesus, & quo ungitur anima justi? Nota, quod ungebantur Athletæ, ut agiliores, & fortiores redderentur in pugna: Sic Spiritus sanctus unxit animam Christi oleo

oleo plenitudinis gratiarum, ut ſecurius pugnare, & debellare poſſet hoſtem: ſic & cingitur, & fortificatur Anima noſtra virtute Spiritus Sancti per gratiam, ſiqué fortis, & ſecura contra diabolum, & mundum. *ſerm.6. in Cœna Dom.& ſerm.5. Dom. in Albis.*

25. *Qui vult hanc unctionem Spiritus ſancti, debet expellere à ſe iniquitatem, & diligere juſtitiam.*

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea unxit te Deus &c. Ecce quid exigit à te ô homo Spiritus Sanctus, qui deſideras unctionem ſuæ gratiæ, & donorum, odiſſe iniquitatem, & ſectari juſtitiam, & opera virtuoſa. *ſerm.1. Dom.17.poſt Pentecoſt.ſap.c.11.*

26. *Oleum Spiritus Sancti eſt oleum lætitiæ: Oleum Diaboli oleum triſtitiæ, & Inferni.*

Vnxit te Deus oleo lætitiæ. Quodnam eſt hoc oleum lætitiæ? Jam dictum eſt, hoc oleum eſſe gratiam Spiritus Sancti: Diciturque oleum lætitiæ, quia gratia Spiritus Sancti affert jucunditatem, lætitiam. & conſolationem Animæ: E contra oleum diaboli affert triſtitiam, amaritudinem, & damnationem æternam: primo oleo inunguntur prædeſtinati: ſecundo præſciti, & reprobi. *In Ioan. coll.40. & 65. & ſerm. 1. in Dedicati. Templi.& ſerm.4. Dom. Trinit.& Pſal.118. cap.1. verſ.14.*

27. *Odor multiplex ex veſtimentis Chriſti exponitur.*

Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis. Et à quibuſnam veſtimentis? Nota, quod veſtimentum Chriſti eſt Eccleſia, ex quibus prodit odor multiplex, ſcilicet pœnitentiæ, contritionis, & fidei, aliarumque virtutum: Myrrha enim, ex qua gutta prodit ſignificat pœnitentiam, quæ eſt amara, & à putredine præſervat: & caſia, quæ creſcit in aquis, ſignificat fidem, quæ creſcit in aquis Sacræ ſcripturæ, & Animam in altum evehit, & hinc ex Eccleſia multiplex odor virtutum prodit. *op.Diat.Tit 7.c.5. & Pſal.44.*

28. *Magnum ſignum prædeſtinationis, & diſcipulatus Chriſti compaſſio ad miſeros.*

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Felix ille, qui in hac beata ſorte connumeratur, ſcilicet qui ungitur à Spiritu Sancto, oleo ſuo, hoc eſt compaſſione ad miſeros: ſignum namque eſt diſcipulatus Chriſti, qui mirabiliter in hac virtute dedit nobis exemplum ſingulare. *op. Diat. Tit.7. cap.5.*

29. *Nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam hic exprimuntur.*

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Nota, quod hic exponuntur nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam: & quia in eligenda ſponſa quatuor conditiones debent concurrere, nempè pulchritudo, divitiæ, genus, mores: ſic hic exponuntur in Eccleſia, pulchritudo: unde dicit: *Concupiſcit Rex decorem tuum*: Divitiæ; unde dicit, *filiæ Tyri in muneribus*, ſcilicet veniunt: Genus, ſcilicet nobilitas, *filiæ Regum in honore tuo*: & mores quoad conformitatem, unde: *vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, Pſalm. 44.*

30. *Chriſtus Rex, charitas Regina, ejuſque qualitates quales.*

Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato. Quænam igitur eſt hæc Regina Chriſto deſponſata? Hæc eſt charitas regina in Regno Chriſti: hæc dicitur ſtare à dextris Chriſti, quia in dextera collocantur bona ſpiritualia, quia bonis æternis innititur: Et quia decet Reginam habere multiplicem veſtem, & variam: Sic hæc Regina dicitur adſtare in veſtitu per opera juſtitiæ, deaurato per claritatem ſapientiæ, & circumdata varietate, ſcilicet debet de contemplatione tranſire ad activam, & è converſo: ſieque ejus veſtimenta ſunt aurea: ô nobilis eminenſque Regina! *ſ.44.*

31. *Deſponſatio Chriſti cum Eccleſia iterum expenditur.*

Aſtitit Regina à dextris tuis, &c. Nota, quod in his verbis deſponſatio enarratur inter Chriſtum, & Eccleſiam, ad quam concurrunt primò ſponſalia, nempè promiſſio facta in lege naturæ, & ſcripta: ſecundò celebratio nuptiarum, ſcilicet in die Incarnationis in Utero Virginis. Tertiò traductio ſponſæ ad domum propriam, quando ſcilicet humanam naturam unitam Divinæ in die aſcenſionis aſſumpſit in Cœlum. *P.al.44.*

32. *Deſponſatio Animæ cum Chriſto expenditur.*

Aſtitit Regina &c. Quænam? ſcilicet Anima juſta: in qua deſponſatione fiunt ſponſalia in conjunctione animarum per fidem: celebratio nuptiarum in conjunctione per charitatem, & gratiam, & traductio fit poſt mortem in Cœlum. *Pſalm. 44.* Hæc igitur eſt Regina comparens in veſtitu deaurato circumdata varietate, nempè intus in affectu, foris in effectu auro charitatis veſtita. *ſerm.3.in Epiph.*

33. *Anima niſi veſtiatur veſtitu deaurato, & varietate colorum contexto, non coronabitur Regina in Cœlo: Anima, quæ ſacco vitiorum veſtita erit, in Infernum detrudetur.*

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Quis eſt iſte veſtitus? Hæc veſtis eſt charitas, quæ fert ſecum varietatem colorum, ſcilicet aliarum virtutum: Anima igitur niſi ſe præſentaverit Chriſto in morte cum hoc veſtitu, non coronabitur in Cœlo: quæ autem ſacco vitiorum apparebit, in Cœlum non intrabit. *ſerm.3. Dom.19.poſt Pentec.& op. Diat.Tit.5. c.2.& op.Comp.Theol. l.5.c.6.*

34. *Servienti Deo specialiter requiritur usus, visus, & auditus.*

Audi filia, & vide. Notandum, quod hic specialiter instruit Animam in eo, quod faciendum est in Dei servitio, scilicet audire, & videre, nempè ad audiendum invitat cum reverentia verba sua; & ad videndum, idest ad diligenter attendendum ea, quæ à nobis vult Christus: Sed quid audiendum? audi, inquit, Christum intendentem ut prudentissimum Consulem: Christum præcipientem, ut potentissimum ducem, & Christum exhortantem, ut sanctissimum Præsulem, & Christum consolantem, ut benignissimum Patrem. *serm. 4. de una S. Virgine.* Sed quid præcipitur Animæ videre? præcipit Deus, ut videat supra se Christum nos adjuvantem: intra se peccatum, vel stimulum carnis recalcitrantem: juxta se proximum, ut ipsi compatiatur: infra nos mundum ad peccatum allicientem *sermon. 6. de Apostol.*

35. *Anima volens Deo servire debet esse filia, videre, audire, intelligere, inclinare aurem, & oblivisci populum suum, & Domum Patris sui.*

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Ecce quomodò in his verbis continetur tota summa perfectionis christianæ, & religiosæ: Pater enim æternus est, qui loquitur cuilibet Animæ in ejus nomine credenti: & primò dicit, (*filia*) scilicet per gratiam, & benevolentiam adoptionis: hoc enim est fundamentum fabricæ spiritualis. Secundò dicit, (*audi*) scilicet per mansuetudinis reverentiam. Tertiò (*vide*) scilicet per intelligentiam. Quartò (*inclina aurem tuam*) per operis diligentiam. Quintò (*obliviscere populum tuum*) idest carnales parentes, maxime quando sunt in via Dei contrarij: vel populum tuum, idest carnalem affectum, & carnis incentiva, (*& domum patris tui,*) scilicet diaboli domum, nempè temporalia: sicque Rex Christus per honoris excellentiam concupiscet per acceptionis complacentiam decorem tuum, quod est per fidei formatæ refulgentiam: ô felix ista Anima. *serm. 3. Dom. 23. post Pentec. & serm. 1. & 2. in Vigil. Nativit.*

36. *Quænam renuntiatio suadeatur in his verbis volenti ingredi Religionem.*

Audi filia & vide &c. obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Ergone non potest quis esse perfectus, nisi obliviscatur populum, & domum patris sui? Sed attende, quod suadetur renuntiatio mundi, & omnium bonorum temporalium, & omnium graduum, quæ in communitate, & Republica exercentur: quæ renuntiatio est licita, & sancta. *op. Apol. paup respons. 4. c. 1.* Invitat ergo Animam, quæ in vita amoris est genita: sic autem affectus incliner, & oculum intellectus aperiat interius, ut tanto ardore dilectionis Patri æterno benignissimo adhæreat, & ad ejus mansionem aspiret, ut pro ipsius amore obliviscatur patriam, & parentes, ut contaminatione rei creatæ, virgineo decore adornata, illi cœlesti sponso concupiscibilis habeatur. *op. mystic. Theol. c. 2. p. 1. In Luc c. 9. v. 61. & c. 14. v. 12. & c. 17. vers. 18. In Ioan. coll. 88.*

37. *Perfectio maxima exigit contemptum, & dejectionem, oblivionemque rerum temporalium.*

Audi filia &c. obliviscere populum &c. Notandum hic, quod non sine maximo mysterio dicit Animæ servienti Deo, obliviscere & non relinque populum, quia hac phrasi intendit inducere Animam ad perfectam renuntiationem omnium rerum; & ut id pateat advertendum, quod alij despiciunt mundialia, sed non deserunt: alij deserunt, sed non despiciunt: alij despiciunt, & deserunt, sed non obliviscuntur; quando ergo Anima omnia relinquit, & omnium oblita, tunc verè est perfecta: & hic est gradus summus perfectionis. Talisque Anima est digna sponsa Christi, quia habet omnes conditiones sponsæ, scilicet pulchritudinem, nobilitatem, divitias, & mores. Ad te igitur ò Anima, quæ cupis vere Deo servire, hæc diriguntur: sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. *op. medit. vita Christi c. 1. Psal. 44. & sermon. 23. Hexaem.*

38. *Conformitas Animæ ad Christi pulchritudinem reddit ipsam Deo, & hominibus amabilem.*

Et filia Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Quænam sunt ista munera, quæ promittuntur sponsæ Christi? Sed vide quales effectus consequuntur, & qualia bona communicantur Animæ cum Christo desponsatæ: nam non solùm ex tali desponsatione consequitur pulchritudo, copia divitiarum spiritualium, nobilitas, & sanctitas motum, sed etiam amabilitas apud Deum, & homines: & ideò tali Animæ dicitur, & filiæ Tyri in tantis muneribus vultum tuum deprecabuntur. *Psal. 44.*

39. *Pulchritudo sponsæ Christi consistit in interiori, non in exterioribus solùm, nempè in ornamento virtutum theologicarum, & cardinalium.*

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Nota hæc verba, in quibus Spiritus Sanctus explicat in quonam consistit pulchritudo, & gloria sponsæ Christi, nempè non in pulchritudine corporali, non in divitijs temporalibus, non in ornatu externo: Sed ab intus per cordis ordinationem in fimbriis aureis, scilicet in acquisitione, & exercitio virtutum Theologicarum, quæ sicut fimbriæ ornant eam in summo: & requiritur etiam circumamictus virtutum Cardinalium, prudentiæ in eligendo vera, Justitiæ in operando bona, temperantiæ in moderando suavia, & fortitudinis in sustinendo mala. *serm. 1. Dom. 17. post Pentec. & op comp. Theol l. 5. c. 9. & op. Diat. Tit. 5. c. 1. & Psal. 1.* Vide igitur quàm pulchra, & decora est talis sponsa Christi ab intus, & ad extra oculis Dei, Angelorum, & hominum.

40. Christus

40. *Christus desponsavit sibi Ecclesiam, ut esset ei in adjutorium ad generandam prolem.*

Adducentur Regi Virgines post eam: pro Patribus tuis nati sunt tibi filij &c. Ecce causa, quare Christus desponsavit Ecclesiam: quia enim primariò institutæ sunt nuptiæ, ut uxor esset adjutorium viro ad generandam,& educandam prolem: licèt post peccatum etiam sit in remedium incontinentiæ: hinc cum Christus non indigeret hoc remedio, desponsavit sibi Ecclesiam, ut esset ei adjutorium ad generandam prolem spiritualem: Hinc dicitur, quod facta hac desponsatione adducentur Regi Virgines post eam, idest multiplicantur Animæ filiæ, & mutuò Christus, & Ecclesia sibi præstant auxilium in hac multiplicatione. *Psal.44.* Nota etiam, quod dicitur afferuntur Regi istæ Animæ Christo generatæ: A quo? Ab Angelis afferuntur in Templo gloriæ ad laudandum Deum in sæcula sæculorum.*serm.1. Dom.18.post Pentec.*

41. *Per hanc desponsationem loco Angelorum nati sunt filij, scilicet selecti collocati in Cœlo.*

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes &c. Qui sunt isti Patres, in quorum loco nati sunt filij constituti principes à Christo? Patres isti sunt Angeli, qui fuerunt quodammodò principium omnium creaturarum, qui ceciderunt per superbiam è cœlo,cujus ruinas Deus reparavit per filiorum novorum generationem in Ecclesia: hos ergo exaltat in Cœlo, eos constituens Principes super omnem terram.*serm.4.Dom.3. post Pentec.& l.1.d.9.a.1.q.5.*

42. *Per desponsationem Christi cum Ecclesia nati sunt Principes terræ, scilicet Apostoli, & alii eorum successores.*

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii &c. Constitues eos Principes super omnem terram, memores erunt nominis tui &c. Nota, quod hic ad litteram prædicit Propheta regenerationem, quæ postea facta est per Christum in Apostolis, qui ut filii nati sunt Christo,& Ecclesiæ, & constituti sunt principes super omnem terram,& ut tales extenderunt fidem, & tot alios filios traxerunt ad gremium fidei.*serm.1.in Cathedra S. Petri, & serm.1. Dom.2.post oct.Epiph.In Luc.c.5.v.34. & Psal. 40.*

43. *Pro patribus scilicet pro Personis divinis nati sunt, scilicet nati Prædicatores ut nomine personarum divinarum generent filios Christo,& Ecclesiæ.*

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii &c. Et qui sunt isti patres? Nota quod primariò sunt tres Personæ Divinæ quæ generant filios scilicet Prædicatores mittendo in mundum, ut loco ipsorum alios filios generent Christo: Prædicator enim debet habere tria respondentia tribus Personis Divinis: primò auctoritatem mittentis, quia sunt nuntii Patris: Secundò zelum Animarum, quia sunt nuntii filii: Tertiò fortificationem, & conversionem Animarum, quia sunt nuntii Spiritus Sancti: & sic per hæc tria populi confitentur Deum amplexantes fidem, & gratiam. *In Luc. cap.9.v.2.*

44. *Maria Virgo ad similitudinem generationis æternæ, prius concepit fide in corde, postea in utero Christum.*

Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Nota, quod prius in corde dicitur verbum conceptum, postea expressum opere Verbum Dei, & hoc competit verè Beatæ Virgini Mariæ: quia sicut Pater ab æterno concepit Verbum, & in tempore ipsum exposuit in mundum: Sic Beata Virgo Maria Christum concepit in corde per fidem, & devotionem,postea in Ventre, & ex Ventre ipsum exposuit Regi suo,scilicet Patri, & toti Ecclesiæ.*In Luc.c.11.v.28.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

45. *Per verba Mariæ, ejusque preces bonitas quanta in nos proveniat.*

Eructavit cor meum verbum bonum. Quodnam est hoc verbum bonum ô Beatissima Virgo,quod ex corde tuo eructatum est? Respondet: Dico opera mea Regi: nempè, quod dico, facio, & quod facio, dico: quid est hoc? hoc est,quod in suis devotis dicit, & operatur: nam ex interventione, & concursu meritorum, & gratiarum Mariæ fit, ut in suis verba sancta rore mellifluo dulcorentur, quod experimento patet in devota invocatione nominis Mariæ: fit item per suam sanctitatem, ut peccata nostra purgentur: per suam integritatem nobis incorruptibilitas donatur:per suam Virginitatem Anima nostra à Christo adornatur, & sibi vinculo amoris sociatur: per suam fœcunditatem captivus redemptus est: per suum virgineum partum de morte perpetua homo erigitur: per suam prolem dignissimam perditus est restitutus, & de exilio miseriæ in patriam beatitudinis reducitur. *Op.Palt.B.Mariæ Virg. Psal.44. & op.specul.B.Mariæ Virg lect.9.*

46. *Filius est cor totum Beatæ Virginis Mariæ.*

Eructavit cor meum verbum bonum &c. Quomodò cor eructavit, & non potius lingua? quia verbum genitum à Maria est partus cordis: nempè sicut est totum cor Patris,sic & totum cor Matris: & hinc dixit Gabriel; *Dominus tecum*: scilicet Dominus speciali modo cum Maria, & Maria cum Christo *op.specul. B.Mariæ Virg.*

47. *Verbum divinum, cum esset purè spirituale, & mentale scriptum fuit in pergameno, idest in carne Virginis, ut posset à nobis videri, & legi.*

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Nota, quod ut supra dictum est, hæc verba sunt Patris docentis, quod illud Verbum æternum, quod in mente sua ab æterno mentaliter scriptum,in tempore à Spiritu Sancto tanquam à scriba perfectissimo scriptum est, ut foris posset legi: Sed in quo pergameno? In Carne purissima, & mundissima B. Virginis Mariæ, tanquam in pergameno candidissimo, ut veluti liber scriptus intus,& foris posset legi,& ab Angelis, & ab hominibus.*Psal.118.v.15.*

48. Christus

48. *Chriſtus in unico inſtanti fuit ſcriptus in pergameno Beatæ Virginis Mariæ.*

Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Cur appellatur Spiritus Sanctus ſcriba velociter ſcribens? quia cum in Utero Beatæ Virginis fuerit fabricatus, & veluti ſcriptus in pergameno ſuæ mundiſſimæ carnis opera Spiritus Sancti, id totum fuit factum velociſſimè, ſcilicet in ultimo inſtanti prolationis verborum Mariæ Virginis: *Ecce Ancilla Domini &c.* quia enim virtus operans Spiritus Sancti erat mirabilis, & omnipotens, hoc miraculum miraculorum fuit, ut in inſtanti totus organizaretur, & quod fœmina conciperet Deum, & eſſet ſimul mater Dei. *l.3, d.3. p.2. q.ultim.*

49. *Pulchritudo Chriſti Ieſu maximè oblectabatur Mariam.*

Speciosus forma præ filiis hominum &c. Nota hæc dicuntur ab Eccleſia de pulchritudine ſponſi: Sed ea frequenter verſabantur in corde, & lingua Beatæ Mariæ Virginis: nam in pulchritudine, & venuſtate mirabili Chriſti, in dulcedine ſapientiæ & verborum, & in manſuetudine tractabilitatis ejus maximam conſolationem, & delectationem ſentiebat in corde: ſic enim erat gaudium, & lætitia Matris Virginis: unde ipſe Jeſus dicere poterat illud ſapientiæ c.7. *Ego filius tenellus, & unigenitus coram matre mea. ſer.1. Dom. infra oct. Epiph.*

50. *Pulchritudo Mariæ ex pulchritudine filij.*

Speciosus forma præ filiis hominum. Nota, quod poſita pulchritudine Chriſti Jeſu, ſubdit: *Aſtitit Regina à dextris tuis*; ſcilicet Maria Virgo Regina pulcherrima: Dicitur igitur: Speciosus forma Chriſtus præ filiis hominum: Cur ſpecioſiſſimus? quia ex pulcherrimo Patre genitus, & hinc quia conceptus, & natus eſt in Maria, & ex Maria, hanc pulchritudinem ei communicavit, ut matri; & ideò pulcherrima fuit ex Virginitate, ex formatione Corporis Chriſti, ex fœcunditate: & ideò pulcherrimus Chriſtus natus ex pulcherrimo Patre: pulcherrima Maria, quia pulcherrimum genuit filium. *op. ſpecul. B.Virg. lect.6.& ſerm.3. Dom.14 poſt Pentec.& ſermon.2.de B.Virg.*

51. *Pulchritudo Chriſti ſecundùm humanitatem ex pulchritudine Mariæ.*

Speciosus forma præ filiis hominum. Sed unde tanta pulchritudo in Chriſto? Nota, quod dicitur, *ſpecioſus forma*, ſcilicet non ſolùm ſecundùm Divinitatem, ſed & ſecundùm humanitatem ſumptam ex Virgine Maria: Specioſus ergo forma, nempè luce, candore, & habitu, ſicut ſplendor: & quia lux tranſiens per vitrum induit eundem colorem: ſic Chriſtus tranſiens per Mariam, quæ fuit vitrum mundum, & pulcherrimum, ſumpſit cum carne eamdem pulchritudinem Matris: ergo ſpecioſus forma Chriſtus præ filiis hominum, quia Maria ſpecioſiſſima exculpſit in ipſo ſuam ſimilitudinem, & ex pulcherrima Matre natus: ergo non ſolùm ſpecioſiſſima fuit Maria quia pulcherrimum filium genuit, ſed etiam ſpecioſiſſimus filius fuit, quia ex ſpecioſiſſima matre natus. *ſerm.1. in Nativit. & ſermon. 3. de B.Virg.& ſerm.3.Dom.14 poſt Pentec.*

52. *Gratia labiorum oris, & verborum Mariæ expenditur.*

Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Quomodò dicitur diffuſa gratia in labiis, & non potius in Anima; quia gratia Mariæ, quam habebat in Anima, & ſanctitas in corpore redundavit per diffuſionem ad labia, ad linguam, & ad verba ejus: ô quanta gratia labiorum habuit in orationibus devotiſſimis, in collationibus utiliſſimis: quantam ad homines, quantam ad Angelos, quantam ad Dominum: & ideò Deus verba labiorum Mariæ ſemper libenter audivit: clamat enim Mariæ Deus: ô pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam: & quia ſemper fuit veraciſſima, ſemper ſinceriſſima in verbis, ideò eam benedixit Deus in æternum. *op.ſpecul. B Virg. lect.14. & 6.* Vide ergo qualem gratiam habuit Maria in verbis, quia ad verborum prolationem: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*: factum eſt verbum non tantùm audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris: factum eſt hoc Verbum ſimpliciter inſpiratum, perſonaliter incarnatum, corporaliter inviſceratum, Verbum caro factum: item ad verborum Mariæ prolationem exultavit Joannes in utero, eique acceleratus uſus rationis, collatum eſt donum ſanctificationis, & prophetiæ. *In Luc. c.1.v.38 39.& 44.* Nota hic, quod plures Theologi admittunt concurſum inſtrumentarium activum in verbis Mariæ. *Sic Vega in ſua Theol.marian.ſic Savedra de Virgine.*

53. *Maria thronus, & ſedes Chriſti lumînoſiſſima: ſedes nempè Chriſti, & miſericordia.*

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga Regni tui. Quænam eſt hæc ſedes Dei? hæc eſt Beata Virgo Maria, quæ dum extitit Chriſtus in ejus utero fuit ſedes ejus: poſt eſt conſtituta Thronus miſericordiæ ejus. *Pſal.88. & opuſ. ſpecul.B Virg.lect.3. in fine.*

54. *Maria eſt virga directionis, & Regni Dei.*

Virga directionis, virga Regni tui. Quid eſt virga directionis Regni Dei? Virga directionis Regni eſt dominium, & poteſtas omnia regens, & dirigens in Regno: per hocque datur intelligi, quod in poteſtate Mariæ eſt ſalus, vita, & lætitia noſtra, quia habet dominium præſidentiæ ſuper totum mundum: nempè ſuper Angelos, homines, & Dæmones, & ideò ad imperium Virginis omnia diſponuntur. *opuſcul. Pſalt. B. Virgin. Pſal. 21. & l.3.d.9. art.2. q.3. ad 2. & opuſc. ſpecul. Beat. Virg. lect.3. & 12.*

55. *Beata Virgo Maria Regina totius Univerſi.*

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Quæ eſt hæc Regina, niſi Maria

Maria Virgo? hane enim Ecclesia recognoscit talem, dum dicit quotidie *Salve Regina mater misericordia.* Nota, quod dicitur adstare à dextris Christi, quia in hac parte stat misericordia, & significantur bona spiritualia: Maria enim verè est Regina misericordiæ, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetret misericordiam salutarem, si ad suum declinaverit regimen: Verè Regina misericordiæ, quia misericordiam genuit, & officium miserendi est ei à Deo commissum: Verè Regina Mater misericordiæ, quia vndique solicita miseros homines in filios adoptare desiderans. *opusc. stim. p.*, *cap.*19.

56. *Maria in Cœlorum Regno assistit Christo in gubernatione mundi.*

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato &c. Quomodò à dextris? Ergo Maria Virgo sedebit in Cœlo à dextris Christi, scilicet cum æqualitate ipsius? Sed nota, quod sedere ad dexteram est sedere in gloria ad æqualitatem, & hoc dicitur solùm de Christo: sedere in dextera est frui gloria cum Christo: & hoc competit omnibus sanctis & magis Beatæ Virgini, sed ut aliqua prærogativa major denotetur in Maria, dicitur: *Astitit Regina à dextris tuis.* Quid est hoc? Sed respondetur, quòd hæc est Prophetia exaltationis Beatæ Mariæ Virginis factæ, dum assumpta fuit in Cœlum in Corpore, & Anima: fuit enim exaltata super omnes choros Angelorum, & collocata à dextris sui filii, ut ibi assistat in vestitu deaurato, scilicet eminentissima gloria coronata ad gubernationem totius Universi. *op. specul. B.V. lect.*13. *& Psal.*47.

57. *Vultum Mariæ deprecantur omnes, ipsius potentiam cognoscentes, sive boni, sive mali.*

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Qui sunt omnes divites plebis? & si sunt divites, cur adnumerantur in numero, & turba plebis? quia omnes ad Mariam habent recurrere. scientes, ipsam esse constitutam Reginam in Regno Christi, & advocatam omnium hominum: In qua elucet mirabiliter clementia Creatoris, & salvatoris, qui sic afflictis tam nobile subsidium dignatur elargiti, qui suis reis Mariam tribuit advocatam, ut inter nos, & ipsum Judicem constituta, quod voluerit valeat impetrare: & ideò non est timendum, quin misereatur omnibus miseris, & ad illam partem, sententiam quam defendit, inclinet. *Op. stim. part.*3.*c.*19.

58. *Gloria, & laus omnis Mariæ est ab intus in fimbriis aureis.*

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis &c. Nota, quod in his verbis exponuntur omnia mirabilia Mariæ Virginis: Dicitur enim ejus gloria, scilicet ex conceptione Christi facta in Utero: per quod primò innuitur, quod Pater ei, ut singulari filiæ communicavit posse generare eundem filium quem ipse ab æterno genetat, per quod patefit miraculum miraculorum: Addit secundò, quod hæc gloria apparet in fimbriis aureis, quia non solùm Christum generavit secundùm humanitatem, sed & omnium virtutum ornamentum in Anima, & corpore habuit. *op. specul. B. Virg. lect.*1. *&* 10. *& In Luc. c.*1. *v.*28. *Vide supra ad num* 39.

59. *Omnes Virgines, quæ adducantur ad sponsam Christum, sunt fructus Virginitatis Mariæ.*

Adducentur Virgines post eam, proxima ejus afferentur tibi. Nota illam particulam, (*post eam,*) scilicet post Mariam: Cur post Mariam? Nonne ante Mariam adductæ sunt ad Deum Virgines aliæ? Sed tamen optimè stat, quod & illæ Animæ, quæ ante Mariæ ortum adductæ fuerunt Christo, & quæ postea adductæ, & adducentur, omnes sunt Mariæ filiæ, quia ipsa fuit primum exemplar totius Virginitatis; & ideò ante se fuerunt figura Virginitatis Mariæ, & ex meritis ejus omnes adducentur ad Christum sponsum. *op. Comp. Theol. l.*4. *c.*4.



PSALMUS XLV.

Titulus: In finem, filiis Chore pro arcanis.

1. PRimò nota, quod in hoc Psalmo fit sermo de filiis Chore, scilicet Christi crucifixi, Martyribus, & justis pro arcanis, scilicet agitur hic de manifestatione arcanorum divinæ dispositionis, & suæ sanctæ Incarnationis.

2. *Deus quot modis dicitur noster.*

Deus noster refugium & virtus. Nota, quod dicitur Deus noster, & non Deus nostrum refugium: Cur hoc? quia Deus dicitur alicujus quadrupliciter, scilicet omnium beneficio creationis: hominum per Incarnationem: bonorum per cultum Religionis: & quorumdam tantùm per aliquam specialem prærogativam, sicut dicitur Deus Abraham ratione fidei; Deus Isaac, ratione spei, & Deus Jacob ratione charitatis: præcipuè tamen dicitur noster ratione participationis nostræ humanitatis. *Psal.*45.

3. *Deus in quo sensu dicitur refugium, virtus, & adjutor noster.*

Deus noster refugium & virtus, adjutor in tribulationibus. Cur hæc attributa multiplicantur? Nonne sufficiebat dicere adjutor? Sed optimè per hoc explicatur divina pietas in suos: Dicitur enim refugium, virtus, & adjutor ob plures effectus suæ pietatis in nos: dicitur refugium pugnantibus contra carnem, per fugam, quia in hac pugna fuga est necessaria, & confugium ad Christum: dicitur virtus pugnantibus per consistentiam in pugna contra alios hostes: dicitur adjutor in tribulationibus, communicando vitam gratiæ. *Psal.*118.*c.*8.*v.*2.

4. *Multiplex tribulatio est, quæ nos turbat, & ob quam indigemus Dei adjutorio.*

Adjutor in tribulationibus. Nota, quod dicit in tribulationibus, non in tribulatione, quia tribulatio nos turbans est multiplex: Alia enim est intrinseca, alia extrinseca: Intrinseca alia est à carne, alia est à diabolo: Extrinseca, alia est assumpta à natura universali, alia coacta: In his omnibus indigemus adjutorio Dei, ad ipsum debemus recurrere, *Psal.45.*

5. *Beneficium quale fuit nobis missio Apostolorum ad conversionem gentium.*

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris. Quid est transferentur montes in cor maris? Sed nota, quod hic prædicit Propheta dissectionem Judeæ, & missionem Apostolorum ad gentes: Non timebimus (dicunt filii Chore, scilicet Apostoli) dum turbabitur terra, scilicet Judæa, dum commovebitur contra Christum; quia montes, scilicet Apostoli pleni rore Spiritus Sancti transferentur in cor maris, nempè ad prædicandum Evangelium usque ad intima gentilitatis: & hæc fuit maxima gratia à Christo nobis concessa. *Psal.97.* Et hinc sequitur translatio montium in mari? nempè congeries peccatorum in mari pœnitentiæ. *serm. 1. in Circumcis.*

6. *Sonus prædicationis Apostolorum commovit gentes ad contradictionem, & postea ad conversionem, & jubilationem.*

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ &c. Vide, quod per missionem Apostolorum, sonus primò commovit gentes ad contradictionem, sed postea ad conversionem, ad gloriam Crucifixi, qui de potentia, & malignitate mundi triumphavit *Psal.45.*

7. *Spiritus Sanctus Civitatem Ecclesiæ militantis, lætificavit &c.*

Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum altissimus. Nota, quod hic prædicitur adventus, & assistentia Spiritus Sancti super Ecclesiam militantem quam hic nomine Civitatis, & Tabernaculi in modum affert: est enim Civitas fundata in Christo munita muris fidei, & Sanctorum; ipsamque lætificat, & fortificat virtus Spiritus Sancti flumine suorum donorum, & gratiarum. *Psal.47.& 107.*

8. *Sacramentum Baptismi est flumen irrigans, & mundans Civitatem Ecclesiæ militantis.*

Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei. Nota, quod per hoc flumen potest etiam intelligi sacramentum Baptismi, cujus impetus delet culpam, & pœnam *serm.3.Dom.2.post Pentec.*

9. *Sacra scriptura est flumen lætificans, & fæcundans Ecclesiam: fluvius scientiarum mundanarum, è contra confundit, & arefacit Animam.*

Fluminis impetus &c. Idest sacra scriptura, quæ rectè comparatur flumini impetuoso, & lætificanti sua inundatione Civitatem Ecclesiæ militantis, per quod desumitur à fluvio mundanarum scientiarum: nam fluvius Sacræ scripturæ egreditur de paradiso, & corde Dei Patris, & dividitur in quatuor capita, scilicet in rivum historiarum, anagogiarum, allegoriarum, & tropologiarum: primus retrahit Animam à terrestribus: Secundus refovet Animam in cœlestibus: Tertius dirigit Animam in credendis: & quartus in agendis: Dicitur autem impetus, seu impetuosus hic fluvius propter vigorem sublimium elevationum, quibus ad cœlestia extollitur Anima, & ideò rectè dicitur, quod lætificat Civitatem Dei: E contra fluvius humanarum scientiarum torridus, tepidus, turbidus, & turgidus, arescensque Animam, & eam implens vanitatibus. *op.princip. Sacra script.*

10. *Contritio est flumen sanctificans tabernaculum Animæ.*

Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum &c. Nota, quod fluxus hujus fluminis duo facit, lætificat Civitatem, & sanctificat tabernaculum. Quid est hoc? quid significatur? Nota, quod hoc rectè potest dici de contritione peccatorum: hæc enim sanctificando tabernaculum Animæ, dum ejus fluxus ad ipsam pertingit, simul lætificat Civitatem Dei, quia augescit gaudium Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente. *serm.1.Dom. infra oct.Epiph.*

11. *Ecclesia militans est Civitas abundans jucunditate, sanctificata à Christo: & ab ipso perpetuò habitata.*

Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei &c. Nota quod mysticè hæc civitas est Ecclesia militans fundata in montibus altis, scilicet in meritis Christi plena jucunditate, scilicet sacramentorum, & in cujus medio habitat Christus usque ad consummationem sæculi. *In Luc.c.12. vers. 12.* Dicitur autem, quod Deus in medio ejus existens non commovebitur, quia Christus ibi stat firmus contra impetus superborum, potentum, lascivorum, & avarorum. *serm. 1. Dom. 3. Advent.*

12. *Ecclesia dicitur Tabernaculum, & quare.*

Fluminis impetus &c. sanctificavit Tabernaculum suum altissimus. Nota, quod hic Ecclesia militans appellatur Civitas, & etiam Tabernaculum: Cur hoc? Item quare dicitur Tabernaculum singulariter, & non Tabernacula pluraliter, cum sint in mundo plures Ecclesiæ? Dicitur Tabernaculum singulariter: quia una est in omnibus particularibus Ecclesiis: & dicitur

dicitur Tabernaculum, quia est locus militantium, peregrinantium, & vigilantium: quia militat Ecclesia in bonis laicis, & sæcularibus: licèt enim in solicitudinibus hujus vitæ mundanæ vivant, & videantur fuscati, tamen interius ex charitate fraterna, & reformatione Animæ sunt pulchri: Unde de qualibet Anima istorum potest dici, nigra sum, scilicet exterius, sed formosa interius: Item peregrinatur in bonis clericis, & regularibus, qui in mortificatione sensualitatis, gemunt quidem, sursum tamen anhelantes ad cœlestem patriam, consolantur: Item vigilat in bonis Prælatis, dum ex singulari sanctitate, & ferventi charitate, & diligenti subditorum informatione sunt vigilantes super gregem suum. *ferm. 3. in Dedicat.*

13. *Ecclesia, vel hoc Tabernaculum quomodò spiritualiter sanctificatur.*

Sanctificavit Tabernaculum suum altissimus. Nota, quod affluentia fluminis Spiritus Sancti dicitur sanctificare hoc tabernaculum: quomodò fit hæc sanctificatio? Respondetur, quod sanctificatur Ecclesia in militantibus, peregrinantibus, & vigilantibus suis subditis: sanctificatur autem in laicis militantibus per emundationem à peccatis: In Clericis, & Religiosis peregrinantibus, quando divino cultui dedicati toti incumbunt ad opera pietatis in Deum, & proximum: In Prælatis vigilantibus, quando isti incumbunt, & propriæ satisfactioni, & aliorum utilitati ad confirmationem in bono: Et in figura hujus sanctificationis, in lege offerebatur Bos, qui congruit labori laicorum: Agnus, qui significat simplicitatem Religiosorum: & Aries, qui est dux gregis, & convenit Prælatis: Sic etiam in consecratione Altarium adhibet Ecclesia lignum, significans fragilitatem in sæcularibus, Chrisma, significans sanctitatem regularium, & lapidem significantem firmitatem Prælatorum. *fermon. 3. in Dedicat.*

14. *Tabernaculum corporis nostri quomodò sanctificatur.*

Sanctificavit tabernaculum &c. Nota, quod per hoc tabernaculum mysticè potest intelligi corpus, & Anima, & totus homo: & quoad corpus debet hoc sanctificari eo modo, quo fit consecratio Ecclesiarum, nempè usu cineris, salis, aquæ, & vini; nempè cinere mortificationis, salis devotione, aquæ compunctione, & vino exultationis: hæc enim concurrunt ad perfectam pœnitentiam, per quam sanctificatur corpus in tabernaculum Dei. *fermon. tertio, in Dedicat.*

15. *Animæ sanctificatio qualiter fiat.*

Sanctificavit tabernaculum suum &c. Nota, quod Anima est hoc tabernaculum, & debet sanctificari quomodò sanctificatur Ecclesia, nempè oleo aspersorio de hysopo, & balsamo: oleo, scilicet pietate ad proximum: hæc enim sicut oleum debet superferri cæteris operibus: Item hysopo: hysopus enim est herba tollens asperitatem à pectore, idest sermonibus dulcibus, & humilibus: Item balsamo conservante à corruptione corporta, idest largitate, & exhibitione eleemosynæ. *fermon. 3. in Dedicat.*

16. *Quilibet homo veluti tabernaculum Dei debet sanctificari.*

Sanctificavit tabernaculum suum altissimus &c. Nota, quod in tabernaculo Templi tres partes exponebamur, scilicet Atrium anterius pro omni sexu: sancta sanctorum, quod erat interius pro ministrantibus: & aliud sancta sanctorum magis interius pro summo Pontifice, qui solus ibi ingrediebatur: Sic in nobis, ut sanctificemur debet esse pars anterior, scilicet corpus, seu sunt sensus nostri exteriores: pars secunda interior est pars Animæ sensitivæ interior: & pars tertia Spiritus: & hæc omnia ad Deum debent ordinari, ita ut Spiritus absolutus ab appetitu carnis, & appetitu sensualitatis liberè feratur in Deum. *ferm. 3. in Dedicat.*

17. *Spiritus, & pars superior Animæ est tabernaculum sanctificandum à nobis.*

Sanctificavit tabernaculum suum &c. Nota, quod hoc tabernaculum mysticè est spiritus, seu pars, & potior superior Animæ, quæ debet esse tabernaculum Dei, & debet sanctificari, nempe per memoriam, intellectum, & voluntatem: in memoria per recordationem dominicæ passionis: in intellectu per exercitium fidei: & in voluntate per soliditatem dilectionis: In hujus signum Episcopus in consecratione Ecclesiæ apponit scripturam, in qua ad modum Crucis scribit per litteras Latinas, Græcas, & Hebraicas titulum Crucis: Item adhibet candelas accensas, & ponit lapidem consecratum. *fermon. 3. in Dedicat.*

18. Paradisus est Civitas, in qua fluminis impetus deliciarum fluit, sanctificans, & lætificans Animam: & ideò dicitur: *fluminis impetus lætificat &c. ferm. 1. in Inventione S. Crucis. In Ioan. coll. 39. op. de dono sap. c. 11.*

19. *Christus semper tenuit medium.*

Deus in medio, scilicet tabernaculi, non commovebitur. Si in medio non commovebitur, forsan in angulo commovebitur? Et cur in medio? Nota, quod medium est locus Christi: fuit enim medium ubique in Incarnatione, duo extrema conjungens, scilicet humanitatem, & Divinitatem: Medium fuit in tota vita sua, scilicet medium virtutis in locutione, & operatione: medium in passione, scilicet in Cruce, quia positus est in medio latronum, ex quo medio influit gratiam omnibus membris: Dicitur igitur, quod in Animæ sanctificatæ medio non commovebitur, quia ibi damnat angulos ambitionis, latibula personatum acceptionis, & delusoria verba, necnon conventicula sordidæ delectationis: tene igitur ò Anima hoc medium, & sic secura eris: quod Deus non commovebitur, nec te deseret, sic adjuvabit te in æternum: & ideò, quia conturbatæ sunt gentes non tenentes hoc medium ab ipso sunt derelictæ:

dereli&ae;tæ: Dominus autem virtutum, scilicet tenens medium virtutis est nobiscum, & susceptor noster in hoc medio. *serm.1.Dom.3. Advent.*

20. ***Qui vult claré videre opera Dei, debet recedere à tenebris peccati.***

Venite, & videte opera Domini &c. Nota hunc ordinem: primò, *venite*; postea, *videte opera Domini*: nempè venite de tenebris, in quibus non potestis videre opera Domini? si enim surrexeritis à peccati tenebris, hæc videbitis. *Psal.45.*

21. ***Qui sistit in factura, scilicet in creatura in tenebris manet: qui de factura transit ad Deum, in ipsum intrat.***

Venite, & videte, opera Domini. Quænam sunt ista opera nisi creaturæ à Deo factæ? Nota igitur, quod dicit Deus, venite, idest videndo opera mea, transite de ipsis ad cognitionem Creatoris: nam qui in ipsis sistit, suam cognitionem potius obscurat; transiens per ipsas ad Creatoris Attributorum cognitionem, illuminatur. *In Luc. cap.8. v.35. & serm.1.Dom.in Albis.*

22. ***Inter opera Dei à nobis consideranda, proponuntur prodigia, quæ magis indigent consideratione à Deo facta per Incarnationem.***

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Quomodò prodigia appellat ea, quæ facta super terram, & non potius quæ facta sunt in Cœlo? quia inter mirabilia opera facta à Deo, mirabilissimum est opus Incarnationis: Nonne prodigium est, quod verbum caro factum est? quod parvulus sit factus immensus? quod compositum, & unitum sit Cœlum cum terra? quod abstulerit bellum inter Deum, & hominem, inter Judæos, & Gentiles? Inter carnem, & spiritum? *Psal.45.*

23. ***Prodigium est opus brachij omnipotentis Dei, ablatio belli inter carnem, & Spiritum usque ad primos motus in suis servis.***

Venite, & videte prodigia &c. auferens bella usque ad finem terræ. Quomodo dicitur, quod Christus abstulit bella in terra? Nonne mundus totus vivit in bello? Nota, quod hoc dicitur de ijs, qui ad perfectum gradum castitatis perveniunt, qui ita domitas habent carnis concupiscentias, quòd ex amore castitatis vix rarissimè, & tenuissimè sentiunt illius motus, vel sic abhorrent eos quasi nauseam eis inferendo, nec eos possunt sentire, nisi cum horrore, & execratione: vel si aliquando pro utilitate aliorum occurrit ijs aliquis sermo de istis materijs, vel sentiant aliquos motus, ita quietos se sentiunt, ac si de luto, vel de lapidibus tractaretur: vel etiam in somno eos sentiunt sine turpibus phantasmatibus: & quia hoc totum est ex sola Dei virtute, & gratia: nonne hoc est prodigium, maximè vivere in carne sine carne, & sine his motibus usque ad terminos eorum, scilicet usque ad primos carnis: Isti verò vocant, & vident: nempè quiescunt, & vident intentione directa solùm in Deum, & à Deo hoc maximum prodigium recognoscunt. *op. de perfect. Religios.l.2.cap.56.*

24. ***Diabolus de nobis facit arcum, arma, & scutum, ut nos impugnet, & Christus hæc omnia confregit.***

Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Quæ arma sunt ista? & quare de istis dicitur, quod Christus ea confregit? Nota, quod hic omnia tentationum genera, quibus utitur Diabolus ad impugnandum nos, proponit sive occulta, sive manifesta, offensivaque, & deffensiva, quæ omnia sæpè diabolus de nobis fabricat, scilicet vel consentientibus, vel spontè in occasionibus collocando: Hæc omnia confregit Christus, hisque privatus fuit diabolus in die Resurrectionis, & Ascensionis. *In Luc.c.11.v.22.*

25. ***In solo Deo quiescit, qui se totum in Deum bona intentione collocat.***

Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus, & exaltabor in gentibus &c. Vacare spectat ad quietem, visio ad intentionem: Qui igitur vitia subjugavit, in se quiescit, & Deo intendit, ipsum recognoscens omnium horum bonorum operatorem. *opuscul. de perfect. religios. ibidem.*

26. ***Visio contemplationis suadetur à Deo.***

Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus &c. Nota, quod supra dixerat, venite, & videte: nunc dicit vacate, & videte: cur mutatur phrasis dicendi in hac divina vocatione? Ut intelligamus, quod in via Dei sunt plures gradus perveniendi ad cognitionem, & visionem Dei pro hoc statu: supra enim invitaverat ad transeundum in Deum per notitiam creaturarum, & humanitatis Christi: nunc ad altiorem, & sublimiorem statum vocat, qui est contemplationis, & simul tradit modum id assequendi, dicens, *Vacate*: nempè ab operibus sæcularibus per quietationem mentis, & videte Dominum in propria conscientia per excessum contemplationis, quoniam ego sum Deus, scilicet suavis propter dulcedinem sapientialis oblectationis: ut videas quod Anima solùm ad hanc dulcedinem, & fruitionem pervenit, quando purgatus est animus à sensibilibus imaginationis, & affectus ab affectionibus terrenis. *sermon. primo, Dom. In Albis. & opusc. specul. Discipl.part.2. c.6. ad finem.*

27. ***Per exercitium contemplationis, & fidei dicitur Christus exaltatus, & quomodò.***

Vacate, & videte &c. Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Quænam est hæc exaltatio Domini Jesu Christi? Ergone ex nostra contemplatione exaltatur? Maximè: exaltatus quidem

dem dicitur Christus in Cruce, sed hic per actus nostræ contemplationis per fidem dicitur exaltatus, quia purificata mente ab omnibus rebus creatis, ibi residet Deus. & hoc est, quod summopere desiderat à nobis Christus Jesus, & ad quod debet adspirare anima. *Psalm. 67. & op. specul. Discipl. p. 2. c. 6. & op. serm. 2. Dom. in Albis.*

28. *Christus frater noster est.*

Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Quid est Dominus virtutum nobiscum? Cur non dicit simpliciter, Dominus nobiscum? Sed nota, quod hic loquitur de Christo, qui appellari voluit Emanuel, idest nobiscum Deus, ut patefieret, quod sumendo carnem nostram voluit fieri frater noster: dicitur autem in hac confraternitate Dominus virtutum ob participationem gratiarum, hæreditatis cælestis & ob dilectionem, quam habet ad nos tanquam ad fratres suos. *Psal. 48.*

29. *Beata Virgo Maria refugium facta est hominibus, & adjutrix in tribulationibus, & omnibus periculis.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Domine refugium & virtus.* Hoc dicit Propheta Christo Jesu: Hoc verè dicere possunt omnes homines Beatæ Virgini: Verè enim est refugium, & virtus: refugium in omnibus necessitatibus nostris, & virtus conterens omnem potentiam diaboli, & inimicorum, quia beneficiis suis plenus est mundus superans cœlestia, & penetrans inferos. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 45.*

30. *In cor Mariæ, veluti in mari transierunt omnes dolores, & pœnæ omnium peccatorum.*

Transferentur montes in cor maris. Quandonam translatio facta est montium in medio maris? Sed vade ad pedes Crucis, in qua pendebat Christus, & videbis ibi Mariam Virginem dolorosam, & lachrymosam: Intra in cor ejus, & videbis mare amarum, in quod translati sunt omnes montes: qui sunt isti montes? sunt congeries pœnarum omnium hominum, & præcipuè peccatorum. *Serm. 1. in Circumcis.* Montes etiam sunt dolores Christi in Cruce pendentis: Omnes igitur isti dolores translati sunt in cor Mariæ Virginis, quia tota versa est in mare doloris: Stabat igitur juxta Crucem, sed crucifixa in corde, & in eo congregata sunt omnia flagella, sputa, clavi, improperia, pœnæ, dolores, & vulnera: O amaritudo plena quid fecisti? Vas sanctitatis fecisti vas pœnalitatis: quæro Matrem Dei, & ecce invenio tantùm sputa, flagella, & vulnera, quia tota conversa est in ista, & cor amoris conversum est in globum, in mare doloris. *Op. stim. divin. amor. p. 1. c. 3 & op. effic. de compass. B. Virg.*

31. *Maria Virgo civitas Dei, in qua fluminis impetus omnium gratiarum decurrit contra impetus fluminum omnium malorum.*

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Nota, quod hæc civitas fi mysticè est anima, ut dictum est, vel Ecclesia: multò magis est Maria Virgo, verè civitas auro mundo fabricata per charitatem, & similis vitro mundo per castitatem. *Ser. 1. in Nativit.* Sed quisnam fluvius lætificat civitatem hanc? Ecce qualis impetus aquarum: nam in Maria Deus omnium gratiarum plenitudinem infudit, impetus, inquam gratiarum scilicet multitudinem gratiarum contra multiplicitatem culparum, pœnarum, & miseriarum. *Op. specul. Beatæ Virg. lect. 2.*

32. *Maria fuit tabernaculum filii Dei sanctificatum per præservationem ab omni culpa, & per collationem omnium donorum.*

Sanctificavit tabernaculum suum altissimus. Nota hoc tabernaculum fuit mysticè Beata Virgo Maria, quam sanctificavit eam præservando ab omni culpa, & replendo omni gratia, & omnibus donis, in quo ipse Dominus Jesus requievit tamquam in Paradiso deliciarum. *Serm. 2. In Sabbato sancto & serm. 1. de B. Virg. & In Luc. cap. prim. vers. 49.*

33. *Maximum omnium prodigiorum fecit Deus Pater, constituendo Mariam Matrem sui filii.*

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Et quænam sunt ista prodigia? Ecce prodigia: quod Deus Pater unicum filium, quem de corde suo æqualem sibi genuit, Mariæ dedit, ut esset unus, & idem Dei, & Mariæ filius: hoc verè est miraculum miraculorum. *Op. specul. B. Virg. lect. 2.*

PSALMUS XLVI.

Titulus: In finem pro filiis Chore Psalmus.

1. PRIMÒ nota, quod cum supra gentes vocatæ fuerunt ad fidem: hic Propheta in persona Apostolorum invitat istas gentes, filios, & imitatores Crucifixi ad Deum laudandum: Psalmus enim est pro filiis Chore, ut dirigantur in finem, scilicet Christum laudandum.

2. *A Deo separatus non potest Deum dignè laudare: Ideò hic non Iudæi, sed solùm gentes vocantur ad laudandum Deum.*

Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis: quoniam Dominus excelsus &c. Cur hic gentes solùm, & non etiam Judæi invitantur ad Deum laudandum? Sed nota mysterium, quod, *in 4. Reg c. 2.* dicitur de Eliseo in persona Christi, *Ascende calve.* Christus enim fuit calvus, non ad litteram, sed mysticè, scilicet in anteriori parte decapillatus, non in posteriori parte: nam Judæi significati in anteriori parte, à Christo recesserunt, & gentiles ei adhæserunt, qui sunt posterior pars: unde isti solùm, quia Christo per fidem sunt uniti, invitantur ad laudandum Christum, quia qui à Deo est separatus, non potest ipsum digne laudare. *Psal. 46.*

3. *Dominus Deus excelsus, & terribilis quomodò dicatur.*

Quoniam Dominus excelsus terribilis, Rex magnus super omnem terram, subjecit populos &c. Nota hic, quod Deus est Dominus potestate, excelsus incomprehensibilitate, terribilis in admiratione: nam est potens, incomprehensibilis, & admirabilis: & potentiam Deus ostendit per tria: per ejus magnitudinem: unde dicitur, *Rex magnus*: Per universitatem: unde dicitur, *super omnem terram*, & per inimicorum subjectionem: unde dicitur, *subjecit populos. Psal.46.*

4. *Christo Domino summa reverentia, quia est excelsus, terribilis, Rex magnus.*

Quoniam excelsus Dominus terribilis, Rex magnus super omnem terram, subjecit populos &c. Nota, quod hæc dicuntur, ut summam reverentiam ei debitam, exhibeamus Jesu Christo: est enim excelsus Dominus propter majestatem Dominii: terribilis propter severitatem judicii; & Rex magnus super omnem terram propter dignitatem imperialis præsidentiæ, & virtuositatem inexpugnabilis prævalentiæ; ostendit in hoc, quod subjecit populos, & gentes, quæ prius erant inimici. *Serm.1. Dom.4. post oct. Epiph. & fer.1. in Epiph.*

5. *Hæreditas, quæ à Christo nobis præparata fuit qualis.*

Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob, quam dilexit. Quænam hæreditas est hæc? Si est species Jacob, quomodò dicitur hæreditas Christi? Nota, quod est species vana, & hæc deformat: est species gratiæ, & hæc informat: & species gloriæ, & hæc reformat: non primam, sed secundam, & tertiam pro hæreditate nobis Christus præparavit suis meritis, & passione, & dicitur Jacob, scilicet supplantator, quia supplantavit peccatum, & gratiam, & gloriam nobis præparavit. *Psal.46.*

6. *Ascensio multiplex Christi expenditur, scilicet in Crucem, in Resurrectione, & Ascensione.*

Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ. Nota, quod hæc dicuntur de Christo, qui ascendit in Crucem, ascendit & in Resurrectione, & in Ascensione in Cœlum: & de his omnibus dicitur in jubilatione quia ascendit in Crucem, Judæis quidem insultantibus, & blasphemantibus, sed ipse ascendit libenter, & voluntariè, atque lætanter: In Resurrectione dæmonibus trepidantibus, & in Cœlum Angelis jubilantibus, Apostolis admirantibus, & sanctis liberatis communicantibus in gloria. *Serm.4. in Ascens. Dom. & in Ioan. collat.16. & opusc. meditat. vita Christi. c.98.*

7. *Ascensio Christi in Cœlum lætitiam beatorum, & pœnam damnatorum insinuat.*

Ascendit Deus in jubilo, & in voce tubæ. Cur jubilationi voluit addi vocem tubæ? Ad hoc respondet ipse Dominus. *In Act. Apostol.c.1. Quemadmodum vidistis eum ascendentem in Cœlum, ita veniet judicare mundum.* Ascendit igitur Angelis cantantibus, & exultantibus in voce tubæ, quia tuba utimur in festis, & bello: Sic veniet Dominus judicaturus mundum in tuba, scilicet afferendo consolationem amicis, & terrorem, pœnamque inimicis: Illis erit solemnitas, istis bellum, & pœna. *Ser.1. In Ascens. Dom. & in Luc.c.14. v.51.* Nota etiam, quod dicitur, ascendere in voce tubæ, quia injunctus fuit tunc Apostolis sonus prædicationis per totum mundum. *Op. Comp. Theol. l.4. c.24.*

8. *Quare in Paschate Resurrectionis non cantatur hymnus in officio in principio, nec in fine: & quid sit jubilus, seu hymnus.*

Ascendit Deus in jubilo. Quid est jubilus? est laus, quæ nec potest omninò taceri, nec omninò exprimi, estque vox exultationis: Canitur autem in Ecclesia in matutino in principio, in medio, & in fine: In principio, quia non omninò taceri potest laus Dei, sed nec perfectè exprimi, ut dicebat Hieremias. A. A. A. nescio loqui Domine, per quod exprimitur nostra imperfectio, & infirmitas: In medio scilicet hymnus, *Te Deum laudamus*; quia sanctorum vita in hoc mundo est adhuc imperfecta: & postea in fine, ut denotetur, quod sanctorum gloria est consummata, expectatque solùm glorificationem corporum. Nota tamen quod in solemnitate Resurrectionis non canitur iste jubilus in principio, nec in fine in laudibus, quia gloria Christi est perfectè consummata, & quia ea hora resurrexit, & quia consurrexerunt in hanc gloriam completam sancti, qui cum Christo resurrexerunt, ideò nec etiam in completorio canitur jubilus. *Psalm.46.*

9. *Ascensio Christi nobis proposita invitat nos ad Dei laudes, & ad ascendendum cum ipso in Cœlum.*

Ascendit &c. psallite Deo nostro &c. quoniam Rex omnis terra &c. Vide quid prætendat Dominus à nobis, dum Christi Ascensionem proponit: nempè ad lætandum pro ejus gloria, ad ipsum laudandum, & psallendum, & psallendo cum ipso ad ascendendum corde in Cœlum. *Serm.4. In Ascens.*

10. *Christus sedere ad dexteram Dei, dicitur sedere etiam in nobis per contemplationis exercitia.*

Deus sedet super sedem sanctam suam Ad litteram notatur sessio Christi ad dexteram Patris: Sed mysticè notatur, quod sedet, idest sedere facit nos per contemplationis quietem, & quod Spiritus sedet permanenter in perseverantibus. *Serm.5. in Pentecost.*

11. *Christus sedens ad dexteram Patris constituit suos Apostolos Principes Ecclesiæ.*

Principes populorum congregati sunt cum Deo: Dii fortes &c. Nota isti sunt Apostoli, qui relinquentes pro Christo omnia, Principes totius mundi

mundi fuerunt à Chriſto conſtituti nihil habentes, & omnia poſſidentes *Serm.* *In Cathedra*
12. In gloria congregabuntur electi tamquam principes Regni, & ideò hic dicitur. *Principes congregati ſunt cum Deo &c. in Luc. c. 3. v. 17.*

13. *Omnes gentes invitantur ad laudandam, & benedicendam Virginem Mariam.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.* Nota hic invitantur omnes ad canendas laudes in honorem Chriſti, ergo & invitantur omnes ad laudandam Virginem Mariam, quia quidquid dignè genitrici ſuæ impenſum fuerit, totum ad laudem perſonat Dei: Omnes igitur gentes plaudite manibus, pſallite in jubilo Virgini glorioſæ: Sed cur hoc? quia ipſa eſt porta vitæ, fons ſalutis, & via noſtræ reconciliationis, ſpes pœnitentium, ſolamen lugentium, pax beata cordium, atque ſalus: Dicamus ergo Mariæ: Miſerere mei Domina, Miſerere mei, quia tu es lux, & ſpes omnium confidentium in te, per tuam ſalutarem fæcunditatem placeat, ut peccatorum venia mihi concedatur. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 46. & opuſc. ſpecul. B. Mariæ Virg. in præfat.*

PSALMUS XLVII.

Titulus: Pſalmus Cantici filiis Chore ſecunda Sabbathi.

1. PRimò Nota, quod Pſalmus iſte exprimit fundationem Eccleſiæ factam per miniſterium Apoſtolorum, qui ſunt filii Chore, ſcilicet Crucifixi, quæ fundatio ſignificata fuit in creatione firmamenti facta ſecunda die, ſcilicet poſt reſurrectionem, & Aſcenſionem ſignificatam per creationem lucis.

2. *Eccleſiæ militantis fundatio magnitudinem, & dignitatem Chriſti* JESU *fundatoris oſtendit.*

Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus: fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion &c. Cur appellatur Deus magnus, & laudabilis in civitate? Nonne eſt talis extra civitatem? Et quid eſt quod de novo acquirit ex fundatione montis Sion? Nonne ipſi ſibi abſque opere ad extra eſt ſufficientiſſimus? Sed nota, quod hic exprimitur fundatio Eccleſiæ militantis cum omnibus prærogativis, quibus ipſam ornavit, & ditavit: & quia hoc eſt opus ad extra etiam reſpectu noſtri reſultat maxima magnificentia ipſi Deo quoad manifeſtationem, ideò dicitur magnus Dominus, & laudabilis nimis: Unde dicitur, magnus Dominus, quia in hac fundatione ſe oſtendit magnum Redemptorem, & quia magna hoſtia ad Deum laudandum fuit in hac exhibita, & oblata, & quia à magno Principe tenebrarum fuit homo redemptus: Ideò laudabilis, quia ipſe de ſe dignus laudari; laudabilis etiam propter opera hæc mirabilia. *Pſal. 30. & 150. & 114.*

3. *Deus quomodò dicitur laudabilis nimis.*

Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Quid eſt laudabilis nimis? Ergone nimis poteſt laudari? Dicitur nimis, ideſt ſine fine: Dat ergo intelligere, quod in Eccleſia ab ipſo fundata laus Dei eſt ſine fine, tum in ordine ad ipſum Deum, qui eſt magnus, & laudabilis ſine fine: tum in ordine ad homines ipſum laudantes in Eccleſia, quia in ipſa erit laus Dei uſque ad conſummationem ſæculi: tum in ordine ad Beatos in Eccleſia triumphante: ibi enim erit laus ſine fine. *Pſal. 4.*

4. *Euchariſtiæ inſtitutio in Eccleſia eſt unum ex præcipuis operibus, quæ reddunt Deum laudabilem nimis, & oſtendunt ejus magnitudinem.*

Magnus Dominus &c. fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion &c. Quid eſt mons Sion? Si dicit, quod ejus magnitudo oſtenditur in fundatione civitatis, nonne in civitate Hieruſalem continebatur mons Sion, in quo erat Turris David. *Pſalm. 83.* Cur in medium ponitur diſcretivè iſte mons Sion? Sed nota, quod & civitas Hieruſalem ſignificat Eccleſiam; & quia hic Titulus eſt communis militanti, & triumphanti, ut pateat ſe loqui de militante, ſe reſtringit ad Sion: Sed cur Sion peculiariter ſignificat Eccleſiam militantem? quia Sion interpretatur ſpeculum, & eſt monticulus de terra, ſed ſuper terram: Sic Eccleſia militans videt per ſpeculum in ænigmate, eſtque de terra, ſcilicet de terrenis hominibus, ſed ſuper terram, nempe elevata per ſpem ad Cœlum: Et quia Sion ſignificat viſionem per ſpeculum in ænigmate, hinc in hoc monte Chriſtus inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, per quam maximè ſuper omnia opera Chriſtus oſtenſus eſt magnus, & laudabilis nimis, quia eſt præcipuum opus Chriſti reddens Eccleſiam magnam, nobilem, & ditiſſimam. *Pſal. 83. & op. Comp. Theol. l. 6. c. 13.*

5. *Tot ſunt Domus Chriſti in Eccleſia, quot ſunt fideles.*

Deus in domibus ejus cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam. Et quænam ſunt iſtæ domus? habetne Deus plures domos in Eccleſia? nonne unica eſt domus ipſa Eccleſia? Nota, quod Eccleſia eſt civitas continens tot domos, quot ſunt fideles in ea, in iſtis habitat libenter per gratiam. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 11.*

6. *Chriſtus libenter habitat in anima contemplativa, tamquam in domo propria.*

Deus in domibus ejus cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam Nota, quod poſt poſitionem fundationis Sion, ideſt Eccleſiæ, quæ interpretatur ſpeculum, vel ſpeculatio: ſubdit, quod in domibus ejus cognoſcitur: Quomodo cognoſcitur in domibus? ſcilicet in multiplici ſpeculatione contemplationis, quando anima ſuſcipiet vitam contemplativam: hæc enim exaltabitur in Domo Domini ad cognitionem divinitatis ejus. Nota etiam, quod alia littera legit. *Deus in gradibus ejus cognoſcetur:* quia dantur varii gradus in hac vita

vita contemplativa per quos anima aſcendens, elevatur de virtute in virtutem ad videndum Deum. *Opuſ. de ſeptem itin. æstern. Itin.* 3. *diſt.*4. *art.*1.

7. *Anima, in qua Chriſtus habitat, domus Dei eſt.*

Deus in domibus ejus &c. Vide, quod plures domos Deus habet, nempè animas: quotieſcumque ergo in anima habitat per gratiam, domus Dei dicitur. *In Luc.c.*7.*v.*23.

8. Societas malorum malitiam cujuſque auget: nam ſicut qui convenerunt in unum contra Chriſtum dicuntur Reges, ut oſtendatur notabilis malitia eorum: ſic qui in unum congregantur ad faciendum malum, dicuntur Reges, ſcilicet maximi peccatores in malitia: Unde hic dicitur. *Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt &c. Pſal.*47.

9. *Qui ad pœnitentiam ſe applicant, ſunt veluti parturientes.*

Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt &c. Ibi dolores ut parturientis &c. Vide quod multi ex his, qui perſecuti ſunt Chriſtum videntes mirabilia facta ab eo, converſi ſunt ad pœnitentiam,& aſſimilantur in hoc parturientibus, quia ad pœnitentiam debet concurrere dolor, pudor,timor,& partus ſatisfactionis,& bonorum operum. *Pſal.*47.

10. *Spiritus ſancti miſſione Chriſtus diſſipavit ſuperbiam, & malitiam multorum malorum.*

In ſpiritu vehementi conteret naves Tarſis. Quid eſt hæc contritio navium Tarſis? Ergo ſolùm naves Tarſis conterendæ erunt à Chriſto per ſuum ſpiritum? Nota, quod naves Tarſis ſignificant vehicula temporalium, quibus homines mundani innituntur mari hujus ſæculi, per ſuperbiam, avaritiam &c. Chriſtus autem inter tot mirabilia facta in Eccleſia hoc fecit mirabiliſſimum, per adventum, & miſſionem Spiritus ſancti vehementem inducere iſtos navigantes per hoc mare, & toto corde prius innitentibus his vanitatibus, inducere ad renuntiationem omnium temporalium, & ad voluntariè ſectandam extremam paupertatem. *Serm.* 2. *in die Penteceſt. & Pſalm.*106 Et ideò dicitur ſpiritus vehemens: nempè quia ſuaviter vehit animam, efficaciter extra mentem, & affectum horum mundialium. *Pſalm.*47.

11. *Ad menſuram fidei formatæ habetur remuneratio in Cælo.*

Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam &c. Nota hic fieri tranſitum ab Eccleſia militante ad triumphantem, in qua beati dicunt hæc verba: ſicut audivimus per fidem, quia fides eſt ex auditu, & verba Dei ſicut recepimus, ſic videmus: Et quomodò ſedentes, ſcilicet in dextera Chriſti in civitate cœleſti: nam aliud eſt ſedere ad dexteram aliud in dextera: Ad dexteram ſedet Chriſtus, ſcilicet ad æqualitatem Patris:In dextera ſedent ſancti fruentes eadem gloria Chriſti: ſicque vident clarè, quod audierunt in ænigmate gratias agentes Deo Patri. *Pſal.*47. *In Luc. c.*2.*v.*10.

12. *Qui vult Dei miſericordiam in medio templi ſui ſe collocet.*

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Quid eſt ſuſcipere miſericordiam Dei in medio templi? Ergo ſolùm in medio templi Deus communicat ſua dona? Sic, ſic eſt, ſolùm in medio confert ſuam miſericordiam Chriſtus Jeſus, quia Chriſtus amat ſolum medium: Unde qui ab extremitate vitiorum ſe ſubtrahunt, medium tenentes per fidem, & charitatem mediatori Dei, & hominum adhærentes,& ab ipſo per voluntatis diſcrepantiam non recedunt, Dei miſericordiam, & dona recipiunt. *Luc. c.*5. *v.*19. *& op. Eccl. Hier. p.*1. *c.*4.

13. *Maximus effectus divinæ miſericordiæ eſt expoſitio ſanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia.*

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Quænam eſt hæc miſericordia tam notabilis exhibita in medio templi? Sed nota, quod cum Chriſtus permiſerit ſe permanſurum in medio Eccleſiæ omnibus communem in ſacramento Euchariſtiæ: ideò hæc eſt major miſericordia inter cæteras: nempè conſervatio ſacræ Euchariſtiæ in Eccleſia, in qua habitat veluti in nebula, latens ſub ſpeciebus Sacramenti. *Serm.*1. *in Dedicat. & ſerm. in Dedicat in communi.*

14. *In templo Deo dedicato multiplex miſericordia ab homine ſuſcipitur.*

Suſcepimus Deus miſericordiam in medio templi tui. Nota hic, quod multiplex miſericordia ab hominibus ſuſcipitur in templis Deo dicatis, & inter alia dona in templo ſuſcipitur divina doctrina, impetrantur gratiæ, donum in oratione ibi facta, recipitur cibus animæ, ſcilicet Sacramentorum, & maximè Euchariſtiæ: eſt enim domus holocauſtorum, benedictionum Dei, & habitatio Chriſti. *Serm. in Dedicat.*

15. *Corpus Chriſti eſt templum habens quinque portas, ſcilicet vulnera, per quæ habetur ingreſſus.*

Suſcepimus Deus miſericordiam in medio templi tui. Quodnam eſt hoc templum Chriſti. Hoc eſt corpus Chriſti purum, mundum, & immaculatum. *Pſalm.*78 Portæ hujus templi ſunt quinque vulnera, per quæ quiſque ingredi, ibique ſuſcipere poterit effectus miſericordiæ Dei. *Op. ſlim. part.* 1. *cap.* 2. *& ſerm.* 3. *Domin.* 4. *quadrageſ. & ſermon.* 4. *in oct. Paſche, & ſermon.* 4. *in Paſcha.* Intra ergo ò homo in hoc templum Dei vivi per has portas, & habebis omne bonum. *Ibidem.*

16. *Crux*

16. *Crux, in qua Christus mortuus est, est medium Ecclesiæ, in quo exposita est tota divina misericordia affluentia.*

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Quodnam est medium hoc templi? medium templi est sancta Crux medium Ecclesiæ, in quo medio Christus operatus est salutem, ut suam misericordiam nobis communicaret. *Serm. 1. Hexaem. &c.*

17. *Christus Iesus est medium, in quo residet divina misericordia, ut nobis effundatur.*

Suscepimus Deus misericordiam in medio templi tui. Nota, quod hoc medium est Christus: Dicebat enim Joannes, *medius vestrum stetit*, scilicet Christus: Dicitur autem medium multipliciter in Ecclesiæ templo: nempè medium in Incarnatione ob mirabilem colligantiam naturæ divinæ, & humanæ: medium item regularis disciplinæ in conversatione, tum in locutione, tum in operatione, quia semper medium tenuit in omni genere virtutis, & perfectionis, medium item vitalis influentiæ, in passione in qua tamquam cor Ecclesiæ influit omnes spiritus vitales: medium item quia in medio Ecclesiæ stat tamquam Pontifex, & sacerdos clementissimus ad purgandum delinquentes à malo culpæ: ut Doctor sapientissimus ad illuminandum verbo doctrinæ: ut Rex potentissimus ad liberandum impotentes à malo pœnæ, & inducendum ad bonum gloriæ. *Serm. 1. Dom. 3. Adv.*

18. *Christus firmamentum luminosum emittens radios ad medium, & centrum cordis nostri.*

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, sic & laus tua in fines terræ, iustitia plena est dextera tua. Nota emphasim, & mysterium sublime horum verborum: dicit Propheta primò, quod nos suscepimus Dei misericordiam in medio templi sui, & deinde, quod laus sua, scilicet virtutis suæ extenditur ad fines terræ, & ejus dextera plena est justitia: Undè igitur oritur, & provenit hæc misericordia tendens solùm ad medium? sed attende ad firmamentum, quod est corpus sphericum, & luminosum, & concavum, & convexum, cujus medium est centrum ex omni parte, & ex se emittit radium ad suum medium: & cum Terra sit veluti centrum universi, hinc in terra fit maxima aggregatio radiorum, & ex influentia radiorum luminis, maxima fit variarum specierum productio, & generatio: Christus autem est hoc firmamentum, vel etiam Sol in Ecclesia: Cor nostrum est hoc centrum, & medium templi, scilicet Ecclesiæ: hujus firmamenti sphærica rotunditas, ideft æterna potestas omnia continet, & sustentat, cujus luminositas omnia illustrat, cujus convexitas omnium bonorum, gratiarum, & donorum plenitudinem conservat: Ab istius igitur convexitate ad cor humanum veluti ad proprium centrum, & medium transfunduntur radij gratiarum, & in ipso corde fit coadunatio, & impressio luminis quoad ipsius justificationem, plenior quoad illustrationem sapientiæ, & veritatis, & plenissima quoad consummationem justitiæ, & finalem charitatis in homine perfectionem, & conservationem; & hoc est quod dicitur, hic: *Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui: Iustitia plena est dextera tua. Op. de Eccles. Hier p. 1. 6.*

19. *Ecclesiæ amplitudo qualis.*

Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ. Nota quod dicit, *In fines terræ*, ut denotet amplitudinem Ecclesiæ militantis ad similitudinem aliqualem amplitudinis divinæ: nam non est restricta in uno loco tantùm, sed per totum mundum usque ad fines terræ extensa; nec quantum ad tempus, quia durabit usque ad consummationem sæculi, imò in Cœlo in æternum: nec quantum ad personas, quia Deus acceptat omnem venientem ad se: nec quantum ad scientiam, quia hæc multiplex est de Deo in Ecclesia: ergo verum est, quod secundùm nomen Dei est locus Dei in fines terræ. *Psal. 47.*

20. *Plenitudo divinæ misericordiæ, & iustitiæ expenditur.*

Iustitia plena est dextera tua. Nota, quod supra dixit, quod Dei misericordia diffusa est ad omnes homines: quomodò ergo nunc recognoscit tantùm dexteram Domini plenam justitia? estne exhausta divina misericordia, & remansit sola justitia? minimè: Vult docere sanctus Propheta, quod Deus regit suam Ecclesiam misericordia, & justitia in bonos, & malos: misericordiæ enim ejus plenitudo patefit in bonos eos justificando, & donis suis ditando, & in malos eos tolerando, & ad pœnitentiam expectando, eosque à potestate Dæmonum liberando: nonne igitur misericordia Domini plena est? Patefit etiam justitia in remunerando pios, & puniendo impios, & perversos: sicque justitia plena est dextera ejus. *Ser. 2. Dom. 4. post oct. Pasche.*

21. *Ecclesia militantis gloria in hoc, quod civitas à Christo constituta, septa est muris, & turribus, & munita militibus, qui eam circumdant.*

Lætetur mons Sion, &c. Circumdate eam, narrate in turribus ejus. Ecce denuò Sion in medium; nempè Ecclesia militans, quæ proponitur ut Civitas gloriosa à Christo fundata, cui suadetur, ut lætetur, & exultent filij Ecclesiæ: Cur hæc lætitia & exultatio? quia ejus murus, & antemurale est Christus: habet & turres eam defendentes, scilicet Prælatos, & Sanctos: est & circumdata, & defensa à militibus eam circumdantibus, quorum alij incumbunt, ne impugnetur: Alij ut exploratores, ut addiscant: Alij ut foveant per exercitium dilectionis, & charitatis ejus cives: Alii mittant, ut intrent, & cum civibus ejus adunnerentur: ô beata, & felix Civitas! ô beata sors filiorum Ecclesiæ! *Psal. 47.*

22. *Chriſtus præcipit Prædicatoribus, ut in turribus Eccleſiæ ejus gloriam, & myſteria fidei enarrent, & diſtribuant cibum vitæ per domos omnibus fidelibus ſuis.*

Narrate in turribus ejus: ponite corda veſtra in virtute ejus, & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera. Ecce alia magnificentia hujus glorioſæ civitatis: Præcipit enim miniſtris Verbi Dei, ut aſcendant in turres Eccleſiæ, & enarrent myſteria fidei, & ſingulis per domos tribuant, & frangant hunc panem vitæ, qui eſt verbum Dei: hoc enim eſt unum ex præcipuis privilegiis, & effectibus miſericordiæ, & providentiæ Chriſti. *In Luc. c. 9. v. 17.*

23. *Chriſtus eſt Dominus, & Rex civitatem Eccleſiæ regens, bonoſque & malos præmians, & puniens.*

Quoniam hic eſt Deus noſter, ipſe reget nos in ſæcula &c. Ecce, quod conſtituta civitate, indicatur quid ſit regens, & Rex ipſius: nempè Chriſtus Jeſus, qui in præſenti vita regit malos ad depreſſionem, & bonos ad exaltationem, & in futuro reget electos ad glorificationem: & hoc eſt, quod canebant Simeon juſtus, Joſeph, Maria, & Anna in præſentatione Chriſti in Templum. *Pſalm. 55. & 116. c. 7. v. 15. & op. medit. Vita Chriſti c. 11.*

24. *Mariæ Virginis civitatis myſtica magnificentia qualis in Eccleſia militante, & triumphante.*

Magnus Dominus &c. Nota, quod hic Pſalmus cum tractet de fundatione civitatis Eccleſiæ, oſtendit etiam magnificentiam, & majeſtatem, & potentiam Chriſti Jeſu: Sed quia per hanc civitatem glorioſam ſignificatur etiam Beata Virgo Maria, ideò etiam ad ipſam dirigi poſſunt hæc verba: Magna es Domina Virgo, & laudabilis valdè in civitate Dei Cœli, in univerſa Eccleſia electorum ejus. *Opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſal. 47.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

25. *Magnificentia Mariæ Virginis in ingreſſu civitatis cœleſtis expenditur.*

Magna, & honorabilis valdè dicitur in civitate Dei Cœli: Cur hoc? quia aſcendit in eam alternantibus hymnidicis Angelicis choris, Archangelis, conſtipata roſis, & liliis cœleſtibus coronata: occurrerunt illi Poteſtates, & Principatus, Virtutes, & Dominationes: exaltabant eam Cherubim, & Throni, & Seraphim, & conſtituunt eam à dextris ſponſi amantiſſimi filii ejus: eam læto animo, & ſereno aſpectu ſuſcepit Angelorum, & hominum Deus, qui dedit ei principatum ſuper omnem locum dominationis ejus. O felix, ô Beata Maria quàm magna, & quàm laudabilis! *Opuſc. Pſalt. Beatæ Virg. Pſalm. 47.*

26. *Beata Virgo Maria eſt civitas Dei glorioſa, & mons Sion per quam magnificentia, & laus reſultat Deo mirabilis.*

Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus &c. Quomodò dicitur magnus Deus, & laudabilis in civitate ſua, & in monte Sion, & non alibi? & non ex creatione aliarum rerum? Sed reſpondetur, quod quidem ex perfectionibus tributis à Deo creaturis reſultat laus, & gloria Deo; ſed tamen ſublimiſſimo modo ex magnificentia, & perfectionibus Beatæ Mariæ Virginis plus gloriæ, laudis, & magnificentiæ Deo reſultat incomparabiliter, quàm ex omnibus aliis creaturis: quia ad laudem, & gloriam pertinet ſalvatoris ex ſpeciali conjunctione quidquid honorificum impenſum eſt ſuæ genitrici: & ideò meritò ipſa dixit in Cantico: *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna, qui potens eſt*: Scilicet magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero, in quibus tota ratio facti eſt potentia facientis. *Opuſc. Pſalt. Beata Virg. Pſal 52. & in Luc. c. 1. v. 46. & 47. & 48.*

27. *Ubi habitat Maria, ejuſque devotio, dæmones non poſſunt prævalere tali domui.*

Deus in domibus cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam. Quid eſt quod ſuſcipere debet homo, ut Deus cognoſcatur habitare, non diabolus in ſua domo? Nota, quod domus Dei ſunt mentes, & animæ noſtræ: has domos perfodere tentant dæmones fures maligni, & homicidæ raptores in tenebris ignorantiæ, & in nocte obſcuritatis ad modum furum, ut furentur, occidant, & maleficia omnia committant. Quis igitur, & quomodò poterit homo evadere tot pericula? Nihil aliud, niſi recurrendo ad auroram lucidiſſimam, ad Mariam, ad cujus aſpectum, & invocationem iſti fures infernales fugiunt, & ſic Deus per gratiam in iſtis domibus, non diabolus, habitet, & cognoſcatur ibi reſidere: Maria Virgo enim eſt, quæ eos defendit à dæmonum maleficiis, & ad Deum eos conducit, qui ſuſcipiunt ipſum in adjutorium. *Op. ſpecul. B. Virg lect. 11.*

28. *Maria Virgo eſt civitas Sion, quam circumdare, & amplexari, & laudare debemus.*

Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus. Cur ad Sion invitat nos Spiritus ſanctus, ut circumdemus, & complectamur eam? Nota: hæc eſt Maria Virgo, ſcilicet mons Sion: Cur mons Sion? quia mons Sion ad literam erat quidam monticulus in Hieruſalem, in quo poſtea ædificata eſt turris David, erat quidem de terra, & tamen excedebat terram: Sic Beata Virgo Maria eſt creatura ſicut cæteræ, tamen excedit cæteras creaturas in perfectionibus, & gratiis, & donis: & hinc invitamur ad ipſam circumdandam meditando ejus vitam, & prærogativas, & tam præclaram puellam nexu ſpirituali, & brachiis deſideriorum ferventium cum magna reverentia, & devotione amplexando, & ejus laudes promendo, & in turribus Eccleſiæ publicando: ſic enim hæc

Beata

Beata Virgo nobis affert conſolationem, exaltationem, glorificationem, & gratiarum abundantiam. *Pſalm.88. & opuſc. Pſalt. Beata Virgin.* Dicamus ergo tota cordis devotione: Ave Sion mons ſublimis, elevata Virgo nimis, & in Cœlis principatum jus uſurpans,& primatum. *Op. Pſalt. min. Beata Virg. quinq.3.*

29. Beata Virgo cum Simeone, Joſeph, & Anna Propheriſſa in proceſſione, quando portabant Jeſum parvulum ad præſentaodum in templo hunc Pſalmum decantabant. *Magnus Dominus &c. quoniam hic eſt Dominus Deus noſter in ſæculum, & in ſæculum ſæculi, ipſe reget nos in ſæcula.* Aſpice & tu hanc devotiſſimam proceſſionem, in qua alacriter procedebant illi duo ſenes Joſeph, & Simeon; ſequebatur Maria portans Regem Jeſum, & Anna ſociabat eam vadens ex latere, cum reverentia jubilans; & cum pervenerunt ad Altare, mater cum reverentia genuflexit, & obtulit dilectiſſimum filium ſuum Deo Patri ſuo. O dilectiſſima Virgo recordare mei in hac divina oblatione. *Op. meditat c.11.*

PSALMUS XLVIII.

Titulus: In finem filiis Chore, Pſalmus.

1. PRIMÒ nota, quod hic Pſalmus dirigitur filiis Crucifixi, monens eos, ut aſpiciant ad finem, ſcilicet Chriſtum: & cum conſiderent Judicem, & damnatorem ſuperborum, ne & ipſi timore percuſſi in ſuperbiam incidant, mundum deſpiciendo.

2. *Prædicator unde debet captare attentionem ab auditoribus.*

Audite hæc omnes gentes, auribus percipite &c. os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam, inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in pſalterio propoſitionem meam. Nota, quod in hoc apparatu captat ſanctus Prædicator attentionem ab auditoribus ex multis, quæ ſunt neceſſaria concionatori: nempè ab utilitate propoſitionis, quæ hic dicitur parabola, ſcilicet explicatio myſteriorum Dei clara per ſimilitudines, & à perſona loquentis, ſcilicet in cujus nomine loquitur, nempè divinarum, & humanarum rerum cognitionem proponendo: Unde dicit. *Os meum loquetur ſapientiam, & prudentiam.* Et hoc ex zelo Dei, & ſalutis animarum: Unde dicit. *Meditatio cordis &c.* Scilicet loquar quæ ex corde exibunt: deinde exprimit humilitatis actum. Unde dicit. *Inclinabo &c.* Hæc ſunt neceſſaria Prædicatori. *Pſalm.48.& in Luc.c.8.v.4.*

3. *Qui ſunt, qui aperiunt in pſalterio propoſitionem ſuam.*

Aperiam in pſalterio propoſitionem meam. Ergone cantando, & ſonando prædicabat ſanctus Propheta? Sed nota, quod pſalterium dicitur à pſallim, quod eſt tangere, ſignificatque id quod in corde ſuo propoſuerat, opere completurus erat: propoſuerat quidem in corde ſapientiam, & prudentiam; nempè contemptum hujus mundi, & exercitium in operibus virtutis, & ideò opere volebat complere: & meritò, nam quidam ſunt, qui abjiciunt mundum, & à mundo abjiciuntur: ſic dicebat Apoſtolus *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Quidam nec abjiciunt, nec abjiciuntur, ut potentes ſuperbi: quidam abjiciunt, ſed non abjiciuntur: quidam abjiciuntur, ſed non abjiciunt: Unde Propheta cupiebat eſſe de illis, qui verè contemnunt mundum, & à mundo contemnuntur. *Pſal.48.* Sic enim par pari refertur, ait divus Hieronymus. *Tu a mundo contemneris, & tu mundum contemnis: tibi mundus eſt crucifixus, & tu mundo.*

4. *In die mortis ſolùm timebit ille, quem iniquitas calcanei circumdabit.*

Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me. Nota quod hic Propheta incipit prædicare quæ promiſit, ut timorem incuteret hominibus: Dicit ergo. *Cur timebo in die mala?* Quæ eſt hæc dies mala? eſt dies, & hora mortis, & Judicii, quando Chriſtus judicabit nos: quis igitur timebit? ſolùm ille, qui erit circumdatus ab iniquitate calcanei, ſcilicet in finem vitæ circumdatus erit iniquitate: nempè qui dormierit uſque ad mortem in peccato: Surgendum eſt igitur à ſomno peccati per pœnitentiam, ne in iniquitate inveniamur oppreſſi in morte. *Serm.5. in Dom.1. Advent.*

5. *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum gloriantur, iſti circumdantur in calcaneo ab iniquitate.*

Qui confidunt in virtute ſua &c. Vide infelicitatem eorum, qui non in Deo collocant ſuam ſpem, ſed in virtute ſua, vel in divitiis, in pecunia, honoribus in fama, & in rebus terrenis: nam iſtos iniquitas calcanei circumdabit in morte. *Pſal.48. In Ioan. collat. 74. & Pſalm.1. & ſerm.1. de uno S. Martyre.*

6. *Chriſti redemptio non juvat iſtos impios in morte.*

Frater non redimit, redimet homo &c. Quaſi dicat Chriſtus noſter frater non redimet; ideſt, ſi ejus redemptio iſtis nihil juvabit, forſan juvabit redemptio alicujus alii? minimè: quia non dabit Deo placationem ſuam, ſcilicet converſionem, orationem &c. ideò agenda eſt pœnitentia dum vivimus. *Pſal.48.*

7. Chriſtus noſter frater, quomodò dicitur frater non redimit, ideſt Chriſtus: ſed cur dicitur frater noſter? dicitur pro participatione gratiæ, quam habet nobiſcum, & pro eadem hæreditate nobis, & ſibi communi: & quia eſt ejuſdem naturæ, & quia diligit nos ut fratres. *Pſalm.48.*

8. Deo placationem ſuam dat, qui contritionem, eleemoſynam, & orationem offert. *Pſal.48.*

9. *Beatis erit perpetuum feſtum: Damnatis nunquam ſed laborabunt perpetuo.*

Et pretium redemptionis Animæ ſuæ, & laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem. Nota hanc connexionem inter pretium redemptionis Ani-

niæ damnatæ, & inter laborem perpetuum: Dat per hoc intelligere, quod qui in hac vita laborabit in peccatis malè vivendo, pro pretio habebit in alia vita laborem perpetuum abſque ulla requie: & è contra qui in hac vita laborabit in mandatorum obſervantia, quietem, & feſtum perpetuum habebit. *Diat. Tit. 3. c. 1. & Pſal. 118. c. 9. v. 14.*

10. *Qui in hac vita ſocii fuerunt Dæmonum in culpa, ſimul cum ipſis erunt in Inferno in pœna.*

Simul inſipiens, & ſtultus peribunt, & relinquent alienis divitias, & ſuperbia eorum domus illorum in perpetuum. Nota illam particulam (*ſimul*,) quia qualificat totum ſenſum iſtorum verborum: ſimul erunt: ſcilicet cum immundis vermibus in ſepulchro damnati: ſimul cum cæteris damnatis, & ſimul cum Dæmonibus in Inferno: ſimul cum vermibus, quia poſt hominem vermes: ſimul cum aliis damnatis, eruntque veluti alligati in unum faſcem in Inferno ſcilicet homicidæ cum homicidis, avari cum avaris, inimici cum inimicis, quia in hac vita fuerunt ſimul in culpa, ſimul cum Dæmonibus erunt in pœna. O infelix ſors impiorum! *ſer. 1. feria 4 Paſcha.*

11. *Qui in hac vita non utuntur facultatibus, & divitiis ad ſalutem Animæ, eas relinquunt alienis.*

Et relinquent alienis divitias ſuas. Scilicet, quia ad ſalutem Animæ ipſis non ſunt uſi. *ſerm. 1. feria 4. Paſcha.* Nota etiam, quòd per hoc datur intelligi, quod divitiæ non prolongant vitam, imò potius frequenter abbreviant, & ideò notanter copulat divitias cum ſepultura; & ſepulchra eorum &c. *In Luc. c. 12. v. 15.*

12. *Sepulchrum impiorum erit domus æterna Inferni.*

Et ſepulchrum eorum domus illorum in æternum. Ecce ubi ſepeliuntur damnati in domo Inferni, & ibi ſtabunt in pœna in æternum. *In Luc. c. 17. v. 26. & c. 16. v. 22.* Vide ergo quàm triſtis eſt hæc translatio nempè à domo, vel palatio tam pleno ad ſepulchrum tam ſtrictum, tam anguſtum, tam miſerum, tam indigens, & vacuum, & à palatiis, à filiis, & familiis derelictum. *ſermon. 2. de S. Iacobo.*

13. *Mali habent nomina ſua in terra: electi in Cœlo.*

Vocaverunt nomina ſua in terris: Nota hoc verbum, (*in terris*) quia qui confidunt in divitiis, honoribus, & delicijs terræ in hoc mundo vivunt nominati in terra, confidentes in nihilo hujus vanitatis: ſed nomina ſua ſicut electorum in Cœlo, non erunt ſcripta: & ideò in morte nominatur nomine proprio Lazarus, & nomine communi dives; *Erat quidam homo &c. In Luc. cap. 16. v. 20. & In ſap. c. 5.*

14. *Honor hominis ex ſtatu creationis, & recreationis gratia expenditur.*

Et homo cum in honore eſſet &c. Quis eſt iſte honor, in quo homo collocatus à Deo fuit? Nota, quod hic explicatur ſtatus hominis in ſtatu innocentiæ, & poſtea in ſtatu peccati, & ultra hoc etiam innuitur ejus ſtatus, dum eſt converſus ad Deum per gratiam, & dum eſt averſus per peccatum actualiter: Homo enim conſtat duplici parte, quæ ab Apoſtolo appellatur homo exterior, & homo interior: Exterior eſt non ipſum corpus, ſed corpus cum potentiis Animæ, per quas habet his ſenſibus intendere, eiſque inhærere: Interior eſt ipſe Spiritus rationalis, prout habet converti ad rationalia, & Spiritualia, & iſtæ vires collectæ unum poſſe perfectum Animæ integrant, & quædam poteſtas interioris hominis regitiva reſultat, quæ appellatur arbitrij libertas, in qua conſiſtit laus, & vituperium: Eſt enim homo creatus ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis ſecundùm ſuum eſſe naturale, & ſecundùm quod habet has potentias converſivas ad Deum: Addiditque Deus ſuam ſimilitudinem, nempè eſſe gratuitum, ſecundùm quod virtute gratiæ ſanctificantis poterat, & poteſt ſibi ſubjicere hominem exteriorem, ſeu animalem, & totus in Deum converti, & ſic actu acquirere beatitudinem: Et quia ſecundùm partem inferiorem, & ſenſualem convenit cum beſtiis: hinc indiget cibari, poteſt & alia opera facere beſtiis communia: ſicque cum homo in honore eſſet, ſcilicet in ſtatu tam honorabili, in quo pars inferior totaliter erat ſubjecta rationi, & gratiæ, convertendo ſe ad ſenſualitatem, avertendo ſe à Deo, & ſubjiciendo rationem ſenſualitati; ideò dicitur factus ſimilis beſtiis, non ſolùm quoad actus corporales; ſed quoad mentem. Ex quibus patet quale malum ſit peccatum, & quàm noxium vivere in peccato, dum reddit hominem veluti beſtiam. *l. 2. d. 19. dub. 1. a. 2. quaſt. 2. & d. 30. p. 2. dub. 3. & l. 1. d. 3. p. 1. dub. 1. & op. Amat. poſt princip. & In Luc. c. 6. & Pſal. 48. Eccleſ. c. 3.*

15. *Peccatum reducit hominem in beſtiam inſipientem, maximè peccatum luxuriæ & iræ, ſicut gratia facit hominem angelicum, & ſimilem Deo.*

Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis &c. Nota quod prius recognoſcitur homo in honore, poſtea comparatus, & ſimilis factus beſtiis inſipientibus: Quomodò ſit hæc converſio, & transformatio? Quis umquam vidit hominem converſum in beſtiam? Sed vide mirabiles effectus gratiæ ſanctificantis, & peccati mortalis: Honor enim eſt fundamentaliter quædam dignitas peculiaris reddens hominem dignum reverentia: hoc totum ineſt homini creato ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, & habenti gratiam ſanctificantem: per gratiam acquirit quamdam dignitatem ſublimiſſimam, nempè unionem, & uniformitatem cum Deo, & pulchritudinem angelicam, ob quæ ei debetur honor peculiaris: E contra peccatum mortale auferens non quidem rationem imaginis, cum ſit quid ſubſtantiale homini, ſed ſimilitudinem divinam, ipſum aſſimilat beſtiis in vita, moribus, & actibus, imò Dæmoniis: Et cum hoc ſit

commune

commune omnibus peccatis mortalibus, peculiari modo tamen luxuriâ tantùm malum efficit in hominem, ipsum reddendo similem bestiis quoad Animam, & etiam quoad corpus, dum facit ipsum computrescere in fœtorecarnalitatis, in stercore uitiorum. Hic etiam notandum, quod dicitur homo factus similis jumentis, non quibuscumque, sed insipientibus, id est fœtidioribus: nam inveniuntur animalia irrationalia, ut apes, volucres, & aliqua alia à suis domunculis omnem fœtorem removentia; & tamen homo non verecundatur fieri totus fœtidus, & in stercore fœtidissimo peccati, & immunditiæ vitam ducere: Imò quid est abominabilius dissipare omnem substantiam rerum, membrorum, viriumque Animæ, & corporis, ut facit luxuriosus, quod non videtur in alia bestia: Videat etiam homo iracundus quomodo, & interius, & exterius similis fit bestiis; Ideò concludendum est, quod homo per peccatum fit fœtidior, turpior, abominabilior bestiis. *In Luc. c. 15. v. 13. In Psal. 118. c. 6. v. 3. serm. de B. Virg. & op. Diet. tit. 1. c. 2. & tit. 1. c. 9. & serm. 2. in Dedicat.*

16. *Christus habet suas oves: diabolus suas.*

Sicut oves in Inferno positi sunt. Quomodo sicut oves? Nonne oves sequuntur Christum pastorem? Sed nota, quod oves in sacra scriptura sumuntur in bonum, & in malum: sunt enim boni oves Christi per simplicitatem, & puritatem: & oves diaboli per stoliditatem, & damnationem: Christus suas oves adducit per pœnitentiam, deducit per vias virtutum, perducit ad statum perfectum, & introducit pervenientes ad patriam: E contra diabolus habet suas oves verè stolidas, quas adducendo in peccatum, e as abire à Deo per aversionem facit, inducit in obligationem, & tandem introducit in Infernum. *fer. 4. Dom. 2. post oct. Pascha, & Psal. 118. c. 11. v. 16. & Psal. 48.*

17. *Religiosi falsi sunt oves diaboli.*

Sicut in Inferno &c. Cur sicut oves? Nota, quod isti sunt religiosi falsi, qui sub pelle religiosa verè sunt lupi quoad actus, isti sicut oves stolidæ in Inferno collocabuntur. *sermon. 2. In Dedicat.*

18. *Qui in hac vita immisericordes, & crudeles tamquam lupi fuerunt in pauperes, in Inferno ab igne depascentur sicut oves.*

Sicut oves in Inferno positi sunt, mors depascet eos. Cur istos impios mors depascet? & cur de ovibus peculiariter hoc dicitur. Nota, hic loquitur de iis superbis, qui in hac vita veluti lupi crudeles voluerunt pascere seipsos substantiis debitis pauperibus, postea ipsi ut oves deronsæ depascentur ab igne Inferni, qui significatur nomine mortis. *In Luc. c. 16. v. 23. & Psal. 48.*

19. *Diabolus pastor impiorum eos in Inferno depascet.*

Mors depascet eos. Quomodo mors depascet oves? Nota, quod hic innuitur, quod oves sicut herbæ pascentur in Inferno: Sed à quo? A diabolo hic significato nomine mortis: Igitur pastor harum ovium erit diabolus: locus pascuæ erit Infernus, ubi de una pœna ad aliam ducet diabolus istas oves. *Psal. 48.*

20. *Damnati erunt semper viventes, & semper morientes.*

Mors depascet eos. Ergone damnati morientur? Ergone eorum pœna non erit æterna? minimè: Sed attende, quod triplex est mors: prima est mors naturæ, cui omnes tam boni, quàm mali subjiciuntur: Secunda mors culpæ, qua Anima separatur à vita, scilicet à Deo: Tertia est mors gehennæ, hæcque est amara, horrida, necativa sine fine, & de hac hic est sermo: Erunt ergo damnati in Inferno semper viventes, & semper morientes. *In Luc. cap. 16. v. 23. & In Ioan. cap. 8. vers. 52.*

21. *Mundus cum sua fallaci gloria pessimus amicus, qui deficit quando major necessitas viget, præcipuè in morte.*

Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria ejus. Vide ô homo, quid intonat hic Spiritus Sanctus & quid prodest gloria mundana divitibus eam sectantibus: Ne timueris, ait, cum vides potentes sectantes gloriam mundanam; expecta paululum, & attende ad finem, & videbis, quàm falsa, & caduca, & fallax sit, quia tunc maximè deficit quando summè egens homo existit, & quando homo indiget auxilio sicut in morte? tunc maximè se invenit derelictum, mundana gloria: ô quam pessimus amicus est mundus, qui in vita se amicum fingit, & in morte deficit! *fer. 1. de nno S. Martyr.*

22. *Impius in morte privatur omnibus bonis.*

Quoniam cum interierit non sumet omnia. Si non omnia, ergo aliqua? minimè: nihil sumet de bonis hujus vitæ: & hæc erit causa doloris maximi, dum videbit impius se omnia bona perdidisse, & temporalia, & tempus: Unde tunc daret totum mundum pro uno momento temporis, si posset habere ad pœnitendum. *op. Diet. Tit. 10. cap. 1.*

23. *Impius in hac vita habet benedictionem diaboli, in morte maledictionem Dei: Iustus è contra in hac vita maledicitur à diabolo, sed benedicitur à Deo in hac, & in alia.*

Quia Anima ejus in vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi, cum benefeceris ei; introibit usque in progenies patrum suorum, & usque in æternum non videbit lumen. Quomodò iste dicitur benedici, & postea quod damnabitur? Nota hæc est sors, & status impiorum, nam duplex benedictio: Altera falsa, altera vera, prima est diaboli, mundi, & carnis, quæ est tantùm secundùm dici, quia est deceptionis, vana, & mala, qua diabolus conservat suos, & de qua dicebat David. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt:* & propriè est maledictio, quia istia dicetur à Christo: *Ite maledicti*

maledicti in ignem æternum : Alia est vera, estque gratiæ, quæ affert tranquillitatem, vitam, & Paradisom: ptóna est beoedictio sinistræ: secunda dexteræ: primi in æternum non videbunt lumen, sed punientur in Inferno æternaliter: secundi verò in æternum gaudebunt cum Deo *serm.2. Dom.in Trinit. & op.comp.Theol.l.1.c.33.*

24. *Iustus confitetur, & laudat Deum tam in adversitate, quam in prosperitate: Impius solùm in prosperitate, murmurat in adversitate.*

Confitebitur tibi, cum benefeceris ei &c. Nota quod dicit, cum benefeceris ei, quia hæc est consuetudo impiotum confiteri Deo in prosperitatibus, & murmurare in adversitatibus: proprium justorum est Deum laudare in prosperitatibus, sed magis in adversitatibus. *In Thren. cap.2. & Psalm. 2. 71. & 112. & op. de sept. Itin. ætern. Itin.9.d.7.*

25. *Multi quærunt Iesum, non propter Iesum, sed propter se ipsos, & bona temporalia.*

Confitebitur tibi cum benefeceris ei &c. Quis iste? ergo etiam mali confitentur, & laudant Deum? laudant quidem, non ex charitate: quærunt quidem Jesum, non propter Jesum, sed ut benè sit eis io corpore, & sunt amici dona tribuentis, & ad mensam, oon veri amici. *In Ioan. cap.6. versicul. 24. & opusc. de sept. Itin. ætern. Itin.4.d.7.*

26. Pœna damnatorum erit eis gravissima, & præcipuè propter æternum laborem, propter æternum livorem, & obscuritatem, & propter æternum mœrorem: primum respicit pœnam: secundum tenebrositatem: Tertium pœnam damni; quæ omnia in hoc Psalmo notantur loquente de damnatis. *Laborabit in æternum, & usque in æternum non videbit lumen. Psalm. 118. cap.9.v.14.*

27. *Ad refugium Mariæ invitantur omnes, qui mortem gehennæ cupiunt evadere, & ad Regnum Cælorum pervenire.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Audite hæc omnes gentes.* Si in hoc Psalmo Propheta nititur incutere timorem in homines de judiciis Dei, & rigore, quo punit malos, ergo conversus ad laudes Mariæ inservire potest ad excitationem spei de misericordia divina ex efficacia advocationis Mariæ: Ad ipsos igitur dicitur: Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, qoi ingredi cupitis Regnum Dei: Virginem Mariam honorate, & invenietis vitam, & salutem perpetuam: & quia Maria Virgo felici confœderatione pauperes suos devotos, & peccatores coojungit Christo, esuriem parvulorum fructu Ventris sui reficit, & sustentat. *op. Psalt. B.Virg.Psal.48.*

PSALMUS XLIX.

Titulus: Psalmus Asaph.

1. PRimò Nota, quod Asaph unus erat ex Cantoribus templi, de quo *1. Paralip. c.6. & 16.* Et interpretatur latioe, *Congregatio, seu Synagoga.* In hoc Psalmo canitur nomine Congregatioois Ecclesiæ de mutatiooe Sacramentorum legis veteris in sacramenta Ecclesiastica, quæ facta est per adventum Christi: & ibidem subditur de secundo adventu, in quo etiam Congregatio beatorum pariter gaudebit in sacrificiis perpetuis laudis divinæ. *V. Psalm.118.c.4.v.14.*

2. *Deus qualiter Dominus dicatur.*

Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram. Nota, quod dicitur, *Deus Dominus*: Cur additur Dominos? Sed attende, quod sobdit, *& vocavit terram*, idest terrenos homioes, ut super ipsos famularetur. Nam Deus est Dominus ab æterno habitu, scilicet dominabilis, sed actu est in tempore, & ideò nisi esset, qui ipsi serviret actu, non diceretur Dominus; ut ergo actu sit Dominus, & nos ejus servi, vocat terram, scilicet homines, ut ei toto corde inserviant; *Psal.49.*

3. *Deus licèt suam essentiam habeat incommunicabilem, tamen homines, per gratiam Deos vult apellari, & malos ad hanc invitat participationem.*

Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram. Deus Deorum quomodo dicitur? Ergone plures Dij? minimè quoad naturam: Deitas enim est iocommunicabilis creaturæ: Sed tamen adoptivè communicatur, nempè per gratiam, & servitutem, homines, & Angelos constituens Deos; & ut hanc gratiam omnibus communicet, vocat etiam terram, scilicet omnes peccatores: ex quo patet quanta sit divina largitas in nos. *op.comp. Theol. l.1. c.2. & l.1. sentent. d.4. art.1. q.3.corp.*

4. *Deus vocat ad se omnes homines sine acceptione personarum.*

Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram, à solis ortu usque ad occasum. Quid est, quod Dominus locutus est? præterea, quomodo vocat terram? Ergone terra erit rationis, vel sensus capax? Sed attende mirabilia opera Dei: Deus locutus est per Incarnationem Verbi, & hinc Christus vocavit terram sua prædicatione, scilicet noo solùm bonos, sed & terrenos, & peccatores; & hoc à solis orto usque ad occasum, nempè, quia apud Christum nulla est acceptio personarum ex omni gente, & ex omni populo, ex omni conditione, ex omni ætate vocat ad se, & in omnibus beneplacitum est ei. *serm. Dom.2. post Pentec.*

5. *Christus vocat omnes multiplici genere vocationum.*

Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram à solis ortu usque ad occasum. Ecce quale est munus Christi missi in mundum: nempè loqui prædicatione, & vocare omnes ad sui sequelam: & quia vocati sunt in multiplici differentia, & statu à solis ortu usque ad occasum, ideò multis modis vocat homines: Vocat enim instanter, & sine desitione ad se, instruendo per documenta, & exempla: Secundò alliciendo per beneficia, & promissa: Tertiò comminando per æterna supplicia, & flagella temporalia, ut qui sponte, vel precibus nolunt intrare, saltem flagellis coacti convertantur: ô magna, & ineffabilis pietas Dei nostri. *Ser.* 1. *Dom.* 2. *post Pentecost.*

6. *Christi Adventus ad judicium quàm dulcis bonis: amarus malis.*

Ex Sion species decoris ejus: Deus manifestè veniet: ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida. Nota quod hîc exprimit pulchritudinem Christi, quando adveniet judicaturus mundum: sed quomodo posita pulchritudine Christi, quæ de se est delectabilis infert furorem, ignem, & iram? Sed respondetur, quod apparebit Christus in Valle Josaphat cum pulchritudine Divinitatis, Corporis & Animæ summa, ut beatis sit in lætitiam, & gloriam; sed damnatis erit in confusionem, dum videbunt, quod ille, qui in primo Adventu non habebat decorem, neque speciem Divinitatis, nunc verò manifestè venit, & ex Adventu ejus ignis, furor, & pœna intolerabilis, & interminabilis proveniet: unde dicit, *ignis in conspectu ejus*, quia erit manifestus: *exardescet*, ut indicet acredinem, addit, *in circuitu*, ut innuat multitudinem pœnarum: subdit, *tempestas*, ut innuat intolerabilitatem, & dicit, *valida*, ob interminabilitatem. *Psal.* 49. *& serm.* 4. *Dom.* 1. *Advent.* Nota igitur hic, quod Deus proponit judicium de nobis faciendum, ut cogitemus terribilitatem ejus, & sic resipiscamus à malo, *ibidem.*

7. *Deus triplex judicium hic nobis proponit, ad nos excitandum ad pœnitentiam.*

Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestè veniet, & non silebit, ignis in circuitu ejus tempestas valida. Nota, quod dicit, *ex Sion*, scilicet ex Judæis comparebit decorus: veniet incarnatus in mundum decorus gratia, & munditia, & miraculis, & subjiciet se judicio impiorum pro nobis, ut excitet nos ad judicium de nobis, scilicet ad pœnitentiam: Deinde subdit judicium ab ipso facturum de impijs. *Psal.* 49. *serm.* 4. *Dom.* 1. *Advent in Luc. c.* 17. *v.* 14. *& c.* 21. *v.* 17. Et nota quod subdit, *advocabit Cælum sursum, & terram discernere populum suum congregate illi sanctos ejus &c.* quia in judicio congregabuntur, & beati, & damnati ante ipsum; illi de Cœlo, isti de terra, scilicet de inferno, &c. *Ibidem.*

8. *Sanctorum perfectio Evangelicæ legis super Sanctos legis Moysis innuitur.*

Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia. Idest qui testamentum novum super vetus ordinant, & offerunt sacrificia, qui pro vita æterna laboraverunt, qui mandatum charitatis impleverunt, quæ omnia significantur nomine testamenti, isti specialiter invitantur ad comparendum ante conspectum judicis, ut gloriæ præmientur, ob excedentem perfectionem ipsorum. *Psal.* 49 *& in Luc. c.* 3. *v* 7.

9. *Congregatio bonorum fit ad ordinandum testamentum super sacrificia.*

Congregate illi sanctos ejus qui ordinant &c. Nota quod testamentum hîc significat vetus, & novum: Item divinas promissiones: Item vitam æternam: Item præceptum charitatis: Ad hæc omnia fiunt congregationes bonorum in Ecclesia, nempe ad studium veritatis, in studio scilicet scripturæ ad exercitium virtutis, ad Deum laudandum & ad præceptum charitatis implendum. *In Luc. c.* 1. *v.* 13. *& Psal.* 49. *In sap c.* 18. Hinc inferre licet, ad quid Deus instituerit varias Congregationes in Ecclesia, nempe ad ordinandum testamentum Dei super sacrificia, scilicet ad exercitium virtutum, & Deum laudandum.

10. *Solemnitas omnium sanctorum, & invocatio ipsorum in litaniis, à sancto Propheta prædicata, & Ecclesia à Deo præcepta.*

Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia &c. Quænam Congregatio sanctorum est ista facienda, & cuinam præcipitur? Nota quod hæc potest esse Prophetia de usu piissimo Ecclesiæ, quæ in Litaniis congregat omnes sanctos, & in die peculiari solemnizat illorum festum, ut ipsi simul pro nobis intercedant: *sic Ugo Cardinalis.* Et in hoc Ecclesia facit, sicut magistri lectionum, qui in fine recapitulant summatim lectiones, quas diutius docuerunt: sic Ecclesia solemnitate sanctorum de quibus per totum annum solemnizavit, quasi in fine anni in festo omnium Sanctorum epilogat. *ser.* 1. *in festo omn. Sanctor.*

11. *Deus quomodo dicitur Deus noster.*

Audi Israël, & loquar ad te, Deus Deus tuus ego sum. Idest ego Deus sum Deus tuus, Deus inquam sum bono meo, scilicet essentialiter sum bonus, tibique ero Deus, idest pro malo tuo auferendo, & ad bonum conferendum; ero tuus ad tuam voluntatem faciendam. *Psal.* 49. ex hoc exulta bonitatem Dei, qui non dedignatur appellari Deus noster.

12. *Sacrificia legis repellit Deus, alia nova à nobis exigit.*

Non in sacrificijs arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo semper, non accipiam de domo tua vitulos &c. Immola Deo sacrificium, & redde altissimo vota tua &c. Quomodo hic dicitur, quod Deus in sacrificijs nostris non arguet nos &c. & postea ea repellere videtur? Sed attende, quod quatuor genera sacrificiorum erant in lege veteri: nempe sacrificium, quod non totum accendebatur, sed pars: Holocaustum, scilicet Incensi, quod totum accendebatur: Oblatio de aridis, scilicet de pane, & thure, & libatio de liquidis, scilicet de vino & oleo: Hæc omnia nunc in lege Evangelica Deus repulit: In hac verò sunt quatuor alia sacrificia: Duo justificandorum: nempè sacri

ſacrificium juſtitiæ, ſcilicet Baptiſmi, & Pœnitentiæ, & duo juſtificatorum, ſcilicet laudis, & mortificationis: Hæc à nobis exigit Deus, dicens: *Immola Deo, &c. Pſal.* 49.

13. *Deus ſolus Dominus omnium rerum, cui perfectè obediunt, & nos ſumus ejus villici.*

Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſilvarum jumenta in montibus, & boves, cognovi omnia volatilia, &c. pulchritudo agri mecum eſt &c. Meus enim eſt orbis terræ. Ex hoc diſce, quod Deus ſe abſolutum Dominum appellat omnium rerum: ſubdit enim, *meus eſt orbis terra, &c.* ipſe ſolus habet omnia, & abundat, & quod ei obedientiam promptam præſtant: Unde *in Luc. c.* 19. quando Diſcipuli voluerunt ſolvere pullum, ab his requiſiti, qui ſe profitebantur ejus Domini, reſpondentes, *quod Domino opus erat*, nihil reſponderunt; ut pateat, quod poſſeſſores rerum temporalium ſunt non Domini, ſed villici Dei, tenenturque vero Domino reddere rationem adminiſtrationis. *In Luc. cap.* 8. *v.* 31. & *cap.* 19. *v.* 34. & *cap.* 16. *v.* 1. & *Opuſ. ſpecul. B. Virg. lect.* 7.

14. *Cor juſti ager pucher cum Jeſu: Cor impii ager deformis cum diabolo.*

Pulchritudo agri mecum eſt. Quomodò dicitur pulchritudo agri cum Chriſto? Sed nota, quod ultra ſenſum litteralem ſupra expoſitum de Dominio Dei myſticè datur intelligi, quod ager eſt cor juſti pulchet, quia offert fructum bonorum operum, & in hoc moratur Chriſtus, & ut maneat ſemper, debet coli maxima diligentia, & labore: Cor impii eſt ager deformis afferens fructus peccati, in quo habitat, & moratur diabolus: Colitur autem ab impiis cum majori labore, & anguſtia. *ſermon.* 3. *Dom. infra oct. Aſcenſ.*

15. *Ager alius eſt mundi: alius eſt Dei.*

Pulchritudo agri, mecum eſt. Cujuſnam ager? Nota, quod nomine agri intelligitur iſte mundus, & myſticè ipſa Anima, ſeu conſcientia: De mundo igitur dicit Deus: *Pulchritudo agri mecum eſt*; ut det intelligere, ipſum eſſe ejuſdem Dominum, & ab ipſo ejus pulchritudinem dependere: & ideò ſine Deo non eſſe deſiderandum, ſed tantùm cum Deo, & propter Deum, in ſeipſo vero contemnendum, cum ſine Deo ſit de ſe occaſio erroris, & deviationis: myſticus eſt conſcientia, quæ excolenda eſt, ut ſit ſuſceptiva verbi Dei, & ne germinet ſpinas, & tribulos. *ferm. Dom. quinquageſ.*

16. *Ager cœleſtis patriæ, quàm pulcher, ad quem ſolùm volatilia Cœli pertingunt.*

Cognovi omnia volatilia Cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. Nota, quod myſticè iſte ager propriè dicitur de cœleſti gloria; & dicitur, quod ibi ſunt volatilia Cœli, & quod pulchritudo ejus eſt cum Chriſto, nempè pulchritudo cœleſtis patriæ, quæ eſt in Deo Patre: eſt ſenſibilium, & inſenſibilium, rationalium, & irrationalium, humanitatis Chriſti, Dei unius, trinique pulchritudo, quam exponit contemplandam Spiritibus glorificatis, qui ſunt volucres Cœli, eo quod pennis contemplationis elevantur uſque ad continuam Trinitatis exiſtentiam: ex qua agri pulchritudine tantus odor fragrat penetrans uſque ad interiora medullarum, ut totam cœleſtem curiam inebriet. O felix, qui dignus ſit ingredi in poſſeſſionem tam pretioſi agri. *ſerm. Dom. 5. poſt oct. Epiph.*

17. *Eccleſia militans eſt ager pulcherrimus Chriſti, in quo morantur boni, & mali.*

Et pulchritudo agri mecum eſt. Nota etiam, quod nomine hujus agri venit Eccleſia militans, in qua & cum qua Chriſtus moratur; in quo agro creſcunt fructus bonorum operum: creſcunt & flores ſanctorum, ſcilicet Roſæ Martyrum, Lilia Virginum, & Violæ Confeſſorum: In hac agri agricultura alij aſſumentur ad gloriam, alij relinquentur in calamitate infernalium opprobriorum; Timeat igitur omnis homo, cum neſciat utrum odio, an amore dignus ſit. *In Luc. c.* 17. *v.* 35.

18. *Ager eſt Chriſtus pulcherrimus.*

Pulchritudo agri mecum eſt. Hæc dicit Chriſtus, ut innuat, ipſum eſſe agrum, vel hortum amœniſſimum plenum floribus virtutum, ſcilicet roſis donorum, liliis chariſmatum, Spiritus Sancti conſolationibus, cujus odorem ſentiens Anima contemplativa dicit cum ſponſa: veni dilecte mi, egrediamur in hortum. *ſerm. Dom. quinquageſ.*

19. *Non taurorum carnes, vel quodlibet aliud Deo immolatum placent, ſed cordis devotio, & Chriſti oblatio.*

Nunquid manducabo carnes taurorum &c. Immola Deo ſacrificium laudis. Quod eſt hoc ſacrificium laudis? eſt devotio, & cor devotum, & Agni veri immolatio, non taurorum carnes, non aliud quodlibet. *Pſal.* 50. Notet hoc ſacerdos, ut videat, quod ſine oblatione cordis devoti, ſua ſacrificia Deo non placent, nec illum placant.

20. *Oratio eſt ſacrificium laudis offerendum Deo in tempore, maximè tribulationis, quam Deus exigit à nobis, & per quam nos liberat à tribulationibus.*

Immola Deo ſacrificium laudis. Quodnam ſacrificium laudis? ſubdit: *Invoca me in die tribulationis.* Ecce quid à nobis exigit Deus, ſcilicet orationem: hac enim excitatur Deus, unde dicit: Invoca me, id eſt excita me: ex hac autem ſequitur liberatio à tribulatione, & tranquillitas, quæ ex devotione oritur, & hinc honorificatio Dei. *In Luc. c.* 8. *v.* 15. & *c.* 9. *v.* 18. & *cap.* 11. *v.* 8. & *op. de perfect. relig. l.* 2. *c.* 66. *c.* 6.

21. *Sacrifi*

21. *Sacrificium laudis Deo debitum inditum est in natura.*

Immola Deo sacrificium laudis,&c. Nota, quod hæc diriguntur omnibus hominibus : nam sacrificium laudis Deo debitum est de dictamine naturæ, & omnes Philosophi veri Deum unum esse colendum docuerunt : Unde Socrates negans Apollini cultum occisus est,quia unum Deum colebat. *serm. 5. Hexaem.* Nota tamen, quod perfectum sacrificium laudis exigit bonam operationem,devotam orationem, & immolationem, seu oblationem : primum est exercitium omnium virtutum : secundum tantùm actus virtutum theologicarum : & tertium est actus latriæ, & ob id justitiæ. *l. 3. d. 9. art. 2. q. 2. ad 2.*

22. *Deus permittit suos tentari,ut excitentur ad studium orationis.*

Invoca me in die tribulationis Cur in die tribulationis, & non in morte? Dies tribulationis est, quando Deus permittit suos tentari, ut excitentur ad orationis refugium,& cognoscant se, sine Dei auxilio non posse vulnera lethalia evadere. *Op. de perfect. relig. l. 2. c. 6.*

23. *Vox non sit Iacob,& manus Esaü.*

Peccatori autem dixit Deus: quarè tu enarras justitias meas, & assumis testamentum,&c. Nota,quod hic repellitur, & reprehenditur Prædicator, qui vitam criminosam degit notoriè : vel qui prædicat propter quæstum temporalem, propter inanem gloriam,vel propter hæresim,qui omnes veniunt nomine peccatoris : alioquin erit vox Jacob,& manus Esaü. *Psal. 49. Op. Eccles. Hier. p. 4. c 3. & In Luc. c. 6. v. 42. & Psal. 118. v 169. & Ps. 72.* Nota etiam, quod isti sunt similes Dæmoni, cui jussit Christus obmutescere,quando voluit prædicare mirabilia Jesu, dicens, *Scio, quod sis sanctus Dei. In Luc. c. 4. v. 35.* Repellendus est ergo à prædicationis munere criminosus. Nota ulterius, quod si aliquando contingit,ut quis malus prædicet ex officio debet audiri : Dixit enim Christus: *quæcumque dixerint vobis servate, & facite : secundum verò opera eorum nolite facere, &c. Ecclen. proœm.*

24. *Tria genera peccatorum principaliter debent elongari à Prædicatoribus, & Prælatis.*

Tu verò odisti disciplinam : scilicet per contemptum disciplinæ : *si videbas furem*,&c. scilicet propter avaritiam, *& cum adulteris, &c.* scilicet per luxuriam : hæcque tria maximè reprehendit Deus in Prædicatoribus,& Prælatis. *Psal. 49.*

25. *Qualis disciplina servanda à viris spiritualibus in exercitiis spiritualibus, maximè in oratione, ne ipsis dici possit : Tu verò odisti disciplinam,&c.*

Tu verò odisti disciplinam,&c. Nota, quod hoc dicitur specialiter Deo dicatis, & viris spiritualibus, quibus onus incumbit servandi disciplinam, quæ est ordinata morum correctio, & majorum præsidentium regularis observantia, *ex Phar. l. 4. c. 9.* quæ tamen maximè in novis in servitio Dei cum magna cautela debet servari : cum exigat ut etiam alij ad bonum exemplum videant observantias virorum spiritualium, ut ad imitationem excitentur, debet tamen cavere Novitius, ne sub specie boni exempli incidat in laqueos superbiæ, & vanæ gloriæ,& melior cæteris se reputet ,& sic interius inanescat, ne sibi dicatur : Tu verò odisti disciplinam meam, scilicet Evangelij et consilium tenendo, quod dicit : *cum oraveris, intra in cubiculum,&c. Matth. c. 6.* & projecisti sermones meos retrorsum , scilicet multiplicem consolationem attentè orantium, quibus solus Deus in mente , tanquam in ipsis loquens ,se præsentem annuntiat , ut unde supremo benefactori consurgens respondere debueras actionibus multimodis pro beneficio non suis meritis , sed ex mera gratia exhibito, retrorsum projiciat se ad favorem humanum in laude hominum prosternendo : Et hæc est perfecta disciplina, quam exigit Deus à nobis : nempe ut homo se vilissimum, & veluti nihil reputet, & totum bonum à Dei gra ia recognoscat, gratumque se ipsi exhibeat. *Op. mystic. Theolog. cap. 3 part. 3.*

26. *Detractores indigni,& inepti ad Deum laudandum.*

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, &c. Vide quomodò ad enarrandum justitias,& laudes Dei reijcitur detractor, qui Deo odibilis est in omnibus. Cave ergo à detractione , & maximè dum sedes cum aliis ad mensam. *Serm. de S. Elisab.*

27. Furtum,adulterium,& detractio , & scandalum sunt maximè Deo odibilia , quia scind nt vestem charitatis Christi : ideò hic dicitur : *Tu si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris,&c. os tuum abundavit malitia,&c. Sap. c. 14. & Psalm. 49.*

28. *Lingua abusus quot mala pariat, & quàm Deo exosus.*

Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos, sedens, &c. Vide quomodò lingua mala apta non est ad Deum laudandum, quia est impugnativa divinæ Majestatis, veritatis, bonitatis, mutuæ charitatis, & omnium motum honestatis : Nota autem, quod dicit, *os tuum abundavit malitia*, nempè impugnando divinam Majestatem per verba jactantiæ, & blasphemiæ : veritatem per mendacia:bonitatem per verba blandientia,mutuam charitatem per verba litigantia, provocantia ad malum : Item honestam motum conversationem per verba impudica,& infructuosa : & ideò mirum non est, si in Inferno linguæ major pœna infligitur ut expertus est dives ille iniquus damnatus. *in Lucam cap. 16. v. 24.*

29. *Scandalum præbens persequitur Christum, ejusque Ecclesiam : idque maximè in viris religiosis, & Deo dicatis verificatur.*

Et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum, &c. Nota, quod post peccata furti, adulterij, detractionis , aliaque gradatim ascendendo fertur in medium peccatum scandali, & dicitur,

quod est adversus filium matris suæ. Cur non dicit adversus fratrem, vel hominem, sed dicit adversus filium matris suæ? quæ est hæc mater? Hæc est Ecclesia Dei, quæ hic specialiter nominatur, ut videas, quod scandalum, & maximè in personis Deo, & Ecclesiæ dicatis est unum ex perniciosioribus peccatis, & quod alios scandalizans, Ecclesiam Dei, & Christum peculiari malitia persequitur, auferens ab eis Animas, & eas tradens Diabolo. *Op. Phar. l. 3. c. 39 & serm. 3. Dom. 1. post oct. Epiph.*

30. *Deus ante oculos mentis proponit peccatum, mortem, & Deum, quæ sunt motiva, quibus homo facilè excitatur ad pœnitentiam.*

Arguam, & statuam contra faciem tuam. Quid statues? Hæc, quæ sunt superius proposita, scilicet peccatum, mortem, vel judicium, & Deum Judicem hæc enim sunt maxima, & efficacia motiva ad resipiscendum à peccatis. *Psal. 49.*

31. *Facies Animæ est conscientia: pulchra, si est in gratia: nigra, si est in peccato.*

Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Quid statues? & quænam est hæc facies? hæc est conscientia; & ideò Deus, ut arguat peccatorem contra ipsum remorsum conscientiæ, ejusque pulchritudinem, si est in gratia; & turpitudinem, si est in peccato; patet ex hoc, quod maxima pœna erit in damnato vitio propriæ turpitudinis. *Serm. 3. in Cœna Dom. & serm. 1. Dom. 3. post oct. Paschæ & serm. 5. in Pentecost. & in Ioan. collat. 71.*

32. *Per sacrificium laudis itur ad Deum cum honorificentia Dei.*

Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Vide quid exigit à nobis Deus, ut honorificetur, nempe sacrificium laudis, quo Anima securè pervenit ad salutare Dei, & invenit Jesum. *Psal. 118. c. 11. v. 6.*

33. *Missio Gabrielis Archangeli, ejusque Annuntiatio ad Mariam Virginem in persona Dei, nobis dat intelligere, quod ipsa est salus nostra.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Deus Deorum locutus est.* Quid est locutus Deus Deorum? locutus est incarnationem factam: Et quando hoc factum fuit? quando Deus misit Archangelum Gabrielem ad Mariam Virginem: & quid locutus est? *Ave gratia plena, Dominus tecum:* dans nobis intelligere magnalia ipsius Beatissimæ Virginis, & effectus honorificentiæ nobis communicatos: nempe, quod Deus concupivit speciem, & decorem Mariæ: Locutus est Angelus Mariæ, ut ipsa adornaret thalamum suum, & præpararet se in occursum Dei: Locutus est etiam, quod Maria Virgo est salus nostra, quod per ipsam salus mundi reparata est: Locutus est, quod per Spiritum sanctum concepit, qui fecit partum suum virgineum, & jucundum. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 49.*

34. *Ex Maria mystica Sion pulchritudo Christi.*

Ex Sion species decoris ejus. Quomodò ex Sion provenit pulchritudo Christi? Ex Sion scilicet ex muliere hebræa, nempe quod ex Maria Virgine, quæ figurata est in Sion verè sublimi, & elevata venit pulchritudo Christi quoad humanitatem; Unde quia pulcherrima fuit Beata Virgo Maria, & pulcherrimum genuit Jesum. *Serm. 3. Dom. 14. post Pentecost.*

35. *Per mariam honor filij, & species decoris ejus diffusus est per totum mundum.*

A solis ortu usque ad occasum, ex Sion species decoris ejus. Quid est à solis ortu, &c. nisi quia per Mariam honor, pulchritudo, & prærogativæ Christi diffusa sunt per totum mundum. *Op. specul. B. Virg. lect. 7. §. 7. &c.*

36. *Maria Virgo Ager pulcherrimus, & ditissimus.*

Pulchritudo agri mecum est. Quomodò dicitur pulchritudo agri cum Deo, & non potius à Deo? Nota, quod dicit, *mecum est:* & audi Gabrielem loquentem & dicentem, *Dominus tecum:* Dat per hoc intelligere, quod si Deus est cum Maria, & Maria est cum Deo, scilicet ejusdem naturæ cum filio: dicitur autem hoc sub metaphora agri pulcherrimi: quia Maria est Ager, in quo thesaurus Dei Patris, & Angelorum est absconditus: Ager plenus odoriferarum specierum odoribus: ejus enim odor est sicut Cinnamomum exterius in conversatione, interius sicut balsamus in unctione devotionis, & contemplatione, & sicut myrrha in amaricatione castigationis, & passione: Ager quidem plenus odorifero Spiritus sancti balsamo, ita ut copiosissimè efflueret circumquaque. O felix, qui vendit omnia, quæ habet, & emit agrum istum. *Op. specul. B. Virg. lect. 7.*

37. *In Mariam collocavit Deus plenitudinem omnium bonorum, ut per ipsam nobis diffunderentur.*

Meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Ad quid in medium ponit sacer textus, quod Deus est Dominus orbis terrarum, & plenitudinis ejus? sed ad Mariam diriguntur hæc verba, quæ est veluti orbis terrarum plenus omnibus gratiis, & bonis: si enim homo dicitur microcosmus parvus mundus, Maria meritò dici potest macrocosmus idest mundus major toto mundo. Dicit igitur, meus est orbis &c. quasi dicat, ego ipse sum, qui Mariam constitui veluti orbem terrarum plenum omnibus bonis, ut si quid in nobis spei est, si quid gratiæ, si quid boni, si quid salutis, ab ea noverimus redundare; quia ab hoc orbe terrarum proveniunt fructus opulentissimi, opera, merita, mores, exempla, & bona omnia derivant: ex ipsa Cœlis gloria, terris Deus, & pax, fides gentibus, finis vitiis, ordo vitæ, & moribus disciplina provenit. *Op specul. B. Virg. lect. 7.* Ad hunc orbem terrarum igitur, ad hunc mundum majorem recurramus, in ipsum intremus, ut vitam, & bonum ex ipsa hauriamus.

PSALMUS.

PSALMUS L.

Titulus: In finem Psalmus David: Cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee.

1\. PRIMÒ nota, quod iste psalmus fuit compositus à David, quando pœnitentiam egit, quando à Nathan fuit reprehensus de adulterio, & homicidio: & patet 2.*Reg. c* 12. & ponitur in quinquagesimo numero, qui est numerus Iubilei, ut denotetur, quod per pœnitentiam solùm potest homo evadere rigorem Judicij universalis supra positi, & obtinere indulgentiam peccatorum. Et quia supra tria peccata præcipuè sunt objecta peccatori, scilicet furtum adulterium, & dolositas; hinc contra hæc tria peccata, quibus reprehensus fuit David à Nathan fit declamatio in hoc Psalmo: rapuit enim ovem, scilicet uxorem Uriæ, commisit adulterium, & dolosè egit in homicidio Uriæ,&c.*Psalm.*50.

2\. *Pœnitens verus ad solam misericordiam confugit.*

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam,&c. Nota,quod in his paucis verbis continentur omnes conditiones perfectæ orationis,& pœnitentiæ: nam Rex iste in causam ductus considerat,quod Iudex suus falli non potest, quia est sapiens,nec potest corrumpi, quia est justus, nec vinci, quia omnipotens, nec declinari, quia est ubique, quod denotatur per illud nomen *Deus*, quod est nomen indicans summam majestatem, immensitatem, sapientiam, veritatem, æquitatem, & summam charitatem; ideò ad solam misericordiam confugit dicens: *miserere mei &c.* quasi dicat: Volo peccatum meum abscondere, sed tu nosti omnia: Volo resistere, sed tu potes omnia, sed tu complecteris omnia, ideò ad solam misericordiam confugio: Nolo,ut intres in judicium cum servo tuo: peto, non justitiam, sed misericordiam, dicens, miserere mei Deus, idest subticeo nomen, non dico miserere David, sicut alias consueveram: memento David: neque blandiens dicam: Da imperium filio tuo, vel servo tuo, vel filio ancillæ tuæ, quia hæc nomina sunt familiaritatis; Audite igitur peccatores,audite, & videte exemplar perfectæ orationis, scilicet quæ orantem, & pœnitentem homiliat, & Deum exaltat. *Psal.*50.*in Luc.c.*18 *v.*12.13.

3\. *Peccator non potest dicere verè Deus meus.*

Miserere mei Deus &c. Nota quod non dicit miserere mei tui servi, vel Deus meus, sed solummodo mei Deus: Cur hoc,cum aliàs Deum suum nominasset? Id dicit,& facit, quia cognoscebat reatum suum.& quod perdiderat Deum peccando: quasi dicat miserere mei Deus, non audeo dicere Deus meus, solummodò Deum agnosco, meum non præsumo: ego enim peccando te perdidi,inimicum sequendo, à te recessi; malum amando, à bono me elongavi.*Psal.*50.

4\. *Pœnitentia perfecta innititur misericordia magnæ,multæ & efficaci Dei.*

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: Amplius lava me, &c. Nota hunc modum, & ordinem: primo appellat misericordiam magnam, postea multiplicem,& deinde petit deletionem, & ablutionem à peccatis: Cur variat hos titulos misericordiæ Dei? sed optimè loquitur iste perfectus pœnitens, considerabat sua peccata magna in quantitate, multa in numero, turpia in qualitate: scilicet aliquanta,aliquota, & aliqualia, & quia contra magna timorem opponebat, contra multa dolorem, & contra turpia pudorem: hinc recurrit ad misericordiam magnam contra magna peccata,dicens *miserere mei Deus secundum magnam misericordiam*; ad multam dicens, *& secundum multitudinem miserationum tuarum, &c.* contra multa,& contra turpia petit,ut lavet eum. *Psalm.* 106. *& expesit.missa c.*.. Considerabat etiam misericordiam Dei magnam,quia extenditur super bonos & malos; ideò confidenter ad eam recurrebat. *Psalm.*155.

5\. *Pœnitens verus cognoscens Dei misericordiam confidenter petit non parvam, sed magnam misericordiam.*

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Cur iste peccator petit magnam misericordiam: Nonne sufficit una stilla divinæ pietatis? Nonne hæc videtur potius præsumptio? minimè,quia enim ex una parte cognoscebat multitudinem,seu magnitudinem divinæ misericordiæ, se extendentis super bonos, & malos, & in infinitum excedentis miseriam suam,& indignitatem, quam magnam pariter nominat, ideò petit magnam misericordiam, quasi dicat nolo parvam misericordiam quærere, neque te decet parvam misericordiam dare,cum sis summè miseriens super bonos & malos; imò indignus essem exaudiri, si à magno peterem parva,& quia magna petens,de meis meritis non præsumo, sed de magna misericordia tua: hinc confidenter dico: miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam. *Psal.*50.

6\. *Pœnitens verus non unicam misericordiam, sed multiplicem confidenter petit à Deo.*

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Cur petit, ut deleatur iniquitas secundum multitudinem miserationum Dei,& non potius secundùm misericordiam? quia ultra deletionem peccati alias misericordias prætendebat: nempe misericordiam in remissione peccatorum,aliam in misericordiam iterando,& aliam in gratificando,& glorificando.*Psal.*50.

7\. *Servi Dei hic instruuntur quomodò aliquando ad Deum orare debent, ut servi, & peccatores gratia Domini privati.*

Miserere mei, &c. & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Nota quod hic instruitur servus Dei, qui aliquando variam formam orantis, se offert ut servus, qui gratiam Domini sui perdidit peccando, ideò supplicat sibi peccata; & negligentias suas ignosci, quas commisit omittendo debita, & perpetrando illicita. *op. de perfect. religios. l. 2. c. 61.*

8. *Pœnitentia mundat à reatu culpæ, & etiam pœna.*

Et secundùm multitudinem, &c. dele iniquitatem meam: Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato &c. Quid est, quod prætendit iste pœnitens ultra deletionem peccati, ut habeat dicere: *Amplius lava me &c. & munda me?* Sed nota quod in peccato est reatus culpæ, reatus pœnæ, & peccati turpitudo contracta: petit igitur deletionem peccati quoad reatum culpæ, & etiam pœnæ, ut auferatur turpitudo peccati: nam tanta est virtus pœnitentiæ. *Psalm. 50. & 106. & in Luc. cap. 5. vers. 20. & sermon. 1. Dom. 2. post oct. Epiph.*

9. *Pœnitentia alia vera, & perfecta, alia imperfecta, alia ficta, & falsa.*

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum &c. Tibi soli peccavi &c. Vide quàm perfecta fuit hæc pœnitentia Prophetæ: nam soli Deo fatetur peccatum, ipsi soli recurrit pro misericordia, & ab eo expectat veniam; & sic hæc pœnitentia habuit omnia requisita, & facta ex amore: Alij verò sunt, quorum pœnitentia est imperfecta, quæ fit ex motivo pœnæ: Alij sunt quorum pœnitentia coacta est, & falsa, ut pœnitentia Cain, & Judæ. *Psalm. 50. in Ioan. cap. 5. vers. 9.*

10. *Cognitio vilitatis & fœditatis peccati quàm necessaria, & utilis.*

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Vide quid proponit hic pœnitens, ut semper ferventius ad pœnitentiam excitetur, & veniam impetret: nempè cognitionem peccati, & quod contra se est semper &c. Sed quomodò cognoscit peccatum, quod est nihil, & mera privatio? Cognoscit peccati gravitatem, multiplicitatem, & fœditatem: nempè quod peccatum est grave onus ad Infernum trahens Animam: & eò amplius, quo est toties multiplicatum: Cognoscit item, quod peccatum est putredo fœdissima lacerans, & vulnerans Animam, & reddens eam abominabilem coram Deo, & Angelis: Cognoscit, quod sine hac cognitione sanitas non potest obtineri, hinc cum hac cognitione, & confessione Deo se præsentat. *serm. 2. Dom. 9. post Pentec. & Psal. 49. & op. de praparat. ad Missam.*

11. *Pœnitens verus debet ante Deum constituere Capitulum ad modum Capituli Religiosorum facti ad culparum correctionem.*

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci &c. Nota hæc verba, & ipsorum ordinem, & videbis, quod David coram Deo Judice, & correctore constituit Capitulum ad suorum peccatorum correctionem: nam sicut in Capitulo Religiosorum (quod maximè est necessarium Religiosis) culpabilis Religiosus primò genua flectit: Secundò culpam recognoscit: Tertiò spoliat, & vestem deponit: Quartò correctionem, & disciplinam accipit: Sic pœnitens primò humiliatur, dicens, *miserere mei Deus &c.* Secundò culpam recognoscit, dicens, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco*: Tertiò veterem conversationem deponit: & quartò correctionem, & disciplinam accipit macerando carnem, & se mortificando: & hæc omnia excellentissimè fecit hic sanctus pœnitens. *op. Diæt. Tit. 6. c. 1.*

12. *Peccatum est pœna puniens ipsum peccatorem.*

Et peccatum meum contra me est semper. Quomodò est contra ipsum semper? quia est veluti signum furti, quia est pœna sui, & pœnam inseparabilem secum fert. *l. 2. d. 5. a. 1. q. 2. & l. 4. d. 46. a. 2. q. 4. ad 1.*

13. *Peccator seipsum injustum fatens Deum justificat, scilicet justum fatetur.*

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Quid est Deum justificari, & vincere cum judicatur? ergone Deus judicio subditur? Nota, quod prius dixerat Propheta, *tibi soli peccavi*; nempè seipsum peccatorem fatendo, justificare dicitur, Deum scilicet justum ipsum fatetur: sicque in comparatione Dei, Deus dicitur vincere, solúmque ipsum esse justum. *In Luc. c. 7. v. 28.*

14. *Peccator peccans maximè offendit, & contemnit divinam misericordiam, majestatem, & veritatem omnia speculantem.*

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci &c. Quomodò soli Deo, & non etiam Uriæ id dicit, quia considerabat peccatum in ordine ad Deum, quia nempè cognoscebat se peccando maximè contempsisse Divinam Majestatem, ideò dicit: *tibi soli peccavi*; & divinam veritatem omnia speculantem: Unde dicit: *& malum coram te feci*: quasi dicat? tibi soli peccavi, quem non possum effugere, non possum celare, quia coram te illud feci; nec possum muneribus corrumpere, ut justificeris in sermonibus tuis: nec possum vincere, unde ut vincas cum judicaris. *Psalm. quinquagesimo, & 110. In Luc. capit. decimoquinto, vers. 21.*

15. *Prælati, & principes gravius à Deo judicantur, & condemnantur, quàm, subditi, quia non habent in hac vita judices superiores.*

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci &c. Cur soli Deo, & non etiam contra Uriam peccavit, & populum illum offendendo, illum scandalizando? Optime loquitur David; ut Rex: sciebat enim, quod ejus scelera, & si essent contra proximum, tamen nullum Judicem præter Deum habebat judicantem, & punientem; & ob id de Prælatis dicitur, quod, *durissimum judicium fiet his, qui præsunt.* Ideò toto corde ad Deum recurrebat pro venia, ne subderetur huic durissimo judicio. *In sap. c.6.*

16. *Peccatum originale est unum, & multiplex peccatum, & quomodò.*

Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Quomodò iniquitas, & peccata hic appellat peccatum originale? Sed respondetur, quod est unum obligans ad pœnam æternam, & est multiplex in radice, quia fert secum inclinationem ad omnia mala. *l. 2. d. 33. a. 2. q. 2 ad 1. & ad 3. dub. 4. & Psal. S. & op. specul. B. Virg. lect. 11.*

17. *Veritas Dei explicatur à sancto Propheta, & revelatio adventus Christi ipsi facta.*

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Nota, quod Propheta semper nova motiva adducit pro impetranda venia peccatorum: nempè veritatem Dei promittentis veniam confitenti peccata, sciens hanc veritatem Dei esse immutabilem, æquissimam in dictis, & factis: & subdens, hanc sibi fuisse revelatam: & præcipuè adventum Christi incertum aliis in cujus meritis confisus, confidebat se veniam impetraturum: Incertus autem erat adventus Christi, & occultus: Incertus ad fideles quantum ad modum, ad tempus, ad humilitatem; & occultus quoad infideles. *Psal. 50.*

18. *Christus quomodò comparetur hyssopo.*

Asperges me hyssopo. Cur petit aspersionem cùm hyssopo, & non potiùs remissionem immediatam? Sed nota, quod immediatè proposuerat adventum Christi Redemptoris: ideò subdit, *asperges &c.* quia Christus hyssopo tripliciter comparatur: nempè, quia tumorem lenit, humilis herba est, petræ adhæret: sic Christus humillimus fuit, vulnera, & infirmitates sanat, & adhæret petræ, idest veluti petra est in fabrica Ecclesiæ: David autem orat, Asperges me hyssopo, scilicet sanguine, & meritis Christi. *Psal. 50.*

19. *Qui vult sanctificari, & mundari, debet aspergi aqua compunctionis aspersorio humilitatis.*

Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. Cur petit aspergi hyssopo? Nota, quod vir à Deo illuminatus, sciens qualiter purgandus esset à peccatis, petit à Deo compunctionis aquam, & deinde aspersionem hyssopi, scilicet humilitatis, ut aspersa anima, lavaretur ab omni fœditate, & sanctificaretur. *Ser. 1. in dedicat. serm. 4 de Apostol. & serm. 1. in vigil Nativit. & serm 2. in Cœna Dom. in Luc. c. 3. vers. 12.*

20. *Quomodò pœnitentia super nivem dealbet animam.*

Super nivem dealbabor. Quomodò super nivem? Ergone quid albius nive inveniri potest? Nota, quod cum mysterio utitur hac similitudine nivis: quia nix conservatur, si frigus continuatur, sed flante austro resolvitur: sic nix significat carnis mortificationem, & repressionem noxii caloris per spiritualem frigiditatem: petit ergo super nivem dealbari, ne scilicet austro, vel calore prosperitatis, affluentiæ, atque abundantiæ resolvatur: Sic enim dealbata anima conservabitur. *In Thren. c. 4.* Nota etiam, quod dicit, *super nivem*, quia nix est alba exterius, & interius, ideò petit munditiam & exteriorem, & interiorem. *Serm. 4. de Apostol.*

21. *Obedientia mærorem sensui, sed lætitiam spiritui confert.*

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Quid est, quod sperat recipere à Deo? nempè auditui, & non potius animæ lætitiam? Sed nota, quod nomine auditus intelligitur obedientia, quam promittit Deo: sciens quod licèt afferat mærorem sensui, ideò dicit, *ossa humiliata*: tamen lætitiam spiritui confert, & hinc totus in lætitia natat vir obediens. *Serm. 3. Dom. 3. Advent.*

22. *Spiritus devotionis in anima gignitur ex pluribus motivis, sed præcipuè ex dolore intenso peccatorum.*

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele &c. Nota, quod prius lætitiam interiorem sibi promittit à Deo, postea supplicat, ut avertat Deus faciem à peccatis, quia dolor offensæ Dei, & amissionis gratiæ gignit devotionem cordis, & affert lætitiam maximam spiritualem. *Op. de perfect. Religios. l. 2. c. 73.*

23. *Deponendus est vetus homo ab eo, qui vult in anima recipere vitam spiritualem, & renovari, & in actibus spiritualibus se exercere.*

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Quid est hoc, quod petit à Deo ultra mundationem cordis? nempè spiritum novum: nonne cor mundum est spiritus novus, & renovatus? Sed attende ad ea, quæ infra subdit. *Docebo iniquos vias tuas &c.* Ad satisfaciendum magis Deo pro offensis illatis, non solùm pœnitentiam arripuit, per quam mundum cor recepit, sed quia in aliis actibus proximo utilibus, & in prædicatione verbi Dei præcipuè intendebat incumbere; & quia sciebat, quod vetus homo debet deponi, & novo spiritu renovari ad exercendum tales actus in Ecclesia: hinc po-

stulat ultra mundationem animæ, novum spiritum. *Luc. c. 5. in fine.*

24. *Contra triplicem spiritum diabolicum petebat triplicem spiritum à Deo.*

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus: & Spiritum sanctum ne auferas à me, & spiritu principali confirma me. Nota, quod David petit triplicem spiritum à Deo: spiritum rectum, Spiritum sanctum, & spiritum principalem: Cur triplicem hunc spiritum petit? & quodnam discrimen inter ipsos? Sed respondetur, quod iste sanctus pœnitens sciebat, quod diabolus per triplicem spiritum, scilicet Luxuriæ, Avaritiæ, & superbiæ decipere conatur hominem: ideò triplicem spiritum petit à Deo: spiritum nempè rectum, paupertatis, & abdicationis rerum temporalium: spiritum sanctum, nempè puritatis, & castitatis: & principalem, nempè humilitatis, quem triplicem spiritum qui habet, habet & justitiam perfectam ad se, & ad proximum, & Deum: Item intra se, & extra se, & infrà se, & per hoc habet pacem, gaudium, & intra se regnum Dei. *In Luc. c. 11. v. 10.*

25. *Pœnitens per contritionem delet scripturam diaboli in corde jam impressam, & exhibet cor mundum Christo, ut scribat in eo suam gratiam, & observantiam mandatorum.*

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova &c. Cur petit cor mundum, & album? & deinde spiritum rectum? Nota, quod peccator existens in peccato mortali, habet cor veluti pergamenum nigrum, in quo diabolus scripsit characteres damnationis: Propheta ergo petit, ut Deus deleat hanc Scripturam, & ut mundet cor veluti pergamenum album, ut in eo scribatur spiritus novus, scilicet scriptura nova, & ut observantia mandatorum Dei. *Op. Diat. tit. 5. c. 1.*

26. *Spes est lapis pretiosus tricolor: in imo niger, in medio albus, in supremo rubeus.*

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova &c. Nota, quod ad hanc pœnitentiam reductus est Propheta per timorem Dei filialem: & præcipuè per spem vivam in Deum, quæ est veluti lapis pretiosus, qui dicitur sardonix, qui est tricolor, in imo niger, in medio albus, & in supremo rubeus: sic spes facit ima, idest terrena nigrescere, & contemnere, & timere ima inferni: & ideò petit Propheta spiritum novum contra terrena: In medio, idest in corde candidum facit per puritatem, & ideò dicit, *cor mundum crea in me*; idest in medio per spiritum sanctum. In supremo rubeus per charitatem, & amorem in Deum; & ideò petit spiritum principalem, qui est amor Dei. *Op. Diat. tit. 10. c. 5.*

27. *Homo debet pavere, ne projiciatur ob peccata à facie Dei; sed recurrere ad ipsum Deum, ut concedat ipsi spiritum sanctum suum: nempè puritatem.*

Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum &c. Optimè dicit Propheta, quia sciebat, quod si Deus respicit ad peccata, projiciet eum: & ne projiciat, petit spiritum sanctum Dei, nempe puritatem, & munditiam corporis, & animæ. *In Luc. c. 11. v. 10.*

28. *Nomen* Jesus *affert lætitiam cordi, & munit contra peccatum, & diabolum.*

Redde mihi lætitiam salutaris tui. Quid est hoc salutare? Alia littera legit, *nominis filii tui*, scilicet Jesus tui, quia nomen Jesus affert lætitiam cordi, & reddit animam fortem contra tentationes diaboli. *Serm. 4. In Circumcis.*

29. *Lætitia salutaris, & spiritualis unde proveniat, & quid operetur in anima.*

Redde mihi lætitiam salutaris tui. Quænam est hæc lætitia salutaris? Sed nota, quod hoc dicitur de lætitia spirituali animæ vera, ad differentiam lætitiæ vanæ mundi: hæc enim non est salutaris, sed est vana, ficta, & semper immixta cum dolore: Sed lætitia spiritualis est hilaritas mentis ex bona confidentia ad Deum, & bonæ conscientiæ testimonio, reddens hominem benevolum, & devotum ad omnia agenda. *Opusc. de perfect. religios. l. 2. c. 72. & serm. 1. de uno Confessore.*

30. *Lætitia salutaris est donum Spiritus sancti, mirabiles effectus gignens in anima.*

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Quæ lætitia salutaris est hæc annexa cum spiritu principali? Nota, quod lætitia salutaris Jesu Christi est gaudium quoddam, quod à Spiritu sancto infunditur, quo gaudet animus in Deo pro perceptis divinis beneficiis, vel promissis: & hanc petebat David, & confirmationem stabilem ejusdem in anima: quam vocat spiritum principalem, quia per ipsam redditur anima purgata, & prompta ad agendum omnia, quæ Deo placent, & ad sufferendum omnia tristia, & secum portat possessionem virtutum. *Op. de perfect. religio. l. 2. c. 72. & serm. 10. in Pentecost. & Psal. 50.*

31. *Docere alios, & Dei verbum prædicare maximi meriti est.*

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Vide quid petebat Propheta supra spiritum novum, nempè quia post conversionem, & pœnitentiam exemplarem volebat se exercere in charitate proximi: & quia inter omnia opera exercitium docendi rudes, & prædicandi verbum Dei supereminet aliis; ideò se exhibet promptè Deo dicens. *Docebo vias &c. sermon. 1. Dom. 2. septuag.*

32. *Omne peccatum, sed præcipuè luxuria dicitur sanguinis fluxus, quo anima inficitur, & exosa redditur Deo.*

Libera me de sanguinibus Deus salutis meæ &c. & exultabit lingua mea justitiam tuam. Quinam

nam sunt isti sanguines, à quibus petit liberari Rex? Nota, quod nomine sanguinis venit omne peccatum, sed præcipuè luxuria: est enim sanguis inficiens Animam, & Deo exosam reddens: Unde ab his sanguinibus petit liberari, ut possit perfectè, & cum lætitia Deum laudare *Thren. c.4.* Merito ergo petit liberari à sanguinibus, quia fluxus sanguinis est valdè ignominiosus, & verecundus: sic & peccatum luxuriæ. *fermon. 2. in Parasceve.*

33. *Sanguis proximi injustè effusus petit à Deo vindictam.*

Libera me de Sanguinibus Deus salutis mea. Quid est de sanguinibus? Cur non dicit de Sanguine? De Sanguinibus in plurali: quia sanguis homicidij spiritualis, & corporalis clamat vindictam apud Deum; unde vocem sanguinum audiebat, & contristabatur petens liberari à vindicta, quam sanguis occisi injustè invocat ad Tribunal divinæ justitiæ: nam corporaliter injustè occiderat Uriam, & spiritualiter per peccatum scandali multos necaverat. *fermon. 3. Dom. 15. post Pentec.*

34. *Debemus Deum laudare non solùm corde, sed & ore.*

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Vide quomodo non solùm corde, sed & ore Deum debemus laudare: unde oratio vocalis rectè facta, est Deo grata. *Psalm. 118. v.61. & 62. & 68. & In Luc. c. v.64.*

35. *Principium nostri operis Deo debemus offerre.*

Domine labia mea aperies &c. Vide quomodo volens Propheta se exercere in laudibus Dei, ad ipsum recurrit ante omnia, ut ei offerat principium suorum operum: Et hinc Ecclesia in principio officii semper utitur hac oratione, & in fine scilicet in Completorio, dicit, *Converte, nos Deus &c.* ut Caput, & cauda, scilicet principium, & finis Deo exhibeatur. *Psal. 50.*

36. *Ad Deum ante omnia in nostris operibus debemus confugere in oratione.*

Domine labia mea aperies &c. Ut videas, quod ad orationem primò, & ad Deum in conringentibus nostris tribulationibus, & operibus debemus confugere *ferm. 3. de S Ambros.*

37. *Sacrificium quale Deo gratum.*

Quoniam si voluisses sacrificium &c. Nota, quod in his, & sequentibus verbis docet Propheta, quod Deus rejicere debebat sacrificia legis veteris, sed Agni veri oblatio erat illa, quam exigebat in lege evangelica, & deindè dicit, quod sacrificium ipsi charum est spiritus contribulatus, scilicet plenus devotione, & humilitate, & hoc ut ædificentur muri Hierusalem, scilicet Ecclesiæ stabiliantur, quia Spiritus contribulatus, & devotus, fidelisque est, qui Ecclesiam reddit stabilem, *Psal. 50.*

38. *Humilitas contritionis, & pœnitentia thesaurus est Deo placens.*

Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Ecce quid est Spiritus contribulatus, nempè cor humilia um contritione, & pœnitentia ex recordatione commissæ iniquitatis: Tale cor est sacrificium, quod in finis thesauris Deus abscondit, *ferm. 4. Dom. 10. post Pentecost. & sermon. 1. fer. 2. Pascha. & ferm 3. Dom. 21. post Pentecost. & serm. 3. de uno Confess. & in Ioan. c. 4. v.3. & c.15. vers. 4 & l.4 d.14. p.2 art.1. quæst.1. & d. 17. p.1. art.1. q.3.*

39. *Sacrificium quale exigit à nobis Deus.*

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Ergone Deus non exigit à nobis aliud sacrificium præter spiritum contribulatum, & contritum, & humiliatum? Ergo sacrificia alia sunt superflua? minimè: sed in his verbis exprimit qualiter sacrificium Deo debemus offerre, & quibus conditionibus: nam quia fides omni tempore fuit necessaria ad impetrandam remissionem peccatorum; & quia fides dictat Deo serviendum, hinc Deus instituit sacrificia externa, ut per illa manu duceretur homo ad id, quod erat necessarium interius; ordinavit enim Deus, ut in sacrificiis occideretur pecus, quod decima pars separaretur, sic per hoc voluit indicare in decimatis recessum à peccato, in oblatione internam contritionem, & exteriorem carnis macerationem, nempè mentis devotionem, & exteriorem bonam operationem, & hoc est, quod comitari debet nostra sacrificia externa. Sic enim erit sacrificium Deo charum. *l. 4. d. 1. p. 2. art. 1. quæst. 3. & Psalm. 19. & 49.*

40. *Contritio conterit cor in partes, & facit novum vas gratiæ Dei.*

Sacrificium Deo &c. Cor contritum &c. Vide quomodo Spiritus rectus novus acquiritur, de quo supra orabat Propheta, scilicet contritione, & contribulatione, qua conteritur in partes ipsum cor, & fit unio ipsarum, per quam fabricatur novum vas in honorem, & Deo charum. *l. 4. d. 16. p. 1. art. 1. q. 1. ad 7.*

41. Hierusalem est Ecclesia militans, cujus muri ædificantur contritione, devotione, & pace, & sacrificiis: Unde hic dicit, *Benigne fac &c. ut ædificentur muri Hierusalem &c. In Luc. c. 22. v. 4. Psalm. 50.*

42. *Iusti seipsos Deo offerentes, & mactantes per Martyrium, vel pœnitentiam sunt, vituli, qui super Altare Ecclesiæ oblati sunt Deo acceptabiles.*

Tunc acceptabis &c. tunc imponent super Altare tuum vitulos. Quosnam vitulos? Vitulos, idest justos, qui per pœnitentiam, vel Martyrium mactantur Deo, isti sunt, qui offeruntur super Altare Dei, scilicet Ecclesiæ. *ferm. 1. Dom. 15. post Pentec. & ferm. 3. Dom. infra oct. Nativit. &c.*

43. Pœnitens

43. *Pœnitens verus pro obtinenda remissione peccatorum, non solùm ad Christum, sed ad Beatam Virginem debet confugere, & ideò dicere.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Miserere mei Domina, quæ mater misericordiæ nuncuparis, & secundùm multitudinem misericordiarum tuarum munda me ab omnibus iniquitatibus meis: effunde gratiam tuam super me, & solitam clementiam tuam, ne subtrahas à me; quoniam peccata mea confitebor, & coram te me accuso de sceleribus meis: fructui Ventris tui me reconcilia, & pacifica me ei, qui me creavit. *Opusc. Psal. B. Virg. Psal.* 50.



PSALMUS LI.

Titulus: In finem intellectus David: Cum venit Doeg Idumæus, & nuntiavit Sauli, venit in domum Abimelech: ex 1. Reg. cap. 22. v 9.

1. PRimò nota, quod sicut in principio primæ quinquagenæ Propheta egit de Christo: sic in principio hujus secundæ quinquagenæ per Anthitesim agit de Antichristo, vel de impœnitente, ejusque pœnis, & redarguit ipsum de mala voluntate, de mala potestate, & de mala operatione dicens: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate: tota die cogitavit, &c. Dilexisti malitiam, &c.* & deinde subdit pœnas à Deo infligendas: *Deus destruet te, & evellet, & emigrabit, &c. Psal* 51.

2. *Gloria temporalis, carnalis, & mundana, & de peccato perpetrato est mali multiplicis causativa.*

Quid gloriaris in malitia, &c. Nota illud verbum, *gloriaris*: nempè loquitur de gloria mundana, carnali, & temporali; & ut ostendat, quàm mala sit; subdit, *qui potens es in iniquitate, tota die, &c.* & tandem pœnas, quæ sequuntur istam gloriam: *Deus destruet te in finem, &c. serm. 1. de uno S. Marty. & in Sap c.* 17.

3. Lingua mala impugnat veritatem, ideo est exosa Deo: Unde hic dicitur: *tota die cogitavit lingua, &c. fecisti dolum. In Luc. c. 16. v.* 24.

4. Proprium est malignorum, & obstinatorum non solùm malè facere, sed & diligere statum in malitia: Unde ipsis dicitur: *Dilexisti malitiam, &c.*

5. Malos malè perder Deus in fine: unde dicitur: *Propterea Destruet te in finem, & radicem tuam,* idest malam voluntatem, &c. *Psalm.* 51. *& in Luc. cap.* 11. *v.* 7.

6. Justi videntes pœnas malorum ad timorem excitantes, & videntes se liberatos à talibus malis gaudent; Unde dicitur hic: *Videbunt justi, & dicent, &c.*

7. Iniqui prævalent in hac vita; sed in alia omnia amittent: ideò dicitur hic: *& prævaluit in virtute sua, &c.* sed ad tempus. *Psal.* 18.

8. Justus per spem est sicut oliva fructifera producens fructus bonæ operationis: Unde hic dicitur: *Ego autem sicut oliva, &c. Dict. Tit.* 5. *c.* 4. *& Psal.* 51.

9. Justus confitetur, & laudat Deum pro beneficiis à Deo receptis: Unde hic dicitur: *Confitebor tibi in sæculum quia fecisti, &c. Ps.* 118. *c.* 5. *v.* 11.

10. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

Quid gloriaris in malitia? Hoc possumus dicere scientes, quod Beata Virgo Maria conterit potentiam Diaboli, & nos liberat à suis malitiis. Quid igitur gloriaris in malitia ô maligne serpens, & Draco infernalis? submitte caput tuum mulieri, cujus fortitudine demergeris in Infernum. Contere eum Domina pede virtutis tuæ: exurge, & dissipa malitiam ejus: extingue potentiam ejus, & virtutem illius redige in favillam: ut viventes exultemus de nomine tuo, & læto animo dicamus tibi laudem. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 51.



PSALMUS LII.

Titulus: In finem: Pro Maeleth, vel Amalech intelligentia David.

1. PRimò Nota, quod titulus commouiter legitur pro Amalech: à D. Augustino, & aliis pro Maeleth: primo modo, quia Amalech interpretatur dolens; Maeleth verò parturiens: & primo modo exponitur sic, quod sit prædictio de persecutione Antichristi, qui velut insipiens dicens non esse Deum contra ipsum pugnabit; pro qua Ecclesia mittitur ad David, scilicet ad Christum, quia sicut David liberavit Civitatem Siceleg, quam spoliaverant Amalecitæ, sic & liberabit Ecclesiam ab ista persecutione: secundo modo significat Ecclesiam, quæ pro delictis suorum filiorum dolet, & pro pondere carnis, & pro dilatione gloriæ, & mittitur ad Christum Consolatorem. *Psal* 51.

2. *Peccatoris corruptio spiritualis in Anima, & corpore explicatur.*

Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est, qui faciat bonum, &c. Quid est corrupti sunt, & abominabiles facti sunt? In quonam hæc corruptio consistit: Nota, quod corruptio extenditur in ordine ad Animam, abominatio spiritualis in corde ad corpus, scilicet ad peccata, quæ respiciunt purè Animam, & quæ respiciunt corpus; corruptio Animæ fit per superbiam, vanam gloriam, & invidiam: prima corrumpit rationem: secunda concupiscibilem, & tertia irascibilem: peccata, quæ respiciunt corpus, & reddunt hominem abominabilem sunt quatuor secundùm quatuor elementa, quibus componitur; & resident principaliter in quatuor partibus corporis, scilicet in oculis, Ignis; in lingua, quæ format vocem, Aer: In manibus ratione tactus, Terra: & in genitalibus Aqua; & ideò curiositas respicit oculos: loquacitas linguam, crudelitas manus, & genitalia voluptatem: hæc quatuor vitia reddunt nimis abominabilem hominem quoad corpus, & prima tria Animam corrumpunt quoad esse morale. *Psal.* 52.

3. Quinam sunt, qui intelligunt, & requirunt Deum, qui tamen paucissimi sunt. *Vide supra ad Psal.* 13.

4. Veni

4 *Vnus est, qui facit bonum: & quomodò id sit verum.*

Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ergone nemo invenitur in Ecclesia, qui faciat bonum? nonne tot sanctos habet? Nota quod dicit, *omnes declinaverunt usque ad unum*; Idest solùm inter tot membra, quæ sunt in Ecclesia, unum tantùm dicit facere bonum, scilicet intelligere, & requirere Deum, qui declinat à malo, & bonum operatur. *Psalm.* 13. Vel etiam dic, quod tantùm, qui servat unitatem cum proximo, bonum facit.

5. *Qui in Ecclesia sunt mercenarii, inutiles sunt ipsi Ecclesia.*

Simul inutiles facti sunt &c. Qui sunt isti inutiles? loquitur hic de membris Ecclesiæ malis, qui declinaverunt: hi enim licèt sint positi in Ecclesia, & vel opera bona faciant, vel curam animarum assumant, tamen, quia laborant pro gloria mundana, vel pro rebus temporalibus, & fugiunt à gremio matris ad iniquitates, isti inutiles sunt, & inutiliter operantur. *Serm.* 1. *fer.* 4. *Pascha.*

6. *Divites,& potentes devorantes pauperes quàm Deo exosi.*

Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis, quoniam Deus dissipavit ossa eorum &c. Nota, quod primò ponit omnes operantes iniquitatem; & postea subdit, de iis, qui devorant plebem, sicut escam panis. Cur de his tantùm peculiariter loquitur,& non de aliis? nonne sufficiebat eos comprehendere inter operantes iniquitatem? quia inter omnia peccata, hoc summè Deo displicet, nempè in divitibus devorantibus pauperum substantias, qui sunt avari, rapaces, superbi, sine misericordia, sine fide, usurarii; qui permittunt mori famę vicinos suos de his, quæ dant canibus, & porcis: qui auferunt multis modis illicitis bona pauperibus, & sæpè sub specie pietatis videntes bovem, agnum &c. quasi compatiendo iis, invitant eum, quod accipiat bladum, vinum, pannos,vel pecuniam,& non dormiunt,donec illa possessione spoliaverint: Isti devorant plebem Christi, sicut escam panis; & contra istos Deus maximè irascitur, & dissipat eorum ossa, & substantias,& tandem deficientes pereunt æternaliter. *Serm.* 1. *Dom.* 24. *post Pentecost.*

7. *Damnati quomodò trepidare dicuntur timore, ubi non erat timor.*

Trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Idest ubi non erat trepidandum: Nota,quod hoc competit damnatis, quorum animæ ex divina justitia igni corporeo, timore magnò trepidant ad hunc ignem, qui cum sit corporeus consequenter non potest naturaliter agere in animam spiritualem, tamen sic exigente divina justitia concipit horrorem, & dolorem ex tali obligatione, & conjunctione, *l.* 3. *d.* 44. *p.* 2. *a.* 3. *q.* 2.

8. *Vana gloria facit præcipitare in opprobrium sempiternum.*

Dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Nota, quod hic loquitur, de iis, qui venantur laudes hominum,qui ob puram gloriam humanam operantur: Isti enim summè displicent Deo, tamquam fures gloriæ Deo debitæ; & ideò eos Deus confundit, & præcipitat in opprobrium sempiternum sine mercede, non solùm in alia,sed etiam in hac vita. *In Luc.c.*6.*v.*26.*& Psal.*118.*s.*8.*v.*6.*& op.de pugna spiritus c.*8.

9. *Maria Virgo destruxit omnes artes diaboli, quas tetendit in hominem, & in sagenam illius eum cepit.*

Dixit insipiens in corde suo &c. Hoc ad litteram dicitur de Antichristo: Sed mysticè de diabolo, qui ut hominem ejiceret de habitaculo filiorum Dei, decepit mulierem, & laqueos tetendit primo homini: Sed Maria Virgo in foveam, quam ipse diabolus præparaverat homini præcipitavit eum, & in sagena exposita homini ipsum cœpit. *Opusc. Psalt.B.Virg.Psal.*52. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

10. *Maria dedit salutare Dei nobis, per quod liberamur ab incursione dæmonum, & omni periculo.*

Quis dabit ex Sion salutare Israël, cum converterit Deus captivitatem plebis suæ &c. Nota, quod Propheta, postquam expresserat tentationes diaboli, & perversorum persecutiones in Ecclesiam, & bonos: quærit quis dabit ex Sion salutare Israël, nempè Jesum? Et cur ex Sion ipsum salutare expetit? quia respiciebat ad Mariam verè montem Sion exaltatum super omnes creaturas, ex qua prodiit salutare Israël, nempè Jesus fructus virtuosissimus ad salutem: Ipsa enim est, quæ mundo fructum salutis portavit contra omnes adversarios, & pericula. *Op. specul. B. Virg. lect.*16.

PSALMUS LIII.

Titulus: In finem, in carminibus intellectus David: Cum venissent Ziphæi, & dixissent Saül: nonne David absconditus est apud nos. 1.Reg. c.23. & 26.

1. PRIMÒ nota, quod iste Psalmus alludit ad historiam 1. *Reg. cap.*23. In qua narratur, quod cum David lateret in spelunca apud Ziphæos, isti voluerunt eum tradere in manu Saül: Qui Psalmus tamen non tractat de hac historia,sed de mysterio ejus:Et quia Ziphæus interpretatur florens,significat pulchritudinem, spem, & delectationem floris, scilicet rerum temporalium: hinc Propheta in persona justorum petit ab istis liberari, quia decipiunt homines. *Psal.*53.

2. *Petenda eſt gratia à Deo in ordine ad gloriam.*

Deus in nomine tuo ſalvum me fac, &c. Nota, quod hic Pſalmus propriè dicitur hymnus, propriéque eſt, quando ſeries omnis tenorem ſuum uſque ad ultimum ſervat, nulla cauſa, vel perſona mutata: orat enim Propheta non mutata voce: Unde petit gratiam Animæ dicens: *Deus in nomine tuo ſalvum me fac*; quia gratia in ſtatu ſalutis collocat, & hoc in ordine ad gloriam tamquam ad actum juſtitiæ: deinde dicit: *Iudica me*: & ut primum conferat Deus petit à peccato ſe avertere: Unde dicit, *averte mala*: ut ſecundum conferat à pœna eripit: Unde dicit: *Ex omni tribulatione*, & à perſecutionibus malorum. *Pſalm.53.*

3. *In nomine* IESU *eſt ſalus ad peccatorum veniam, gratiam, victoriam & gloriam.*

Deus in nomine tuo ſalvum me fac. Cur in nomine ſuo petis ſalutem & non potius in miſericordia? Sed attende, quod nomen ſalutis eſt nomen Jesus: nomen inquam, non putè ſumptum, ſed ſecundùm notitiam expreſſam, & virtutem, contentam in ipſo nomine Ieſu: Unde ad obtinendam gratiam, gloriam, triumphum de inimicis, & in tribulationibus, præmittit ante omnia nomen Ieſus, quia virtute hujus nominis obtinentur hæc bona. *Serm.4.In Circumciſ.l.4.d.3.p.1. art.1.q.1.ad 3.*

4. *Cur in Baptiſmi forma dicitur in nomine, non in nominibus.*

Deus in nomine tuo ſalvum me fac. Quomodò in nomine tuo, & non potius in nominibus Patris, & filij, & Spiritus ſancti? ſed nota, quod etiam in baptiſmo dicitur in nomine ſingulariter Patris, & filij, & Spiritus ſancti, non in nominibus, per quod ſalus obtinetur, ſcilicet gratiæ, & deletionis peccati & victoriæ inimicorum: Dicit igitur in nomine tuo, ſcilicet in notitia, voce expreſſa, quæ reſpicit Divinam Eſſentiam. *l.4. d.3. part. 1. art.1.q.2.ad 3.*

5. Deus dando gratiam dicitur adjuvare: dando gloriam dicitur ſuſceptor Animæ, & hoc eſt, quia in ordine ad gratiam avertit mala: In ordine ad gloriam, ex omni tribulatione eripit: Unde dicit Propheta: *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt Animæ meæ. Pſal.52.*

6. *Sacrificium non coactè, ſed ſpontaneè oblatum Deo placet, & ipſum placat.*

Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor, &c. Nota, quod dicit voluntariè, non coactè, quia ſacrificia Deo oblata voluntariè, & ex devotione, & devoto animo ſunt illa, quæ illi placent, & ipſum placant. *Opuſc. Eccleſ. Hier. part.1.cap.4.*

7. *Panis in clibano, vel in ſartagine, vel in craticula Deo oblatus quàm charus.*

Voluntariè ſacrificabo tibi: Quid? panem vel in clibano, vel in ſartagine, vel in craticula, ut præcipitur *in Levit.c.2.* nempè Chriſtum in utero Virginis, vel in Cruce, vel in morte *Pſal. 53.* in oblatione igitur panis cæleſtis animus revolvendus eſt ad illam oblationem, quam de ſe ipſo fecit in utero matris, in Cruce, & morte.

8. *Liberatio à peccato eſt liberatio ab omni tribulatione.*

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, &c. Quomodò ab omni tribulatione? nempe à peccato, quod eſt loco omnis tribulationis. *Pſal. 118. cap 10. v.9.*

9. *In nomine non ſolùm* IESU, *ſed & Mariæ venit nobis ſalus.*

Deus in nomine tuo ſalvum me fac. Hoc dicitur à nobis ipſi Jesu: Idem, & dicendum eſt Beatæ Virgini Mariæ: Nam ejus nomen nos ab iniquitatibus liberat & à calliditate Diaboli: eſtque veluti Tabernaculum, ſub cujus umbra protegimur. *Op. Pſalt.B. Virg. Pſal.53.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

10. *Sacrificium laudis in honorem Virginis, & ejus nominis confeſſio, quàm Mariæ chara, nobiſque proficua.*

Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo. Cur? quia laudare Beatam Virginem Mariam, & confiteri, prædicaréque ejus nominis excellentias eſt ſacrificium laudis Deo Mariæque chariſſimum, & nobis bonum: Ad quid bonum? bonum ad liberationem ab omni tribulatione, & tentatione, & ad obtinendum omnia bona. *Op. Pſalt.B.Virg.ibidem.*



PSALMUS LIV.

Titulus: In finem: In carminibus intellectus David.

1. PRIMÒ Nota, quod hic Pſalmus dicitur in nomine Eccleſiæ intelligentia miſerias, quas patitur ab hoſtibus tam viſibilibus, quàm inviſibilibus: Ideò quia exercetur per iſtas miſerias, & proficit in virtute, reddit gratias Deo, & ab ipſo petit auxilium.

3. *Variis modis affectus orantis Dei aſpectum ſibi repræſentari ſentit.*

Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem, intende mihi, & exaudi me. Cur hæc dicit iſte orans Deo? Nonne intendit ſemper & audit, & videt omnia? ſed nota, quod hoc eſt proprium perfectè orantis Deum ſibi variè repræſentare: Aliquando enim ſibi aſpectum Patris repræſentat quaſi iratum: aliquando quaſi Deum in aliis occupatum, & non intendentem, non curantem ſuam orationem

nem, ut in his verbis ostenditur; aliquando aliis modis sibi præsentem Deum præfigit: hæc enim est virtus orationis, quæ diversis modis excitat Animam ad varios affectus, *op. de perfect. religios. l. 2. c. 67.*

4. *Oratio à Deo secundum diversitatem modorum orantis respicitur.*

Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me. Cur cum tanta fiducia vir justus veluti videtur Deo præcipere, ut audiat, & exaudiat suam orationem? quia sciebat orationem suam habere conditiones perfectæ orationis: Nota autem, quod oratio alia est, quam Deus approbat, & potest dici causa causata, & illa, qua justus petit piè pro se perseveranter, & ad salutem: alia est, quam Deus sustinet, & quæ fit ex infirmitate, ut fuit oratio Christi in horto, quando petiit, ut transiret calix ab eo: alia est, quæ purè est pro temporalibus, non ordinata ad cœlestia, & hæc est magna gratia, si non exaudiatur, & si exauditur, sæpè est in ruinam orantis: prima & secunda est Deo chara: prima quia habet omnes conditiones: secunda, si non exauditur, est tamen meritoria, quia fit cum conditione, & conformatione ad divinam voluntatem, & tali pacto orabat Propheta, ut doceret nos orare *Psalm. 54.*

5. *Ecclesiæ persecutiones hic innuuntur.*

Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus, quoniam declinaverunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi. Nota supradictum est hunc Psalmum pronuntiari in nomine Ecclesiæ, vel etiam in nomine Christi: unde persecutiones, & tribulationes, quas patitur ab inimicis, faciunt illam clamare ad Deum, & nota illa verba, *Contristatus sum &c. & in ira molesti erant mihi*, ut exprimat pœnam, & acerbitatem persecutionum. *Psalmo 54.*

6. *Timor, & tremor venit aliquando ex remorsu conscientiæ accusantis ex timore Domini, aliquando ex causa naturali.*

Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Nota quod dicit, timor, & tremor: nam timor, & tremor aliquando venit ex causa supernaturali: nempe timor ex remorsu conscientiæ accusantis, & tremor ex motivo justitiæ superius judicantis: aliquando venit ex debilitate naturæ, ut patet in senibus, signumque est debilitationis virtutis consumptivæ membrorum, & resolutionis imminentis, sed hic loquitur de primo motivo. *Psal. 118. c. 3. v. 9. Eccles. c. 12.*

7. *Christus aspirabat in sua passione ad resurrectionem.*

Quis mihi dabit pennas sicut Columba, & volabo, & requiescam. Hæc dicebat Christus aspirans, & desiderans pennas resurrectionis, in qua sua virtute resurrecturus erat, & volaturus ad dexteram Patris; ut instrueret nos sustinere patienter tribulationes per spem resurrectionis. *P. al. 54.*

8. *Existens in tribulationibus, & peccatis, debet aspirare ad transeundum & volandum in Cælum mente, & operibus bonis.*

Unde dicere debet: *quis mihi dabit pennas sicut columba & volabo, & requiescam*: scilicet pennas gratiæ, & virtutis divinæ, & volabo de vitijs ad bonum, & de bono in melius, de virtute in virtutem. *Psal. 48. in tit. & Psal. 54.*

9. *Oratio, & devotio quàm fructuosa Animæ.*

Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Cur columbæ, & non potius turturis, vel Aquilæ volantis in altum? sed nota, quod allusio fit ad columbam emissam à Noë, quæ reversa est ad arcam cum ramo olivæ, & significatur hac metaphora anima devotè orans, quæ est veluti columba: sicut enim illa denuntiavit jam cessasse diluvium; sic oratio denunciat pœnitentiam, reconciliationem, & veniam peccatorum, & sicut illa portavit ramum olivæ; sic oratio portat ramum divinæ gratiæ, & sicut illa duabus alis volabat, sic bona oratio volat alis jejunij, & eleemosynæ, & volare facit sursum, & requiescere per devotionem in Deo. *opuscul. Diat. Tit. 2. cap. 5. & serm. de SS. Sim. & Iuda.*

10. *Contemplatio mortis suavitatem affert, & volare facit in Cælum.*

Quis mihi dabit pennas columbæ, & volabo, & requiescam, & moriar. Legit alia littera. Cur desideras requiescere per mortem? Nota: hoc est desiderium Animæ contemplantis, quæ omninò moritur istis curis sæcularibus, & terrenis, & volat in Deum, ibique requiescit: ô mors felix, & requies desiderabilis. *op. medit. Vita Christi cap. 49. & opuscul. de sept. itin. aetern. itin. 2. d. 7. & opusc. Eccles. Hier. p. 1. c. 2.*

11. *Dilectio Dei, & proximi facit volare Animam in Cælum.*

Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Pennas columbæ? quot pennas? Nota, quod duæ alæ sunt, quibus columba volat, & requiescit nidificans in foraminibus: istæ sunt dilectio Dei, & proximi, quibus Anima volat in Deum, & ibi nidificat requiescens, & fruens omni delectatione, *opuscul. de sex alis Cherubin. & sermon. 2. Domin. 6. post Pentecostem.*

12. *Anima, vel est columba volans in solitudinem per exercitium virtutum: vel Corvus se pascens inter cadavera.*

Quis mihi dabit pennas, ut columbæ, & volabo, & requiescam &c. Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Vide quomodò hæc Anima desiderat, ut columba volare in solitudinem, & quænam est ista solitudo? quomodò fit hæc transformatio in columbam, Nota, quod Anima, vel est

columba, vel corvus: corvus eſt carnalis, qui non ad arcam Chriſtum redit, ſed ad exteriora, & in cadavera manet: Columba, eſt anima, quæ ſe exercens in virtutibus, præcipueque in charitate Dei, & proximi, quæ ipſi ſunt veluti alæ, quibos elongatur à mundo, requieſcit in contemplatione, & deſiderio patriæ cæleſtis, & ad Chriſtum veluti in ſolitudinem volat. *Serm. 1. Dom. 6 poſt Pentec. & op. Comp. Theol l. 5. c. 6.*

13. *Anima quomodò ſit columba.*

Quis mihi dabit pennas, ut columbæ &c. Nota hæc eſt anima devota, quæ debet eſſe myſtica columba: nempè habere ſimplicitatem humilitatis in affectu, & convictu: felle enim caret, & roſtro non lædit, prædam non accipit, nec ungulis aves diſcerpit: Ideò dixit Chriſtus Diſcipulis ſuis. *Eſtote ſimplices ſicut columbæ.* Secundò columba eſt lugubris in cantu per gemitum, nempè aſperitate pœnitentiæ: Tolle igitur vocem corvinam, & habe gemitum columbæ: Tertiò mutabilis in viſu, nempe per ſagacitatem providentiæ: ſi enim videt accipitrem in aëre prædantem, fugit ad terram: ſi in arbore prædantem videt, elevatur in aerem: ſi in terra videt prædantem, fugit ad arbores: ſic anima evitat tentationem avaritiæ, luxuriæ, & ſuperbiæ. Quartò celer eſt in volatu per obſequioſitatem obedientiæ. Quintò fertilis eſt per fœcunditatem ſanctorum operum. *Serm. de S. Catharin.*

14. *Solitudo, & remotio à converſatione hominum requiem perfectam dat homini: converſatio contradictiones, & tribulationes parit.*

Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine, expectabam eum &c. præcipita Domine linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem in civitate &c. Vide quale diſcrimen hic affertur inter ſolitudinem, & converſationem hominum: nam in ſolitudine obtinetur quies animæ, expectatio, & fruitio Dei: In converſatione hominum invenitur contradictio, & occaſio multiplex Deum offendendi peccatis linguæ. *In Luc. c. 1. v. 79. & c. 4. v. 1. & v. 42.*

15. *Qui vult caſtitatem, & paupertatem obſervare, debet fugere converſationem hominum, & temporalia contemnere.*

Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine, expectabam eum &c. Nota, hic innuit Propheta, quod volens ad Deum accedere, maxime per obſervantiam caſtitatis, & paupertatis debet elongari à mundo, & converſatione hominum, & temporalia contemnere &c. *In Luc. c. 6. v. 15. Op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 56.*

16. *Solitudo ſpiritualis animæ orantis liberat à puſillanimitate ſpiritus, & à tempeſtate.*

Manſi in ſolitudine, expectabam eum, qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Ecce fructus ſolitudinis: ſolitudinis inquam ſpiritualis, in quam orans ſecedit in interiorem partem animæ, relinquens tumultum mundi, rerum temporalium, & hominum: ſicque anima liberatur à duobus, quæ ſolent impedire ambulantes in tenebris æternitatis, de quibus dixerat ſuprà; *& contexerunt me tenebræ:* ſuntque puſillanimitas, & tempeſtas: prima eſt ex defectu fidei, ex quo oritur omne impedimentum: ex hoc defectu ſalvatus eſt iſte juſtus vir, dicens: *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum;* ſcilicet omnia mundi delectamenta: ſecunda eſt tempeſtas, quæ oritur ex defectu charitatis, quæ omnia ſuffert, & talis defectus frequenter intrat in interiora, & impedit progreſſum ad ſtatum perfectionis: & ideò juſtus liberatus, dicit, *& ipſe perfecit pedes meos tamquam cervorum &c. Op. de ſept. Itin. ætern. Itin. 2. d. 6. & in Thren. c. 3.*

17. *Expectatio patiens Dei conſolatur animam in quacumque tribulatione.*

Expectabam eum. Et quid tibi profuit hæc expectatio? ſubdit: *Salvum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate:* nempe liberationem ab omni anguſtia, & adventum conſolationis: hæc eſt fructus ſpei, & expectationis. *Pſalm. 118. cap. 11. verſ. 6.*

18. *Civitas mundi, & anima ſenſualis numquam caret bello interno.*

Quoniam vidi iniquitatem; & contradictionem in civitate, die ac nocte circumdabit eam iniquitas, & dolus, & labor, & injuſtitia in medio ejus &c. Ecce infelicitas civitatis mundi, vel civitatis materialis, vel animæ ſenſualis, in qua eſt contradictio, & inimicitia, ſcilicet in qua ſenſus rebellis eſt ſpiritui, vel in qua vigent inimicitiæ, quia numquam caret bello interno, contradictione, dolis, labore, & injuſtitia. *Serm. 3. Dom. 4. quadrag. & ſerm. 2. de dedicat. & in Luc. c. 9. v. 54.*

19. *Diviſio bona, & mala.*

Præcipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem &c. Nota hæc verba: petit vir juſtus à Deo, ut dividat eorum linguas, quia vidit inter homines contradictionem: Si eſt contradictio, ergo & diviſio: Cur ergo petitur hæc diviſio? Sed reſpondetur; quod eſt diviſio bona, & mala: Bona eſt diviſio unitatis malorum in malo; hanc petit Propheta, ut deſtruantur iniquitates, & contradictiones, quas immittunt & inferunt mali Eccleſiæ, & bonis: Diviſio mala eſt diviſio unitatis, & pacis. *Pſal. 54.*

20. *Peccata diverſa, quæ in civitate diaboli committuntur hic indicantur.*

Et non defecit de plateis uſura, & dolus. Nota, quod in his paucis verbis innuitur multiplicitas, & gravitas peccatorum civitatis maledictæ: nempè, committuntur peccata publica: unde dicit, *de plateis*: Item occulta: unde dicit, *dolus*: Iterata abundanter; unde dicit, *uſura*: & perſeveranter, continueque, unde dicit, *& non defecit. Pſal. 54.*

21. *Chriſti*

21. *Christi benignitas, & amor in Iudam, ejusque dolor ob Iudæ pertinaciam expenditur: Idem à Christo in quemlibet christianum iniquum.*

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique &c. tu verò homo &c. Nota, hæc à Christo dici ad litteram de Juda, cujus peccati gravitas, in his verbis explicatur, dum dicit ad Judam: *Tu verò homo*; innuens dignitatem suam ex natura; addit, *unanimis*, innuens fidei unitatem: *dux meus*, per potestatem apostolatus sibi traditam; *& notus meus*: per familiaritatem: *qui simul mecum dulces capiebas cibos*, quia erat Christo commensalis, & quia secum sumpsit cibum naturalem, & sacramentalem, & spiritualem, scilicet doctrinam fidei, & innuit simul exercitia alia spiritualia. quia durum est tradi ab amico, & fratre: Ecce quanta perfidia, cui opposuit Christus suam charitatem, appellans eum amicum, & osculum suscipiens &c. quod & potest applicari cuicumque christiano ingrato tot beneficijs Christi *Psal. 54. & op. lignum vitæ. in Luc. c. 7. v. 49 & c. 21. v. 16.*

22. *Clericorum, & religiosorum conversatio contentiosa reddit eorum exercitia Deo exosa.*

Tu verò homo unanimis &c. in domo Dei ambulavimus cum consensu &c. O quàm multis potest hæc dicere Ecclesia, scilicet Clericis, & Religiosis, qui repræsentantur in persona Judæ: qui prius unanimes vixerunt, deindè totos se dederunt ad contentiones: nam plenariè non placet solemnitas sacrificiorum, qui in contentionibus vivunt in Ecclesia Dei. *serm. de Dedicat. in com.* Attendant diligenter hanc querelam Religiosi, & Clerici in Domo Dei litigantes, & inter se dissidentes.

23. *Mors æterna in inferno præparata malis.*

Veniat mors super illos: idest veniet mors æterna, *& descendant in infernum viventes*: Scilicet in peccatis, *Psal. 55.*

24. *Mortis memoria, & pœnarum Inferni medium resipiscendi à peccatis efficax.*

Veniat mors super illos, & descendant in Infernum viventes. Ergone expetit Propheta mortem super peccatores, & æternam damnationem? potestne quis alteri optare mortem, & æternam damnationem sine peccato? minimè: Sed nota illum terminum (*viventes*:) scilicet petit, ut ad memoriam reducant mortem, & pœnas Inferni præparatas malis: dum vivunt, ut ad Deum convertantur: nam memoria mortis, & Inferni est medium efficax resipiscendi à peccato *op. fascicul. c. 2. & 3. & op. soliloq. cap. 3.*

25. *Iusti, & præcipuè Religiosi laudes laudibus Deo accumulant die, ac nocte.*

Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me: Vespere & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam, redimet in pace &c. Nota, quod hic exprimitur munus justorum, & maxime Religiosorum, qui in obsequio Dei ad similitudinem Angelorum clamantium die, ac nocte Sanctus, non desistunt à laudibus, Dei, & mane, & meridie, & vespere, & de die, noctuque laudes laudibus accumulant, & adjungunt: Istique Deo serviunt, faciliter à Deo exaudiuntur, & his mediis inimicos vincunt. *Op. Eccl. Hier p. 4. c. 4.*

Psalmodia Religiosorum in Choro quam Deo grata.

26. *Deus emollit cor: Iusti emolliunt sermones in bonum: mali, ut feriant proximum.*

Contaminaverunt testamentum ejus &c. molliti sunt sermones super oleum, & ipsi sunt jacula. Vide discrimen, quod est inter Deum, justosque suos, & malos homines: Dei enim proprium est emollire cor ad bonum per inspirationem, bonam voluntatem juvando, per aspirationem excitando, & per occasionem bonam viam ad perfectionem aperiendo: per primam ponit fundamentum, per secundam impellit, & per tertiam trahit: Justi emolliunt alios per prædicationem, per charitatem, & humilitatem, & per suavitatem in opere, & verbis: mali è contra emolliunt sua verba, ut facilius feriant detractionibus, adulationibus, suggestionibus; & ipsi sunt jacula, quia Animam interficiunt, & præcipuè in hac arte maxime sunt versatæ mulieres. *Psal. 54. & op. Regul. Novitior. cap. 11.*

27. *Sermones Dei sunt molliti sicut oleum ungentes, & pungentes.*

Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula Nota, quod hoc dicitur de sermonibus, & verbis Dei, quæ sunt mollita sicut oleum, quia ungunt: sunt & acuta ut jacula, quia feriunt. Ungunt in præsenti sæculo: quia faciunt sufferre mala, & tribulationes; pungunt in futuro, malos puniendo. *Psal. 118. c. 3. v. 10.*

28. *Excitatur homo ad spem collocandam in divina providentia, maximè in tribulationibus.*

Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, non dabit fluctuationem justo. Vide quale remedium exhibetur justis, & fidelibus in tot malis, quæ ab impijs in bonos infliguntur, & in omnibus aliis necessitatibus, nempè confidentia in Dei providentiam: Jacta igitur ô tribulate curam tuam super Dominum: quia adhuc vivit, qui Judæos quadraginta Annis in deserto nec serentes, nec metentes pavit, qui eos à tot tribulationibus, & persecutionibus liberavit, est enim Pater amantissimus nos diligens, & curans, & pascens bonis spiritualibus, & temporalibus. *ser. 2. Dom. 14. post Pentec. & in Ioan. c. 19. v. 10. & ser. de S. Petro ad Vincula. & serm. 6. de Apostol.*

29. *Homo cogitat ea, quæ ad ipsum Deum spectant: & Deus cogitat ea, quæ tali homini sunt necessaria: E contra cogitans solùm de temporalibus, & deserens Deum, à Deo derelinquitur, & spiritualibus, & temporalibus.*

Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet &c. tu verò deduces eos in puteum interitus. Ecce quid facit Deus cum sperantibus in ipsum, & cogitantibus solum de Deo, in ipsumque propriam curam remittentibus: Ipsi enim Deo cura est ipsos enutrire spiritualiter, & temporaliter: è contra Deum deserentes, & cor suum affigentes in temporalibus deducuntur in puteum interitus, privanturque & spiritualibus, & temporalibus bonis *Sap.c.5.* Et hinc hoc verbum, *Iacta cogitatum tuum in Domino &c.* solitus erat dicere Sanctus Pater noster Franciscus suis fratribus, quando eos dirigebat ad aliquam obedientiam. *op. legenda S.Franc.c.3.& in Luc.c.12.v.11.* Unde hæc præcipuè diriguntur ad Prædicatores: Ideóque Christus vetuit eis, ne deferrent secum neque peram, neque panem &c. *In Luc.c.9.v.3.*

30. *Deus deducit bonos in puteum salutis: malos in puteum interitus.*

Tu verò deduces eos in puteum interitus. Nota, quod dicit, *in puteum interitus*; ad differentiam putei salutis, in quem deducit Deus bonos: nempè in puteum vel potius in fontem divinæ cognitionis, & doctrinæ Sacræ scripturæ: Verè iste puteus est altus: puteus verò interitus, in quem præcipitat malos est triplex, & consequuntur omnes ordinatim: nam prius præcipitat malos in puteum cupiditatum carnalium, & inde in puteum desperationis, & tandem in puteum Inferni. *Psal.54.In Ecclen.c.9.& in Ioan.c.4. v.4.*

31. *Malus consummatus in brevi explet tempora multa: Idem ex opposito bonus.*

Viri dolosi, & sanguinum non dimidiabunt dies suos: ego verò sperabo in te Domine. Quomodò non dimidiabunt dies suos, si multi vivunt usque ad decrepitam ætatem etiam in malo? Respondetur: quod mali in malo dicuntur non dimidiare dies suos, quia pauci in multos computantur: sunt quidem pauci dies in comparatione eorum quos sibi præfixerunt in hoc mundo vivere; sed tamen sunt multi dies ob reiteratas malitias: Idem ex opposito dicitur de bonis. *In Ecclen.c.7. & 8.Sap.c.3.ad finem.*

32. Maxima Dei misericordia est, quando detruncat vitam impiis, ne pejores fiant: Unde de istis dicitur. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos:* Sic enim non eis contingit tanta pœna, quantam haberent, si diutius viverent. *In Ecclen.c.7.*

33. *A Maria Virgine petendum, & expectandum auxilium in tribulationibus hujus vitæ contra hostes Animæ, & corporis.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Exaudi Domine &c.* Si Ecclesia confugit ad Deum in suis tribulationibus; ergo & ad Mariam Virginem idem est faciendum, cum ipsa sit constituta vera spes, & advocata nostra: Dicamus ergo: Exaudi Domina orationem meam, & ne contemnas deprecationem meam: Contristatus sum in cogitatione mea, quia judicia Dei perterruerunt me: tenebræ mortis venerunt super me, & pavor Inferni invasit me: Ego autem in solitudine expecto consolationem tuam, & in cubili meo attendo misericordiam tuam: Glorifica manum, & dexteram brachium tuum, ut prosternantur à nobis inimici nostri. *op. Psalt. B.Virg. Psal 54.*

PSALMUS LV.

Titulus: In finem: Pro populo, qui à sanctis longè factus est, David in Tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. 2.Reg.c.21.

1. PRIMÒ Nota, quod hic psalmus ordinatur ad id, quod factum est à Gentilibus in Geth contra David, quando ipsum tenuerunt captivum: mysticè dirigitur in finem, scilicet in Christum, pro populo, scilicet, vel salvando vel contra populum Judaicum qui longè factus est à salute, quando contradixit Christo, & præcipuè in titulo Crucis, & significatur persecutio hæreticorum in Ecclesiam, contra quam petit Ecclesia auxilium à Christo.

2. *Titulus Crucis denotat Christum Regem respectu bonorum, & malorum, sed secundùm diversos effectus.*

In tituli inscriptionem: ordinatur ergo hic titulus psalmi ad titulum Crucis, in quo Christus declarabatur Rex Judæorum: Quomodo Judæorum? An non fuit Christus, & est Rex omnium? Rex Judæorum, scilicet ad litteram contra Judæos incredulos; & mysticè Rex Iudæorum, scilicet confitentium: nam Christus regit malos ad dispersionem in virga ferrea: Bonos in præsenti ad salutem, in futuro ad glorificationem. *Psal.55.*

3. *Boni sinuntur conculcari ad ipsorum probationem.*

Miserere mei, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me. Quid est conculcavit me? positus ne fuit in torculari? maximè, nam in Ecclesia veluti in torculari ponuntur boni, & mali: sicut enim in torculari uvæ præmuntur, vinum à vinaceis separatur, & vinum in cellario ponitur: Sic in Ecclesia boni à malis calcantur, præmuntur & torquentur, à malis separantur, & in cellariis Cœli reponentur, vinacea autem in sterquilinium ejicientur.

4. *Qui ad suam propriam miseriam adspicit, ad Deum, ut Misereatur, impellitur.*

Sic dicebat Propheta. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo. Psal.118.c.4. v.10.*

5. In triplicem defectum induxit hominem Diabolus per peccatum, scilicet in necessitatem moriendi: unde dicit, *conculcavit me homo*: In ignorantiam, & errorem, unde impugnavit me. In defectum affectionis, unde dicit, *tribulavit me. Psal.55.*

6. Sancti

6. *Sancti plus timent, & expavescunt magis in prosperitatibus, quàm in adversis.*

Ab altitudine diei ego timebo, ego verò in te sperabo. Quid est, quod timet Propheta? Ab altitudine diei: quæ est hæc altitudo diei? Altitudo diei significat præsentem vitam, & prosperitates mundanas: ab his timebat, pavebat, & trepidabat vir justus: & meritò quia optimè cognoscebat, quod multos sua potius felicitas stravit, multos diuturna pax inertes reddit, eosque illos inopinatus hostis gravius percutit, quo longo quietis usu negligentes invenit. Hinc ad Deum per spem confugit. *Op. Pharetr. l. 3. c. 18.* Nota igitur, quod mundus facit sicut carnifex, qui in altum ascendere facit reum, ut securius præcipitet: Sic in altum prosperitatis erigit hominem, ut crudelius præcipitet: unde à tali altitudine timebat Sanctus Propheta.

7. *Per timorem judicij tanquam per molam superiorem, & per spem in Deum tanquam per molam inferiorem fit optima molitura tritici; scilicet contritio peccati.*

Ab altitudine diei ego timebo, ego verò in te sperabo. Nota, quod per altitudinem diei intelligi potest dies judicii, quæ in molendino Animæ est veluti mola superior, & spes mola inferior: qui igitur Animam suam collocat inter istas duas molas facit optimam molituram tritici, & si bona farina, scilicet contritio perfecta peccati. *Op. Diat. tit. 5. c. 4.*

8. *Diabolus, ut hominem conculcet calcaneum ejus observat.*

Adversum me omnes cogitationes eorum in malum: Inhabitabunt, & abscondent ipsi calcaneum meum observabunt. Ecce quid facit hostis malignus contra nos ut nos conculcet: nam cum dirigat omnes suas cogitationes ad nos decipiendum, calcandum, & inhabitandum, ad calcaneum aspicit, & observat: Sed quid observat? nempè, ut capiat nos in fine vitæ: & ut securè hominem capiat in fine, nititur caput obtinere, scilicet juventutem, ut homo incipiat tunc diabolo servire, ut ipsi totum tempus dedicetur vitæ. *In Thren. c. 1.*

9. *Contritionis lachryma quàm Deo chara.*

Deus vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissione tua &c. Quid est, quod dicit Propheta, quod Deus posuit lachrymas suas in conspectu suo? Nonne omnia ei sunt aperta? Verum quidem est: Sed tamen hoc speciali modo exprimit de lachrymis, ut pateat quàm Deo sint charæ. Dicit ergo Deus vitam meam annuntiavi tibi, ideft peccata vitæ meæ consideravi, & ad te recurri plangendo, & pœnitendo, & tu posuisti lachrymas meas in conspectu tuo tamquam charissimas, & ob id efficacissimas ad Deum placandum, & ad reddendam efficacem orationem meam. *Op. Diat. Tit. 7. c. 3. & Psal. 118. c. 11. v. 10.* Nota etiam, quod alij legunt, in conspectu tuo, ideft intra te scilicet in penetralibus cordis tui &c. ô beatæ lachrymæ, quæ à Christo reconduntur in suis visceribus ut dulcissimus liquor.

10. *Iustus sanctè præsumens de Dei misericordia, non timet de ullis adversis.*

In quacumque die invocavero te, exaudi me: ecce cognovi, quia Deus meus es: In Deo laudavi &c non timebo quid faciat mihi homo. Cur tantùm præsumis? Ergone quotiescumque invocabis Deum, præsumis, ut te exaudiat? Ecce sancta præsumptio originem trahens ex humilitate propria, & confidentia experimentali divinæ misericordiæ, quia optimè cognoverat, quam misericors sit Deus in confidentes in ipsum. *Psal. 56. & op. de sex alis Cherub.*

11. *Vas cordis solo Deo potest repleri.*

In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi. Quæ sunt ista vota Dei? Vota Dei sunt desideria possidendi cor nostrum totaliter, quia cor hominis quod est concavum, estque superius quacumque alia re creata, ergo solo Deo repleri potest: Si enim aliquando aliud recipit, semper indiget: Propheta ergo cognoscens se continere Deū, rectè dicebat, *In me sunt vota tua Deus;* scilicet devotio, puritas, & sanctitas. *Psal. 50. & 55. & 76.*

12. Justus à Deo petit liberationem à triplici defectu: scilicet à morte Animæ, ab errore cognitionis, & à defectibus affectus: Unde dicit. *Quoniam eripuisti Animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos*, ideft affectus, *a lapsu &c. Psalm. 55.*

13. Christus est lux viventium desiderabilis: Unde dicit: *ut placeam coram Deo in lumine viventium,* Scilicet in Christo, qui est lux vitæ. *Op. expos. Missæ c. 4.*

14. Titulus hujus Psalmi ordinatur non solùm ad Christum, sed ad Mariam ut Reginam mundi. Titulus &c. Pro tituli inscriptione.

Nota, quod si in hoc Psalmo recognoscitur Christus Rex, ad quem recurrit Ecclesia, ergo refertur etiam ad Reginam, & quæ est? Hæc est Maria Virgo, quam invocat Ecclesia quotidie, dicens: *Salve Regina Mater misericordiæ &c. Ad te clamamus exules filii Evæ &c.* Verè Regina est, sub cujus Dominio quisque nostrum debet se collocare: Regina, & Mater misericordiæ, ut nobis miseris plenis omni miseria subveniat, & regat: ergo ad ipsam confidenter recurramus. *Op. stim. p. 3. cap. 19.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

15. *Maria est nostrum refugium in miseriis, & persecutionibus diaboli.*

Miserere mei Domine &c. Ad Christum recurrit Ecclesia ut sibi adjutricem porrigat in tot persecutionibus à diabolo per homines malos illatis. Ad Mariam pariter recurrere debemus, & dicere cum Propheta, Miserere mei Domina, quoniam conculcaverunt me hostes mei quotidie, omnes cogitationes eorum in malum contra me; excita furorem, & memento belli, & super eos effunde iram tuam, innova signa, & immuta mirabilia, ut sentiamus adjutorium brachij tui, Glorifica nomen tuum super nos, ut cognoscamus, quoniam in sæculum misericordia tua; stilla nobis gloriam suavitatis tuæ, quia tu es pincerna gratiæ dulcoris. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 55.*

PSALMUS



PSALMUS LVI.

Titulus: In finem: ne diſperdas, David in tituli inſcriptionem, cum fugeret à facie Saul in ſpeluncam ex primo Regum. cap 22.

1. PRIMÒ nota, quod alluditur ad David cum latebat in ſpelunca, quando Saül ipſum perſequebatur: myſticè ad Chriſtum dirigitur, cujus Divinitas latebat in humanitate, vel in ſpelunca, quando fuit ſepultus: unde agit de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti, & de liberatione martyrum: Dicitur autem ne diſperdas David in tituli inſcriptione: ſcilicet, ô Pilate in tituli inſcriptione, dicendo Chriſtum Regem non eſſe, &c.

2. *Confidentia in Deum ſuadetur exemplo S. Prophetæ.*

Miſerere mei, &c. quoniam in te confidit Anima mea. Vide quomodò confidentia in Deum inducit Animam ad fiducialiter recurrendum ad Deum, ut potentiſſimum, & piiſſimum: ſic fecit latro, quando dixit in Cruce: *memento mei, &c. In Ioan. coll. 74. op. lignum vitæ, & op. de ſex alis Cherub.*

3. *Pietate ſua Deus nos tamquam ſub alis protegit.*

Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Quid eſt donec tranſeat iniquitas? & quando tranſibit iniquitas? Nonne uſque ad finem mundi abundabunt iniquitates? quod quidem eſt verum, & per hoc dat intelligare, quod uſque ad finem mundi Deus proteget ſua pietate veluti ſub umbra alarum ſuos ſervos: rectéque utitur hac ſimilitudine alarum, quia alæ fovent, defendunt hominem ab æſtu ſolis, & contra impetum milvi: ſic Deus ſua pietate fovet ſuos, ut ad vitam renaſcantur, & gratia ſua nutriantur, defendit eos ab æſtu tentationum, & ab impetu diaboli. *Pſal. 56. & op. de inviſibilit. Dei.*

4. *Ante adventum Chriſti Sancti vivebant, & videbant in umbra myſteria fidei: poſt ejus adventum clarè eadem proſpiciunt.*

Et in umbra alarum tuarum. Cur in umbra, & non potius in aperto ſtare vult? Rectè dicitur in umbra, quia ante Chriſti adventum vivebant in umbra, nec liber myſteriorum Sacræ Scripturæ, & præcipuè Incarnationis Verbi erat apertus, & in hujus ſignum in miſſæ principio liber clauſus offertur Sacerdoti: ſic & Chriſtus in ſynagoga aperuit librum, & ipſum clauſum dedit Judæis, ſed poſt ejus adventum apertus eſt, ablata umbra, & myſteria fidei revelata ſunt apertè omnibus, & ideò Velum Templi ſciſſum eſt in morte Chriſti, & poſt Evangelium in miſſa offertur liber apertus Sacerdoti, & Canonicis in Choro: Datur per hoc intelligi, quod majores, & Sacerdotes debent ſcire hæc myſteria. *Pſal. 56.*

5. *Chriſtus in Cruce extenſas tenet manus, ut nos protegat tanquam per alas.*

Et in umbra alarum tuarum ſperabo, &c. Ergone Deus habet alas? ſed attende, & oculos erige ad Chriſtum in Cruce affixum, & videbis alas duas, ſcilicet brachia ipſius, & Crucis tanquam duas alas extenſas, ut nos ab æſtu vitiorum, & ab impetu inimicorum protegat. *In Ioan. coll. 83. & opuſc. Phar. l. 1. cap. 4. & opuſc. Comp. Theol. l. cap. 11. & Vgo Cardin. hic.*

6. *Clamor in oratione eſt telum fortiſſimum fugans, & feriens Diabolum.*

Clamabo ad Deum altiſſimum, &c. Ad quid clamabis, & clamas ad Deum altiſſimum? Et quid tibi reſpondit? ſed nota ordinem horum verborum: primò præmittit clamorem ſuum ad Deum, poſtea ſubdit promptum auxilium obtentum à Deo contra diabolum, dicens: *miſit Deus miſericordiam ſuam, & eripuit me de medio catulorum leonum, &c.* Vt videas, quod ſicut homo clamat contra leonem, lupum vel ſerpentem invadentem: ſic clamandum eſt in oratione ad Deum contra diabolum leonem fortiſſimum, quia oratio jugis eſt infirmitas hoſtis, & auſert vires ipſi: Clama ergo, ſi vis liberari à diabolo. *ſerm. 2. Dom. 2. quadrageſ.*

7. *Ex Incarnatione Verbi relucent præcipua Dei attributa.*

Clamabo ad Deum &c. Notanda ſunt iſta verba, quæ dicta ſunt in perſona Chriſti, quibus Incarnationis myſteria innuuntur, Dei magnalia referantur: miſſio Verbi promiſſa, ejuſque mors patefit: Dicit igitur, *clamabo ad Deum altiſſimum*, per quod oſtenditur Deus magnus in eſſentia: Addit *ad Deum, qui benefecit mihi*, ut oſtendatur magnus in effectu: magnus præcipuè in miſericordia: ideò ſubdit: *miſericordiam ſuam &c.* ut oſtendatur verax in promiſſis: ſubdit, *dormivi conturbatus*, ſcilicet per tolerantiam mortis, & paſſionis: Item innuitur in his verbis perſonam mittens, ſcilicet Pater, dicens: *miſit Deus*: perſona miſſa, ſubdens, *miſit miſericordiam ſuam*: Unde? ſcilicet de Cœlo: Ad quid? ut liberaret Animam: A quo? ſcilicet de medio catulorum leonum. *In Pſal. 56.*

8. *Chriſtus dicitur miſericordia, & veritas in abſtracto, quia eſt talis in eſſentia, & in effectu.*

Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam. Nota, quod hic exprimitur miſſio Verbi in carnem, ideò dicitur Chriſtus in abſtracto miſericordia, quia eſt talis in eſſentia, & in effectu: ſcilicet magnus in miſericordia, & infinitus: Dicitur item veritas tum propter immutabilitatem: tum propter æquitatem, tum propter promiſſionis impletionem: ſolus enim Chriſtus verax eſt, redditque æqua meritis, & cujus dicere eſt facere. *Pſal. 56.*

9. Chriſtus

9. *Christus quot modis dicitur obdormire, vel obdormisse.*

Dormivi conturbatus. Quomodò hoc dici potest de Christo? ergo ne ejus dormitio fuit cum conturbatione Animi? Nota; quod tripliciter dormitio dicitur de Christo: Altera propria corporalis: dormiebat enim aliquando, sicut cæteri homines: Altera spiritualis, quando scilicet differt concedere in oratione, quod petitur, quia tunc videtur veluti obdormire, & non attendere: & tertia est metaphorica nempè in passione, quando mortuus est: dicitur enim obdormisse conturbatus, scilicet patiendo, & postea resurrexit. *Psal.56.* Nota etiam, quod mysticè Christus dicitur, dormire conturbatus in medio catulorum, scilicet in medio hæreticorum filiorum Diaboli, quia Ecclesiam conturbant, & infestant. *Psal.118. cap.11.v.0.*

10. *Christus quomodò gladio occisus dicatur.*

Filij hominum dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus. Nota, hæc dici in persona Christi: sed quomodò gladio dicitur cæsus, si non gladio, sed clavis occisus est? sed respondetur quod non gladio materiali, Synagoga tentavit quidem Christum perimere, sed spiritualiter gladio blasphemiæ, detractionis, & malæ locutionis, non solum a Judæis occisus est, sed & à Christianis malis continuè perimitur. *In Luc. c. 4. v.30. & In Thren. c.3. in fine.*

11. *Lingua mala est sagitta, & gladius vorans carnes, & charitatem scindens.*

Filij hominum dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus. Quinam sunt isti dentes, qui arma, & sagittæ appellantur? & cur lingua appellatur gladius acutus? sed nota, quod hic exprimuntur pessimi effectus linguæ, quæ dicitur habere dentes, & rectè comparatur sagittæ, & gladio: quia mala lingua Deum offendit blasphemiis: scindit charitatem convitiis, injuriis, detractionibus, famam proximi, pacemque vorat; & malum suadendo Animas occidit. *In Luc. c.16. v.24. Psalm.118. c.10. v.13. & in Thren. cap.3. in fine. & in Ioan. cap.8. versf.44. & serm. de S. Lucæ Evang.* Cave ergo ô serve Dei ab his linguis, & quando vides, & audis alios loquentes non de Deo, sed detractiones, vel alia verba mala fuge ab his tanquam à dentibus serpentum. *Op. Regula Novit. c.9.*

12. *Gulæ vitium quàm perniciosum.*

Filij hominum dentes eorum, &c. Cur specialiter in medium ponit dentes impiorum? Nota per dentes masticatur, & voratur caro: sitque allusio ad vitium Gulæ, quo crapulæ, & ebrietati dediti ventrem implentes, in omnia vitia se præcipitant: & ideò veluti armis, & sagittis impugnant legem Dei. *Psal.118. c.8 v.8.*

13. *Sola charitas est signum triumphans de linguis maledicis.*

Filij hominum dentes eorum, arma, & sagitta, &c. Nota hæc dicit Christus in passione positus, ut ostenderet ipsum fuisse positum in signum ad sagittam, nempe charitate munitum, contra quam omnes sagittæ malignantium ordinatæ sunt: ut nobis daret exemplum de modo triumphandi de hostibus, & linguis maledicis: nempè armis charitatis in Deum, & proximum. *Serm.1. Dom. infra oct. Nativit.*

14. *Opprimentes pauperes Christi, & lædentes, opprimunt, & lædunt Christum.*

Laqueum paraverunt pedibus meis. Hæc sunt verba Christi, quibus insidias, quas contra ipsum tetenderunt Judæi, exprimit: sed mysticè alludit ad insidias, quas tendunt maligni & impij contra pauperes Christi, qui dicuntur pedes ejusdem; sicut innuit *Ioan. c.12.* quando Maria unxit pedes Jesu: De istis igitur oppressoribus conqueritur Christus, dicens: *Laqueum paraverunt pedibus meis. Ps.56.*

15. *Incurvatio Animæ alia in bonum, alia in malum.*

Incurvaverunt Animam meam, foderunt ante faciem, &c. Hæc dicuntur in persona Christi, quia Iudæi conati sunt deprimere ipsum, foveam malignitatum parantes: sed ipsi inciderunt in eam: mysticè hæc incurvatio fit in bonum, & in malum: In bonum, dum quis subijcitur, & humiliatur ante Deum: felix ille, qui se Domino incurvatur: Tali enim pacto in ipso sedet, jacet, & stat, quia per hoc elevatur Anima in Deum quiescendo per contemplationem: In malum, dum Diabolo se subijcit, ut super ipsum sedeat, jaceat, & stet: sicque redigitur Anima in statum miserabilem, & in foveam vitiorum. *Psal.56.*

16. *Optimus status vitæ contemplativæ est esse paratum ad vacandum Deo, & saluti proximi.*

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; cantabo, & psalmum dicam. Cur bis repetit paratum cor meum? Nonne sufficiebat prima vice se exhibere paratum ante Deum? Bis dicit, ob duplex objectum vitæ perfectæ, quod est vacare Deo, & saluti proximi: Nam bonus status est vita; putè contemplativa: bonus item est vita activa, sed optimus est ad utramque esse paratum: sicenim exemplo David ingreditur ad intima Regis, & egreditur ad obsequium proximi. *Op. medit. Vita Christi c.57.*

17. *Pater æternus resurgere facit filium ob multiplicem finem.*

Exurge gloria mea: exurgam diluculo. Nota; hæc verba sunt Patris ad filium verè dulcissima in sua resurrectione, dicens; Exurge, nempè ad divinam gloriam magnificandam, ad Angelicam ruinam reparandam, & ad Diabolicam malitiam dissipandam: & hæc omnia perfectissimè exequutus est Christus, ideò statim respondit: exurgam diluculò. *Serm. in die Resurrectionis, & Psal.147.*

18. *Christus in Cruce fuit Psalterium.*

Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara. Cur appellatur Christus psalterium, & cithara? Nota, hæc verba dirigi à Patre ad filium in Cruce existentem;

torum fasciculos ligant, & eos ligando, ligant seipsos sicque ab Ecclesia ejiciuntur, & ad interitum ruunt: Justi autem bona upera, vel mysteria sacræ scripturæ simul concinnant ad sui salutem. *Psal.57.*

7. *Furor alius bonus, alius malus.*

Furor illis secundùm similitudinem serpentis. Qui furor? Nota, quod furor alius bonus, alius malus: Bonus est pœnitentium, qui furore, & zelo moventur contra peccatum:hic ad tempus turbat oculum rationis, ut postea clarius videat,ut collyrium oculos tegit, sed clarius tandem reddit: hic furor non est serpentum, sed bonorum: furor malus alius est damnatorum, alius est peccati: hic est serpentum, quia venenat Animam. *Psal.57.*

8. *Peccator Aspidi comparatur.*

Sicut Aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantis &c. Nota, quod aspis est serpens surda, obturans aures, non audiens vocem incantantis: Hoc pacto exprimitur infelicitas peccatoris consuetudinarij, qui terra, idest terrenorum amore, & cauda, idest spe longioris vitæ aures cordis obturat: & hinc dicitur serpens propter calliditatem,& duplicitatem cum Deo; surdus propter peccati consuetudinem, obturans aurem propter peccati obstinationem, & non audiens vocem prædicantis propter stultitiam. *Psal.57.& serm.6.Dom.1. Adv. & serm.1. de uno S.Doct.& in Luc.c.7.v.13.*

9. *Prædicatores sunt incantatores sapientes.*

Et venefici incantantis sapienter &c. Quis est iste veneficus, & incantator, nisi Christus Dominus, qui per Prædicatores, & prædicationem incantat sapienter peccatores, ut eos trahat ad se. *Psal.57.*

10. *Ignorantia affectata reddit hominem similem aspidi.*

Quæ non exaudiet vocem incantantis &c. Nota: hic est peccator, qui ne benè agat, obturat aures suas,nec vult intelligere,& hæc est ignorantia affectata,quæ reddit hominem similem aspidi obturanti aures suas. *In Luc.c.12.v.42.*

11. *Detractores,& maligni Dei iræ subjecti.*

*Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum,molas Leonum confringet Dominus: Ad nihilum devenient &c.*Nota hanc similitudinem dentium impiorum, quos Deus conterit:quinam sunt isti dentes?Dentes in ore hominis sunt triplices: nempè incisivi canini,& molares:&per hæc tria genera dentium dat intelligere malignitatem eorum,qui per dolosa verba separant bonos ab Ecclesia suis malis consiliis,& suasionibus diabolicis: & isti significantur per dentes incisivos: per caninos verba detractorum,qui veluti canes mordent,& lacerant famam proximi; per molares eos, qui per mala exempla comminuunt virtutem, & sanctitatem proximi ipsum ad nihilum redigens. Nota, quod dicit,*molas Leonum*, quia Leo habet dentes fœtidos,& fortes comminuentes omnia quantuncumque dura: sic & isti perfidi,& maligni fœtorem emittunt per os,& opera mala,& dissipant omnem bonitatem aliorum. Hinc cum sint tam Deo exosi,subjacent iræ divinæ. *Psal.57.*

12. *Avaritia,& cupiditas maxima,& periculosa infirmitas incurvant Animam ad terram, ipsamque excæcans.*

Donec infirmentur:supercecidit ignis, & non viderunt solem. Nota, quod in pœna delictorum impiorum Deus permittit, ipsos infirmari: Unde dicit Propheta:*Tetendit arcum suum*, scilicet vindictæ, *donec infirmentur*: Sed quali infirmitate? Respondet: *supercecidit ignis, & non viderunt solem*: hæc est infirmitas,scilicet,ob quam non possunt videre solem:Sed qualis est hæc infirmitas? estne corporalis? minimè.Est hæc infirmitas proveniens ab igne cupiditatis, & avaritiæ, quæ incurvat Animam ad terram,ita ut non possit videre solem, & Cœlum:maxima quidem & periculosa infirmitas hæc non posse aspicere sursum: & hæc est pœna peccati maxima.*In Luc. c.13. v.11* Nota tamen,quod hæc infirmitas tollitur per triplex medium, scilicet per resipiscentiam à peccato,assumptionem pœnitentiæ, & solicitudinem Deo placendi. *Psal.57.*

13. *Beati videntes pœnam damnatorum gaudebunt:sicut damnati videntes gloriam beatorum,torquebuntur.*

*Lætabitur justus cum viderit vindictam &c.*Ergo... ne mali de damno aliorum gaudebunt? Nonne hoc est contra charitatem proximi? minimè:nam sicut cognitio gloriæ beatorum damnatis est pœna:sic beatis cognitio pœnæ malorum est motivum gaudij, quia gaudebunt de ea sub ratione divinæ ultionis,& justitiæ.*l.4 d.50 p.2 art.1.q.3. & Diæt.Tit.9. c.1.*

14. *Justus quomodò lavat manus suas in sanguine peccatoris.*

Justus manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Quomodò justus lavabit manus suas in sanguine peccatoris? Verè hoc est horrendum? Attamen hic metaphoricè loquitur sacer textus:dans intelligere, quod in præsenti vita justi videntes impios à Deo punitos, & damnatos cautiores fiunt ex alienis plagis,&ad pœnitentiam agendam excitantur, sicque dicitur lavare manus suas in sanguine peccatorum: Idem proportionaliter dicitur de beatis. *op medit.vita Christi c.43. & op lignum vitæ &c.*

15. *Deus judicabit injustos remanentes in terra,& justos existentes elevabit in Aëre: & quare hoc.*

Et dicet homo: si utique est fructus justo,utique est Deus judicans eos in terra Vult dicere,quod justus videns impios puniri, & justos lavari in sanguino peccatoris in sensu jam proposito inferre rectè, quod Deus erit in Judicio Universali judicans impios in terra:sed quid est judicans in terra;scilicet impios existentes in terra,& justos in Aëre elevatos Deus judicabit:& meritò,quia impij terræ adhæserunt in hac vita,justi à terra separati,ad Cœlum vota sua direxerunt,& hic est fructus charissimus præparatus justis. *op. specul. B.Virg. lect.18.*

16. *Perfecta justitia non solùm exigit ab homine cultum Christi: sed & Beata Virginis Mariæ.*

Si verè utique justitiam loquimini rectè judicate filii hominum. Cur ad omnes dirigitur hoc præceptum rectè judicandi? Nonne hoc solùm spectat ad judices? Nota, quod ad omnes homines spectat rectè, & rectà judicare: Agitur enim hic de justitia, quæ ordinat hominem ad Deum, ad proximum & ad seipsum. Sed præcipuè consistit in cultu Regis, in quo etiam involuitur cultus Reginæ: Unde ad omnes dirigi possunt hæc verba: Si verè utique justitiam loquimini, justitiæ, & misericordiæ honorate Reginam: Ad hæredem, enim, & gloriam pertinet salvatoris, quidquid honotificum suæ impensum fuerit Genitrici. Laudate igitur Mariam astra matutina, conventum facite omnes filii Dei: Glorificate eam Cœli, & terra, mare, & flumina, ac fundamenta orbis: Hæc igitur est perfecta justitia, quia justum est honorare cum Rege etiam Reginam Cœli, & terræ. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.57.*

17. *Maria Virgo terra mystica, quæ nobis dedit fructum justum.*

Si verè utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra Quis est iste fructus justo paratus? & si fructus, ergo ex terra ortus? Ergo ex Maria Virgine, quæ fuit terra benedicta ortus est iste fructus, scilicet Christus Jesus: fructus quidem justus justè præmium bonis, & pœnam malis tribuens. *Op. specul. B. Virg. Psal.57. lect.18. & op. Psalt. B. Virg.*

18. *Fructus Ventris Mariæ sunt flores ornantes Ecclesiam.*

Si utique est fructus justo &c. Quinam sunt isti fructus in Ecclesia parati justis? fructus sunt suavissimi, qui simul & flores sunt vernantes, & ornantes Ecclesiam; & hinc rosæ martyrum circumdant Mariam Reginam, & lilia Virginum ambiunt Thronum ejus &c. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psal.57. & op. specul. B. Virg. lect.18.*



PSALMUS LVIII.

Titulus: In finem ne disperdas, David in tituli inscriptione, quando misit Saül, & custodivit domum ejus, ut eum interficeret. Ex 1. Reg. c.19.

1. PRimò nota, quod hic Titulus mysticè ordinatur, sicut & Psalmus ad id, quod tentaverunt judæi ponentes custodiam sepulchro Christi, quod dicitur domus ejus, & hoc ut famam ejus extinguerent, à quibus frustratis his liberatus ostenditur, & famam habere in omnibus gentibus. *Sic Psal.58. & Glossa hic.*

2. *Sepulchrum Corporis Christi quare dicatur domus Dei.*

In finem &c. quando custodivit domum Dei &c. Nota, quod sepulchrum dicitur rectè domus Christi: præcipuè propter tria: quia sicut in domo quiescimus, reficimur, & dominamur: Sic Christus requievit in sepulchro, refectus est per resurrectionem factam in sepulchro, & tunc data fuit ei potestas in Cœlo, & in terra. *Psalm.58.*

3. *Quid mysticè intendatur in hoc Psalmo.*

Eripe me de inimicis meis &c. Notandum, quod in hoc Psalmo petit Christus, & consequenter justus liberationem à persecutionibus inimicorum persequentium animam, tum verbo, unde dicit: *Eripe me ab insurgentibus in me*, scilicet detractione, injuriisque: tum passione, & pœnis illatis: Unde dicit: *Eripe me de operantibus iniquitatem:* tum morte illata, unde dicit, *& viris sanguinum, & ceperunt animam meam. Psalm.58.*

4. *Salus nostra inchoat à liberatione ab inimicis, scilicet à dæmonibus.*

Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me: eripe me de operantibus iniquitatem &c. Nota, quod primo loco petit liberationem à dæmonum potestate, & tentatione: hic enim inchoare debet salus nostra: & hoc est unum ex præcipuis beneficiis nobis per Christum collatis. *In Luc. c.1. v.71. & serm.1. Ciner.*

5. *Diabolus venator animarum capit ipsas retibus, dentibus, & manibus.*

Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes &c. Si ceperunt, quomodò facta fuit hæc captura? Nota hic, quod sub metaphora venatorum proponit capturam animarum, quam faciunt dæmones: Capiunt enim retibus, dentibus, & manibus: retibus, scilicet malarum cogitationum: dentibus malarum locutionum, & manibus malarum operationum: Cave ergo ô homo ab istis venatoribus, quia valdè difficile est effugere ab ipsis. *Serm.3. Dom 4. post Pentecost.*

6. *Christus capsus est ab impiis tamquam à venatoribus.*

Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Quomodò capta fuit anima Christi ab inimicis? Sunt enim hæc verba prolata à Christo? Capta fuit ab inimicis, calumniis, blasphemiis, injuriis, & persecutionibus, & simul captum est corpus vinculis. *Serm.3. Dom.4. post Pentecost.*

7. *Homo impius venator animarum pro diabolo scandalis & laqueis iniquitatum.*

Ceperunt animam meam: Irruerunt in me fortes &c. Qui sunt isti, qui ceperunt animam tuam ô Propheta: & quomodò? Nota, quod hoc dicitur de venatoribus diaboli: suntque homines, qui pro diabolo tamquam ipsius auxiliarii alios homines capiunt, nempè calumniando, & scandalizando inducendoque proximum ad peccatum: Istique sunt malæ mulieres, perversi consiliarii, Prædicatores quæstuarii, adulatores: O quot ministros,

nistros,& venatores habet diabolus in hoc mundo. *Serm.3.Dom.4.post Pentecost.*

8. *Qualiter Christus dicitur exurgere veluti de somno.*

Exurge in occursum meum , & vide &c. Nota, quod hoc dicitur de Christo : nempè quia exurgere à morte dicitur per resurrectionem , vel per collationem auxilii : Dicitur etiam ad vitam exurgere secundùm Divinitatem , secundùm fidem, & secundùm famam bonam. *Psal.56. & 34.*

9. *Christus secundùm Divinitatem æqualis Patri : secundùm humanitatem factus est infirmus , & veluti gallina nos fovens, & ad se trahens.*

Exurge in occursum meum , & vide. Nota , hæc sunt verba filii ad Patrem. Sed cur dicitur : & vide ? nonne Pater omnia videbat ? Et vide, idest, *ut explicat D.Augustinus,*fac ut homines videant, quod ego sum tibi æqualis secundùm Divinitatem : & quoad humanitatem factus pro ipsis infirmus , & veluti gallina fovens pullos suos , & visitans nos. *Psal.58.*

10. *Perfecta conversio ad Deum affert famem spiritualem cibi spiritualis.*

Convertentur ad vesperam , & famem patientur ut canes , & circuibunt civitatem ; ecce loquentur in ore suo , & gladius in labiis eorum &c, Nota, quod hic agitur de conversione gentium , quæ conservata est post resurrectionem Christi : ubi dicitur , quod conversi patientur famem , scilicet Christi in Eucharistia per frequentiam communionis , & verbi Dei ; per quod gladius verbi Dei transibit in ore ipsorum occidens peccatum. *Psal.58.*

11. *Perfecta conversio ad nihilum reducit pænitentem , & ipsum erigit ad sublimem statum gratia.*

Ad nihilum deduces omnes gentes &c. Quomodò ad nihilum deductæ sunt gentes ? Ad nihilum scilicet per pœnitentiam. & humilitatem,quo nihilo mirabiliter Deus erigit in altum pœnitentem veluti per novam creationem , deducendo ipsum de virtute in virtutem,ipsumque protegendo , & conservando adjutorio divinæ gratiæ. *Psalm.58.*

12. *Gratia Dei præveniens mirabiliter fortificat , & elevat animam.*

Fortitudinem meam ad te custodiam , quia Deus susceptor meus es : Deus meus misericordia ejus præveniet me Ecce quid facit gratia Dei animam præveniens , nempè fortitudinem influit, & per viam perfectionis dirigit. *Psalm.118. c.10. v 5. & cap 1.v 9.*

13. *Oratio fervens vitia cordis expellit* Unde hic fidenter justus orans petit à Deo ut dispergat inimicos suos, scilicet vitia , & peccata. *Op de perfect. religios. l.2. c.66.*

14. *Propter peccata Deus immittit sæpè famem in terra.*

Convertentur ad vesperam,& famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem &c. Nota, quod hic loquitur de inimicis Dei, & de punitionibus,quas Deus in eos Propheta imprecatur, inter quas collocat famem caninam : nam Deus sæpè ob peccata immittit famem corporalem , & penuriam. *Psalm.58.& in Luc. c.4.v.26 & serm.1.de Dedicat. Templi.*

15. *Accidia inducit famem caninam in anima.*

Convertentur ad vesperam , & famem patientur ut canes. Nota , quod dicitur , *famem patientur,* scilicet toti absorpti à fame canina : Sed quinam sunt isti ? sunt qui tepidè vivunt in observantia mandatorum Dei , reducentes pœnitentiam ad finem vitæ : & isti sunt accidiosi , & otiosi , cujus sensus omnes universalem famam ad modum canis famelici patiuntur : nam os esurit cibaria delicata : lingua vana verba ; manus vilia, cor honores ; auris rumores , & oculi vanitates. *Opusc. diat. Tit.1. c.7.* Nota etiam , quod Glossa exponit hunc textum in bonum , nempè pro Prædicatoribus significatis per canes latrantes , & defendentes Ecclesiam , qui famem habentes conversionis peccatorum circuunt Ecclesiam Dei.

16. *Qui in impatientiam cadit contra dispositiones Dei , ponit in Cœlum os suum.*

Ipsi dispergentur ad manducandum : Si verò non fuerint saturati, & murmurabunt. Nota, quod litteraliter loquendo tractat de iis , qui torquentur fame , penuria , vel alia tribulatione , nec patienter istas tolerant , sed potius contra Dominum murmurant : Isti iniqui , & Deo exosi sunt , quia ponunt in Cœlum os suum. *Psal 72.*

17. *Deus libenter suscipit orationem,mortificationes , & eleemosynas justorum.*

Ego autem cantabo fortitudinem tuam , & exaltabo mane misericordiam tuam. Cur ò Propheta, nunc in laudem Dei te erigis ? *quia factus est susceptor meus , & refugium meum in die tribulationis meæ : Adjutor meus tibi psallam &c.* Nempè quia video Deum libenter acceptare orationes meas, disciplinas, mortificationes, & eleemosynas, quarum ipse est causa , scilicet excitans ad hæc pia opera : Unde patet , quia sicut peccator est Dei debitor , sic Deus est debitæ satisfactionis susceptor. *Psal.118 c 8. v.2.*

18. *Ad Mariam recurrendum est in tempore tribulationum.*

Eripe me de inimicis Domine &c. Propheta recurrebat ad Deum in tempore tribulationum , & persecutionum Saül : Nos verò etiam ad Mariam Virginem recurrere debemus,& ipsam rogare , ut in occursum nostrum adveniat tamquam Regina pietatis: Adeamus igitur ad thronum misericordiæ Mariæ,& dicamus in nostris necessitatibus fidẽter: Eripe me de inimicis meis Domina mundi,exurge in occursum meum Regina pietatis : Tu enim es *Applicatio ad Mariam Virginem.*

mater pulchræ dilectionis, & anchora spei, potius indulgentiæ, & janua salutis nostræ. *Op. Psalt. B.V. Psal 56. & 58.*

19. *Beata Virgo Maria compendium omnium virtutum, ditans nos divitiis spiritualibus.*

Exurge in occursum meum, & vide, & tu Domine Deus virtutum, Deus Israel. Vide quomodò Propheta recognoscens in Deo thesaurum omnium bonorum, ad ipsum confugit, ut in occursum ejus veniat, ipsumque ditet divitiis cœlestibus Nota tamen; quod cum Deus omnes thesauros gratiarum in Maria Virgine congregaverit, ipsamque lapidibus pretiosis cœlestibus ditaverit, ad ipsam veluti ad thesaurum inexhaustum vult, ut confugiamus: quia nihil nos habere voluit, quin per manus Mariæ non transiret: Vide ergo quales divitias Beatæ Virgini Deus donavit: nam aurum obrizum, in ornamentum ejus: Sardus, & Topazius in diademate appatet: Jaspis, & Amethystus in dextera ejus: Beryllus, & Chrysolithus in sinistra sua: Hyacinthus, & Achates in pectore suo: Carbunculi scintillantes in manibus ejus: Myrtha & Thus, & balsamus in manibus: Sapphirus, & smaragdus in digitis ejus: Per quos lapides significantur virtutes egregiæ, quibus Beata Virgo cumulata fuit, & quibus nos ditat. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 58. op. Diat. Tit. 10. c. 5.*

PSALMUS LIX.

Titulus: In finem pro his, qui immutabuntur &c.

1. Primò nota, quod iste psalmus mysticè tractat de conversione facta Gentilium, & plurium Judæorum ad fidem Christi, & ad susceptionem ejus doctrinæ &c.

2. *Deus dicitur repellere multipliciter in bonum, & malum.*

Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis. Nota, quod hæc verba videntur contradictoria: si enim Deus destruit eos, quomodò postea dicitur, quod misertus est ipsis? Sed advertendum, quod repellere dicitur Deus multipliciter in bono, & in malo: nam Deus repellit malos, gratiam eis subtrahendo in præsenti, & in futuro beatam gloriam: Repellit item malos à spiritualibus muneribus, V.G. Sacerdotio &c. Repellit item, bona temporalia subtrahendo: Repellit & bonos passionibus exponendo: & hæc repulsio est sancta, bona, & proficua, & ideò rectè dicit Propheta: *Iratus es, & misertus es nobis*, quia hæc ira est misericors, & ex misericordia trahens originem. *Psal. 59.*

3. *Iustificatio impii quænam ex parte Dei, & quænam ex parte peccatoris exigat.*

Commovisti terram, & conturbasti eam: Sana contritiones ejus, quia commota est. Nota, quod in hoc versu continentur omnia, quæ concurrunt ad justificationem impij, tum ex parte Dei, tum ex parte peccatoris: Dicit enim: *commovisti terram*; nempe, quia gratia adveniens in Animam commovet rationem, prout est potestas liberi arbitrij: conturbat voluntatem per contritionem, & postmodum sanat per peccati expulsionem: & horum redditur ratio duplex, scilicet commotio rationis, & conturbatio mentis, quæ prævenit: Unde subditur: *quia commota est* Unde commotio dicitur à eon, quod est simul, quia tunc omnes vires super se elevantur, & moventur ad bonum. *Op. centil. p. 3. sect. 51. & l. 4. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3. & In Luc. c. 11. v. 5. & serm. 4. Dom. 16 post Pentec.*

4. *Sanctitas spiritualis Animæ quomodo à Deo tribuatur.*

Commovisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia commota est. Sed quænam est hæc sanitas, quam petit pro terra? subjecta est ne terra infirmitatibus? Nota, quod hic loquitur de Anima terrenis rebus dedita, quæ ad modum terreni pulveris per varios cogitatus dispergitur: & quia istæ contritiones affligentium cogitationum non possunt sanari, nisi prius amoveantur, & confringantur Dei timore, concidantur, & conturbentur peccati dolore, & dilatentur Christi amore: ideò inquit Propheta. *Commovisti terram:* restringendo timore per considerationem divinorum judiciorum: Conturbat item eam, concidendo dolore per deplorationem omnium peccatorum? sanat contritiones ejus, eam dilatando amore per promissionem æternarum retributionum, quia commota est per compassionem ad eleemosynarum largitionem, ut qui aliena rapiebat, propria largiatur. *serm. 4. Dom. 16. post Pentec.*

5. *Deus minas, & tribulationes immittit, ut ad compunctionem excitet, & reficiat, sanetque Animam.*

Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Quid est hæc ostensio dura, & aspera? & ad quam sequitur potatio vini compunctionis? Et cur appellat compunctionem nomine vini? Sed nota, quod multiplex vinum innuitur in sacra scriptura, scilicet vinum corporale, quod excitat luxuriam, ut vinum doctrinæ hæreticorum: Ab hoc vino venenato Deus curat nos avertere per minas, & tribulationes, & reprehensiones, ut nos sanet, lavet, & inebriet vino spirituali compunctionis & devotionis, & etiam doctrinæ sacræ scripturæ. *serm. 3. Dom 12. post Pentec.* Hoc est vinum, quod propinat Animæ Spiritus Sanctus. *serm. 2. Dom. 1. post oct. Epiph. & serm. 2. Dom. septuag.*

6. *Deus plura signa iræ suæ nobis ostendit, ut fugiamus iram divini judicii.*

Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus &c. Vide bonitatem Dei in nos, qui significationem nobis dat, scilicet tribulationes, & minas, & compunctionis motiva supranotata, ut fugiamus à facie arcus, scilicet sagittam æternæ damnationis, & iram divini Judicij. *serm. 5. in die Pascha, & Psal. 36.*

7. Deus

7. Deus cum ſalutem confert, dicitur ſalvum facere dextera ſua: Et hinc Pſalmiſta dicit. *Salvum fac dextera tua, & exaudi me.* Per dexteram enim ſignificantur bona ſpiritualia, & cœleſtia. *Pſal.111.ſ.8 v.12.*

8. *Perfecta converſio quænam exigat.*

Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſe, & Ephraim fortitudo capitis mei, Iuda Rex meus, Moab olla ſpei meæ. Nota, quod iſta myſticè debent intelligi: per quæ ſignificantur ea, quæ concurrunt ad perfectam converſionem: nempè confeſſio ſignificata in Iuda: peccati oblivio in Manaſſe: Interpretatur enim oblivio: Galaad interpretatur teſtimonium fidei, quia requiritur exercitium fidei: & in Ephraim, qui interpretatur ſignificatio, ſignificatur augmentum virtutum. *Pſalm.59.* Addit; *Moab olla ſpei meæ*: indicans, quod ſicut magni peccatores ſignificati in Moab obtinuerunt miſericordiam, ſic & peccator ſperat poſſe obtinere veniam per ſupradictos actus. *Sic Gloſſa &c.*

9. *Chriſtus veniens in hunc mundum, quomodò dicitur extendiſſe calceamentum in Idumæam.*

In Idumæam extendam calceamentum meum &c. Nota hæc dici myſticè de Chriſto, quia Idumæa interpretatur terrena, & ſignificat terram, in quam venit Chriſtus, extendens calceamentum (ſcilicet quia calceamentum fit de corio animalis mortui, ſignificat humanitatem ſubjectam mortalitati à Verbo aſſumptam) & ideò Chriſtus dicitur Rex Idumeæ, ſcilicet mundi extendiſſe calceamentum, ſcilicet per Incarnationem, & ſe ſubjeciſſe paſſioni, mortalitati, humilitati. *Pſalm.59. & lib.3. d.22. dub.5. & in Luc. cap.3. verſ.16. & in Ioan. c.1. v.27.*

10. *Chriſtus in mundum veniens Prædicatores miſit, ut opus redemptionis implerent.*

In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt. Nota, quod ad extenſionem calceamenti in Idumæam dicitur, quod alienigenæ, ſcilicet gentiles, & peccatores ſubditi facti ſunt Chriſto: Quænam proportio, & virtus extenſionis calceamentorum valens convertere ad fidem peccatores? Sed advertendum, quod calceamentum eſt munimen pedum, & ſignificat munimentum prædicationis, vel firmitas: nam per prædicationem munitur Eccleſia, & repletur fidelibus: & ideò voluit Chriſtus, ut Diſcipuli calceati incederent, ſcilicet calceamento à parte ſuperiori aperto, & in inferiori clauſo: ſic etiam ſandalia Epiſcoporum ſunt ſuperius aperta, & inferius clauſa, ut ſecurè poſſint calcare colla malorum, & ne prædicent in tenebris, ſed in manifeſto: Ut videas, quod prædicatio eſt unum ex præcipuis mediis, quibus Chriſtus ſubjecit collo fidei infideles, & continuè trahit peccatores. *Pſal.59. & in Ioan. c.1. v.27.* *Ritus Eccleſiaſticus.*

11. Eccleſia eſt civitas munita firma, in quam intrans poteſt vivere ſecurè: Undè dicitur. *Quis deducet me in civitatem munitam. In Luc. cap.22. verſ.12.*

12. *Deum ardenter diligens petit à Deo tribulationes, & in ipſis auxilium; in ipſiſque magis confidit rectè vivere, quàm in proſperitatibus mundanis.*

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis. Quodnam auxilium eſt hoc, quod petit de tribulatione? forſan petit liberari ab his? minimè: Sed petebat à Deo tribulationes apponi ſibi, & ob id fructum, qui ex ipſis percipitur, ſciens, quia vana ſalus hominis, ſcilicet vana ſunt omnia mundana, & proſperitates terrenæ. *Pſal.63. & 88. & in Eccleſ. proœm. & ſap. cap.7.*

13. *Tribulationes pro Chriſto tolerata ſunt ſeminarium omnium conſolationum.*

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis &c. Nota, quod hic petit vir juſtus, ut tribulationes ſibi apponantur, & immittantur à Deo, ut dictum eſt *ex Pſalm.63.* Sed profuſiori explicatione ſublimiſſimi ſenſus horum verborum, advertendum, quod illa præpoſitio, (de) poteſt ſumi ſubſtantialiter, materialiter, originaliter. *ex lib.1. d.5. dub.10. & a 1. q.2.* Ut videas, quod tribulatio eſt veluti materia, ſubſtantia, & origo conſolationum, velutique ſeminarium earum.

14. *Securè vincit, & ad nihilum redigit vitia, qui totaliter in Deum confidit.*

In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros. Vide quomodò poſſit Dei ſervus ad nihilum redigere inimicos, non armis, vel fortitudine corporis, ſed confidendo in virtute non propria, ſed ſolius Dei. Et hinc innuitur monitum utile viris ſpiritualibus, qui ſe exercentes in actibus ſpiritualibus exterioribus humilitatis ſentiunt motus vanæ gloriæ, & ſuperbiæ: non enim deſiſtere debent ab ipſis actibus bonis, ſed confidere in Dei virtute, & perſeverare: ſic enim per longum uſum vana gloria, & omne vitium evaneſcit. *Op de perfect Religioſ. lib.1. c.27.*

15. *Ira Dei mitigata eſt per Mariam Virginem.*

Deus repuliſti nos &c. iratus es, & miſertus es nobis. Vide quomodò Propheta ſimul connectit iram, & miſericordiam Dei in nos: ſed tamen prius iram, poſtea miſericordiam: quia Deus cum eſſet iratus in hominem, placatus poſtea fuit per Mariam Virginem, & nobis eſt miſertus. *Opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſal.59.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

16. *Mariа Virgo poſita eſt in Eccleſia à Deo in ſignum efficax ad fugandum omne malum.*

Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus; ut liberentur &c. Quid eſt hæc ſignificatio tam efficax, ut fugiant à facie arcus, id eſt per quam poſſit evitari omne malum, & obtineri omne bonum: Nota, quod ex Hebræo legitur. *Dediſti metuentibus te vexillum, ſignum ſcilicet magnum.* Et hinc alluſio fit ad illud ſignum magnum, quod vidit Joannes Evangeliſta: hoc ſignum poſitum eſt à Deo in Cœlo Eccleſiæ, ut

eſſet

eſſet ſolamen hominum, pugnatrix criminum, confirmans mentes deſides, præſtans, & providens auxilium ſuis ſervis. *Op. laus B. Virg. ſig.* 19. Nota etiam, quod hic textus poteſt applicari imaginibus B. Virginis Mariæ, quæ ſunt ſignum, & vexillum virtuoſum contra hoſtes noſtros.

17. *Ad Mariam confugiendum in tribulatione, quia ipſa dat ſuis cultoribus virtutem.*

Da nobis auxilium de tribulatione &c. In Deo faciemus virtutem. Hoc dicebat Propheta Deo: Idem & nos dicamus Beatæ Virgini, quia ipſa virtutem dat ſuis cultoribus contra inimicos, & auxilium præſtat in tribulatione: Dicamus igitur: Intercede pro nobis ſalutifera Mater Dei, quæ Angelorum, & hominum ſalutem peperiſti: Tu enim mæſtis exultationem infundis, & mœrentibus lætitiam, & dulcorem, lætifica nos dulcifluo ſono oris tui, & liquore tuo roſeo perfunde corda noſtra, Tonate illi deſuper, & date illi gloriam, glorifica illam terra cum omnibus habitatoribus tuis. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 59.



PSALMUS LX.

Titulus: In finem: In hymnis David.

1. PRIMÒ nota, quod in hoc titulo traditur, quod laus tribuenda eſt Chriſto cum hilaritate mentis: Unde dicit (In hymnis) cum fortitudine virtutis: Unde dicit David, & cum perſeverantia, unde dicit in finem. *Pſal.* 60.

2. *Aliis Chriſtus eſt turris fortitudinis, & ſalutis: Aliis turris perditionis.*

Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis a facie inimici. Cur appellatur Deus Turris fortitudinis? Confert ne turris fortitudinem homini, in ea habitanti? Nota quod dicit Turris fortitudinis, ſcilicet munimentum fortiſſimum, & tutiſſimum, & tale eſt Chriſtus ſub ſua protectione confugientibus, & qui ſpem totam collocant in ipſo: Iſtis enim eſt Dux. Unde dicitur, *deduxiſti me*; ſcilicet de vitio in virtutem, de periculis in turrim tutiſſimam: Et è contra, malis eſt turris perditionis, & damnationis: Curre igitur ad hanc turrim, ſicque ſalvus eris. *ſer.* 1. *Dom.* 3. *poſt Pentec. Pſal.* 58. *in Luc c.* 14. *v.* 28. Nota etiam, quod dicitur Chriſtus factus viro juſto turris fortitudinis, quatenus ipſi indidit virtutem humilitatis, quæ eſt turris fortiſſima, & tutiſſima contra omnes adverſarios cujuſcumque perſonæ, ſed ſpecialiter tamen in magnatibus redditur clarior, & major, dum in ipſis relucet. *Opuſc. ſpecul. Diſcipl. p.* 5. *cap.* 6.

3. *Contra turrim ſuperbiæ Chriſtus poſitus eſt Turris ſpeculationis, & humilitatis.*

Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici &c. Quid eſt à facie inimici? ſcilicet quia contra Turrim elationis, & ſuperbiæ, quam ædificant ſuperbi, oppoſuit ſe Chriſtus, deducendo juſtum in turrim ſpeculationis divinorum, & humilitatis. *Pſal* 60. *& opuſc. ſpecul. diſcipl. p.* 1. *c.* 6.

4. *In Dei ſervitio juſtus veluti pullus Dei protegitur à milvo infernus.*

Inhabitabo in tabernaculo tuo, protegar in velamento alarum tuarum. Quodnam eſt hoc velamentum alarum Dei? ô felix inhabitatio, & obumbratio: qui enim in tabernaculum, & obſequium introducuntur, à duplici velamento proteguntur nempè ala innocentiæ contra æſtum vitiorum; & ala pœnitentiæ contra arma inimicorum, qui autem extra alas venerit per culpam, à milvo ſcilicet diabolo ſæviſſimo rapietur ad pœnam. *Pſal.* 60. *& ſer.* 3. *Dom ſeptuag.*

5. *Inter alios effectus oratio perducit ad poſſeſſionem hæreditatis æternæ.*

Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam, dediſti hæreditatem timentibus &c. Nota ordinem horum verborum, prius dicit, *exaudiſti orationem meam*: poſtea: *dediſti hæreditatem &c.* Ut videas efficaciam orationis, nempè introductionem in poſſeſſionem hæreditatis æternæ fieri virtute orationis. *In Luc. cap.* 18. *v.* 1.

6. *Vult Deus obſervantiam votorum à nobis.*

Sic pſalmum dicam nomini tuo ut reddam vota mea de die in diem &c. Vide quid intendit Propheta in exercitio laudum Dei, nempè obſervantiam votorum Deo factorum; Hæcque ſunt maximè tria, ſcilicet paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis contra concupiſcentiam oculorum, ſuperbiam vitæ, & concupiſcẽtiã carnis. *In Luc. c.* 5. *v.* 42.

7. *Maria Virgo turris tutiſſima chriſtianorum.*

Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis &c. Hoc dicitur ab Anima Chriſto Jeſu, hoc & dicere poſſumus ad Mariam Virginem, hæc enim verè turris fortitudinis, quæ à facie crudelis vaſtatoris tuetur nos, eſtque ut caſtrorum acies ordinata, terribilis facie eos hoſtes corruere in profundum inferni. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 60. *& op. litan. & op. Pſalt. min. quinq.* 2. *Applicatio ad Mariam Virginem.*



PSALMUS LXI.

Titulus: In finem: pro Idithun Pſalmus David.

1. PRIMÒ nota quod iſte pſalmus fuit compoſitus à David, & traditus Idithun, qui erat unus ex Cantoribus Pſalmorum, ut in laudem Dei, cum ſuis cantoribus deputatis ipſum decantaret: myſticè Idithun interpretatur tranſiliens; intenditque in hoc Pſalmo excitare Animam, ut tranſiliens iſta mundana, & caduca, ad cœleſtia ſemper aſpiret: Notandum

dum etiam, quod in hoc mundo aliqui tangunt terrena, & ab eis separati nolunt, & isti non transiliunt; quidam tangunt terrena, eisque inhærent, sed ab eis separari cupiunt: alij ea tangunt, sed non inhærent, & isti verè transiliunt ad Cœlum: & isti sunt perfecti; in hujusque figuram sandalia Episcoporum pelle terram tangunt, & superius aperta sunt. *Psal.61.*

1. *Transitus ad cælestia, & ad Deum quasnam virtutes exigat.*

In finem pro Idithun, &c. Nonne Deo subjecta erit Anima mea, &c. Nota, quod hic Propheta suadens transitum à terrenis ad cælestia, indicat in principio qualium virtutum exercitium exigatur, nempè humilitatis; ideò dicit in persona Ecclesiæ. *Nonne Deo subjecta erit Anima mea:* secundò spei, ideò subdit: *Ab ipso enim salutare meum:* Tertiò fidei; ideò subdit: *Ipse Deus meus:* Quartò perseverantiæ ideò subdit: *Non movebor amplius:* Quintò patientiæ subdens: *quousque irruetis in hominem. Psal.61.*

3. *Hierarchia Angelica, & Ecclesiastica Deo subjecta.*

Nonne Deo subjecta erit Anima. Quis est, qui potest hæc dicere? quinam sunt isti subditi Deo? Nonne in Ecclesia sunt superiores non subditi? Nota, quod triplex est Hierarchia: prima in Trinitate omnibus dominans: secunda Angelica, & hæc est Deo immediatè subjecta: Tertia Ecclesiastica primæ, & secundæ subjecta: sicque rectus ordo in universo constituitur: omnes ergo homines, & Angeli Deo subjecti sunt. *Psal.61.*

4. *Qui Deo perfectè subjectus est, creaturis etiam subyci debet.*

Nonne Deo subjecta est Anima mea? Ergone soli Deo subijci debet Anima, & non etiam hominibus? sed nota, quod qui perfectè subjectus est Deo, debet secundùm ordinationem voluntatis divinæ etiam hominibus subijci: Parum enim est esse subjectum Deo, nisi sis & omni humanæ creaturæ propter Deum subditus, sive Abbati tanquam præcellenti, sive Prioribus ab eo constitutis, imò & paribus, & minoribus: sic enim decet nos implere omnem justitiam: Vade igitur & tu ad minorem; si vis esse in justitiâ perfectus, defer te inferiori, minori te inclinaro. *Op. meditat. Vita Christi. c.16.*

5. *Hierarchia Ecclesiastica incepit in Abel per triplicem statum; Martyris, Virginis, & Pastoris.*

Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, &c. Ad quid ponitur interfectio hominum in hoc loco, ubi proposita est fundatio Hierarchiæ, Ecclesiasticæ: sed nota, quod ut ait Glossa, hic proponitur initium Ecclesiæ, quod fuit ab Abel, qui interfectus est & in ipso figurati fueront omnes martyres, Virgines, & Pastores Ecclesiæ: Exercuit enim istos tres status, in quibus consistit Ecclesiæ militantis stabilitas, & maximè, quia significabat Christum caput Ecclesiæ, qui dicitur occisus ab origine mundi. *Psal.61.*

6. *Interfectio corporalis, & spiritualis hominum quàm Deo exosa: Ubi de scandalo.*

Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato. Nota, quod hic non solum Spiritus sanctus damnat interfectionem iniustam hominum corporalem, sed magis spiritualem, quæ fit peccato scandali, quo fit incursio in alterum, veloci ipsum impellendo ad peccatum. *Serm.1.Dom.8. post Pentecost.*

7. *Christi sitis erat de nostra salute.*

Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti Quid est hic cursus in siti? Cucurri in siti ait Christus: quandonam cucurrit pro siti? Nota, hic exprimi pœnas Christo inflictas à Judæis, dum dicit: *Verumtamen pretium meum, &c.* & hinc desiderium, & sitim proponit, quam habebat de nostra salute: Unde in Cruce dicebat, *sitio*, dolens de siti, & non de Cruce: quia sitiebat nostram salutem, nostrum gaudium, quia plus Animarum nostrarum, quàm corporis sui cruciatus eum tenebant. *Serm. 2. in Parasceve, & Ioan.coll.23.*

8. *Iustus sitiens salutem, currit ad aquas divinæ gratiæ.*

Cucurri in siti. Nota hæc dici à vero justo exposito in tribulationibus: sitiens enim salutem, festinanter currit ad aquas divinæ gratiæ refrigerantis, & reficientis. *In Ioan.collat 38.*

9. *Inter illusores Christi collocantur, qui ore suo benedicunt Christo, & corde maledicunt: istique præcipuè sunt malè psallentes in Choro.*

Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Quomodò potest benedici Deus, & simul maledici: Nota hic, quod conqueritur Christus ad literam de Iudæis, qui, Ave, exterius dicebant, sed corde maledicebant: mysticè conqueritur de christianis, & Religiosis, qui dum in Choro ore laudes decantant sed in corde versando inutilia, immunda, & nociva Deo maledicunt: Isti inter illusores Christi adnumerantur similes Iudæis. *Op. Regul.Novit.c.1.*

10. *Christus fuit perfectissimus Redemptor, & medicus.*

Verumtamen Deo subjecta est Anima mea, quia ipse Deus meus, & salvator meus, adjutor meus non emigrabo. Vide qua ratione Propheta excitat se ipsum ad se subijciendum perfectè Deo, & proponit se non recessurum unquam ab ipso: nempè quia ipse est salvator, & Adjuror perfectissimus: salvator, & Adjutor, inquam, in ægrotatione, in tentatione, in morte præstando vitam naturæ, vitam gratiæ, & gloriæ; & ideò est perfectissimus salvator, & medicus auferens infirmitatem, & adjuvans conferendo sanitatem perfectam. *Psal. 118. c.8.v.2.* Quis igitur hæc videns, & contemplans non adhærebit Christo Iesu salvatori? Unde rectè subdit Propheta: *In Deo salutare meum, & gloria mea, &c.*

29. *Homo cogitat ea, quæ ad ipsum Deum spectant: & Deus cogitat ea, quæ tali homini sunt necessaria: E contra cogitans solùm de temporalibus, & deserens Deum, à Deo derelinquitur, & spiritualibus, & temporalibus.*

Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet &c. tu verò deduces eos in puteum interitus. Ecce quid facit Deus cum sperantibus in ipsum, & cogitantibus solum de Deo, in ipsumque propriam curam remittentibus: Ipsi enim Deo cura est ipsos enutrire spiritualiter, & temporaliter: è contra Deum deserentes, & cor suum affigentes in temporalibus deducuntur in puteum interitus, privanturque & spiritualibus, & temporalibus bonis *sap. c. 5.* Et hinc hoc verbum, *Iacta cogitatum tuum in Domino &c.* solitus erat dicere Sanctus Pater noster Franciscus suis fratribus, quando eos dirigebat ad aliquam obedientiam. *op. legenda S. Franc. c. ;. & in Luc. c. 12. v. 22.* Unde hæc præcipuè diriguntur ad Prædicatores: Ideóque Christus vetuit eis, ne deferrent secum neque peram, neque panem &c. *In Luc. c. 9. v. 3.*

30. *Deus deducit bonos in puteum salutis: malos in puteum interitus.*

Tu verò deduces eos in puteum interitus. Nota, quod dicit, *in puteum interitus*; ad differentiam putei saluris, in quem deducit Deus bonos: nempè in puteum vel potius in fontem divinæ cognitionis, & doctrinæ Sacræ scripturæ: Verè iste puteus est altus: puteus verò interitus, in quem præcipitat malos est triplex, & consequuntur omnes ordinatim: nam prius præcipitat malos in puteum cupiditatum carnalium, & inde in puteum desperationis, & tandem in puteum Inferni. *Psal. 54. In Ecclen. c. 9. & in Ioan. c. 4. v. 4.*

31. *Malus consummatus in brevi explet tempora multa: Idem ex opposito bonus.*

Viri dolosi, & sanguinum non dimidiabunt dies suos: ego verò sperabo in te Domine. Quomodò non dimidiabunt dies suos, si multi vivunt usque ad decrepitam ætatem etiam in malo? Respondetur: quod mali in malo dicuntur non dimidiare dies suos, quia pauci in multos computantur: sunt quidem pauci dies in comparatione eorum quos sibi præfixerunt in hoc mundo vivere; sed tamen sunt multi dies ob reiteratas malitias: Idem ex opposito dicitur de bonis. *In Ecclen. c. 7. & 8. sap. c. 3. ad finem.*

32. Maxima Dei misericordia est, quando detruncat vitam impiis, ne pejores fiant: Unde de istis dicitur. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos:* Sic enim non eis contingit tanta pœna, quantam haberent, si diutius viverent. *In Ecclen. c. 7.*

33. *A Maria Virgine petendum, & expectandum auxilium in tribulationibus hujus vitæ contra hostes Animæ, & corporis.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Exaudi Domine &c.* Si Ecclesia confugit ad Deum in suis tribulationibus: ergo & ad Mariam Virginem idem est faciendum, cum ipsa sit constituta vera spes, & advocata nostra: Dicamus ergo: Exaudi Domina orationem meam, & ne contemnas deprecationem meam: Contristatus sum in cogitatione mea, quia judicia Dei perterruerunt me: tenebræ mortis venerunt super me, & pavor Inferni invasit me: Ego autem in solitudine expecto consolationem tuam, & in cubili meo attendo misericordiam tuam: Glorifica manum, & dexteram brachium tuum, ut prosternantur à nobis inimici nostri. *op. Psalt. B. Virg. Psal 54.*

PSALMUS LV.

Titulus: In finem: Pro populo, qui à sanctis longè factus est, David in Tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. 2. Reg. c. 21.

1. PRIMÒ Nota, quod hic psalmus ordinatur ad id, quod factum est à Gentilibus in Geth contra David, quando ipsum tenuerunt captivum: mysticè dirigitur in finem, scilicet in Christum, pro populo, scilicet, vel salvando vel contra populum Judaicum qui longè factus est à salute, quando contradixit Christo, & præcipuè in titulo Crucis, & significatur persecutio hæreticorum in Ecclesiam, contra quam petit Ecclesia auxilium à Christo.

2. *Titulus Crucis denotat Christum Regem respectu bonorum, & malorum, sed secundùm diversos effectus.*

In tituli inscriptionem: ordinatur ergo hic titulus psalmi ad titulum Crucis, in quo Christus declarabatur Rex Judæorum: Quomodo Judæorum? An non fuit Christus, & est Rex omnium? Rex Judæorum, scilicet ad litteram contra Judæos incredulos; & mysticè Rex Iudæorum, scilicet confitentium: nam Christus regit malos ad dispersionem in virga ferrea: Bonos in præsenti ad salutem, in futuro ad glorificationem. *Psal. 55.*

3. *Boni sinuntur conculcari ad ipsorum probationem.*

Miserere mei, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me. Quid est conculcavit me? positus ne fuit in torculari? maximè, nam in Ecclesia veluti in torculari ponuntur boni, & mali: sicut enim in torculari uvæ præmuntur, vinum à vinaceis separatur, & vinum in cellario ponitur: Sic in Ecclesia boni à malis calcantur, præmuntur & torquentur, à malis separantur, & in cellariis Cœli reponentur, vinacea autem in sterquilinium ejicientur.

4. *Qui ad suam propriam miseriam adspicit, ad Deum, ut Misereatur, impellitur.*

Sic dicebat Propheta. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo. Psal. 118. c. 4. v. 10.*

5. In triplicem defectum induxit hominem Diabolus per peccatum, scilicet in necessitatem moriendi: unde dicit, *conculcavit me homo:* In ignorantiam, & errorem, unde impugnavit me. In defectum affectionis, unde dicit, *tribulavit me. Psal. 55.*

6. Sancti

6. *Sancti plus timent, & expavescunt magis in prosperitatibus, quàm in adversis.*

Ab altitudine diei ego timebo, ego verò in te sperabo. Quid est, quod timet Propheta? Ab altitudine diei: quæ est hæc altitudo diei? Altitudo diei significat præsentem vitam, & prosperitates mundanas: ab his timebat, pavebat, & trepidabat vir justus: & meritò quia optimè cognoscebat, quod multos sua potius felicitas stravit, multos diuturna pax inertes reddit, eoque illos inopinatus hostis gravius percutit, quo longo quietis usu negligentes invenit: Hinc ad Deum per spem confugit. *Op. Pharetr. l. 3. c. 18.* Nota igitur, quod mundus facit sicut carnifex, qui in altum ascendere facit reum, ut securius præcipitet: Sic in altum prosperitatis erigit hominem, ut crudelius præcipitet: unde à tali altitudine timebat Sanctus Propheta.

7. *Per timorem judicij tanquam per molam superiorem, & per spem in Deum tanquam per molam inferiorem fit optima molitura tritici; scilicet contritio peccati.*

Ab altitudine diei ego timebo, ego verò in te sperabo. Nota, quod per altitudinem diei intelligi potest dies judicii, quæ in molendino Animæ est veluti mola superior, & spes mola inferior: qui igitur Animam suam collocat inter istas duas molas facit optimam molituram tritici, & fitbona farina, scilicet contritio perfecta peccati. *Op. Diat. tit. 3. c. 4.*

8. *Diabolus, ut hominem conculcet calcaneum ejus observat.*

Adversum me omnes cogitationes eorum in malum: Inhabitabunt, & abscondent ipsi calcaneum meum observabunt. Ecce quid facit hostis malignus contra nos ut nos conculcet: nam cum dirigat omnes suas cogitationes ad nos decipiendum, caleandum, & inhabitandum, ad calcaneum aspicit, & observat: Sed quid observat? nempè, ut capiat nos in fine vitæ: & ut secure hominem capiat in fine, nititur caput obtinere, scilicet juventutem, ut homo incipiat tunc diabolo servire, ut ipsi totum tempus dedicetur vitæ. *In Thren. c. 1.*

9. *Contritionis lachrymæ quàm Deo charæ.*

Deus vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissione tua &c. Quid est, quod dicit Propheta, quod Deus posuit lachrymas suas in conspectu suo? Nonne omnia ei sunt aperta? Verum quidem est: Sed tamen hoc speciali modo exprimit de lachrymis, ut pateat quàm Deo sint charæ, Dicit ergo Deus vitam meam annuntiavi tibi, idest peccata vitæ meæ consideravi, & ad te recurri plangendo, & pœnitendo, & tu posuisti lachrymas meas in conspectu tuo tamquam charissimas, & ob id efficacissimas ad Deum placandum, & ad reddendam efficacem orationem meam. *Op. Diat. Tit. 7. c. 3. & Psal. 118. c. 11. v. 10.* Nota etiam, quod alij legunt, in conspectu tuo, idest intra te scilicet in penetralibus cordis tui &c. ô beatæ lachrymæ, quæ à Christo reconduntur in suis visceribus ut dulcissimus liquor.

10. *Iustus sanctè præsumens de Dei misericordia, non timet de ullis adversis.*

In quacumque die invocavero te, exaudi me; ecce cognovi, quia Deus meus es: In Deo laudavi &c non timebo quid faciat mihi homo. Cur tantùm præsumis? Ergone quotiescumque invocabis Deum, præsumis, ut te exaudiat? Ecce sancta præsumptio originem trahens ex humilitate propria, & confidentia experimentali divinæ misericordiæ, quia optimè cognoverat, quam misericors sit Deus in confidentes in ipsum. *Psal. 56. & op. de sex alis Cherub.*

11. *Vas cordis solo Deo potest repleri.*

In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi. Quæ sunt ista vota Dei? Vota Dei sunt desideria possidendi cor nostrum totaliter, quia cor hominis quod est concavum, estque superius quacumque alia re creata, ergo solo Deo repleri potest: Si enim aliquando aliud recipit, semper indiget: Propheta ergo cognoscens se continere Deū, rectè dicebat. *In me sunt vota tua Deus,* scilicet devotio, puritas, & sanctitas. *Psal. 50. & 55. & 76.*

12. Justus à Deo petit liberationem à triplici defectu: scilicet à morte Animæ, ab errore cognitionis, & à defectibus affectus: Unde dicit. *Quoniam eripuisti Animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos,* idest affectus, *à lapsu &c. Psalm. 55.*

13. Christus est lux viventium desiderabilis: Unde dicit: *ut placeam coram Deo in lumine viventium,* Scilicet in Christo, qui est lux vitæ. *Op. exposit. Missæ c. 4.*

14. Titulus hujus Psalmi ordinatur non solùm ad Christum, sed ad Mariam ut Reginam mundi. Titulus &c. Pro tituli inscriptione.

Nota, quod si in hoc Psalmo recognoscitur Christus Rex, ad quem recurrit Ecclesia, ergo refertur etiam ad Reginam, & quæ est? Hæc est Maria Virgo, quam invocat Ecclesia quotidie, dicens: *Salve Regina Mater misericordiæ &c. Ad te clamamus exules filii Evæ &c.* Verè Regina est, sub cujus Dominio quisque nostrum debet se collocare: Regina, & Mater misericordiæ, ut nobis miseris plenis omni miseria subveniat, & regat: ergo ad ipsam confidenter recurramus. *Op. stim. p. 3. cap. 19.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

15. *Maria est nostrum refugium in miseriis, & persecutionibus diaboli.*

Miserere mei Domine &c. Ad Christum recurrit Ecclesia ut sibi adjutricem porrigat in tot persecutionibus à diabolo per homines malos illatis. Ad Mariam pariter recurrere debemus, & dicere cum Propheta, Miserere mei Domina, quoniam conculcaverunt me hostes mei quotidie, omnes cogitationes eorum in malum contra me; excita furorem, & memento belli, & super eos effunde iram tuam, innova signa, & immuta mirabilia, ut sentiamus adjutorium brachij tui, Glorifica nomen tuum super nos, ut cognoscamus, quoniam in sæculum misericordia tua; stilla nobis gloriam suavitatis tuæ, quia tu es pincerna gratiæ dulcoris. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 55.*

PSALMUS



PSALMUS LVI.

Titulus : In finem : ne disperdas , David in tituli inscriptionem , cum fugeret à facie Saul in speluncam ex primo Regum. cap 22.

1\. PRimò nota , quod alluditur ad David cum latebat in spelunca, quando Saül ipsum persequebatur : mysticè ad Christum dirigitur , cujus Divinitas latebat in humanitate , vel in spelunca , quando fuit sepultus:unde agit de Passione,& Resurrectione Christi , & de liberatione martyrum : Dicitur autem ne disperdas David in tituli inscriptione : scilicet, ô Pilate in tituli inscriptione , dicendo Christum Regem non esse,&c.

2\. *Confidentia in Deum suadetur exemplo S. Prophetæ.*

Miserere mei, &c. quoniam in te confidit Anima mea. Vide quomodò confidentia in Deum inducit Animam ad fiducialiter recurrendum ad Deum,ut potentissimum,& piissimum:sic fecit latro , quando dixit in Cruce:*memento mei,&c.In Ioan.coll.74. op.lignum vitæ,& op.de sex alis Cherub.*

3\. *Pietate sua Deus nos tamquam sub alis protegit.*

*Et in umbra alarum tuarum sperabo , donec transeat iniquitas.*Quid est donec transeat iniquitas ? & quando transibit iniquitas ? Nonne usque ad finem mundi abundabunt iniquitates ? quod quidem est verum,& per hoc dat intelligere , quod usque ad finem mundi Deus proteget sua pietate veluti sub umbra alarum suos servos : rectèque utitur hac similitudine alarum,quia alæ fovent,defendunt hominem ab æstu solis , & contra impetum milvi : sic Deus sua pietate fovet suos,ut ad vitam renascantur , & gratia sua nutriantur , defendit eos ab æstu tentationum,& ab impetu diaboli.*Psal.56.& op.de invisibilit.Dei.*

4\. *Ante adventum Christi Sancti vivebant, & videbant in umbra mysteria fidei: post ejus adventum clarè eadem prospiciunt.*

Et in umbra alarum tuarum. Cur in umbra , & non potius in aperto stare vult ? Rectè dicitur in umbra, quia ante Christi adventum vivebant in umbra , nec liber mysteriorum Sacræ Scripturæ, & præcipuè Incarnationis Verbi erat apertus , & in hujus signum in missæ principio liber clausus offertur Sacerdoti : sic & Christus in synagoga aperuit librum,& ipsum clausum dedit Judæis,sed post ejus adventum apertus est, ablata umbra , & mysteria fidei revelata sunt apertè omnibus , & ideò Velum Templi scissum est in morte Christi, & post Evangelium in missa offertur liber apertus Sacerdoti,& Canonicis in Choro : Datur per hoc intelligi,quod majores, & Sacerdotes debent scire hæc mysteria.*Psal.56.*

5\. *Christus in Cruce extensas tenet manus, ut nos protegat tanquam per alas.*

Et in umbra alarum tuarum sperabo,&c. Ergone Deus habet alas ? sed attende, & oculos erige ad Christum in Cruce affixum , & videbis alas duas, scilicet brachia ipsius , & Crucis tanquam duas alas extensas,ut nos ab æstu vitiorum, & ab impetu inimicorum protegat. *In Ioan. coll. 83. & opusc. Phar. l.1.cap.4. & opusc. Comp. Theol. l. cap.11. & Vgo Cardin.hic.*

6\. *Clamor in oratione est telum fortissimum fugans,& feriens Diabolum.*

Clamabo ad Deum altissimum , &c. Ad quid clamabis,& clamas ad Deum altissimum : Et quid tibi respondit ? sed nota ordinem horum verborum : primò præmittit clamorem suum ad Deum, postea subdit promptum auxilium obtentum à Deo contra diabolum,dicens:*misit Deus misericordiam suam , & eripuit me de medio catulorum leonum,&c.*Vt videas,quod sicut homo clamat contra leonem,lupum vel serpentem invadentem:sic clamandum est in oratione ad Deum contra diabolum leonem fortissimum , quia oratio jugis est infirmitas hostis, & aufert vires ipsi:Clama ergo, si vis liberari à diabolo.*serm.2 Dom.2. quadrages.*

7\. *Ex Incarnatione Verbi relucent præcipua Dei attributa.*

*Clamabo ad Deum &c.*Notanda sunt ista verba, quæ dicta sunt in persona Christi , quibus Incarnationis mysteria innuuntur , Dei magnalia referantur : missio Verbi promissa,ejusque mors patefit : Dicit igitur, *clamabo ad Deum altissimum* ; per quod ostenditur Deus magnus in essentia : Addit *ad Deum , qui benefecit mihi* , ut ostendatur magnus in effectu:magnus præcipuè in misericordia: ideò subdit : *misericordiam suam &c.* ut ostendatur verax in promissis:subdit, *dormivi conturbatus*, scilicet per tolerantiam mortis, & passionis : Item innuitur in his verbis personam mittens , scilicet Pater , dicens : *misit Deus* : persona missa , subdens, *misit misericordiam suam* : Unde ? scilicet de Cœlo : Ad quid ? ut liberaret Animam : A quo? scilicet de medio catulorum leonum.*In Psal.56.*

8\. *Christus dicitur misericordia , & veritas in abstracto,quia est talis in essentia, & in effectu.*

Misit Deus misericordiam suam , & veritatem suam. Nota , quod hic exprimitur missio Verbi in carnem , ideò dicitur Christus in abstracto misericordia , quia est talis in essentia, & in effectu : scilicet magnus in misericordia , & infinitus: Dicitur item veritas tum propter immutabilitatem : tum propter æquitatem , tum propter promissionis impletionem : solus enim Christus verax est, redditque æqua meritis,& cujus dicere est facere. *Psal.56.*

9\. Christus

9. *Christus quot modis dicitur obdormire, vel obdormisse.*

Dormivi conturbatus. Quomodò hoc dici potest de Christo? ergo ne ejus dormitio fuit cum conturbatione Animi? Nota; quod tripliciter dormitio dicitur de Christo: Altera propria corporalis: dormiebat enim aliquando, sicut cæteri homines: Altera spiritualis, quando scilicet differt concedere in oratione, quod petitur, quia tunc videtur veluti obdormire, & non attendere: & tertia est metaphorica nempè in passione, quando mortuus est: dicitur enim obdormisse conturbatus, scilicet patiendo, & postea resurrexit. *Psal.* 56. Nota etiam, quod mysticè Christus dicitur, dormire conturbatus in medio catulorum, scilicet in medio hæreticorum filiorum Diaboli, quia Ecclesiam conturbant, & infestant. *Psal.* 118. *cap.* 11. *v.* 0.

10. *Christus quomodò gladio occisus dicatur.*

Filij hominum dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus. Nota, hæc dici in persona Christi: sed quomodò gladio dicitur cæsus, si non gladio, sed clavis occisus est? sed respondetur quod non gladio materiali, Synagoga tentavit quidem Christum perimere, sed spiritualiter gladio blasphemiæ, detractionis, & malæ locutionis, non solùm a Judæis occisus est, sed & à Christianis malis continuè perimitur. *In Luc. c.* 4. *v.* 30. & *In Thren. c.* 3. *in fine.*

11. *Lingua mala est sagitta, & gladius vorans carnes, & charitatem scindens.*

Filij hominum dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus. Quinam sunt isti dentes, qui arma, & sagittæ appellantur? & cur lingua appellatur gladius acutus? sed nota, quod hîc exprimuntur pessimi effectus linguæ, quæ dicitur habere dentes, & rectè comparatur sagittæ, & gladiò: quia mala lingua Deum offendit blasphemiis: scindit charitatem conviciis, injuriis, detractionibus, famam proximi, pacemque vorat; & malum suadendo Animas occidit. *In Luc. c.* 16. *v.* 24. *Psalm.* 118. *c.* 10. *v.* 13. & *in Thren. cap.* 3. *in fine.* & *in Ioan. cap.* 8. *vers* 44. & *serm. de S. Luca Evang.* Cave ergo ô serve Dei ab his linguis, & quando vides, & audis alios loquentes non de Deo, sed detractiones, vel alia verba mala fuge ab his tanquam à dentibus serpentum. *Op. Regula Novit. c.* 9.

12. *Gula vitium quàm perniciosum.*

Filij hominum dentes eorum, &c. Cur specialiter in medium ponit dentes impiorum? Nota per dentes masticatur, & voratur caro: fitque allusio ad vitium Gulæ, quo crapulæ, & ebrietati dediti ventrem implentes, in omnia vitia se præcipitant: & ideò veloti armis, & sagittis impugnant legem Dei, *Psal.* 118. *c.* 8. *v.* 8.

13. *Sola charitas est signum triumphans de linguis maledicis.*

Filij hominum dentes eorum, arma, & sagitta, &c. Nota hæc dicit Christus in passione positus, ut ostenderet ipsum fuisse positum in signum ad sagittam, nempe charitate munitum, contra quam omnes sagittæ malignantium ordinatæ sunt: ut nobis daret exemplum de modo triumphandi de hostibus, & linguis maledicis: nempè armis charitatis in Deum, & proximum. *Serm.* 1. *Dom. infra oct. Nativit.*

14. *Opprimentes pauperes Christi, & lædentes, opprimunt, & lædunt Christum.*

Laqueum paraverunt pedibus meis. Hæc sunt verba Christi, quibus insidias, quas contra ipsum tetenderunt Judæi, exprimit: sed mysticè alludit ad insidias, quas tendunt maligni & impij contra pauperes Christi, qui dicuntur pedes ejusdem; sicut innuit *Ioan. c.* 12. quando Maria unxit pedes Jesu: De istis igitur oppressoribus conqueritur Christus, dicens: *Laqueum paraverunt pedibus meis. Ps.* 56.

15. *Incurvatio Animæ alia in bonum, alia in malum.*

Incurvaverunt Animam meam. foderunt ante faciem, &c. Hæc dicuntur in persona Christi, quia Judæi conati sunt deprimere ipsum, foveam malignitatum parantes: sed ipsi inciderunt in eam: mysticè hæc incurvatio fit in bonum, & in malum: In bonum, dum quis subjeitur, & humiliatur ante Deum: felix ille, qui sic Domino incurvatur: Tali enim pacto in ipso sedet, jacet, & stat, quia per hoc elevatur Anima in Deum quiescendo per contemplationem: In malum, dum Diabolo se subjicit, ut super ipsum sedeat, jaceat, & stet: sicque redigitur Anima in statum miserabilem, & in foveam vitiorum. *Psal.* 56.

16. *Optimus status vitæ contemplativæ est esse paratum ad vacandum Deo, & saluti proximi.*

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; cantabo, & psalmum dicam. Cur bis repetit paratum cor meum? Nonne sufficiebat prima vice se exhibere paratum ante Deum? Bis dicit, ob duplex objectum vitæ perfectæ, quod est vacare Deo, & saluti proximi: Nam bonus status est vita; purè contemplativa: bonus item est vita activa, sed optimus est ad utramque esse paratum: sic enim exemplo David ingreditur ad intima Regis, & egreditur ad obsequium proximi. *Op. medit. Vita Christi c.* 57.

17. *Pater æternus resurgere facit filium ob multiplicem finem.*

Exurge gloria mea: exurgam diluculo. Nota; hæc verba sunt Patris ad filium verè dulcissima in sua resurrectione, dicens: Exurge, nempè ad divinam gloriam magnificandam, ad Angelicam ruinam reparandam, & ad Diabolicam malitiam dissipandam: & hæc omnia perfectissimè exequutus est Christus, ideò statim respondit: exurgam diluculò. *Serm. in die Resurrectionis*; & *Psal.* 147.

18. *Christus in Cruce fuit Psalterium.*

Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara. Cur appellatur Christus psalterium, & cithara? Nota, hæc verba dirigi à Patre ad filium in Cruce

torum fasciculos ligant, & eos ligando, ligant seipsos sicque ab Ecclesia ejiciuntur, & ad interitum ruunt: Justi autem bona opera, vel mystaria sacræ scripturæ simul concionant ad sui salutem. *Psal.57.*

7. *Furor alius bonus, alius malas.*

Furor illis secundùm similitudinem serpentis. Qui furor? Nota, quod furor alius bonus, alius malus: Bonus est pœnitentium, qui furore, & zelo moventur contra peccatum: hic ad tempus turbat oculum rationis, ut postea clarius videat, ut collyrium oculos tegit, sed clarius tandem reddit: hic furor non est serpentum, sed bonorum: furor malus alius est damnatorum, alius est peccati: hic est serpentum, quia venenat Animam. *Psal.57.*

8. *Peccator Aspidi comparatur.*

Sicut Aspidis surda obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantis &c. Nota, quod aspis est serpens surda, obturans aures, non audiens vocem incantantis: Hoc pacto exprimitur infelicitas peccatoris consuetudinarij, qui terra, idest terrenorum amore, & cauda, idest spe longioris vitæ aures cordis obturat: & hinc dicitor serpens propter calliditatem, & duplicitatem cum Deo; surdus propter peccati consuetudioem, obturans autem propter peccati obstinationem, & non audiens vocem prædicantis propter stultitiam. *Psal.57. & serm.6. Dom.1. Adv. & serm.2. de uno S.Doct. & in Luc.c.7.v.23.*

9. *Prædicatores sunt incantatores sapientes.*

Et venefici incantantis sapienter &c. Quis est iste veneficus, & incantator, nisi Christus Dominus, qui per Prædicatores, & prædicatiooem incantat sapienter peccatores, ut eos trahat ad se. *Psal.57.*

10. *Ignorantia affectata reddit hominem similem aspidi.*

Quæ non exaudiet vocem incantantis &c. Nota: hic est peccator, qui ne benè agat, obturat aures suas, nec vult intelligere, & hæc est ignorantia affectata, quæ reddit hominem similem aspidi obturanti aures suas. *In Luc.c.12.v.42.*

11. *Detractores, & maligni Dei iræ subjecti.*

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas Leonum confringet Dominus: Ad nihilum devenient &c. Nota hanc similitudinem dentium impiorum, quos Deus conterit: quinam sunt isti dentes? Dentes in ore hominis sunt triplices: nempè incisivi canini, & molares: & per hæc tria genera dentium dat intelligere malignitatem eorum, qui per dolosa verba separant boos ab Ecclesia suis malis consiliis, & suasionibus diabolicis: & isti significantur per dentes incisivos: per caninos verba detractorum, qui veluti canes mordent, & lacetant famam proximi; per molares eos, qui per mala exempla comminuunt virtutem, & sanctitatem proximi ipsum ad nihilum redigens. Nota, qood dicit, *molas Leonum*, quia Leo habet dentes fœtidos, & fortes comminuentes omnia quantuncumque dura: sic & isti perfidi, & maligni fœtorem emittunt per os, & opera mala, & dissipant omnem bonitatem aliorum. Hinc cum sint tam Deo exosi, subjacent iræ divinæ. *Psal.57.*

12. *Avaritia, & cupiditas maxima, & periculosa infirmitas incurvans Animam ad terram, ipsamque excæcans.*

Donec infirmentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem. Nota, quod in pœna delictorum impiorum Deus permittit, ipsos infirmari: Unde dicit Propheta: *Tetendit arcum suum*, scilicet vindictæ, *donec infirmentur*: Sed quali infirmitate? Respondet: *supercecidit ignis, & non viderunt solem*: hæc est infirmitas, scilicet, ob quam non possunt videre solem: Sed qualis est hæc infirmitas? estne corporalis? minimè. Est hæc infirmitas proveniens ab igne cupiditatis, & avaritiæ, quæ incurvat Animam ad terram, ita ut non possit videre solem, & Cœlum: maxima quidem & periculosa infirmitas hæc non posse aspicere sursum: & hæc est pœna peccati maxima. *In Luc. c.13. v.11.* Nota tamen, quod hæc infirmitas tollitur per triplex medium, scilicet per resipiscentiam à peccato, assumptiooem pœnitentiæ, & solicitudinem Deo placendi. *Psal.57.*

13. *Beati videntes pœnam damnatorum gaudebunt: sicut damnati videntes gloriam beatorum, torquebuntur.*

Lætabitur justus cum viderit vindictam &c. Ergone mali de damno aliorum gaudebunt? Nonne hoc est contra charitatem proximi? minimè: nam sicut cognitio gloriæ beatorum damnatis est pœna: sic beatis cognitio pœnæ malorum est motivum gaudij, quia gaudebunt de ea sub ratione divinæ ultionis, & justitiæ. *l.4 d.50 p.2 art 1. q.3. & Diat. Tit.9. c.1.*

14. *Justus quomodò lavat manus suas in sanguine peccatoris.*

Justus manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Quomodò justus lavabit manus suas in sanguine peccatoris? Verè hoc est horrendum? Attamen hîc metaphoricè loquitur sacer textus: dans intelligere, quod io præsenti vita justi videntes impios à Deo punitos, & damnatos cautiores fiunt ex alienis plagis, & ad pœnitentiam agendam excitantur, sicque dicũtur lavare manus suas in sanguine peccatorum: Idem proportionaliter dicitur de beatis. *op medit. vita Christi c.43. & op lignum vitæ &c.*

15. *Deus judicabit injustos remanentes in terra, & justos existentes elevabit in Aere: & quare hoc.*

Et dicet homo: si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra Vult dicere, quod justus videns impios puniri, & justos lavari in sanguine peccatoris in sensu jam proposito inferre rectè, quod Deus erit in Judicio Universali judicans impios in terra: sed quid est judicans io terra? scilicet impios existentes in terra, & justos in Aëre elevatos Deus judicabit: & meritò, quia impij terræ adhæserunt in hac vita, justi à terra separati, ad Cœlum vota sua direxerunt, & hic est fructus charissimus præparatus justis. *op. specul. B.Virg. lect.18.*

16. *Perfecta juſtitia non ſolùm exigit ab homine cultum Chriſti : ſed & Beatæ Virginis Mariæ.*

plicatio Mariam jinem. *Si verè utique juſtitiam loquimini recta judicate filii hominum.* Cur ad omnes dirigitur hoc præceptum rectè judicandi ? Nonne hoc ſolùm ſpectat ad judices ? Nota, quod ad omnes homines ſpectat rectè, & recta judicare : Agitur enim hic de juſtitia, quæ ordinat hominem ad Deum, ad proximum & ad ſeipſum. Sed præcipuè conſiſtit in cultu Regis, in quo etiam involuitur cultus Reginæ : Unde ad omnes dirigi poſſunt hæc verba : Si verè utique juſtitiam loquimini, juſtitiæ, & miſericordiæ honorare Reginam : Ad hæredem, enim, & gloriam pertinet ſalvatoris, quidquid honorificum ſuæ impenſum fuerit Genitrici. Laudate igitur Mariam aſtra matutina, conventum facite omnes filii Dei : Glorificate eam Cœli, & terra, mare, & flumina, ac fundamenta orbis : Hæc igitur eſt perfecta juſtitia, quia juſtum eſt honorare cum Rege etiam Reginam Cœli, & terræ. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 57.*

17. *Maria Virgo terra myſtica, quæ nobis dedit fructum juſtum.*

Si verè utique eſt fructus juſto, utique eſt Deus judicans eos in terra Quis eſt iſte fructus juſto paratus ? & ſi fructus, ergo ex terra ortus ? Ergo ex Maria Virgine, quæ fuit terra benedicta ortus eſt iſte fructus, ſcilicet Chriſtus Jeſus : fructus quidem juſtus juſtè præmium bonis, & pœnam malis tribuens. *Op. ſpecul. B. Virg. Pſal. 57. lect. 18. & op. Pſalt. B. Virg.*

18. *Fructus Ventris Mariæ ſunt flores ornantes Eccleſiam.*

Si utique eſt fructus juſto &c. Quinam ſunt iſti fructus in Eccleſia parati juſtis ? fructus ſunt ſuaviſſimi, qui ſimul & flores ſunt vernantes, & ornantes Eccleſiam ; & hinc roſæ martyrum circumdant Mariam Reginam, & lilia Virginum ambiunt Thronum ejus &c. *Opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſal. 57. & op. ſpecul. B. Virg. lect. 18.*



PSALMUS LVIII.

Titulus : In finem ne diſperdas, David in tituli inſcriptione, quando miſit Saül, & cuſtodivit domum ejus, ut eum interficeret. Ex 1. Reg. c. 19.

1. PRIMÒ nota, quod hic Titulus myſticè ordinatur, ſicut & Pſalmus ad id, quod tentaverunt judæi ponentes cuſtodiam ſepulchro Chriſti, quod dicitur domus ejus, & hoc ut famam ejus extinguerent, à quibus fruſtratis his liberatus oſtenditur, & famam habere in omnibus gentibus. *Sic Pſal. 58. & Gloſſa hic.*

2. *Sepulchrum Corporis Chriſti quare dicatur domus Dei.*

In finem &c. quando cuſtodivit domum Dei &c. Nota, quod ſepulchrum dicitur rectè domus Chriſti : præcipuè propter tria : quia ſicut in domo quieſcimus, reficimur, & dominamur : Sic Chriſtus requievit in ſepulchro, refectus eſt per reſurrectionem factam in ſepulchro, & tunc data fuit ei poteſtas in Cœlo, & in terra. *Pſalm. 58.*

3. *Quid myſticè intendatur in hoc Pſalmo.*

Eripe me de inimicis meis &c. Notandum, quod in hoc Pſalmo petit Chriſtus, & conſequenter juſtus liberationem à perſecutionibus inimicorum perſequentium animam, tum verbo, unde dicit : *Eripe me ab inſurgentibus in me*, ſcilicet detractione, injuriiſque : tum paſſione, & pœnis illatis : Unde dicit : *Eripe me de operantibus iniquitatem* : tum morte illata, unde dicit, *& viris ſanguinum, & ceperunt animam meam. Pſalm. 58.*

4. *Salus noſtra inchoat à liberatione ab inimicis, ſcilicet à dæmonibus.*

Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me : eripe me de operantibus iniquitatem &c. Nota, quod primo loco petit liberationem à dæmonum poteſtate, & tentatione : hic enim inchoare debet ſalus noſtra : & hoc eſt unum ex præcipuis beneficiis nobis per Chriſtum collatis. *In Luc. c. 1. v. 71. & ſerm. 1. Ciner.*

5. *Diabolus venator animarum capit ipſas retibus, dentibus, & manibus.*

Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes &c. Si ceperunt, quomodò facta fuit hæc captura ? Nota hic, quod ſub metaphora venatorum proponit capturam animarum, quam faciunt dæmones : Capiunt enim retibus, dentibus, & manibus : retibus, ſcilicet malarum cogitationum : dentibus malarum locutionum, & manibus malarum operationum : Cave ergo ò homo ab iſtis venatoribus, quia valdè difficile eſt effugere ab ipſis. *Serm. 3. Dom 4. poſt Pentecoſt.*

6. *Chriſtus captus eſt ab impiis tamquam à venatoribus.*

Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Quomodò capta fuit anima Chriſti ab inimicis ? Sunt enim hæc verba prolata à Chriſto ? Capta fuit ab inimicis, calumniis, blaſphemiis, injuriis, & perſecutionibus, & ſimul captum eſt corpus vinculis. *Serm. 3. Dom. 4. poſt Pentecoſt.*

7. *Homo impius venator animarum pro diabolo ſcandalis & laqueis iniquitatum.*

Ceperunt animam meam : Irruerunt in me fortes &c. Qui ſunt iſti, qui ceperunt animam tuam ô Propheta : & quomodò ? Nota, quod hoc dicitur de venatoribus diaboli : ſuntque homines, qui pro diabolo tamquam ipſius auxiliarii alios homines capiunt, nempè calumniando, & ſcandalizando inducendoque proximum ad peccatum : Iſtique ſunt malæ mulieres, perverſi conſiliarii, Prædicatores quæſtuarii, adulatores : O quot miniſtros,

nistros, & venatores habet diabolus in hoc mundo. *Serm. 3. Dom. 4. post Pentecost.*

8. *Qualiter Christus dicitur exurgere veluti de somno.*

Exurge in occursum meum, & vide &c. Nota, quod hoc dicitur de Christo: nempè quia exurgere à morte dicitur per resurrectionem, vel per collationem auxilii: Dicitur etiam ad vitam exurgere secundùm Divinitatem, secundùm fidem, & secundùm famam bonam. *Psal. 56. & 34.*

9. *Christus secundùm Divinitatem aequalis Patri: secundùm humanitatem factus est infirmus, & veluti gallina nos fovens, & ad se trahens.*

Exurge in occursum meum, & vide. Nota, hæc sunt verba filii ad Patrem. Sed cur dicitur: & vide? nonne Pater omnia videbat? Et vide, idest, *ut explicat D. Augustinus*, fac ut homines videant, quod ego sum tibi æqualis secundùm Divinitatem: & quoad humanitatem factus pro ipsis infirmus, & veluti gallina fovens pullos suos, & visitans nos. *Psal. 58.*

10. *Perfecta conversio ad Deum affert famem spiritualem cibi spiritualis.*

Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem; ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum &c. Nota, quod hic agitur de conversione gentium, quæ conservata est post resurrectionem Christi: ubi dicitur, quod conversi patientur famem, scilicet Christi in Eucharistia per frequentiam communionis, & verbi Dei: per quod gladius verbi Dei transibit in ore ipsorum occidens peccatum. *Psal. 58.*

11. *Perfecta conversio ad nihilum reducit pœnitentem, & ipsum erigit ad sublimem statum gratiæ.*

Ad nihilum deduces omnes gentes &c. Quomodò ad nihilum deductæ sunt gentes? Ad nihilum scilicet per pœnitentiam. & humilitatem, quo nihilo mirabilitet Deus erigit in altum pœnitentem veluti per novam creationem, deducendo ipsum de virtute in virtutem, ipsumque protegendo, & conservando adjutorio divinæ gratiæ. *Psalm. 58.*

12. *Gratia Dei præveniens mirabiliter fortificat, & elevat animam.*

Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia ejus præveniet me Ecce quid facit gratia Dei animam præveniens, nempè fortitudinem influit, & per viam perfectionis dirigit. *Psalm. 118. c. 10. v. 5. & cap. 1. v. 9.*

13. *Oratio fervens vitia cordis expellit* Unde hic fidenter justus orans petit à Deo ut dispergat inimicos suos, scilicet vitia, & peccata. *Op. de perfect. religios. l. 2. c. 66.*

14. *Propter peccata Deus immittit sæpè famem in terra.*

Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem &c. Nota, quod hic loquitur de inimicis Dei, & de punitionibus, quas Deus in eos Propheta imprecatur, inter quas collocat famem caninam: nam Deus sæpè ob peccata immittit famem corporalem, & penuriam. *Psalm. 58. & in Luc. c. 4. v. 26 & serm. 1. de Dedicat. Templi.*

15. *Accidia inducit famem caninam in anima.*

Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes. Nota, quod dicitur, *famem patientur*, scilicet toti absorpti à fame canina: Sed quinam sunt isti? sunt qui tepidè vivunt in observantia mandatorum Dei reducentes pœnitentiam ad finem vitæ: & isti sunt accidiosi, & otiosi, cujus sensus omnes universalem famam ad modum canis famelici patiuntur; nam os esurit esbaria delicata: lingua vana verba; manus vilia, cor honores; auris rumores, & oculi vanitates. *Opusc. diat. Tit. 1. c. 7.* Nota etiam, quod Glossa exponit hunc textum in bonum, nempè pro Prædicatoribus significatis per canes lattantes, & defendentes Ecclesiam, qui famem habentes conversionis peccatorum circueunt Ecclesiam Dei.

16. *Qui in impatientiam cadit contra dispositiones Dei, ponit in Cœlum os suum.*

Ipsi dispergentur ad manducandum: Si verò non fuerint saturati, & murmurabunt. Nota, quod litteraliter loquendo tractat de iis, qui torquentur fame, penuria, vel alia tribulatione, nec patienter istas tolerant, sed potius contra Dominum murmurant: Isti iniqui, & Deo exosi sunt, quia ponunt in Cœlum os suum. *Psal. 72.*

17. *Deus libenter suscipit orationem, mortificationes, & eleemosynas justorum.*

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam. Cur ò Propheta, nunc in laudem Dei te erigis? *quia factus est susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ: Adjutor meus tibi psallam &c.* Nempè quia video Deum libenter acceptare orationes meas, disciplinas, mortificationes, & eleemosynas, quarum ipse est causa, scilicet excitans ad hæc pia opera: Unde patet, quia sicut peccator est Dei debitor, sic Deus est debitæ satisfactionis susceptor. *Psal. 118 c. 8. v. 2.*

18. *Ad Mariam recurrendum est in tempore tribulationum.*

Eripe me de inimicis Domine &c. Propheta recurrebat ad Deum in tempore tribulationum, & persecutionum Saül: Nos verò etiam ad Mariam Virginem recurrere debemus, & ipsam rogare, ut in occursum nostrum adveniat tamquam Regina pietatis: Adeamus igitur ad thronum misericordiæ Mariæ, & dicamus in nostris necessitatibus fidenter: Eripe me de inimicis meis Domina mundi, exurge in occursum meum Regina pietatis: Tu enim es *Applicatio ad Mariam Virginem.*

mater pulchræ dilectionis, & anchora ſpei, portus indulgentiæ, & janua ſalutis noſtræ. *Op. Pſalt. B. V. Pſal 56. & 58.*

19. *Beata Virgo Maria compendium omnium virtutum, ditans nos divitiis ſpiritualibus.*

Exurge in occurſum meum, & vide, & tu Domine Deus virtutum, Deus Iſrael. Vide quomodò Propheta recognoſcens in Deo theſaurum omnium bonorum, ad ipſum confugit, ut in occurſum ejus veniat, ipſumque ditet divitiis cœleſtibus Nota tamen; quod cum Deus omnes theſauros gratiarum in Maria Virgine congregaverit, ipſamque lapidibus pretioſis cœleſtibus ditaverit, ad ipſam veluti ad theſaurum inexhauſtum vult, ut confugiamus: quia nihil nos habere voluit, quin per manus Mariæ non tranſiret: Vide ergo quales divitias Beatæ Virgini Deus donavit: nam aurum obrizum, in ornamentum ejus: Sardus, & Topazius in diademate appatet: Jaſpis, &c. Amethyſtus in dextera ejus: Beryllus, & Chryſolithus in ſiniſtra ſua: Hyacinthus, & Achates in pectore ſuo: Carbunculi ſcintillantes in manibus ejus: Myrrha & Thus, & balſamus in manibus: Sapphirus, & ſmaragdus in digitis ejus: Per quos lapides ſignificantur virtutes egregiæ, quibus Beata Virgo cumulata fuit, & quibus nos ditat. *Op. Pſalt. B Virg. Pſal. 58. op. Diat. Tit. 10. c. 5.*



PSALMUS LIX.

Titulus: In finem pro his, qui immutabuntur &c.

1. PRIMÒ nota, quod iſte pſalmus myſticè tractat de converſione facta Gentilium, & plurium Judæorum ad fidem Chriſti, & ad ſuſceptionem ejus doctrinæ &c.

2. *Deus dicitur repellere multipliciter in bonum, & malum.*

Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos, iratus es, & miſertus es nobis. Nota, quod hæc verba videntur contradictoria: ſi enim Deus deſtruit eos, quomodò poſtea dicitur, quod miſertus eſt ipſis? Sed advertendum, quod repellere dicitur Deus multipliciter in bono, & in malo: nam Deus repellit malos, gratiam eis ſubtrahendo in præſenti, & in futuro beatam gloriam: Repellit item malos à ſpiritualibus muneribus, V.G. Sacerdotio &c. Repellit item, bona temporalia ſubtrahendo: Repellit & bonos paſſionibus exponendo: & hæc repulſio eſt ſancta, bona, & proficua, & ideò rectè dicit Propheta: *Iratus es, & miſertus es nobis*, quia hæc ira eſt miſericors, & ex miſericordia trahens originem. *Pſal. 59.*

3. *Iuſtificatio impii quænam ex parte Dei, & quænam ex parte peccatoris exigat.*

Commoviſti terram, & conturbaſti eam: Sana contritiones ejus, quia commota eſt. Nota, quod in hoc verſu continentur omnia, quæ concurrunt ad juſtificationem impij, tum ex parte Dei, tum ex parte peccatoris: Dicit enim: *commoviſti terram*; nempè, quia gratia adveniens in Animam commovet rationem, prout eſt poteſtas liberi arbitrij: conturbat voluntatem per contritionem, & poſtmodum ſanat per peccati expulſionem: & bonum redditur ratio duplex, ſcilicet commotio rationis, & conturbatio mentis, quæ prævenit: Unde ſubditur: *quia commota eſt* Unde commotio dicitur à con, quod eſt ſimul, quia tunc omnes vires ſuper ſe elevantur, & moventur ad bonum. *Op. centil. p. 3. ſect. 51. & l. 4. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3. & In Luc. c. 11. v. 5. & ſerm. 4. Dom. 16 poſt Pentec.*

4. *Sanctitas ſpiritualis Animæ quomodo à Deo tribuatur.*

Commoviſti terram, & conturbaſti eam, ſana contritiones ejus, quia commota eſt. Sed quænam eſt hæc ſanitas, quam petit pro terra? ſubjecta eſt ne terra infirmitatibus? Nota, quod hic loquitur de Anima terrenis rebus dedita, quæ ad modum terreni pulveris per varios cogitatus diſpergitur: & quia iſtæ contritiones affligentium cogitationum non poſſunt ſanari, niſi prius amoveantur, & confringantur Dei timore, conculcantur, & conturbentur peccati dolore, & dilatentur Chriſti amore: Ideò inquit Propheta. *Commoviſti terram*: reſtringendo timore per conſiderationem divinorum judiciorum: Conturbat item eam, concidendo dolore per deplorationem omnium peccatorum? ſanat contritiones ejus, eam dilatando amore per promiſſionem æternarum retributionum, quia commota eſt per compaſſionem ad eleemoſynarum largitionem, ut qui aliena rapiebat, propria largiatur. *ſerm. 4. Dom. 16. poſt Pentec.*

5. *Deus minas, & tribulationes immittit, ut ad compunctionem excitet, & reficiat, ſanetque Animam.*

Oſtendiſti populo tuo dura, potaſti nos vino compunctionis. Quid eſt hæc oſtenſio dura, & aſpera? & ad quam ſequitur potatio vini compunctionis? Et cur appellat compunctionem nomine vini? Sed nota, quod multiplex vinum innuitur in ſacra ſcriptura, ſcilicet vinum corporale, quod excitat luxuriam, ut vinum doctrinæ hæreticorum: Ab hoc vino venenato Deus curat nos avertere per minas, & tribulationes, & reprehenſiones, ut nos ſanet, lavet, & inebriet vino ſpirituali compunctionis & devotionis, & etiam doctrinæ ſacræ ſcripturæ. *ſerm. 3. Dom 12. poſt Pentec.* Hoc eſt vinum, quod propinat Animæ Spiritus Sanctus. *ſerm. 2. Dom. 1. poſt oct. Epiph. & ſerm. 2. Dom. ſeptuag.*

6. *Deus plura ſigna iræ ſuæ nobis oſtendit, ut fugiamus iram divini judicii.*

Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus &c. Vide bonitatem Dei in nos, qui ſignificationem nobis dat, ſcilicet tribulationes, & minas, & compunctionis motiva ſupranotata, ut fugiamus à facie arcus, ſcilicet ſagittam æternæ damnationis, & iram divini Judicij. *ſerm. 2. in die Paſcha, & Pſal. 56.*

7. Deus

7. Deus cum salutem confert, dicitur salvum facere dextera sua: Et hinc Psalmista dicit. *Salvum fac dextera tua, & exaudi me.* Per dexteram enim significantur bona spiritualia, & cœlestia. *Psal.* 111 *c.* 8 *v.* 12.

8. *Perfecta conversio quænam exigat.*

Meus est Galaad, & meus est Manasse, & Ephraim fortitudo capitis mei, Iuda Rex meus, Moab olla spei mea. Nota, quod ista mysticè debeut intelligi: per quæ significantur ea, quæ concurrunt ad perfectam conversionem: nempè confessio significata in Iuda: peccati oblivio in Manasse: Interpretatur enim oblivio:. Galaad interpretatur testimonium fidei, quia requiritur exercitium fidei: & in Ephraim, qui interpretatur significatio, significatur augmentum virtutum. *Psalm.* 59. Addit; *Moab olla spei mea:* indicans, quod sicut magni peccatores significati in Moab obtinuerunt misericordiam, sic & peccator sperat posse obtinere veniam per supradictos actus. *Sic Glossa &c.*

9. *Christus veniens in hunc mundum, quomodò dicitur extendisse calceamentum in Idumæam.*

In Idumæam extendam calceamentum meum &c. Nota hæc dici mysticè de Christo, quia Idumæa interpretatur terrena, & significat terram, in quam venit Christus, extendens calceamentum (scilicet quia calceamentum fit de corio animalis mortui, significat humanitatem subjectam mortalitati à Verbo assumptam) & ideò Christus dicitur Rex Idumeæ, scilicet mundi extendisse calceamentum, scilicet per Incarnationem, & se subjecisse passioni, mortalitati, humilitati. *Psalm.* 19. *& lib.* 3. *d.* 12. *dub.* 5. *& in Luc. cap.* 3. *vers.* 16. *& in Ioan. c.* 1. *v.* 17.

10. *Christus in mundum veniens Prædicatores misit, ut opus redemptionis implerent.*

In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt. Nota, quod ad extensionem calceamenti in Idumæam dicitur, quod alienigenæ, scilicet gentiles, & peccatores subditi facti sunt Christo: Quænam proportio, & virtus extensionis calceamentorum valens convertere ad fidem peccatores? Sed advertendum, quod calceamentum est munimen pedum, & significat munimentum prædicationis, vel firmitas: nam per prædicationem munitur Ecclesia, & repletur fidelibus: & ideò voluit Christus, ut Discipuli calceati incederent, scilicet calceamento à parte superiori aperto, & in inferiori clauso: sic etiam
Ritus Ecclesiastici. sandalia Episcoporum sunt superius aperta, & inferius clausa, ut securè possint calcare colla malorum, & ne prædicent in tenebris, sed in manifesto: Ut videas, quod prædicatio est unum ex præcipuis mediis, quibus Christus subjecit collo fidei infideles, & continuè trahit peccatores. *Psal.* 59. *& in Ioan. c.* 1. *v.* 17.

11. Ecclesia est civitas munita firma, in quam intrans potest vivere securè: Undè dicitur. *Quis deducet me in civitatem munitam. In Luc. cap.* 21. *vers.* 12.

12. *Deum ardenter diligens petit à Deo tribulationes, & in ipsis auxilium; in ipsisque magis confidit rectè vivere, quàm in prosperitatibus mundanis.*

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. Quodnam auxilium est hoc, quod petit de tribulatione? forsan petit liberari ab his? minimè: Sed petebat à Deo tribulationes apponi sibi, & ob id fructum, qui ex ipsis percipitur, sciens, quia vana salus hominis, scilicet vana sunt omnia mundana, & prosperitates terrenæ. *Psal.* 63. *&* 88. *& in Eccles. proœm. & Sap. cap.* 7.

13. *Tribulationes pro Christo toleratæ sunt seminarium omnium consolationum.*

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis &c. Nota, quod hic petit vir justus, ut tribulationes sibi apponantur, & immittantur à Deo, ut dictum est *ex Psalm.* 63. Sed profusiori explicatione sublimissimi sensus horum verborum, advertendum, quod illa præpositio, (de) potest sumi substantialiter, materialiter, originaliter. *ex lib.* 1. *d.* 5. *dub.* 10. *& a* 1. *q.* 2. Ut videas, quod tribulatio est veluti materia, substantia, & origo consolationum, velutique seminarium earum.

14. *Securè vincit, & ad nihilum redigit vitia, qui totaliter in Deum confidit.*

In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Vide quomodò possit Dei servus ad nihilum redigere inimicos, non armis, vel fortitudine corporis, sed confidendo in virtute non propria, sed solius Dei. Et hinc innuitur monitum utile viris spiritualibus, qui se exercentes in actibus spiritualibus exterioribus humilitatis sentiunt motus vanæ gloriæ, & superbiæ: non enim desistere debent ab ipsis actibus bonis, sed confidere in Dei virtute, & perseverare: sic enim per longum usum vana gloria, & omne vitium evanescit. *Op. de perfect. Religios. lib.* 1. *c.* 27.

15. *Ira Dei mitigata est per Mariam Virginem.*

Deus repulisti nos &c. iratus es, & misertus es nobis. Vide quomodò Propheta simul connectit *Applicatio ad Mariam Virginem.*
iram, & misericordiam Dei in nos: sed tamen prius iram, postea misericordiam: quia Deus cum esset iratus in hominem, placatus postea fuit per Mariam Virginem, & nobis est misertus. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psal.* 59.

16. *Maria Virgo posita est in Ecclesia à Deo in signum efficax ad fugandum omne malum.*


Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus; ut liberentur &c. Quid est hæc significatio tam efficax, ut fugiant à facie arcus, idest per quam possit evitari omne malum, & obtineri omne bonum: Nota, quod ex Hebræo legitur. *Dedisti metuentibus te vexillum, signum scilicet magnum.* Et hinc allusio fit ad illud signum magnum, quod vidit Joannes Evangelista: hoc signum positum est à Deo in Cœlo Ecclesiæ, ut

esset

esset solamen hominum, pugnatrix criminum, confirmans mentes desides, præstans, & providens auxilium suis servis. *Op. laus B. Virg. sig. 19.* Nota etiam, quod hic textus potest applicari imaginibus B. Virginis Mariæ, quæ sunt signum, & vexillum virtuosum contra hostes nostros.

17. *Ad Mariam confugiendum in tribulatione, quia ipsa dat suis cultoribus virtutem.*

Da nobis auxilium de tribulatione &c. In Deo faciemus virtutem. Hoc dicebat Propheta Deo: Idem & nos dicamus Beatæ Virgini, quia ipsa virtutem dat suis cultoribus contra inimicos, & auxilium præstat in tribulatione: Dicamus igitur: Intercede pro nobis salutifera Mater Dei, quæ Angelorum, & hominum salutem peperisti: Tu enim mæstis exultationem infundis, & mœrentibus lætitiam, & dulcorem, lætifica nos dulcifluo sono oris tui, & liquore tuo roseo perfunde corda nostra, Tonate illi desuper, & date illi gloriam, glorifica illam terra cum omnibus habitatoribus tuis. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 59.*



PSALMUS LX.

Titulus: In finem: In hymnis David.

1. PRIMÒ nota, quod in hoc titulo traditur, quod laus tribuenda est Christo cum hilaritate mentis: Unde dicit (In hymnis) cum fortitudine virtutis: Unde dicit David, & cum perseverantia, unde dicit in finem. *Psal. 60.*

2. *Aliis Christus est turris fortitudinis, & salutis: Aliis turris perditionis.*

Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Cur appellatur Deus Turris fortitudinis? Confert ne turris fortitudinem homini, in ea habitanti? Nota quod dicit Turris fortitudinis, scilicet munimentum fortissimum, & tutissimum, & tale est Christus sub sua protectione confugientibus, & qui spem totam collocant in ipso: Istis enim est Dux. Unde dicitur, *deduxisti me*; scilicet de vitio in virtutem, de periculis in turrim tutissimam: Et è contra, malis est turris perditionis, & damnationis: Curre igitur ad hanc turrim, sicque salvus eris. *ser. 1. Dom. 3. post Pentec. Psal. 58. in Luc. c. 14. v. 28.* Nota etiam, quod dicitur Christus factus viro justo turris fortitudinis, quatenus ipsi indidit virtutem humilitatis, quæ est turris fortissima, & tutissima contra omnes adversarios cujuscumque personæ, sed specialiter tamen in magnatibus redditur clarior, & major, dum in ipsis relucet. *Opusc. specul. Discipl. p. 1. cap. 6.*

3. *Contra turrim superbiæ Christus positus est Turris speculationis, & humilitatis.*

Deduxisti me quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici &c. Quid est à facie inimici? scilicet quia contra Turrim elationis, & superbiæ, quam ædificant superbi, opposuit se Christus, deducendo justum in turrim speculationis divinorum, & humilitatis. *Psal. 60. & opusc. specul. discipl. p. 1. c. 6.*

4. *In Dei servitio justus veluti pullus Dei protegitur à milvo inferni.*

Inhabitabo in tabernaculo tuo, protegar in velamento alarum tuarum. Quodnam est hoc velamentum alarum Dei? ô felix inhabitatio, & obumbratio: qui enim in tabernaculum, & obsequium introducuntur, à duplici velamento proteguntur nempè ala innocentiæ contra æstum vitiorum; & ala pœnitentiæ contra arma inimicorum, qui autem extra alas venerit per culpam, à milvo scilicet diabolo sævissimo rapietur ad pœnam. *Psal. 60. & ser. 3. Dom. septuag.*

5. *Inter alios effectus oratio perducit ad possessionem hæreditatis æternæ.*


Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam, dedisti hæreditatem timentibus &c. Nota ordinem horum verborum, prius dicit, *exaudisti orationem meam*: postea: *dedisti hæreditatem &c.* Ut videas efficaciam orationis, nempè introductionem in possessionem hæreditatis æternæ fieri virtute orationis. *In Luc. cap. 18. v. 1.*

6. *Vult Deus observantiam votorum à nobis.*

Sic psalmum dicam nomini tuo ut reddam vota mea de die in diem &c. Vide quid intendit Propheta in exercitio laudum Dei, nempè observantiam votorum Deo factorum; Hæcque sunt maximè tria, scilicet paupertatis, obedientiæ, & castitatis contra concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ, & concupiscētiā carnis. *In Luc. c. 5. v. 45.*

7. *Maria Virgo turris tutissima christianorum.*

Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis &c. Hoc dicitur ab Anima Christo Jesu, hoc & dicere possumus ad Mariam Virginem, hæc enim verè turris fortitudinis, quæ à facie crudelis vastatoris tuetur nos, estque ut castrorum acies ordinata, terribilis faciens hostes corruere in profundum inferni. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 60. & op. litan. & op. Psalt. min. quinq. 2.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*



PSALMUS LXI.

Titulus: In finem: pro Idithun Psalmus David.

1. PRIMÒ nota quod iste psalmus fuit compositus à David, & traditus Idithun, qui erat unus ex Cantoribus Psalmorum, ut in laudem Dei, cum suis cantoribus deputatis ipsum decantaret: mysticè Idithun interpretatur transiliens; intenditque in hoc Psalmo excitare Animam, ut transiliens ista mundana, & caduca, ad cœlestia semper aspiret: Notandum

dum etiam, quod in hoc mundo aliqui tangunt terrena, & ab eis separari nolunt, & isti non transiliunt: quidam tangunt terrena, eisque inhærent, sed ab eis separari cupiunt: alij ea tangunt, sed non inhærent, & isti verè transiliunt ad Cœlum: & isti sunt perfecti; in hujusque figuram sandalia Episcoporum pelle terram tangunt, & superius aperta sunt. *Psal.61.*

2. *Transitus ad cælestia, & ad Deum quasnam virtutes exigat.*

In finem pro Idithun, &c. Nonne Deo subjecta erit Anima mea, &c. Nota, quod hic Propheta suadens transitum à terrenis ad cælestia, indicat in principio qualium virtutum exercitium exigatur, nempè humilitatis; ideò dicit in persona Ecclesiæ. *Nonne Deo subjecta erit Anima mea*: secundò spei, ideò subdit: *Ab ipso enim salutare meum*; Tertiò fidei; ideò subdit: *Ipse Deus meus*: Quartò perseverantiæ ideò subdit: *Non movebor amplius*: Quintò patientiæ subdens: *quousque irruetis in hominem. Psal.61.*

3. *Hierarchia Angelica, & Ecclesiastica Deo subjecta.*

Nonne Deo subjecta erit Anima. Quis est, qui potest hæc dicere? quinam sunt isti subditi Deo? Nonne in Ecclesia sunt superiores non subditi? Nota, quod triplex est Hierarchia: prima in Trinitate omnibus dominans: secunda Angelica, & hæc est Deo immediatè subjecta: Tertia Ecclesiastica primæ, & secundæ subjecta: sicque rectus ordo in universo constituitur: omnes ergo homines, & Angeli Deo subjecti sunt. *Psal.61.*

4. *Qui Deo perfectè subjectus est, creaturis etiam subjici debet.*

Nonne Deo subjecta est Anima mea? Ergonè soli Deo subjici debet Anima, & non etiam hominibus? sed nota, quod qui perfectè subjectus est Deo, debet secundùm ordinationem voluntatis divinæ etiam hominibus subjici: Parum enim est esse subjectum Deo, nisi sis & omni humanæ creaturæ propter Deum subditus, sive Abbati tanquam præcellenti, sive Prioribus ab eo constitutis, imò & paribus, & minoribus: sic enim decet nos implere omnem justitiam: Vade igitur & tu ad minorem; si vis esse in justitiâ perfectus, defer te inferiori, minori te inclinato. *Op. meditat. Vita Christi. c.16.*

5. *Hierarchia Ecclesiastica incepit in Abel per triplicem statum: Martyris, Virginis, & Pastoris.*

Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, &c. Ad quid ponitur interfectio hominum in hoc loco, ubi proposita est fundatio Hierarchiæ, Ecclesiasticæ? sed nota, quod ut ait Glossa, hic proponitur initium Ecclesiæ, quod fuit ab Abel, qui interfectus est & in ipso figurati fuerunt omnes martyres, Virgines, & Pastores Ecclesiæ: Exercuit enim istos tres status, in quibus consistit Ecclesiæ militantis stabilitas, & maximè, quia significabat Christum caput Ecclesiæ, qui dicitur occisus ab origine mundi. *Psal.61.*

6. *Interfectio corporalis, & spiritualis hominum quàm Deo exosa: Ubi de scandalo.*

Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato. Nota, quod hic non solum Spiritus sanctus damnat interfectionem injustam hominum corporalem, sed magis spiritualem, quæ fit peccato scandali, quo fit incursio in alterum, veluti ipsum impellendo ad peccatum. *Serm.2. Dom.8. post Pentecost.*

7. *Christi sitis erat de nostra salute.*

Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti. Quid est hic cursus in siti? Cucurri in siti ait Christus: quandonam cucurrit pro siti? Nota, hîc exprimi pœnas Christo inflictas à Judæis, dum dicit: *Verumtamen pretium meum, &c.* & hinc desiderium, & sitim proponit, quam habebat de nostra salute: Unde in Cruce dicebat, *sitio*, dolens de siti, & non de Cruce: quia sitiebat nostram salutem, nostrum gaudium, quia plus Animarum nostrarum, quàm corporis sui cruciatus eum tenebant. *Serm. 2. in Parasceve, & Ioan.coll.23.*

8. *Iustus sitiens salutem, currit ad aquas divinæ gratiæ.*

Cucurri in siti. Nota hæc dici à vero justo exposito in tribulationibus: sitiens enim salutem, festinanter currit ad aquas divinæ gratiæ refrigerantis, & reficientis. *In Ioan.collat 38.*

9. *Inter illusores Christi collocantur, qui ore suo benedicunt Christo, & corde maledicunt: istique præcipuè sunt malè psallentes in Choro.*

Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Quomodò potest benedici Deus, & simul maledici: Nota hic, quod conqueritur Christus ad litteram de Iudæis, qui, Ave, exterius dicebant, sed corde maledicebant; mysticè conqueritur de christianis, & Religiosis, qui dum in Choro ore laudes decantant sed in corde versando inutilia, immunda, & nociva Deo maledicunt: Isti inter illusores Christi adnumerantur similes Iudæis. *Op. Regul.Novit.c.1.*

10. *Christus fuit perfectissimus Redemptor, & medicus.*

Verumtamen Deo subjecta est Anima mea, quia ipse Deus meus, & salvator meus, adjutor meus non emigrabo. Vide qua ratione Propheta excitat se ipsum ad se subjiciendum perfectè Deo, & proponit se non recessurum unquam ab ipso: nempè quia ipse est salvator, & Adjutor perfectissimus: salvator, & Adjutor, inquam, in ægrotatione, in tentatione, in morte præstando vitam naturæ, vitam gratiæ, & gloriæ; & ideò est perfectissimus salvator, & medicus auferens infirmitatem, & adjuvans conferendo sanitatem perfectam. *Psal. 118. c.8.v.2.* Quis igitur hæc videns, & contemplans non adhærebit Christo Iesu salvatori? Unde rectè subdit Propheta: *In Deo salutare meum, & gloria mea, &c.*

11. *Congregatio fidelium in Ecclesia invitatur ad Dei laudes : quæ sunt ipsi gratiores orationibus particularium : Ubi de sacris Confraternitatibus.*

Sperate in eo omnis congregatio populi , effundite coram illo corda vestra , &c. Nota, quod hîc invitatur multitudo congregata ad D.um laudandum,non persona particularis : sed cur hoc?Nonne,& quilibet est aptus ad Deum laudandum? Est quidem : sed tamen oratio multorum in nomine Domini congrĕgatorum speciali modo iovitatur ad Dei laudes,quia hæc est cæteris gratior , si est congregata per concordem consonantiam divinæ legis per unionem pacis,& consonantiam divinæ laudis. *Serm.1.Hexaem.* Vide igitur quàm laudabilis , & Deo chara est institutio sacrarum congregationum , seu confraternitatum , earumque munera qualia.

12. *Qui vult in oratione Deo placere debet effundere cor suum.*

Effundite coram illo corda vestra. Quid est effundere ? estne cor quoddam vas plenum liquore ? maxime : ut vero Deo placere possit, debet effundi,& ablui,& purgari omni turpitudine , & sorde peccati in oratione coram Deo. *Psal.* 78. effunde cor sicut vas non sicut lac , cujus color, non sicut vinum , cujus odor non sicut mel , cujus sapor ramanet , sed sicut aqua , ita ut nihil mali remaneat. *ser. 2. in rogat. In thren. c. 2. & op. 25. memor.& Vgo de S.Victore.*

13. *In oratione,& perfecta pænitentia quænam concurrant.*

Effundite coram illo corda vestra : Deus adjutor noster in æternum. Nota mysteria horum verborum , in quibus indicatur , quod sicut peccatum committitur cogitatiooe , locutione , & opere ; sic dum effunditur cor coram Deo contritum , & confitens, tria coovenium, os, manus ,& pectus, ut cogitatio ad pectus , locutio ad os , manus ad opus referatur : Ad quod sequitur etiam mentis hilaritas : Unde dicitur *Corda vestra* : humilitatis abundantia : Unde dicitur *effundite* : & humilitas ad Deum relata ; Unde dicitur *Coram illo* : & Deus tria in remonerando reddit : nempè adjuvando humilitatem ; unde dicitur *Adjutor* : sic enim adjuvaodo elevat per spem Animam ad Deum : superando humilitatis abundantiam uode dicitur : *Deus &c.Psal.61. & 118.cap.7.vers.15. & Sap.cap.12.*

14 Mendacium reddit hominem vanum sic dicitur hîc. *Vani filij hominum ; mendaces filij hominum in stateris,&c Psal.:5.Ecclen.c.7.*

15. Avaritia divitiarum reddit hominem vanum:ut exprimitur hîc: *Mendaces filij hominum in stateris,ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. serm.3.Dom.3 quadrages.& Op. Eccl. Hier.p.3.c.3.*

16. *Paupertas , quoad effectum omnibus Christianis præcipitur tamquam fundamentum primarium omnium virtutum.*

Nolite sperare in iniquitate &c. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Vide quomodò hæc verba diriguntur divitibus : Ut cognoscant , quod etiam ipsi, si volunt Christo placere debent diligere paupertatem,quoad affectum,ut extirpata cupiditate de corde , quæ est radix omnium malorum , plantetur in eis paupertas,quæ est primarium fundamentum omnium virtutum : Unde ad divites clamat Spiritus sanctus : *Divitiæ si affluant , nolite cor apponere. Serm.2.Dom.in oct. Pasch. & serm. 2. Dom.4.quadrages.& serm.1.de plurib.Confessor.*

17. *Prædestinati omnes debent esse discalceati : Calceati verò incedunt sequaces mundi , & Diaboli.*

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, &c. Cur ad divites hæc diriguntur , & noo etiam ad pauperes?Nonne & pauperes possunt cor apponere in divitiis,divitesque esse quoad effectum ? maximè quidem,sed nota,quod dicit: *Divitiæ si affluant*:scilicet vel realiter,vel mentaliter : Nota quod quidam sunt nudi, & discalceati:quidam discalceati, & non nudi : quidam nec nudi nec discalceati : quidam nudi,sed non discalceati : primi sunt,qui carent rebus temporalibus,nec io illis habent cor affectionis affixum:secundi , qui habent divitias , sed in illis non habent affectum:Tertij sunt , qui habent temporalia , & io eis cor affixum habent: Quarti sunt, qui carent temporalibus , sed tamen ea inordinatè desiderant : qui autem volunt Christum sequi ad Cœlum,etsi nudi non sint , tamen discalceati quoad affectiones debent esse:qui enim Diabolum sequuntur, non iocedunt discalceati , sed corde pleno cupiditate vivunt. *Serm.2. in die Pentecost.op Diæt.sal.tit.1.c.6.& In sap.c 8.*

18. *Generatio filij secundùm Divinitatem & secundùm humanitatem à Propheta cognita.*

Semel locutus est Deus : Duo hæc audivi , quia potestas tibi est, & misericordia. Quod est semel loqui Dei:hoc est,quia semel, scilicet ab æterno secundùm divinitatem genuit filium, qui in tempore genitus est secundùm humanitatem , in quo omnia Pater disposuit , & relucet potestas,& misericordia infinita, quibus reddet unicuique juxta opera sua. Nota etiam , quod dicit : *semel locutus est Deus* : licèt enim prænunciata fuerit generatio Christi in lege,& Prophetis : tamen vtraque ad idem tendebant, & idem prænunciabant. *l. 1. d. 6. op.q.3.& dist.27.p.1.art.1.quæst.2. & 3 & l. 3. d. 8. art.1.q.1.& Psal.61.& Luc c.13.v.26.*

19. In omni opere Domini relucet misericordia,& justitia : sic dicitur hic à Propheta addente,quod Deus ideò reddet unicuique secundùm opera sua. *l. 4. d. 46. art. 2. q.1. & Psal.118.cap.1. vers.4.*

20. *Iusti Deo non solùm recurrere debent, sed & Beatæ Mariæ Virgini tanquam Dominæ omnium.*

Nonne Deo subjecta erit Anima mea. Debes ergo subjectus esse Deo : sed attende , quod Maria Virgo Domina omnium creatorarum constituta, ideò & ipsi debemus esse omnimodo subjecti , & dicere : Noone Domina tibi subjecta erit Anima mea,quæ salvatorem omnium genuisti ; memento nostri perditorum salvatrix : exaudi planctus cordis nostri. *Op. Psalt.B.Virg.Psal.61.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

21. *In Maria sperandum tanquam in tutissimo refugio, & auxiliatrice unica omnium peccatorum.*

Sperate in eo omnis congregatio populorum: effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum. Hoc dicebat Propheta, sciens, quod Deus est unica spes nostra: hoc & potest dici, & dicitur de Maria Virgine: sperate in ea omnis congregatio populi, effundite coram illa corda vestra, quia ipsa est unica spes, refugium, consolatio, & adjutrix nostra: Dicamus ergo: Memento nostri perditorum salvatrix: exaudi planctus nostri cordis: Infunde gratiam de thesauris tuis, & unguentis tuis placa dolorem nostrum: Da nobis gaudium, & lætitiam, ut confundas bonorum inimicos: Ablue omnia peccata nostra: sana omnes infirmitates nostras. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 61.*

PSALMUS LXII.

Titulus: Psalmus David: Cum esset in deserto Idumeæ 1. Reg. c. 25.

1. PRIMÒ Nota, quod iste David significat fidelem, cui convenit morari in deserto hujus mundi, & sustinere multa mala, & persecutiones; ideò ad Deum, & ad cœlestem patriam suspirat, ut à tot malis liberetur.

2. *Qui à pœnalitatibus vult se liberare, ad Deum vigilet, & consurgat toto corde, & affectu.*

Deus Deus meus ad te de luce vigilo &c. Ecce quid facit hic justus, dum videt se obsessum à persecutionibus mundi per actus amoris consurgit ad Deum (nam illa replicatio, *Deus Deus meus*, est actus amoris intensi:) & hinc excitat Animam, ut evigilet, ardenter concupiscens Deum, ut à pœnalitatibus hujus vitæ liberetur, & regalibus nuptiis Deo uniatur. *op. Myst. Theol. c. 2. p. 2. in fine. & Psal. 11. & op. Incend. amor. c. 3.*

3. *Influentia gratiæ existentis in Anima, aliquando etiam redundat in carnem: Ubi de effectibus extremæ unctionis respectu sanitatis corporis.*

Sitivit in te Anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Ergone etiam caro sitivit sentiens influentiam gratiæ cœlestis? nonne hæc subjectatur in Anima, & non in carne? subjectatur quidem in Anima, & in ea suos peculiares effectus confert, sed tamen aliquando etiam Deus vult, ut redundet in carnem per diversos optimos effectus, qui in ipsa gignuntur: Sic etiam Extrema-unctio propriè producit effectus suos in Anima, sed tamen ex abundantia pietatis Deus facit, ut aliquando redundent in sanitatem corporis. *l. 4. d. 23. a. 1. q. 1. ad ultim.* Sic legitur de B. Patre Francisco, quod aliquando in oratione corpus ejus à terra sublevabatur: sic, & de cæteris sanctis.

4. *Sitis Animæ alia bona, alia mala.*

Sitivit Anima mea in te &c. Nota, quod in siti considerantur tria, scilicet pœna, desiderium liberationis ab ipsa siti, & delectatio, quæ ex potu provenit: hoc potest esse in Anima benè, & malè: nam Anima fit arida aliquando ex devotione, quæ quia cocta est, & perfecta solidat ipsam Animam, & ipsam accendit amore, & desiderio Dei: Aliquando verò est ex defectu, & siccitate humoris gratiæ divinæ, & hæc torquet Animam, & corpus: de prima loquitur vir justus, dicens: *sitivit in te*; nota, (*in te*) scilicet in Deo, ejusque affectu. *Psal. 62.*

5. *Iusti habitant in terra deserta, invia, & inaquosa: diabolus quærit umbram in his locis.*

In terra deserta, invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi &c. Nota, quod Psalmista connectit terram desertam cum loco sancto. Ergone tantùm deserta sunt loca sancta? Respondetur: quod mysticè per terram desertam, inviam, & inaquosam intelligitur Anima, in qua non viget carnalitas, aut concupiscentia, quæ cum Deo sic se præsentat, offert ipsi locum sanctum: diabolus verò ambulat circa hæc loca, quærens in illis umbram, scilicet negligentias inserere, vel fontem contumeliæ fabricare, ut ibi possit requiescere. *In Luc. c. 11. vers. 24.*

6. *In Ægypto habitant Impii: In deserto justi.*

In terra deserta &c. Nota ex hoc discrimen, quod est inter Deo servientes, & mundo, nam illi habitant in deserto; isti in Ægypto, Desertum autem est vita innocens, & religiosa. *Psal. 62.*

7. *Desertum est locus valdè aptus ad exercitium sanctitatis.*

In terra deserta, & invia &c. sic in sancto apparui tibi. Quid est in sancto? scilicet in sancto loco, vel in sanctitatis exercitio, nam desertum est locus asperitatis ad exercendam abstinentiam corporalis sanctificationis: locus despicabilis ad confundendam jactantiam sæcularis ambitionis, & locus despicabilis ad suppeditandam avaritiam exitialis aggregationis rerum temporalium, est & locus sanctorum aptior ad orationem, quia remotus à conversatione mundanorum. *sermon. 2. Dom. 1. quadrag. Psalm. 77.*

8. *Qui ad orationem ferventem confugit repletur pinguedine spirituali.*

Quoniam melior est misericordia tua; labia mea laudabunt te &c. sic benedicam te &c. sicut adipe, & pinguedine repleatur Anima mea &c. Nota, quod Adeps est pinguedo interior, & hac metaphora utitur Propheta, ut significet, quod qui ad locum orationis secedit, & in meditationibus divinæ legis se exercet, illuminatur in mente interiori sapientia, repletur lætitia sempiterna, & in deliciis spiritualibus vitam degit. *Psal. 61.*

9. *Laudans Deum ore, & corde deliciis ſpiritualibus repletur.*

Labia mea laudabunt te in vita mea, & in nomine tuo levabo &c. ſic benedicam te &c. Nota hic, quod dicit *labia mea*: & addit *levabo manus meas &c.* Ut videas, quod ad Deum laudandum requiritur non ſolùm concurſus labiorum corporis, ſed & operum, & cordis: ſic enim contritione, confeſſione, & devotione Anima Deum laudans & pſallens repletur adipe conſolationum ſpiritualium. *Pſal.* 62.

Vide ergo, quod levare voces ad Deum parum prodeſt, niſi etiam manus ad operandum leventur: levandæ, inquam, ſunt manus in nomine Domini, non in nomine diaboli: ſcilicet non ad malum, & peccatum in ſocietate diaboli, ſed ad ſubveniendum proximis, ad implendum mandatum charitatis: Sic enim manus levantur in conſpectu Angelorum ad Cœlum. *ſerm.* 1. *Dom.* 13. *poſt Pentecoſt.*

10. *Actus exteriores in oratione aliquando indicant, & ſimul adjuvant internos.*

Sic benedicam te in vita mea. Et quomodò benedicam? levabo manus meas? Vide quomodò in oratione vir juſtus etiam actus exteriores copulat, quia vel ſunt ſigna devotionis interioris, vel aliquando hanc adjuvant ad levandam Animam in Deum. *Pſal.* 118. . . *v.* 1.

11. *Mane offerre debemus Deo orationes noſtras ſuper ſtratum aſperitatis, & devotionis internæ.*

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus. Ergone in deſertis habitatis David cubabat in ſtrato? Et quomodò ſuper ſtratum cubans orationes ſuas fundebat, & non potiùs ſuper terram jacens? Sed nota, quod hic per ſtratum intelligit aſperitatis vitam: ſimulque Animæ devotionem, qua quieſcebat orando ad Deum, & dicit, quod in matutinis meditabatur, quia initium diei, operum, & virtutum Deo offerebat: per quod ſignificatur, quod initium, & finem noſtrorum operum debemus Deo offerre, & in ſtrato bonæ conſcientiæ quieſcendo orare. *Pſal.* 61.

12. *Dextera Dei potius, quàm ſiniſtra debemus adhærere.*

Me ſuſcepit dextera tua. Cur non ſiniſtra? Dextera: quia delectationes cœleſtes habet Deus in dextera: temporalia in ſiniſtra: Dexteræ igitur potius, quam ſiniſtræ Dei debemus adhærere. *ſer.* 18. *Hexam.*

13. *Chriſtus victorem ſe oſtendet poſt diem judicii in Dæmones, & impios.*

Ipſi verò quæſierunt Animam meam &c. introibunt in inferiora terræ. Hic loquitur de Dæmonibus, & impiis perſecutoribus juſtorum, de quibus dicitur, quod poſt diem judicii Chriſtus victor erit, eos ponens ſcabellum pedum ſuorum, tradens eos in manus gladij, & faciens partes vulpium, ſcilicet Dæmonum, nimirum torquens eos cum Dæmonibus, qui ut vulpes ſuis fraudulentiis ſeduxerunt in vita ſua. *Op. lignum Vitæ. Tit. Ieſus Victor &c.*

14. *Bona opera juſtorum obſtruunt ora loquentium iniqua.*

Obſtructum eſt os loquentium iniqua &c. Sic, ſic continget in judicio, ſicut & Chriſtus ſuis operibus ſanctis obſtruxit os loquentium iniqua: ſic & bona opera juſtorum confundunt perſecutores, & ſuos detractores. *Op. medit. Vita Chriſti c.* 85. & *ſerm. de S. Eliſab. &c.*

15. *Maria Virgo eſt lux nos vigilare faciens ad Dei obſequium.*

Deus Deus meus ad te de luce vigilo &c. Cur de luce, & non etiam de nocte? De luce: Maria Virgo eſt lux fidelium eos illominans, & vigilare faciens ad Dei obſequium. *Op. in ſalve*: lux, inquam, & ſplendor orientalis. *Op. Litaniæ.* *Applicatur ad Mariam Virginem.*

16. *Maria Virgo Virga vigilans nos vigilare faciens, & reſurgere ad ſtatum gratiæ.*

Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Nota, quod de luce dicitur juſtus vigilare: & ut ſcias, unde hæc vigilantia prodeat, transfer meorem ad verba Hieremiæ dicentis: *Virgam vigilantem ego video*: Scilicet Maria Virgo eſt Virga vigilans, ſcilicet nos vigilare faciens: *Sic ex Vega.* Virga enim eſt Beata Virgo, Virga virtutis Dei. *Op ſpecul. B. Virg lect.* 3. Unde quilibet devotus poteſt dicere Deus, Deus meus ad te de luce vigilo, quia per matrem te glorificabo. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 62.

17. *Beata Virgo Maria immunis fuit à concupiſcentia fomite.*

In terra deſerta, & invia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi. Quænam connexio eſt iſta inter terram deſertam, & locum ſanctum? Sed attende, quod hæc terra deſerta, invia, & inaquoſa myſticè eſt Beata Virgo Maria, quæ fuit immunis ab omni carnalitate, & fomite concupiſcentiæ, itaque eſt cum tali extinctione: Ideò locus ſanctus dicitur; & hinc poteſt exponi in perſona Chriſti, qui in hac terra natus apparuit in ſancto, & ſanctiſſimus: poteſt & exponi in perſona fidelis ad Deum per Mariam Virginem recurrentis. *In Luc. c.* 11. *v.* 14. Hinc ad Mariam poteſt quis dicere: Benedicta ſis à Domino noſtro, & pro nobis aſſiſte ante Thronum Dei: ſpecies, & claritas in conſpectu tuo: Cuſtodi Animam meam Domina, ut numquam corruat in peccata. *Op. Pſalt. B. V. Pſ.* 62.



PSALMUS LXIII.

Titulus: In finem: Pſalmus David.

1. PRIMÒ nota, quod iſte Pſalmus dirigitur ad Chriſtum, de cujus paſſione & reſurrectione agitur, ut nos excitemur ad habendam ſpem in Chriſto in tribulationibus noſtris.

2. *Oratio*

2. *Oratio cum humilitate, assiduitate, & affectuositate meretur exaudiri.*

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, à timore inimici eripe me &c. Nota, quod volens liberari justus ab inimicis, dicit, se fundere deprecationem; quia oratio differt à deprecatione, quod illa est pro bonis adipiscendis: Ista pro malis amovendis: Sed cur veluti imperativè loquitur dicens: *Exaudi &c.* Quia deprecatio exigit humilitatem, assiduitatem, & affectuositatem, quibus concurrentibus meretur exaudiri. *Psalm 118. cap.11. vers.9. & Psalm.63. & in sap. cap.18.*

3. *Deus oranti, & deprecanti cum humilitate, & affectu est velamen contra arma inimicorum.*

Unde dicitur hic: *Protexisti me à conventu malignantium.* Quasi velamine vel potiùs scuto tutissimo. *Psal.60.*

4. *Prædicuntur persecutiones Christi, & tormenta ipsius passionis.*

Protexisti me Deus à conventu malignantium &c. quia exacuerunt linguas &c. Hæc dicuntur in persona Christi existentis in passione, maximè ad sextam horam, in qua passus est longum, & durum bellum: tunc enim circumdederunt eum canes multi: Consilium malignantium obsedit eum, qui dire, & ut gladius bis acutus exacuerunt in eum linguas suas, & manus *Op. Meditat. Vita Christi c.74.*

5. *Detractorum malitia expenditur, & quàm Deo exosa.*

Firmaverunt sibi sermonem nequam: narraverunt ut absconderent laqueos &c. Nota hic, quod Propheta loquitur de detractoribus, qui detrahentes proximo, assuescunt firmiter se in hoc vitio, quod vitium vertitur in naturam: & hinc dixerunt per mutuæ voluntatis insinuationem, ut abscondant laqueos, nempè sub zeli justitiæ simulatione, & spiritu sanctitatis vitæ propter fraudulentiam, & dolum, infamando, in fama lædendo, & in personis damnificando, in rebus alios: In quos laqueos frequenter incidunt innocentes: Istique tamquam iniqui sunt maximè Deo exosi. *Serm.4.Dom.21.post Pentecost.& Ps.118. c.7.v.13.& Psal.63.*

6. *Iniqui scrutàntur iniquitates proximi ad ipsum infamandum: Confessarii ad sanitatem animæ.*

Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Nota, quod hic loquitur de impiis, qui scrutantur peccata proximi ad ipsum infamandum: E contra confessarii prudentes scrutantur ad salutem proximi. *l.4.d.10. dub 5.* Illi deficiunt in cognitione Dei: Isti proficiunt. *Psalm.70.*

7. *Qui audet Deum comprehendere, tamquam temerarius à Deo confunditur, & ab ipso elongatur: appropinquat autem humilibus.*

Defecerunt scrutantes scrutinio: Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Nota, quod hic loquitur de iis, qui temerariè volunt in Deum ingredi, & quæ sunt abdita Dei perscrutari: Isti enim confunduntur à Deo, quia accedenti ad Dei perscrutationes Deus exaltatur, & elongatur: Altus enim est Deus elèvas te, & fugiet à te; humilias te, & veniet ad te. *Psalm.70. & in Ecclem. c.8.in fine, & in Psal.67. & 58.*

8. *Deus dicitur exaltari in nobis, & nos in Deo in bonum, & malum.*

Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Nota, quod hic textus potest sumi in bonum, & in malum: qui enim cum humilitate accedit ad Deum, ejusque cognitionem, exaltabitur, & Deus dicitur in eo exaltari in bonum: qui cum superbia accedit ad Deum, & Deus ab eo elongabitur *Psal.38. in tit. Psal.120.& 67.& serm.3.de uno confess.*

9. *Qui contra proximum detrahunt, contra seipsos concludunt.*

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Ecce digna punitio: qui enim aliis detrahunt, contra seipsos tandem concludunt. *In sap. c.5.* quod enim aliis fecerunt, ab aliis experiuntur.

10. Christus misit Apostolos, ut prædicando Evangelium, opera Christi manifestarent, & errores hominum destruerent: Unde dicitur hic: *Annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt:* Sicque facta hac bona nuntiatione Evangelii, opera Dei mirabiliter manifestata sunt. *In Luc. proœm.& c.8.v.54.*

11. *Excitatur anima ad habendam spem; & ad recurrendum ad Beatam Virginem in tribulationibus.*

Exaudi Deus orationem meam &c. Si ut supra dictum est, invitamur ad spem collocandam in Deo in tribulationibus: Ergo & ad Mariam Virginem: Dicamus ergo: Exaudi Domina orationem meam cum deprecor, à pavore crudelis libera animam meam: Impetra nobis pacem, & salutem in die novissimo: Benedicta sis super mulieres, & benedictus sit fructus ventris tui: Illumina Domina oculos meos, & illustra cæcitatem meam: Da mihi in te confidentiam bonam, in vita, & fine meo. *Opusc. Psalt. Beatæ Virg. Psalm.63.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*



PSALMUS LXIV.

Titulus: In finem: Pſalmus David: Canticum Hieremiæ, & Aggæi, & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

1. PRIMÒ nota, in hoc Pſalmo David prædicare reditum populi à captivitate Babylonica, quem prædixerunt Hieremias, & Ezechiel, & Aggæus: Myſticè agitur de reditu à captivitate peccati ad ſtatum ſalutis, de quo exultant ſancti laudes Deo canentes: Et quia iſte reditus fuit poſt ſeptuaginta annos; hinc Eccleſia celebrat ſeptuageſimam, quam terminat in ſabbato in Albis: poſt quam captivitatem expectamus gloriam. *Sic Gloſſa.* Sabbatum verò in albis ſic dicitur, quia baptizati in ſabbato ſancto tunc deferebant veſtes albas uſque ad hoc ſabbatum, quod ſignificat innocentiam per paſſionem, & Reſurrectionem receptam. *Pſalm. 64.*

2. *Solùm in Hieruſalem, vel in Sion offertur dignum ſacrificium Deo.*

Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem. Cur in Sion, & in Hieruſalem? quia ſolùm Sion, & Hieruſalem eſt locus offerendi Deo hymnum, & ſacrificium, & decimam: extra autem non eſt Deo acceptum tale ſacrificium: Sion interpretatur ſpecula, & Hieruſalem locus pacis, ſignificatque Eccleſiam militantem, & etiam triumphantem, & in hac ſolùm, non extra, poteſt offerri dignum ſacrificium. *Pſal. 64. & Pſal. 118. c. 11. v. 11.*

3. *Oratio fuſa cum fiducia ad Deum meretur exaudiri.*

Unde hic ad Deum juſtus recurrit, dicens: *Exaudi orationem meam*: & addit: *Ad te omnis caro veniet*, quia per orationem ad Deum fit reverſio à peccato per ſuggeſtionem diaboli factam Adæ, & Evæ perpetrato: ideò ſubdit, *verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos &c. Pſal. 64.*

4. *Chriſtus ut homo electus, & aſſumptus eſt à Verbo.*

Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti &c. Hic Theologi movent quæſtionem: An in Incarnatione poſſit dici, quod Verbum aſſumpſerit hominem, ſicut videtur hic aſſerere Propheta: Cui reſpōdetur quod ſic, ſumendo hominem non de ſe perſonatum, ſed prout dicit humanitatem individuatam tantùm: talis autem homo beatus fuit ab inſtanti Conceptionis. *l. 3. d. 5. a. 2. q. 4. ad 1. & Pſal. 28. in fine, & ſer. 5. Dom. 1. quadrag.*

5. *Felicitas eorum, qui à Deo ſunt electi, qualis.*

Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti: Inhabitabit in atriis tuis &c. Nota, quod dicit, *elegiſti*, poſtea, *aſſumpſiſti*, ut videas hic loqui de electione ad prædeſtinationem, & gloriam: hæc enim fert ſecum glorificationem finalem; & ideò meritò beatus dicitur ſic electus, & aſſumptus. *In Ioan. collat. 70.*

6. *Electio, & aſſumptio hominis ad vitam ſpiritualem, quàm pretioſa: Ubi de vita activa, & contemplativa.*

Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti &c. Quis eſt, de quo hic loquitur Propheta? Nota, quod loquitur primariò de humanitate Chriſti, ut dictum eſt: loquitur etiam de quolibet vocato ad vitam ſpiritualem: Iſte enim beatus eſt, quem elegit Deus ad ſtatum actionis per exercitium bonæ actionis, & operationis, & aſſumpſit ad ſtatum contemplationis per augmentum dilectionis: iſte habitabit in atriis Dei, ſcilicet per continuationem devotæ orationis: Ut hinc videas, quod exercitium vitæ contemplativæ, ſupponit exercitium vitæ activæ. *ſer. 4. Dom. 1 quadrag.*

7. *Electio divina alia eſt ſecundùm veritatem; alia ſecundùm reputationem, & præſentem juſtitiam.*

Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis. Ergo ſi beatus eſt omnis electus à Deo, quomodò Judas à Chriſto electus eſt damnatus? Sed nota, quod duplex eſt electio: alia ſecundùm veritatem, & æternitatem: alia ſecundùm reputationem tantùm, & præſentem juſtitiam: De prima verificantur ſupradicta, quia involuit merita, & promittit præmium; in quibus duobus conſiſtit beatitudo hominis in præſenti, & futuro: De alia autem præcisè iſta non verificantur, non ex defectu Dei, qui in tali electione exhibet etiam auxilia neceſſaria, ſed ex defectu hominis non volentis liberè uti talibus remediis. *ſerm. 1. de S. Matthia, & Pſalm. 64.*

8. *Electio alia eſt mundi, & vana; alia Chriſti, & beata.*

Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti &c. Nota, quod dicit; elegiſti tu ô Deus, non mundus, mundus enim eligit, & confidit in potentia, & in opulentia, & ideò eligit ad honores nobiles, & potentes: eligit judices, & ſapientes: divites, & abundantes, quæ eſt vana, & tranſitoria: Chriſtus verò, qui eſt ſummè potens, & ſapiens, ſummè dives non formidat humanam potentiam, ſapientiam, & opulentiam, & ideò eligit ad ſui Apoſtolatum, infirmos, ignobiles, & ſimplices, paupereſque, ut ejus potentia, ſapientia, & opulentia ſumma magnificaretur. *ſer. 2. S. Matthiæ.*

9. *In Gloria Anima repletur omnibus bonis, expletque omnia ſua deſideria.*

Replebimur in bonis domus tuæ. Ecce quid expectat Juſtus; nempè repletionem omnium bonorum, quibus ſatiari poſſet omne deſiderium, quod ſolùm obtinetur in gloria. *In Ioan. c. 17. v. 14.* Nota autem, quod dicit, *replebimur in bonis*; ſcilicet omnibus bonis, bonis inquam totius Trinitatis, bonis Angelorum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum: ô gaudium quàm magnum erit hoc, verè plenum corde, plena mente, plena Anima, pleno toto homine tanto gaudio. *ſerm. 2. Dom. 4. poſt Octav. Paſcha.*

10. *Eccleſia*

10. *Ecclesia Catholica est domus Dei repleta pluribus bonis.*

Replebimur in bonis domus tua. Quæ est hæc domus Dei? & quænam ista bona, de quibus hic est sermo? Domus hæc est Ecclesia Dei, quæ à Christo repleta est familiæ abundantia, quia ad ipsam omnes vocati sunt: repleta est sono prædicationis, clamore orationum: item repleta est bonis spiritualibus, sacramentalibus & temporalibus; item & odore suavissimo virtutum, exemplorum, ut quilibet possit his bonis repleti. *ferm.4.Dom.2.post Pentecostem.*

11. *Christus est Templum plenum omni sanctitate.*

Sanctū est Templum tuum, mirabile in æquitate, &c. Nota hic loqui de Christo de quo dicitur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; Sanctus quoad corpus, quod est Templum spirituale plenum sanctitate. Sanctus anima, quia plenum gratia, & Sanctus Divinitate *Serm.1.Domin.Trinit.*

12. *Repletio spiritualis multipliciter in domo Dei obtinetur.*

Replebimur in bonis domus tuæ, &c. Ergo nè hæc repletio bonorum in domo Dei erit omnibus justis uniformis? nonnè in domo Dei sunt multæ, & diversæ mansiones, & gratiarum distributiones? sed attende mirabilem Dei multiplicem influentiam. Alij replentur ad indigentiam tollendam (& hoc per gratiam) alij ad sufficientiam per dona Spiritus Sancti, alij ad satietatem, & hoc in gloria, ubi est repletio divinitatis, & omnium bonorum. *Psal.64.*

13. *Mundus est mare, in quo navigant homines, indigentque speciali auxilio Dei.*

Exaudi nos Deus salutaris: spes omnium finium terræ, & in mari longè. Nota illud additum, *& in mari longè*: ut discas, quod mundus iste est mare, tum propter amaritudinem, tum propter commotionem, tum propter instabilitatem, & ideò homines in hoc mari navigantes indigent speciali Dei auxilio, quia sine ipso nihil boni possunt: hinc recte ad Dei auxilium recurrit justus, navigans in hoc mari dicens, exaudi nos Deus. *Psal.64.*

14. *Sancti sunt montes mystici Ecclesiæ.*

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia. Qui sunt montes isti, quos Deus continuè præparat, & præparando demonstrat suam potentiam? Isti sunt sancti, qui dicuntur montes: primò, quia primò recepetunt radios fidei, & luminis cœlestis, ex quibus postea derivat in nos, & hinc secundò sunt montes, quia nos defendunt ab impugnationibus Hostium, tanquam munimenta nostra. *Psal.64.*

15. *Signa Christi Crucifixi qualia; alijs sunt ad salutem, alijs in damnationem.*

Turbabuntur, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis, &c. exitus matutini, &c. Quænam sunt ista signa Christi, ob quæ turbabuntur, & quinam sunt, qui turbabuntur, & timebunt? Nota, quod signa Christi sunt humilitas, paupertas, & pœnalitas, Crux item, quæ licèt bonis sint in salutem, malis tamen, qui habitant terminos, idest qui à medio virtutis ad extrema vitiorum deflectunt, sunt in damnationem, & in die judicij erunt in terrorem, sicut & signa præcedentia ipsum judicium finale. *ferm.4.Dom.14.post Pentecosten, & ferm.1.in dedicatione.*

16. *Sacræ scripturæ visitatio divina, & germinatio qualis.*

Visitasti Terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam: flumen Dei repletum est &c. Nota, quod per Terram intelligitur mysticè sacra scriptura nobis exposita in terra; hanc Deus visitat sua influentia, per quam germinat, & producit fructus uberrimos quantum ad sensum allegoriæ, tropologiæ, & anagogiæ: unde nobis vivit, & viget, & abundat, & hinc dicitur Christus visitasse terram, scilicet doctrinam sacram exhibendo, & per eam nos illuminando. *ferm.14. Hexaem. in Lucam c.1.v.79.*

17. *Anima nostra à Deo multis gratiis cumulatur, & ideò comparatur terræ exculta.*

Visitasti terram &c. Idest animam nostram; sicut enim terra visitatur, quando aratur, seminatur, fœcundatur & messis colligitur, sic Christus visitat animam nostram, nempè aratur, quando per prædicationem à vitiis purgatur, seminatur, quando recipit semen Verbi divini, fœcundatur rore gratiæ: & tunc messis colligitur, & grana à paleis separata in horreis cœlestibus transferuntur. *Psalm.64. & in Lucam c.1.v.79.*

18. *Verbum Incarnatione visitavit terram sumens carnem ex Virgine.*

Sic dicitur hic: *Visitasti terram, & inebriasti eam*; Quia per Incarnationis visitationem inebriavit naturam humanam rore Cœli, & divinæ gratiæ. *In Lucam cap.1.v.68.*

19. *Pœnitentia flumen à Christo effluit, quo anima lavatur à peccatis, & repletur gratia Dei.*

Flumen Dei repletum est aquis &c. Ecce quid consequitur ad visitationem Christi, nempè flumen Dei repletum aquis: quid est hoc flumen repletum aquis? hoc est flumen pœnitentiæ à Christo fonte procedens, quo anima à sordibus abluitur, & purgatur, & ad videndum lumen desuper veniens disponitur, & habilitatur. *Op. Eccles. Hier. p. 4. cap. 6.* Dicitur autem pœnitentia flumen, quia cor fluens in lachrymas, etiam devotionem influit, & replet bonis cœlestibus animam. *In Ioan. collat. trigesimanona.*

20. *Eucharistia est cibus cœlitus paratus nobis à Christo.*

Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus, &c. Vide, quod ad visitationem factam à Christo

Christo in Incarnatione facta est præparatio tibi: & quis est iste cibus? Cibus descendens ex flumine divinæ gratiæ: estque Sacramentum Eucharistiæ cælitus paratum, quia virtute cælesti conficitur. *In sap. c.16.* Hinc patet, quod institutio hujus Sacramenti fuit veluti finis omnium operum Christi.

21. *Duplex annus homini exhibetur, scilicet remissionis in hoc mundo, & glorificationis in futuro.*

Benedices corona anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur &c. Quis est iste annus benignitatis divinæ? Sed transfer mentem ad annum Jubilei, de quo. *Levit 25. & Deut. 15.* Ubi duplex annus Jubilei in figura promittebatur homini: alter est in hac vita per remissionem peccatorum; alter in alia vita per collationem omnium bonorum; hic autem dicitur benignitatis, quia superat annum meriti, quia supra condignum remunerabuntur boni. *In Lucam c.4. v.19.*

22. *Idem fusius confirmatur.*

Benedices corona anni benignitatis tuæ &c. Cur dicitur corona anni benignitatis Dei? Nota, quod triplex annus in sacra Scriptura proponitur, primus est æquanimitatis, estque exultantium in mundo, isteque habet dies, & noctes, scilicet bonos, & malos, sed bonis est ad meritum: Secundus est ejulantium in inferno, & habet solas noctes, idest solos peccatores noctibus tenebriores: tertius est exultantium in Cœlo, & habet solos dies, scilicet solos bonos die clariores, ubi coronantur benignissimè. *Opusc. spec. B. Virg. lect.14.*

23. *Benedictio Dei in hominem, & hominis in Deum qualis.*

Benedices corona anni benignitatis tuæ &c. Hic quæritur, in quonam consistit hæc benedictio? Nota, quod hæc est benedictio compensativa, scilicet Dei ad coronam, seu benedictionem hominis: Homo enim Deum benedicit, & Deus hominem: homo Deum benedicit laudando, prædicando, peccatum confitendo: Deus benignissimè hominem benedicit, ei peccata remittendo, gratiam conferendo, & perseverantiam donando: ô qualis est hæc benedictio divina. *Psalm. 64.* Qualem igitur te ostenderis Deo, talis erit tibi Deus.

24. *Verbo divino Deus replet omnibus bonis Ecclesiam.*

Benedices corona &c. & campi tui replebuntur ubertate. Quænam est hæc ubertas, quæ ex benedictionibus Domini redundat? Ubertas hæc principaliter provenit ex benedictione Verbi Dei, quod primò seminatum est in Angelis, secundò in hominibus, tertiò in Judæis, quartò in gentibus. Angelis in Cœlo Evangelizatum est Verbum Dei in ratione exhibitione præcepti naturæ: Adæ & uxori in Paradiso in voce mandato disciplinæ: Judæis in deserto præcepto circumcisionis, & gentibus in toto mundo per Incarnationem: primum rationi intus: secundum foris in auribus; tertium in oculis: quartum in manibus; & quintum in Christo humanato. *Psal.64.* Sicque verificatum est, quod dicit psaltes, *& campi tui replebuntur ubertate &c.*

25. *Gratia pinguedo, & gaudium spirituale quale à Deo tribuitur certantibus contra vitia.*

Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. Nota, quod mysticè per desertum intelliguntur justi pœnitentiam in hac vita agentes: per colles viri virtutibus eminentes, istisque pinguedo spiritualis in corde, & exultatio spiritualis in abundantia confertur, maximè dum exultanter certamen contra hostes aggrediuntur. *Psal.77. & Psal.118. c.7. v.15.*

26. *Sola humilitas ad cibum vitæ, & ad Deum dignè laudandum admittitur.*

Valles abundabunt frumento: clamabunt etenim hymnum dicent &c. Cur valles solæ abundant frumento, & quomodò valles dicuntur clamare? Nota, quod per valles intelliguntur humiles & ideò significatur, quod sola humilitas frumento, scilicet cibo cœlesti abundat, & admittitur ad dignè Deum laudandum, cum Angelis. *Psal.82.& 118.c.21. v.11.& 140.& in Lucam c.3.v.5.*

27. *Ecclesia post Deum tota est in laudando Mariam Virginem.*

Te decet hymnus Deus in Sion &c. Supra dictum est, quod solùm in Ecclesia est vera, & digna laus Dei: sed nota, quod Ecclesia post Deum tota incumbit in laudibus Mariæ Virginis: unde ad ipsam dici potest: Te decet hymnus domina nostra in Sion, laus, & jubilatio in Hierusalem: quia benedictionem omnium gentium dedit tibi Dominus, laudem, & gloriam ante conspectum populorum. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm.64.* Applicatio ad Mariam Virginem.

28. *Sicut Christus à Deo electus, & assumptus est ad unionem Verbi: sic Beata Virgo electa, & assumpta est super omnes Angelos.*

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis. Hic ad litteram loquitur de Christo, qui solus electus est, & assumptus ad unionem Verbi; sed post Christum suo modo dicitur de Maria Virgine, quæ electa, & prælecta fuit super omnes creaturas à Deo ad maternitatem divinam, quam Deus benedixit in misericordia sua, & thronum suum constituit super ordines Angelorum. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psalm.64.* Nota etiam, quod Deus inter omnem creaturam rationalem, elegit humanam; inter omnem humanam elegit Mariam Virginem, tamquam unicam columbam, & omnium ditissimam, & sanctam. *Ser.5. Dom.1. Quad.*

29. *Deus contra verba iniquorum apposuit gratiam in labiis Mariæ.*

Verba iniquorum prævaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis. Nota consequentiam verborum: nam positis verbis iniquorum contra nos, sequitur propitiatio nostris iniquitatibus:

ratibus: Sed qua consequentia? Nota, quod verbis iniquorum, & dæmonum opposuit Deus labia sancta: nempè gratiam & decorem posuit in labiis Mariæ, ut ad prolationem verborum Mariæ, Deus propitiaretur iniquitatibus nostris, quia mel, & lac in ore ejus maximè quando in illa verba prorupit: *Ecce Ancilla Domini. Opuscul. Psalt. Beata Virg. Psalm. 64. & opusc. spec. Beata Virg. l. 2. & 10.*

30. ***Maria Virgo domus mystica, in qua reposita fuit arca Domini, & omne bonum.***

Replebimur in bonis domus tuæ &c. Nota, quod hæc domus mysticè est Beata Virgo Maria significata in domo Hobededom, *ex Regum 2 c. 6.* in qua reposita fuit arca, & manna, scilicet Christus Deus, & homo, propter quem Deus benedixit huic domui, replendo eam omnibus bonis, ut nos repleri possemus. *Opusc. spec. Beatæ Virginis lect. 14.* Nota etiam, quod Maria dicitur domus, & templum Dei: domus Christi, quia ad ipsius ut hominis indigentiam servivit; templum, quia per eam Christus honoratur, & recolitur continuè in Ecclesia ab omnibus fidelibus & Angelis.

31. ***Christus & Beata Virgo corona sunt omnium fidelium, & sanctorum.***

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui &c. Nota, quod per annum intelligitur, ut dictum est, omnium justorum, & Beatorum Congregatio, qui veluti dies lucidissimi constituunt annum completum. Corona autem sanctorum, & Angelorum est Christus, & Beata Virgo, ex quorum meritis coronantur in Cœlo gloria cælesti. *Op. spec. B Virg lect. 14.*

32. ***Maria Virgo locata in Cœlo super omnes Angelos, tamquam omnium corona.***

Benedices coronæ anni &c. Nota, quod Beata Virgo locata est in assumptione super omnes Cœlos tamquam corona omnium: unde Deus coronam radiantem posuit in capite suo, & virtutum monilibus eam ornavit, ut gloriosior corona esset sanctis, & Angelis. *Opusc. spec. B. Virg. lect. 14. & op. Psalt. B. Virg. Psal. 64.*

33. ***Christus visitavit nos intrando in Mariam.***

Visitasti terram, & inebriasti eam &c. Nota, quod Deus visitavit terram, scilicet humanitatem nostram, quando intravit in Mariam: ergo per Mariam visitatio Dei ad nos advenit, ex qua omnis benedictio provenit, & campi Ecclesiæ replentur ubertate omnium bonorum. *In Lucam cap. 1. vers. 68. & 71. & opusc. spec. B. Virg. lect. 14.*



PSALMUS LXV.

Titulus: In finem: Canticum Psalmi Resurrectionis.

1. PRimò nota, quod cum supra egerit Propheta de transmigratione à peccato in libertatem filiorum, hic agit de transmigratione populi Dei in supernam Hierusalem, quæ jam in capite Christo facta est in sua resurrectione, & in nobis facienda est in generali resurrectione: & ideò hic Psalmus dirigitur in finem scilicet in Christum, tamquam in causam, & consummationem vitæ æternæ per resurrectionem, de qua exultatio in nobis excitatur, ut benè operemur expectantes hanc resurrectionem consimilem. *Psal. 65. & Ugo Cardinalis hic.*

2. ***Consideratio operum Dei excitat ad exultationem cordis, & laudandum Deum.***

Iubilate Deo omnis terra &c. venite, & videte opera Dei &c. Vide, quomodò Propheta proponit opera Dei, ut ea perpendentes excitemur ad exultandum, & Deum laudandum, quia ejus opera manifestativa sunt divinæ gloriæ, gratiosa nobis, & excitativa ad actionem gratiarum. *In Luc. c. 13. v. 17.*

3. ***Deus mirabiliter in anima justi convertit mare in aridam, ut fructificet.***

Qui convertit mare in aridam. Nota, quod Propheta excitat nos ad Deum laudandum in suis operibus, inter quæ hoc est mirabile, nempe quia convertit mare in aridam, sicut enim in principio mundi Deus separavit aquas à terra, ut hæc daret fructum suum, sic continuè in anima nostra vult ut separemur à fluxu vitiorum, nam in ipsis involuta non potest ferre fructum bonum, at ab ipsis separata dat bonos fructus suos. *Psalm. 18. & 65.*

4. ***In aquis peccatorum alii pertranseundo merguntur: alii sicco pede pertranseunt.***

In flumine pertransibunt pede &c. Nota, quod hic docet justorum felicitatem in transitu per mare hujus sæculi, qui pertranseunt sicco pede, & uti fuerunt Christus, & Beata Virgo, qui sine peccato fuerunt: Alii merguntur, & submerguntur ex toto per damnationem: Alii merguntur sed non ex toto, quia peccata sua per pœnitentiam superant. *Psalm. 65.*

5. Deus habet primitatem imprincipiabilem in essentia, & virtute. *Qui dominatur in virtute sua in æternum.* Quid est dominari in virtute sua, nisi quia Deus habet primitatem imprincipiabilem; ideò consequenter dominatur in virtute sua, quæ est idem cum essentia. *Opusc. Principium S. Script.*

6. ***Ingratitudo Deo exosa, ipsum valdè exasperat.***

Qui exasperant non exaltentur in semetipsis. Qui sunt isti exasperantes? isti sunt ingrati Deo, sicut

Dd fuerunt

fuerunt Judæi,qui ingratitudine,& in dictis & in factis Christum exaſperaverunt; ſic omnis ingratus Deo, Deum exaſperat. *Pſal.65.*

7. *In hac vita juſti anima exponitur ad mortem; in alia ad vitam.*

Qui poſuit animam meam ad vitam Quid eſt ponere animam ad vitam? Nota,quod hic eſt juſtus, qui loquitur,& dat intelligere, quod in hoc mundo exponitur ad mortem, ſcilicet pœnalitatum, ut poſt hanc vitam temporalem exponatur ad vitam æternam. *Pſalm.65.*

8. *Felix qui à Deo non permittitur commovers in malis tentationibus.*

Et non dedit in commotionem pedes meos. Nota, quòd inter beneficia à Deo recepta juſtus enumerat hoc, ſcilicet quia non commoti ſunt ejus pedes: ſed quid eſt commoveri pedes? Pedes ſunt affectus animæ: Nota igitur, quod alii moventur ad malum, alii commoventur, alii promoventur: motio eſt motus primus: commotio eſt motus cum conſenſu; & promotio eſt etiam in effectu: maximum ergo beneficium Dei eſt præſervari ab iſta commotione, ſcilicet à conſenſu delectationis ſenſualis. *Pſal.65.*

9. *Ignis tribulationis quoſdam comburit, quoſdam purgat, & alios probat.*

*Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti &c.*Nota,quòd hic loquitur de igne tribulationis, qui alios comburit, ſcilicet impatientes:alios purgat à ſcoria peccati:alios probat,ut aurum,ſcilicet probatos oſtendit: felices igitur,qui purgantur,& probantur in fornace tribulationis: Infelices, qui comburuntur. *Pſalm.65.*

10. *Tribulationes patienter toleratæ à Deo acceptæ in ſatisfactionem peccatorum.*

Quoniam probaſti nos Deus igne nos examinaſti, induxiſti nos in laqueum &c. poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro. Quomodò dicitur Deus nos inducere in laqueos? ergone intendit nos illaqueare? Sed nota, quòd nomine laqueorum veniunt tribulationes, diſciplinæ, vota religioſa, in quæ Deus inducit hominem ad ſuum majorem profectum, ad probationem,& purgationem,& ſatisfactionem peccatorum.*Pſ.65.& 118 c.8.v.2.* Felix igitur,qui in iſtos laqueos inducitur, quia veram libertatem Filiorum Dei afferunt.

11. *Obedientia invitè præſtita facit miſerum hominem: libenter facta facit beatum.*

Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro. Quas tribulationes? ſubdit: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra* Nota hic tangitur obedientia, & ſermo eſt in perſona invitè obedientium, quia conqueruntur,& ideò miſeri ſunt,& miſerè vivunt: è contra obedientia libenter præſtita facit beatum. *Opuſc. Pharet.lib.1.c.43.& 44.*

12 *Tranſitus per ignem, & aquam tribulationum,& proſperitatum ad Cælum Beatis affert ineffabile gaudium.*

Tranſivimus per ignem,& aquam,& eduxiſti nos in refrigerium. Nota,quòd hæc eſt cantilena, quæ in perſona beatorum ab Eccleſia cantatur:tranſivimus (aiunt) per ignem, ſcilicet fortes in adverſis, & per aquam ſcilicet humiles in proſperis,& eduxiſti nos per miſerias in refrigerium felicitatis æternæ: Unde Chriſtus ait, *Matthæi 11.Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos:* Ideſt plenitudine cæleſtium gaudiorum. *Op. diæt. tit.10. c.6. & ſap.2. & c.4.*

13. *Per tribulationes oportet tranſire ad refugium caleſte.*

Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium Nota hunc ordinem, primo loco ponit ignem,ſcilicet tribulationes,ſecundo refrigerium,ut hinc diſcamus,quod ad portum ſalutis non poteſt homo pervenire, niſi per mare tribulationis præſentis. *In Luc.c.8.v.22.*

14. *Omnia in hoc mundo ſunt in tranſitu, abſque permanentia.*

Tranſivimus per ignem, & aquam &c. Nota hoc verbum, (*tranſivimus,*) quod dicitur de omnibus rebus hujus vitæ: nam omnis homo in hac vita tranſitum facit vel ad refrigerium, vel ad cruciatum;tranſit & mundus tranſit quoad celſitudinem, pulchritudinem, & dulcedinem: impius tranſit à culpa ad culpam,à culpa in pœnam, & à pœna in pœnam: & juſtus tranſit primò à culpa ad pœnitentiam, ſecondò à pœnitentia ad ſapientiam, & contemplationem,& tertiò ab hac ad vitam æternam: Felix igitur,qui benè tranſit; infelix,& miſer,qui malè tranſit. *In Luc. c.11. v.33.*

15. *Ad Cælum neceſſario tranſeundum eſt per aquam,& ignem,ſcilicet per baptiſmum, & pœnitentiam.*

Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Ergone omnis homo tranſire debet per ignem,& aquam?maximè,per aquam,ſcilicet baptiſmi,ut obtineatur remiſſio peccati originalis,& ſanctificatio: & per ignem,ſcilicet pœnitentiæ ad obtinendam remiſſionem peccati actualis. *Ser.3.de Dedicatione.*

16. *Qui vult obtinere refrigerium unionis cum Deo in contemplatione,debet tranſire per ignem, & aquam.*

Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Nota,quod iſta verificantur, etiam in hac vita: datque intelligere, quod, qui vult induci in refrigerium contemplationis, & unionis cum Deo,debet prius per vitam purgativam tranſire per ignem,& aquam pœnitentiæ,& relinquere caduca,ut æternis ſolis inhæreat. *Op. de 7. itin. æternitatis. itin.1.d.6.*

17. Impiis

17. *Impiis Deus dat refrigerium benedictionis sinistræ, justis dexteræ: illos non tangit ignis, & aqua; isti transeunt prius per ignem, postea per aquam.*

Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Ergone quisquis inducitur in refrigerium, transit per ignem, & aquam? nonne multi sunt, qui vivunt in prosperitate absque tribulationibus? sed nota, quod per ignem intelligitur tribulatio, per aquam prosperitas. Impij transeunt solùm per aquam consolationum carnalium, istisque datur refrigerium benedictionis sinistræ: Justi verò transeunt prius per ignem tribulationis, quia tribulatio debet præcedere prosperitatem, ne in prosperitate nimis tepescat; & hinc in baptismo prius datur candela, scilicet ignis, postea lavatur aqua: & hinc per transitum per ignem educitur à Deo in refrigerium, scilicet diminutionis pœnæ, postea futuræ gloriæ: Et hæc est benedictio dexteræ Dei; Benedictionem igitur dexteræ non sinistræ quæramus à Deo. *Psal. 65.*

Ritus Ecclesiasticus Baptismi.

18. *Non sufficit vivere intra Ecclesiam absque holocaustis bonorum operum.*

Introibo in Domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea. Nota connexionem horum verborum: *introibo in Domum tuam in holocaustis*, nam in templo Salomonis erat atrium, sanctuarium, & Sancta sanctorum: sic in Ecclesia: nam in atrio sunt, qui vivunt intra Ecclesiam boni, & mali: In sanctuario, qui habēt primam stolam, scilicet gratiam & innocentiam: in sancta sanctorum, qui habent utramque stolam, ut Christus qui plenus fuit gratia & gloria: illi igitur salvi fiunt, qui in domo Domini offerunt holocausta, scilicet opera bona sine quibus non est salus. *Psal. 65.*

19. *Clericorum, & Religiosorum obligatio in templo Dei qualis.*

Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Nota hunc ordinem, prius ponitur ingressus in Ecclesiam in holocaustis; postea redditio votorum, daturque intelligi qualis sit obligatio Clericorum sæcularium, & qualis Regularium: Clerici namque ingredientes in hunc statum debent Deo offerre holocaustum: Hoc erat incensum, quod totum comburebatur, & offerebatur Deo: significatque continentiam, per quam anima, & Corpus Deo dedicatur hac oblatione: reddere debent vota Deo, scilicet corde puro, & corpore casto Deo ministrare: Religiosi verò debent addere observantiam votorum obedientiæ, & paupertatis quæ vota, labiis distinxerunt, promittendo eorum observantiam in professione. *Serm. de dedicat.*

20. *Perfecta pœnitentia quænam exigat.*

Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis. Ecce quænam requiruntur ad perfectam pœnitentiam, & oblationem dignam Deo; nam per holocaustū, quod totum incendebatur, intelligitur oblatio cordis, & corporis perfecta; & ideò dicitur holocausta medullata, scilicet cum medulla internæ devotionis, & cordis: dicit cum hircis, significantibus pœnitentiam: addit cum incenso arietum, scilicet cum oratione: addit & boves, scilicet doctrinam; hæcque faciunt, quod tot in se Deo offert homo, non partim Deo, & partim Mundo. *Psal. 65. & in Luc. c. 5 v. 16. & opusc. de sex alis seraph. c. 8.*

21. *Pœnitentes hircis mysticè comparantur.*

Offeram tibi boves cum hircis. Nota, quod peccatores hircis comparantur propter tria: primò, quia olent propter peccata: secundò quia pascuntur amaris rebus in pœnitentiâ; tertiò, quia de eorum pilis fiunt cilicia, quæ sunt arma pœnitentum: promittebat igitur Deo Propheta in his verbis veram, & perfectam pœnitentiam. *Psalm. 65.*

22. *Oratio perfecta testimonium cordis socium habeat, ut exaudiatur.*

Ad ipsum ore meo clamavi; & exaltavi sub lingua mea. Vide quot modis clamatur in oratione; nempè corde & ore dicit enim, *clamavi*, scilicet ore ad Deū, & *exaltavi sub lingua mea*, scilicet in cordis conscientia: quia in perfecta Dei laude & oratione adesse debet correspondentia inter os & cor: *Psalm. 65. & 118. cap. 10. vers. 2.* & ad majorem expressionem addit: *iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus*: sciebat enim, quod sicut ille, qui petit judicium à Rege, debet habere testes de his quæ proponit, ut audiatur, & non puniatur, sic oratio vocalis debet habere testimonium cordis, nempe conscientiam bonam, onde cavendum, ne cor orantis sit falsus, vel corruptus testis ob corruptionem iniquitatis: sic advertebat Propheta, dicens: *iniquitatem si aspexi in corde meo, &c. Opusc. Diæ. salutis tit. 2. c. 5.* Vide ergo quomodo orans, ut exaudiatur debet esse dignus in se, cujus enim cor non reprehendit de omissis bonis, vel de commissis malis; fiduciam habere debet ad Deum, quod accipiet, quod petit: E contra si iniquitatem in corde habuerit, & maximè si oderit fratrem, servetque iram, nec exaudietur. *ser. 3. in rogat.*

23. *Invitantur omnes ad laudandam Mariam Virginem.*

Iubilate Deo omnis terra. In hoc psalmo, ut dictum est invitatur omnis creatura ad Deum laudandum: Mysticè invitatur ad laudandam matrem Christi, quia nobis genuit Christum, causam nostræ resurrectionis. Dicitur igitur à S. Doctore: Iubilate Dominæ nostræ omnis terra, psallite hymnum nomini ejus: date honorificentiam majestati eius: & hinc conversi ad Mariam dicamus: Benedictum sit cor tuum Domina, cum quo ardenter, & sinceriter Filium Dei dilexisti: benedicat te omnis caro, glorificet te omnis lingua. *Opusc. Psalt. B. Virgin. Psal. 65.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

24. *Per Mariam Virginem Deus à morte hominem ad vitam dedit, & dat nobis non commoveri ad peccatum.*

Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. O quàm verum est! Sed attende, quod Deus voluit, ut hæc beneficia nobis elargirentur per Mariam Virginem, quia per ipsam accessum ad Deum habemus, per ipsam omnem benedictionem, & vitam adipiscimur: Ipsa est optima mediatrix inter Deum, & hominem, Ipsa est refrigeratrix iræ Dei: dicamus igitur fidenter Mariæ: respice ô Maria paupertatem nostram, miseriam, & angustiam nostram; aufer tribulationem nostram, dulcifica, & vivifica languorem nostrum *Opusc. spec. B. Virg. lect. 9. op. Psalt. B. Virg. Psal. 65.*

25. *Maria est à nobis omni hora laudanda.*

Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub lingua mea. Et quando? scilicet in omni hora, & tempore: Et quia laus Beatæ Virginis est laus Dei, ideò in omni hora, & tempore est benedicenda, prædicanda, laudanda, & in nostrum auxilium invocanda; quia quicquid potest dici de ea, semper est minus. *l. 3. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1. ad 4. & ser. 1. & 2. de B. Virgine.*



PSALMUS LXVI.

Titulus: in finem: in hymnis Psalmus Cantici David.

1. Primò Nota, quod supra, Propheta invitavit nos ad Deum laudandum, & quia id non possumus sine divina benedictione, ideò in hoc Psalmo petit benedictionem divinæ gratiæ à Deo, ut ipsum dignè benedicere possimus; petitur igitur benedictio gratiæ, prædestinationis, & gloriæ. *Psalm. 66.*

2. *Anima profectus quænam exigat.*

Deus misereatur Nostri. Nota, quod in hoc Psalmo Justus petit à Deo, ut dirigatur in profectum spiritualem animæ; & ideò quæ tali profectui sunt necessaria proponit. Dicit igitur: *Deus misereatur nostri*, scilicet per peccati remissionem: Secundò: *Benedicat nobis*, scilicet per gratiæ infusionem: Tertiò: *illuminet vultum suum super nos*, per virtutem, dando sui cognitionem: quartò repetit: *misereatur nostri*, scilicet per collationem glorificationis, donando vitam æternam; & tunc erit perfecta cognitio de Deo; unde subdit: *ut cognoscamus in terra viam tuam. Psal. 66.*

3. *Benedictio qualis à Deo expetenda.*

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. Nota quod ultra misericordiam, quam à Deo petit, vult etiam benedictionem? quid est hæc benedictio, quam superaddi vult remissioni peccatorum? Benedictio Dei est multiplex, scilicet collatio gratiæ, & gloriæ, & benedictio prædestinationis: hæc eoium est necessaria ad finalem salutem; & hinc in fine Psalmi dicit repetendo: *benedicat nos Deus &c. Psal. 66. & serm. 4. Dom. Trinit.*

4. *Terra bona dat fructus Cæli; terra mala stercora diaboli.*

Terra dedit fructum suum. Vide effectus benedictionis Domini; supposita enim benedictione Domini, dicitur, quod terra dedit fructum suum: quænam terra? Terra scilicet bona; & benè exercitio virtutum exculta dedit fructus proprios, scilicet delectabiles ex colore pulchræ conversationis, habentes odorem honestatis, & sanctæ vitæ, & saporem mellifluæ devotionis: sic Maria Magdalena dedit, ut terra bona, fructum suum, quia irrigata fuit aqua lachrymarum. *serm. 3. Dom. 7. post Pentecost.*

5. *Fructus terræ mysticè omnium statuum multiplex.*

Terra dedit fructum suũ Terra scilicet homo: Nota, quod dicit fructum suum; scilicet proprio statui proportionatum quia triplex status est in Ecclesia scilicet conjugatorum, quorum fructus est trigesimus continentium, quorum fructus est sexagesimus, & Virginum, quorum fructus est centesimus. *Psal. 66.*

6. *Mysterium sanctissimæ Trinitatis à Propheta innuitur.*

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Nota, quod ter hic ponitur Deus, ut mysterium sanctissimæ Trinitatis, & unitas essentiæ innuatur, unde ut tres Personæ unus Deus significentur, dicit in singulari, *& metuant eum. op. comp. Theol. l. 1. c. 10.*

7. *Ex cognitione Mysterii sanctissimæ Trinitatis timor reverentialis in nobis debet imprimi.*

Benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ Cur supposita benedictione Dei ter nominati, scilicet expressione sanctissimæ Trinitatis, subditur: & metuant eum omnes fines terræ, & non potius ament eum? quia ex cognitione sanctissimæ Trinitatis, timor ipsius nobis debet imprimi, scilicet ex notitia ejus potentiæ insuperabilis, sapientiæ inscrutabilis, & justitiæ indeclinabilis. *ferm. 3. Dom. Trinit.*

8. *Ex meritis, & intercessione Mariæ Virginis misericordia, & benedictio divina est expectanda.*

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet &c. Sed quo merito, & fiducia id prætenditur? Quomodò tam absoluté à Deo petitur hæc misericordia & benedictio? Quia hæc fiducia fundatur in meritis Beatæ Virginis: subdit enim: *terra dedit fructum suum*; per Mariam enim, quæ Deum genuit, Deus miseretur nostri, & benedicit nos. Fidenter igitur dicamus Mariæ: miserere nostri Domina, & ora pro nobis, in lætitiam bonam converte mæstitiam nostram. *Op. Psal. B. Virg. Psal. 66.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

9. *Ex Maria stella Maris venit nobis à Deo illuminatio cœlestis.*

Illuminet vultum suum super nos. Nempè p r Mariam,quæ est stella Maris, quæ nos i l uminat, & mentem clarificat : Per Mariam item extinguitur ardor carnis nostræ, & refrigerat nos gratia sua.*Op.Psalt.B Virg Psal. 6.*

10. *Maria Virgo Terra mystica, quæ dedit fructum suum,scilicet Christum.*

Nota,quod mysticè hic est sermo de B.Virgine sub nomine terræ;quæ ad differentiam hujus terræ materialis dedit fructum suum : hæc enim terra materialis reddit fructum , quem recipit : at Maria sine opere virili dedit, non reddidit : dicitur autem terra,tum propter rorem , quem suscepit,tum propter fructum , quem fecit ; tum quia munda, & exculta fuit per Spiritum Sanctum:dedit igitur prius germen,radicem, florem,& postea fructum suum,scilicet Christum Jesum *Psal.66.& opusc.spec.B.Virg.lec.16. & 18.*

11. *Maria Virgo qualem fructum dedit ad salutem omnium hominum.*

*Terra dedit fructum suum.*Scilicet Maria Virgo; & qualem fructum ? fructum generositate sublimissimum , quia de utero regali , & virginali , & de utero Patris ; dedit fructum delectabilitate desiderabilissimum,scilicet in odore,.in specie,& in sapore ; fructum virtuositate utilissimum , scilicet ad salutem omnium , fructum item copiositate universalissimum : & hinc dicit Propheta : *Confiteantur tibi populi omnes*,invitans omnes ad capescendum hunc fructum,& ad agendum gratias, & laudandum Deum pro expositione hujus fructus. *opusc.spec. B.Virg.lec.16.& 8.*



PSALMUS LXVII.

Titulus:in finem:Psalmus Cantici ipsi David.

1. PRIMÒ Nota, quod hic agitur de exultatione Ecclesiæ , & bonorum , & dejectione inimicorum Christi ; & ideò intentio ejus est monere ad psallendum , & cantandum Deo ; quia talis exultatio habetur in Ecclesia per resurrectionem , ascensionemque Christi,& missionem Spiritus Sancti.

2. *Christi exaltatio multiplex,ad litteram prædicta,& optata de Christo fuit à Propheta.*

Exurgat Deus,& dissipentur inimici ejus. Quid est quod precatur,& optat Propheta ?Nota,quod hic loquitur de Christo, desiderans ejus adventum,& prædicens Christi exaltationes;quæ postea verificatæ fuerunt ad litteram. 1. in Monte Thabor, quando est transfiguratus. 2. in Hierusalem, quando resurrexit.3. in monte Oliveti in Ascensione.4 in Nubibus Cœli erit in die judicij. Aliæ, exaltationes leguntur de Christo spiritualiter factæ;Nempe In cruce per exercitium humiliationis in anima,& in Ecclesia per fidem,cognitionem,& claritatem.*Ps.67.& ser.1.in Pascha.*

3. *Deus dicitur exurgere , & grandescere, cum homo sublevatur ad perfectionem.*

Exurgat Deus. Ergone Deus exurgere dicitur ? Potestne Deus magnitudinem acquirere ? Minimè in se,sed quoad effectus in nobis.Vide igitur qualem bonitatem Deus ostendit in nobis : quando enim homo sublevatur in meditationis contemplatione,dicitur exurgere, & grandescere in mente hominis ; ad quod requiritur mentis sublevatio in Deum, dissipatio inimicorum per remotionem alienæ cogitationis, & fuga eorum per reprobationem alienæ suggestionis, & tunc homo securè Deum contemplatur.*Psal.67.*

4. *Ecclesia figurata fuit in Arca Noe , & Moysis.*

Exurgat Deus,& dissipentur inimici ejus. Notandum , quod hæc verba dicebat Moyses , dum orans pro populo , qui pugnabat contra hostes , elevabat Arcam,tunc enim vincebat Populus, & si ad terram dimittebat eam, vincebatur ab hostibus.Eadem repetit Psaltes alludens ad Ecclesiam , in qua Christus exaltatus est,ut Christiani vincerent hostes suos , Arca item exaltata est super aquas,& salvavit eos , qui in ea inclusi erant : Et ideò sicut Arca Noë erat tricamerata : sic Ecclesia fide,spe,& charitate, & sic etiam Nomen Jesus tripliciter adoratur,quia in nomine Jesu omne genu flectitur,cœlestium,terrestrium,& infernorum, & sic etiam triplicem modum exponendi sacram scripturam continet,scilicet hystoricè,mysticè,& moraliter. Arca Moysis significat Ecclesiam,quæ continet tabulas testamenti , scilicet legem , & mentem,quæ legem meditatur,& manna, scilicet Eucharistiam ; per quæ omnia dissipantur inimici Domini. *Psal.67.*

5. *Peccatum privat hominem omni bono.*

Sicut deficit fumus deficiant,sicut fluit cera à facie ignis , sic pereant peccatores à facie Dei. Vide quales effectus gignit peccatum , nam deficere quoad vitam, gratiam , & gloriam facit,& portat omnem pœnam.*Psal.118.v.114.& c.11.v.16.& in sap.c. 6.in fin.*

6. *Justi etiam in hac vita deliciis cœlestibus fruuntur exercitio divinæ præsentiæ.*

Justi epulentur , & exultent in conspectu Dei , & delectentur in lætitia. Nota illam particulam : *in conspectu Dei* : quia vera lætitia , & fruitio cœlestium bonorum solùm in conspectu Dei,& exercitio præsentiæ divinæ habetur;& hoc est munus, & felicitas perfectorum. *Psal.118.c.11.v.10.*

7. *In Ascensione Domini invitantur fideles ad ascendendum in Cœlum cum eo spiritualiter.*

Cantate Deo psalmum dicite nomini ejus:iter facite ei,qui ascendit super occasum &c. Quis est iste ascendens super occasum ? Hic est Christus qui super occasum mortis triumphans ascendit in Cœlum;& ascendendo invitantur fideles ad psallendum ei,& simul cum eo ascendendum spiritualiter.*ser.4.in Ascens.*

8. *Christus ascendit in Cœlum virtute propria.*

Iter facite ei qui ascendit: Dominus nomen est illi. Cur ad ascensionem Christi addit, quod ejus nomen est Dominus? quia Dominus significat potestatem ut innueret, quod sua potestate ascendit in Cœlum, non aliena. *in Lucam c.14.v.54.& Psal.49. & l.1.d.22.q.1.& 2.*

9. *Invitantur fideles ad laudandum Deum in Ecclesia, tamquam in loco proprio Dei.*

Cantate Deo: exultate in conspectu ejus: Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. Notanda hæc verba diligenter, in quibus Propheta exaltat sanctitatem, & venerationem Ecclesiæ, invitat autem omnes ad Deum laudandum, & ad ascendendum cum Christo in Cœlo, & nè quis crederet, quod loquatur de ascensu corporali, advertit, quod Deus est in loco sancto suo. Quis est iste locus Dei? Nonne est æqualiter ubique? Sed adverte, quod loquitur de Oratorio, & Ecclesia: Hæc enim specialiter dicitur locus Dei sanctus, quia ibi sanctè invocatur, & oratur Deus, & ideò Oratorium vocatur; locus inquam electus à Deo, dignus speciali veneratione, quia divinæ memoriæ attitulatus, divinæ Eucharistiæ deputatus. & divinæ militiæ deputatus: Cum ergo ibi habitet Deus specialissimo modo; non est mirum, quod invitentur fideles ad ibi decantandas laudes Deo. *Psal.118.c.4.v.1.& Psal.68.*

10. *Religio est locus sanctus, in quo Religiosi debent inhabitare cum omni concordia, & esse unius moris.*

Deus in loco sancto suo; qui inhabitare facit unius moris in domo. Si iste locus dicitur Ecclesia, multò magis Religiosus status: locus est sanctus Dei per observantiam castitatis, paupertatis, & obedientiæ: dicitur enim locus, scilicet continens: dicitur sanctus, idest sine terra, & possessione rerum terrenarum: dicitur locus Dei ob obedientiam, in quo nulla est contrarietas in affectu, nulla disparitas in victu, nulla singularis diversitas in vestitu invenitur; sed omnes sunt unius moris, scilicet cor unum, & animam unam habentes. *opusc. Eccles. Hier.p.4.c.4.*

11. *Congregatio servorum Dei quid exigat.*

Qui inhabitare facit unius moris in domo. In qua domo vult Deus, ut sui inhabitent? nempe in loco sancto suo: Estque Congregatio justorum, scilicet, vel in Ecclesia fidelium, vel Religiosorum: dat autem hic intelligere quomodò oporteat eos vivere, & conversari in hoc loco sancto Dei: nempe, ut sit chorus, & locus sanctus debet in eo audiri simphonia per concordem lætitiam quantum ad conformitatem interiorem, & exteriorem, scilicet morum, animorum, & sermonum, quod totum efficit charitas vera. *in Lucam c.15.v.25.*

12. *Homo peccans seipsum ligat; sed postea à solo Deo potest à vinculo solvi.*

Qui educit vinctos in fortitudine. Quinam sunt isti vincti à Deo soluti? Nota hic vecordiam, & miseriam peccatoris, qui seipso, & liberè potest seipsum ligare per consensum in peccatum, sed tamen seipso non potest ab hoc vinculo solvere, sed solus Deus in fortitudine, scilicet adjutorio divinæ gratiæ: O quam mirabilis cæcitas peccatorum. *serm. de animabus.*

13. *Animarum existentium in Purgatorio solutionem solus Deus potest tribuere: viventes autem possunt procurare, & impetrare.*

Qui educit vinctos in fortitudine. Nota quod loquitur de solutione vinctorum: quinam sunt? Isti sunt existentes in Purgatorio, qui adstricti tenentur ex decreto divinæ justitiæ, donec reddiderint novissimum quadrantem: Hos solus Deus potest vinctos solvere, & liberare, nos verò possumus procurare, & orationibus, & eleemosynis impetrare hanc solutionem. *serm. de animab.*

14. *Solus Deus liberare potest obsessos à diabolo.*

Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Nota connexionem vinctorum, & habitantium in sepulchris; qui sunt isti miseri? Nota, quod sepulchrum mysticè est locus horribilis, locus in quo habitant Dæmones; datque intelligere Psaltes, quod solus Deus est, qui liberat eos, qui à diabolo sunt obsessi, & possessi: laboret ergo læsus, & vinctus à Diabolo, ut jugum disrumpat, & ad Deum recurrat pro liberatione. *In Luc.c.8.v.27 & 19.*

15. *Peccator est sepulchrum, & habitatio Dæmonum.*

Qui habitant in sepulchris. Nota, quod mysticè hoc dicitur de peccatore, qui est locus à dæmone habitatus, & veluti sepulchrum: locus inquam horribilis; ut videas qualis infelicitas peccantium, & quomodo à solo Deo liberari possunt. *in Luc.c.8.v.27.*

16. *Christi egressus triplex innuitur.*

Deus cum egredereris in conspectu populi tui. Nota: hic loquitur de Christo, de quo triplex egressus legitur; scilicet in æternitate, dum generatur à Patre, in carne per incarnationem, & in auxilium hominis. *Psal.67.*

17. *Mali facilius corriguntur videntes zelum justitiæ, & in Judicibus, mixtum cum dulcedine pietatis.*

Terra mota est: Cœli distillaverunt à facie Dei. Jam dictum est, hic indicari terrorem impiorum ob præsentiam, & correctionem Judicis, & Prælati; sed notandum diligenter, quod subdit: *Cœli distillaverunt à facie Dei.* Quænam connexio est hæc? Sed attende, quod nobis indicatur, quod cum Judices, & Prælati sint mystici Cœli, tonantes in impios, eosque corrigentes, ipsos ad emendationem facilius inducunt, si cum mansuetudine, mixta severitati eos corrigant: unde dicitur *Psal.140. corripiet me justus in misericordia. opuscul. Eccles. Hier.p.4.c.3.*

18. Ad

18. *Ad præsentiam judicis, & judicii terreni, Peccatores terrentur, & boni consolantur.*

Terra mota est. Litteraliter loquitur de terrore, quo incussi fuerunt hostes Israëlitarum in accessu per desertum ad ipsorum regiones, audientes tot mirabilia à Deo operata: mysticè datur intelligi, quod terreni, & iniqui ad memoriam, & præsentiam judicis, Dei, & divini judicij terrentur, & boni consolantur. *ser. 4. Dom. 3. post oct. Epiphan.*

19. *Ex prædicatione divini verbi, peccatorum conversio elicitur.*

Terra mota est. Idest terreni, & peccatores moti sunt ad pœnitentiam, & hoc, quia Cœli distillaverunt, idest Apostoli, & prædicatores rorem divinorum eloquiorum distillaverunt, non à se ipsis, sed à facie Dei, scilicet à Deo, à quo habent omne bonum. *serm. 9. in die Pentec.*

20. *Pluviam gratiæ divinæ Deus immittit suis fidelibus: infidelibus, & obstinatis remanentibus in sua ariditate.*

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est, tu verò perfecisti eam: animalia tua habitabunt in ea. Scilicet hæreditate: Nota, quod ad litteram indicat pluviam mannæ, qua Deus cibavit populum Israel in deserto: sed mysticè loquitur de pluvia gratiæ divinæ, quam appellat voluntariam, quia multiplex est pluvia indicata in sacra scriptura; nempè pluvia naturæ bonorum temporalium, item & pœnæ, sed voluntaria, idest à voluntate, & bonitate divina proveniens est divina gratia, quam Deus immittit, & fœcundat suam hæreditatem, scilicet suos fideles; infidelibus, & obstinatis eam recipere nolentibus, remanentibus in sua ariditate; sic suis exigentibus peccatis. *Psal. 67. & in Lucam c. 4. v. 17.*

21. *Pluviam voluntariam immisit Deus hæreditati suæ per Incarnationem Verbi.*

Pluviam voluntariam. Nota, quod per hanc pluviam mysticè intelligitur Christus, qui in Incarnatione descendit, sicut ros Cœli in uterum Virginis: hunc misit Pater hæreditati suæ ut ipsam perficeret & fœcundaret, & salvaret. *Psalm. 61.*

22. *Verbi divini prædicatio est pluvia à Deo immissa ad fœcundandam Ecclesiam.*

Pluviam voluntariam. Nota etiam, quod hæc pluvia voluntaria est doctrina Theologica, & verbum divinum, quod per Christum, & Prædicatores Deus immittit hominibus, per quam ipsam voluntariè recipientes, ut fuerunt Gentiles, nomine animalium significati, fœcundantur in bonis operibus, Judæis, & obstinatis remanentibus in sua ariditate. *Psal. 67. & in Lucam c. 4. v. 17. & in Psal. 118. c. 7. v. 11.*

23. *Fructus, & exercitium virtutum cum perseverantia ex verbo Dei recepto, explicatur.*

Tu verò perfecisti eam. Quænam perfectio, & consummatio est ista, quæ consequuta est ex hac pluvia doctrinæ divinæ immissa? Nota quod in his verbis innuuntur mirabiles effectus verbi Dei in corde fidelium recepti: Nam Pater agricola, igne Spiritus Sancti exustis spinis in cordibus fidelium, jecit semen verbi Dei, & terra mentis eorum dedit fructum suum centesimum, vel sexagesimum, vel trigesimum, sicque perfecit hæreditatem suam, scilicet ad prædicationem Christi legalia consummata sunt, perfectio legis impleta, & hinc ortum est exercitium virtutum, quæ omnes currunt, vel currere faciunt ad Cœlum; nempe contemptus Mundi, paupertas, vigiliæ, eleemosyna, obedientia, abstinentia, patientia, sed tamen sola perseverantia perficit omnia, quia ipsa sola coronatur: nam obedientiam commendat, exercetque patientia, & patientiam glorificat, & coronat perseverantia. *Psalm. 67.*

24. *Sacramentum Eucharistiæ omnis saporis dulcedinem continet.*

Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Quid est quod paravit Deus? Nota, quod non dicit quid sit quod paravit: quia litteraliter loquitur de manna, quod habebat omnis saporis dulcedinem: mysticè loquitur de manna Eucharisticæ, nec exprimit ejus dulcedinem, nisi in communi, ut intelligamus, quod cum sit panis Angelorum de Cœlo descendens, omnem dulcedinem continet Paradisi: quia quod in Cœlo sine velo datur, sub nubecula speciem m exhibetur in deserto hujus mundi. *In sapient. capit. decimosexto.*

25. *Evangelizantium virtus, & potestas mirabilis ex Christo.*

Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Nota, quod in his verbis exprimitur mirabilis virtus collata à Christo Evangelizantibus, nam cum ministerio sibi commisso, etiam contulit virtutem multam: nempè virtutem respectu spiritualium, & potestatem respectu corporalium: dixit enim Christus eis: *infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. in Lucam cap. 9. vers. 1. & cap. 4. versic. 14.* Vide hic quanta, & qualis sit pietas Christi, qui ad perfectissimam redemptionem reliquit in Ecclesia remedia spiritualia contra infirmitates animæ, & corporis, ut ipsum diligere non desistamus.

26. *Christus Caput Ecclesiæ Rex virtutum est perficiens Ecclesiam.*

Rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei domus dividere spolia. Nota, quod hic commendatur Christus, ut caput Ecclesiæ ex pluribus prærogativis: 1. à dignitate, & ideò dicitur Rex; 2. à patientia, & dicitur, virtutum: 3. à dilectione, & dicitur, dilecti, dilecti; scilicet à Deo, & hominibus: 4. à discretione, & ideò dicit, dividere spolia: nempè speciei domus suæ, scilicet

Ecclesiæ

Eccleſiæ dividendo ſpolia, ſcilicet homines erutos à poteſtate diaboli: dicitur autem tertiò, Rex virtutum, quia omnes virtutes perfectiſſimè exercuit, ut perficeret & ditaret Eccleſiam ſuam ſponſam. *Pſal.67.*

27. *Eccleſia eſt Myſtica Columba, in cujus medio dormire debent ſacerdotes.*

Si dormiatis inter medios cleros, penna Columbæ deargentatæ. Nota ex Gloſſa, quod illud verbum, (*inter medios cleros,*) eſt phraſis Græca; quam latinè deberet dici, in medio clerorum: Cleros Græcè dicit latinè teſtamentum, in cujus virtute datur hæreditatis ſors, & ideò interpretatur ſors, & hæreditas Chriſti, ſignificans gradus Eccleſiæ, in medio quorum dormit, qui illos ardenter, & inordinatè non petit, ſed ipſos patiènter expectat: Qui enim ad eos inordinate inhiat, numquam quieſcit: Si igitur ô clerici ſic quieſcitis ad hos ordines ſolùm Deum deſiderantes, ejuſque obſequium pennæ veſtræ erunt dealbatæ ex donis, & adventu Spiritus ſancti; quia iſta ſunt pennæ columbæ, ſcilicet Eccleſiæ Dei: Eccleſia autem columbæ comparatur, primò propter ſimplicitatem, quia Chriſtus vult, ut ejus membra ſint ſimplicia ſicut columba. Secundò propter fœcunditatem, qua filios Chriſto continuè gignit Tertiò propter murmurationem, & gemitum contra peccatum. *Pſal. 67. & opuſc. Proc. S.Script.*

28. *Prælati Eccleſiæ communitatem debent ſervare cum omnibus abſque acceptione perſonarum.*

Si dormiatis inter medios cleros penna columbæ deargentatæ, Nota, quod hic loquitur Prælatis Eccleſiæ, docetque, quod ſi volunt, ut eorum pennæ, ſcilicet dona ſint deargentata, & Deo accepta, debent dormire in medio clerorum, ſcilicet fidelium, per communi atem, & abſque acceptione perſonarum. *In Thren. c.1.*

29. *Contemplatio facit dormire animam in Deo.*

Si dormiatis inter medios cleros. Nota, quod hoc dicitur etiam de dormitione ſpirituali contemplativorum; nam eorum anima dormit in medio clerorum, ſcilicet terminorum mundi, & Cœli, ſublevata à terra in confinio Cœli, & Dei: ſic eorum pennæ volabunt feliciter ad Deum. *Opuſc. de prof. relig. l.2 c.71.* Et hinc ſubdit: *dum diſcernit cæleſtis Reges ſuper eam*; ſcilicet, mens in cæleſtibus innixa, ſcit diſcernere Reges bonos, ſcilicet Rectores, & malos, bonum, & malum, & ſolum Deum deſiderate. *Pſal.67.*

30. *Chriſtus, licèt haberet gratiam ſine menſura, cum menſura tamen aliis communicabat doctrinam ſuam ſecundùm captum auditorum ſic & Prædicatores debent facere.*

Mons Dei, mons pinguis, & coagulatus. Nota, hic loquitur myſticè de Chriſto, ſub nomine montis, quia ut mons pinguis habebat dona, & gratiam ſine menſura; qui tamen erat coagulatus in communicando doctrinam ſuam, ſcilicet coarctando, & conformando ſe auditoribus, ſecundùm exigentiam ſui ſtatus: quod & debent advertere Prædicatores. *Pſal. 118. c.5. v.6. & in Ioan. collat. 40. & ſerm 5. de Apoſtol.*

31. *Contemplativorum mens eſt mons pinguis Dei, donis cæleſtibus.*

Mons Dei, mons pinguis: in quo beneplacitum. Nota, quod myſticè dicitur de mente contemplativorum, quæ erigendo ſe in Deum fit mons donis cæleſtibus, & contemplationibus impinguatus, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. *Serm.4. Dom.2. quad.*

32. *Gloria Chriſti ad Cælum aſcendentis hic exprimitur.*

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium in eo, etenim Dominus habitabit in finem. Nota quod hic innuitur aſcenſus Chriſti in Cœlum, ejuſque gloria: dicit autem quod ejus currus erat multiplex, ſcilicet multipliciter glorioſus: Hic currus eſt exercitus Angelorum, currus inquam, non neceſſitatis, ſed dignitatis; & ſignificatur per numerum decem millium: & per millia lætantium intelliguntur animæ glorioſæ cum Chriſto aſcendentes in Cœlum: an verò hic ſumatur numerus talis ad litteram, an numerus certus pro incerto, dubium eſt. *Serm.5. in Aſcenſione.*

33. *Alii ad Cælum aſcendunt in curru Chriſti; alii ad infernum deſcendunt in curru diaboli.*

Currus Dei multiplex. Nota, quod ultra currum ſupra poſitum Angelorum, alios currus habet Deus, per quos aſcendit, & aſcendere facit ad Cœlum animas: Eſt enim currus Evangelii: item & exercitium quatuor virtutum Cardinalium, per quas Chriſtus aſcendit, & aſcendere facit ſuos ad Cœlum, diabolus habet & ſuos currus, nempè vitiorum, & bon rum ter enorum, per quos deſcendere facit ad infernum. *Pſal.67.*

34. Chriſtus aſcendens ad Cœlum cœpit captivitatem, ſcilicet liberando animas à captivitate, & ducendo eas ad Cœlum. *Ser.3. Dom.4. poſt Pent. & in ſap. cap.8. & cap. 10. & opuſc. lignum vitæ, tit. Jeſus: ductor exercitus: & opuſc. de inviſibilitate Dei, & opuſc. Comp. Theolog. l.4. c.14. & in Lucam c.4. v.19.*

35. *Chriſtus in aſcenſu ad Cælum, quænam dona reliquit nobis.*

Dedit dona hominibus. Quænam dona ante hunc triumphum? Corpus tortori, Spiritum Patri, Matrem Joanni, Paradiſum latroni, & poſtmodum Eccleſiæ dona Spiritus ſancti. *Ser.1. Dom.1. poſt oct. Epiphan.*

36. *Chriſtus Dominus mortis, & vitæ, bonis eſt tribuens gloriam, malis pænam.*

Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum, Deus noſter, Deus ſalvos faciendi, & Domini, Domini exitus mortis. Nota myſteria horum verborum, in quibus indicatur, quod Chriſtus venit in hunc mundum, ut nos dirigeret per iter ſalutis: ſed ne nimis confidamus, addit, quod ipſe

ipse est Dominus dupliciter, scilicet exitus mortis bonorum,& malorum; bonos præmians, & malos puniens. *Serm.1. in rogat. & Psal. 17.* unde subdit Propheta, quod confringet capita inimicorum.

37. *Confusio, & erubescentia in confessione quàm utilis.*

Dixit Dominus ex Basan convertam: convertam in profundum maris. Quid est quod Deus speciali modo vult convertere peccatorem in profundum maris existentem solum ex Basan? Ad litteram prædicit destructionem civitatis Hierusalem factam ab exercitu Romano,& inchoatam ex parte, in qua erat terra Basan: Mysticè quia Basan interpretatur confusio: datur intelligi, quod destructio peccatorum in Ecclesia debet inchoare à Basan, scilicet à confusione,& erubescentia peccatorum in confessione: sic enim eruitur anima conversa de profundo submersionis: verè ergo est utilis hæc erubescentiæ pœna pro peccato, quia talis dignus fit misericordia. *fer.4. in die Ciner. & fer.2. Dom.3. post oct. Epiphan.*

38. *Ad majores peccatores tendere debet studium prædicatorum, ut convertantur.*

Convertam in profundum maris. Cur in profundum tendit hoc studium convertendi, & non potius ad litus maris? Nota, quod in profundo sunt peccatores involuti in maximis vitiis: Prædicator verò totus intentus ad conversionem omnium, maximè tamen debet intendere ad conversionem eorum, qui morantur in hoc profundo: O felix ille, qui hos pisces in profundo morantes capere potest. *Serm. 2. Dom. 3. post oct. Epiphan.*

39. *Christus utitur lingua prædicatorum ad sanandum morbos spirituales animarum: Diabolus è contra utitur mala lingua impiorum ad damnationem.*

Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Vide mirabilem pietatem Domini Jesu Christi, qui ex inimicis, scilicet ex gentilitate, & profundo peccatorum convertit plures, quorum ministerio usus est ad animarum conversionem per prædicationem; unde patet, quod Deus utitur lingua prædicatorum, qui tamquam canes lambendo curant vulnera peccatorum: è contra Diabolus utitur ministerio suorum ministrorum, non ut sanet, sed ut inficiat veneno, ut mordeat, & vulneret per detractionem, suggestionem, adulationem, rapinam alienorum. *Serm.3. Dom.2. post oct. Epiph. & Psal.67.*

40. *Angeli in medio psallentium adstant in Choro.*

Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum. Vide qualia sint privilegia psallentibus à Deo concessa; nam Principes Cæli, scilicet Angeli Dei & præveniunt, & concomitantur conjuncti psallentibus in medio animarum sanctarum in Choro, & Tympano laudes decantantium. *Ser.1. in Dedicat. Opusc. de sex alis Seraph. cap. 8. & opusc. Eccles. Hier. p.1. cap.1.* Et hinc Propheta invitat nos ad benedicendum Domino in Ecclesia, dicens: *in Ecclesiis benedicite Deo Domino:* cogita ergo, ô anima Deo dicata, quanta cum reverentia coram Christo & Angelis adstare te decet dum in choro ad psallendum, vel orandum convenis. *opusc. regul. Novit. c.1.* Nota etiam quod per hoc datur intelligi, quod mentes contemplativæ in canonicis laudibus frequenter præveniuntur Angelicis illuminationibus. *Psal. 118. c.10. v.3.*

41. *In Ecclesia ad Orationem, & Deo psallendum maximè invitantur adolescentuli, & adolescentulæ: non verò veteres.*

In medio juvencularum: ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Nota hic invitari adolescentulos,& adolescentulas ad psallendum Deo, & ad orationem, dicens, quod in Ecclesiis maximè moratur Benjamin adolescentulus: Cur solum adolescentuli, & non etiam veteres, & omnes invitantur? nonne alibi dicitur: *juvenes, & virgines, senes cum junioribus laudate Dominum:* sed nota quod nomine adolescentulorum significantur humiles, & perfecti & maxime in Benjamin, quod interpretatur filius dexteræ; quia filii dexteræ Dei, scilicet gratiæ Dei, qui sunt contemplativi, & in Deum elevati per mentis excessum, sunt apti ad orationem, eorumque oratio valde placet Deo. *Psal. 118. c.9. v.13.*

42. *In Paulo Apostolo significantur perfecti contemplativi: & cur ad dexteram, & S. Petrus ad sinistram in picturis ponitur in Ecclesia.*

Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Cur in medium hic ponitur Benjamin? Nota quod in Benjamin significatur Paulus Apostolus, qui est filius dexteræ: Et hinc exponitur in picturis ad dexteram, & Petrus ad sinistram; quia factus est ille filius gratiæ post resurrectionem, & Petrus ante passionem: In Paulo autem significantur contemplativi, quia sicut ille raptus est usque ad tertium Cœlum, sic & contemplativi per tria visionum genera scilicet in imaginatione, secundùm rationem, & secundùm intelligentiam supra omnia creata transeuntes, in Dei contemplationem feruntur: Ipsisque potissimè diriguntur hæc verba. *Psalm.67.*

43. *Invitantur Religiosi ad Deum laudandum exemplo Apostolorum.*

Ibi Beniamin adolescentulus: Principes Iuda duces eorum. Nota, quod dum invitantur Religiosi ad psallendum Deo, & ad orationem, mentisque elevationem, proponitur exemplum Apostolorum, qui fuerunt duces gregis Christi, dirigentes oves suas in hoc sacro ministerio; significantur enim nomine Principum Juda. *Psal. 28.* Ex quo patet, quod Psalmodia in Choro orta est ex traditione Apostolorum in Ecclesia.

44. *Per Incarnationem Christus dissipavit bellum, quod erat inter Deum, & hominem.*

Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus Deo. Regna terræ cantate Deo. Ad quæ bella alludit hic sanctus Propheta? & qui sunt isti Legati pacem tractantes?

verba iſta videntur obſcura, ſed plena ſunt maximis myſteriis: daturque intelligi, quod deſiderabat in his verbis Incarnationem Verbi, ex qua oritura erat pax, & omne bellum diſſipandum: Nam bellum erat inter carnem, & ſpiritum, inter hominem, & Deum, & hoc eſt duellitas: in Deo non eſt niſi pax, nam ibi Trinitas S. inter Patrem, & filium unio, & amor Spiritus ſancti, & ideò non fuit, qui ei pacem turbaret, quia quartum non admittitur, ne pax turbetur. In homine tertius non erat, qui duellum ſedaret: opus igitur erat, ut in noſtra duellitate appareret, qui duellum ſedaret, ſicque Filius Dei venit de Cœlo, ut appareret nova Trinitas, ſcilicet corpus, anima, & divinitas in Chriſto: Cum hac differentia, quod in Trinitate increata ſunt tres Perſonæ diſtinctæ æquales, & coæternæ, & unitas ſubſtantiæ; in hac verò naturalis diverſitas ſubſtantiarum, & unitas perſonalis; quia ibi eſt una Perſona, & tres ſubſtantiæ inæquales: ſicque per hanc diſſipata ſunt bella, & pax inter Deum, & homines reddita, per quam invitantur omnes ad cantandum, & laudandum Deum. *Pſalm.67.* Ex quibus primò notandum eſt, quod ex ſupradictis patet, quod numerus binarius eſt numerus diviſionis; ternarius numerus unitatis: ſecundò, quod qui inter diſcordes ſe medium, vel mediatorem interponit imitator eſt Spiritus ſancti, qui eſt nexus Patris, & Filii, & Chriſti Jeſu, qui mediator eſt Dei, & hominum. Tertiò quod pax, & concordia eſt tantum, & tale bonum, quod ſine ipſa nulla eſſet bonitas in divinis; infinitique divinitatis theſauri diſſiparentur ex levi etiam diviſione, & diſcordia: quod ſi hoc in divinis, quid in creatis?

45. *Ex Aſcenſu Chriſti ad Cœlum meditatione excitatur anima ad lætandum, & ipſum laudandum.*

Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino, pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cœlos Cœli ad orientem. Vide, quod meritò invitantur omnes fideles ad lætandum, & Deum laudandum ex conſideratione aſcenſionis Chriſti in Cœlum, videntes hanc noſtram humanitatem aſcendentem tam ſublimiter, & triumphaliter, & imperialiter. *In Ioan. collat.16. & in Lucam c.19.v.12.*

46. *Cur Eccleſia orat verſa ad orientem: ubi Deus dicitur habitare, non ad occidentem.*

Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cœlum Cœli ad orientem. Cur dicitur Chriſtus aſcendere ad orientem, & non potius ad occidentem? Nota, quod per orientem ſignificatur rectus ordo: per occidentem confuſio; & hinc diabolus dicebat à latere Aquilonis aſcendam: ideo, quia Deus dicitur habitare ubi eſt ordo, diabolus ubi eſt confuſio, quia fuit primus confuſor ordinis, ideò de Cœlo dejectus eſt in hoc caliginoſo aëre, ubi ordo confunditur: hinc Eccleſiæ praxis eſt, ut ad orientem oret, quia orientia ante oculos, occidentia poſt tergum debemus habere, & ſic dicitur Chriſtus aſcendere ad orientem, ut ad ipſum ordinatè vertamus mentem. *Pſalm. 17. & in ſap. cap.16.*

47. *Verba Dei virtutem ſpiritualem continent, quia ſunt conjuncta Chriſti virtuti.*

Ecce dabit voci ſuæ, vocem virtutis: date gloriam Deo ſuper Iſraël. Quænam virtus eſt hæc, quam promittit Propheta tradendam eſſe à Deo voci ſuæ? Nota, quod hic innuitur virtus verbi Dei prædicati, quod ultra virtutem naturalem, etiam aliam ſupernaturalem, & cæleſtem continet, quia conjuncta eſt virtuti ejus, qui eſt virtus, & ſapientia Patris: Elice qua devotione eſt ſuſcipiendum. *In Lucam c.4.v.32. & in Ioan. coll.7. & 18.*

48. *Vox Chriſti in Judicio ſuſcitare faciet mortuos.*

Ecce dabit voci ſuæ, vocem virtutis. Quid eſt dare vocem virtutis voci Chriſti? Quia Chriſtus in judicio vocem emittet habentem virtutem ſuſcitando mortuos. Dicitur autem vox virtutis addita voci Chriſti, quia Chriſti vox eſt inſtrumentum, & vox virtutis, ſeu virtus ſuperaddita eſt Dei, ſuſcitans mortuos. *l.4.d.46.a 1.q.6.*

49. *Magnificentia Chriſti exaltatur maximè ex expoſitione Sacramenti Euchariſtiæ.*

Date gloriam Deo ſuper Iſraël, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus. Nota verba, ſigna myſteria. Hic invitantur fideles ad Deum glorificandum, & affert rationem, dicens: *magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus:* & cur in nubibus, & non potius in Cœlo? Sed reſpice ad nubem candidam Euchariſtiæ, & cognoſces, quod magnificentia Chriſti maximè eluceſcit ex his nubibus, & ideò fuit præfigurata in manna, quod ex nubibus deſcendit ad modum ſeminis coriandri albi. *In ſap. c.16.*

50. *Per prædictiones factas à Prophetis, nobis inſonuit magnifica Dei virtus.*

Unde hic dicitur. *Magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus;* nam per nubes intelliguntur myſticè S. Prophetæ, & prophetiæ ab ipſis de Chriſto factæ. *Pſal.118.c.10. v.12.*

51. *Quomodò Deus dicitur mirabilis in ſanctis ſuis.*

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Cur in ſanctis, & non in cæteris dicitur Deus mirabilis? Nota, quod Deus dicitur mirabilis in omnibus rebus creatis; Sed hic dicitur in ſanctis ſuis, quia in ipſis maximè elucet ejus clementia, bonitas, gratia, virtus, & miſericordia; nempe in eorum prædeſtinatione, vocatione, juſtificatione, magnificatione, exercitio, probatione, liberatione, redemptione, & aliis operibus mirabilibus. *In Lucam c.2. v.34.*

52. *Mirabilis item demonſtratur Deus in creatione animæ, ut ſit ſancta.*

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Cur in ſanctis? quia in ipſis infundit animam capacem ſanctitate. Nota mirabilia Dei relucentia in hac

hac anima : dicitur enim suo modo, qualis, quanta, habens differentias positionis : nempè alba, nigra, longa, lata, habens aliquid sursum, deorsum, ante, retro, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum : nam eam albam facit sapientia, vel bona conscientia, nigram ignorantia, malaque conscientia, fides longam, altam spes, latam charitas: timor contractam : avaritia arctam, pusillanimitas parvam: Ante habet, quod requirit: retrò, quod non meminit: sursum, quod non capit; deorsum, quod respicit: dextrorsum, quod delectat: sinistrorsum, quod molestat : Ecce quàm mirabilis Deus in creatione animæ. *Psal.67.*

53. *Ex assistentia Mariæ Virginis exurgit Deus ad liberandum homines ab inimicis.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* Nota, quod si ex operibus factis à Christo, Christus dicitur exurgere, & grandescere, & præcipue ex victoria, quam ejus virtute reportant fideles de inimicis : Hoc totum maximè obtinetur per assistentiam Mariæ Virginis : Si enim ipsa exurgit nobis assistendo, statim dissipantur ejus inimici, & conterentur omnes sub pedibus ejus, quia impetum ipsorum dissipat, & destruit omnem iniquitatem eorum: & sicut fluit cera à facie ignis, sic & ipsi dispergentur, & fugiunt. *Opusc. Psal. B.Virg. Psal.67.& opuscul spec.B.Virg.lec.3.& 11. & 12. & 14.*

54. *Justi ad conspectum Mariæ exultant, & delectantur in gaudio.*

Justi exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Nota, quod si in conspectu Dei justi exultant, & delectantur : Idem suo modo faciunt in conspectu Mariæ. Gloriosum enim Mariæ privilegium est, quod post Deum major nostra gloria, majus nostrum gaudium est de Maria : summa gloria est post Dominum ipsam videre, sibi adhærere & in suæ protectionia munimine demorari : & hinc dicamus meritò Mariæ : Ad te Domina clamavi in tribulatione, serenasti conscientiam meam ; pax multa diligentibus te Domina, anima eorum non videbit mortem. *Opusc.specul.B.V.lec.6.& op.Psal. B.V. Psalm.67.*

55. *Maria Virgo dicitur propriè locus Sanctus Dei.*

Deus in loco sancto suo. Nota emphasim verborum, in quibus datur intelligi, quod Deus haber locum sanctum suum specialem, & à cæteris discretum: & quis est? Hic est uterus Beat. Virginis : hoc in Mundo nullus digniot est : ergo qui vult invenite Deum, quærat locum suum, scilicet Mariam. *Opusc. specul. Beat. Virg.lec.11.*

PSALMUS LXVIII.

Titulus : In finem, pro his, qui commutabuntur David.

1. PRimò Nota, quod cùm supra actum sit de resurrectione, & ascensione Christi, hic consequenter agitur de causa resurgendi & ascendendi; scilicet de ejus passione, per quam Christus venit ad resurrectionem, & ascensionem, & per quam fit commutatio, & immutatio membrorum de statu culpæ ad gratiam, & de gratia ad gloriam: Unde rectè titulus dirigitur in finem, scilicet Christum, pro his, qui commutabuntur, scilicet, ut nos exemplo Christi laboremus, & commutemur.

2. *Impugnatio diabolica quàm gravis sit & qualis auxilio Dei indiget.*

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam; infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Nota, quod hic exprimitur gravitas impugnationis diabolicæ, & indigentia auxilij divini, quam habet in ipsa homo. Unde nomine generis humani datur intelligi primò bellum intestinum ex vitiis, & concupiscentiis, quo impugnatur homo, dicens : *intraverunt aquæ*, scilicet concupiscentiæ, *usque ad animam meam.* Addit, *infixus sum in limo*, & per limum denotat dejectionem, & dejectionis tenacitatem; deinde magnitudinem persecutionis, dicens : *in limo profundi:* & spem ablatam liberationis, dicens: *& non est substantia*; scilicet non est virtus valens se liberare : & ideò solo auxilio divino id potest obtineri; hinc dicit : *salvum me fac*, scilicet per adventum, & gratiam salvatoris. *Psal.68.*

3. *Christus, quia induebat Personam Peccatorum, ad Patrem per orationem confugiebat.*

Salvum me fac Deus. Nota hæc verba dicta esse in Persona Christi; sed quomodò id poterat dicere? indigebatne auxilio divino, ne mergeretur in profundum peccati, ut diceret : salvum me fac? Respondeo, quod Christus transformat membra tribus modis; scilicet eorum proprietates sibi attribuendo, unde cœpit Jesus pavere, & hoc habebat à membris: vel in Persona membrorum loqoendo, unde dicebat : salvum me fac : vel suo exemplo nos instruebat, ut in his impugnationibus recurreret homo ad Deum clamando. *Ps.68.*

4. *Christus à planta pedis usque ad verticem, totus in passionum aquis demersus fuit.*

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam : infixus sum. Nota, quod hæc dicuntur in Persona Christi Jesu in passione positi, nam à planta pedis usque ad verticem totus in aquas passionum demersus est, ut animam nostram totam de passionibus extraheret : intraverunt aquæ usque ad animam suam. *Opusc. lignum vitæ &c. Iesus cruci elevatus.*

5. *Ad Deum confugiat per pœnitentiam, qui tentationibus premitur interioribus, & exterioribus; tunc enim Deus erit illi specialis adjutor.*

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Nota, quod hic exprimitur status miserrimus hominis in hac vitâ degentis, subjecti tentationibus internis, & externis: cum enim talis motus, & tempestas suscitatur in hoc mari, tunc ad pœnitentiam convolet,& confugiat fiducialiter ad Deum, dicens:Domine salva nos perimus: tunc enim in majori necessitate Deum inveniet, & speciale adjutorium, & refugium. *in Lucam c.6. v.69. & cap.8. v.15. & ser.1. Dom.4.post Pentec.*

6. *Peccatum demergit hominem in lutum, & ipsum evanescere facit.*

Infixus sum in limo profundi. & non est substantia Quid est hoc quod dicit homo: infixus sum in limo profundi, & non est substantia? ergone distractus est, & adnihilatus primus homo? Maxime: sed nota, quod profundum creaturæ est vanitas esse creati: & ideò quantò magis evanescit creatura, tantò magis in profundum tendit: evanescit autem per culpam, quia peccatum tollit benè esse: & hinc existens in hoc profundo, dicit verè,& non est substantia,scilicet boni esse, & gratuiti.*l.1.in prolog.& l.3. d.1.a.2 q.1 fund.2.*

7. *Christus se infixit in limo factus cloacarum,& stabuli Diaboli purgator,quia homo in profundo limi prius se infixit.*

Infixus sum in limo profundi. Et quandonam Christus se infixit in limo profundi? Nota, quod prius homo se infixit in limo profundi per culpam factus cloaca, & stabulum diaboli, & ideò Christus ad hunc limum profundum descendit, factus expurgator stabuli, & cloacarum diaboli: Vide igitur ad qualem humilitatem, & profundum se Christus reduxit propter nos.*l.3. d.1.a.1. qu.2.fund.1.& ser.3 Dom.4. Adv.* Addit autem, *& non est substantia*, scilicet cum sim incomprehensibilis, hæc comprehendi non possunt. *Psalm.68.* Nota etiam, quod hæc dicit Christus, quia dum ducebatur tempore passionis cum Cruce ad Calvarium, luto, & immunditiis impetuosè inimici eum commaculabant, & affligebant. *Opusc.medit. vita Christi,c.74.* Nota iterum, quod addit, *& non est substantia*, quasi per hyperbolem, quia redactus est, non habens speciem, neque decorem. *Psal.68.*

8. *Septem vitia capitalia constituunt mare tempestuosum, in quo homo demergitur, sed luxuria infigit hominem in limo profundi.*

Infixus sum in limo profundi: veni in altitudinem maris. Nota, quod hæc dicuntur ab homine irretito vitiis capitalibus, quæ constituunt mare tempestuosum,in quo homo demergitur:Nam superbia aufert homini Deum, Invidia aufert proximum, Ira aufert homini seipsum: Tristitia spoliatum flagellat; Avaritia flagellatum ejicit; Gula ejectum seducit: Luxuria seductum servituti subjicit, dum spiritum humanum fœdæ carni servire compellit, ut jam infirmus spiritus cum Psalmista clamat: infixus sum in limo profundi, & non est substantia, ascendi in altum maris, & tempestas demersit me. *Opuscul. de 7. donis capit.3.*

9. *Peccatum Adæ in altitudinem maris collocavit genus humanum, & subjecit tempestati.*

Veni in altitudinem Maris,& tempestas demersit me. Nota, quod hæc dicuntur in Persona generis humani, in quibus tria notantur, & primò dicit: (*veni*) per quod denotatur consensus liber voluntatis Adæ, quando peccavit: subdit: *in altitudinem maris*, per quod significatur magnitudo pœnæ; subdit, *& tempestas demersit me*, scilicet per infirmitatem humanitatis, quæ in tot miserias delapsa est ob peccatum unius hominis. *Psal.68.*

10. *Christi amor, & desiderium nostræ salutis exprimitur in similitudine gallinæ, quæ clamando rauca fit.*

Laboravi, raucæ factæ sunt fauces meæ. Et quandonam raucus factus est Christus in clamando? Nota, quod Christus clamavit prædicando indefessè, & vocando homines ad pœnitentiam, & hinc se comparat gallinæ, *Matth. 23.*dicens: *quoties volui congregare*: quia gallina avidius nutrit, & fovet pullos suos,quàm alia Avis, quod cognoscitur in laxatione alarum, & raucitate, sic Christus in vocando ad pœnitentiam, non cessavit clamare, & ideò dicit: *raucæ factæ sunt fauces meæ*: vide qualis amor Christi Jesu in nos. *Psal.68.*

11. *Christus in quo sensu dicit: quæ non rapui tunc exolvebam.*

Quæ non rapui tunc exolvebam. Quid est hoc, quod non rapuit, & tamen opere Christus exolvit? Nota, quod primi Parentes voluerunt rapere divinitatem, sicque graviter Deum offenderunt: venit Christus Deus, ut solveret, & huic peccato rapinæ satisfacere, & ideò dicit: quæ non rapui. *l.2 d.5.articul.primo, quæst. secunda, & d.22. articul.primo,quæst.prima,& opusc. lig. vitæ.*

12. Aliquando plures dæmones obsident hominem,quàm sit numerus capillorum ipsius.Unde in Persona obsessi dicitur: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. in Lucam cap.8.v.30.*

13. *Qui peccat, valde stultus est.*

Tu scis Domine insipientiam meam. Hæc verba sunt peccatoris pœnitentis ad Deum:sed cur appellat actus suos nomine insipientiæ? quia omne peccatum est actus insipientiæ,& qui peccat valde stultus est. *ser.4.Dom.4 post oct. Pascha.*

14. Qui

14. *Qui suscipit Christum in corde, opus misericordiæ exercet, recipiens peregrinum: Item peregrinus ostenditur Christus iis, qui ipsum ut peregrinum tractant.*

Extraneus factus sum fratribus meis, & Peregrinus filiis Matris meæ. Quandonam Christus factus est extraneus, & Peregrinus? nonne induerat humanitatem nostram factus noster frater? sed optimè dicit, nam in passione derelictus est à suis tanquam extraneus, & peregrinus; idque notat specialiter Christus, ut ad exercitium actus misericordiæ nos excitet, recipiendo in hospitio cordis nostri hunc Peregrinum, ideſt recolligamus in suis membris. *opusc. stim. p. 1. c. 14.* Nota etiam, quod id dicitur à Christo in ordine ad Discipulos euntes in Emaus, in quorum oculis Peregrinus erat, quia erant ipsi Peregrini in fide. *in Lucam cap. 24. v. 18.* qualis enim eris Deo, talis erit tibi Deus.

15. *Ex Templi profanatione, & peccatis Sacerdotum Deus immittit principaliter flagella publica.*

Zelus domus tuæ comedit me. Et quandonam iste zelus comedit Christum, idest attenuavit eum? sed percurre ad id, quod fecit Christus *Ioan. 2.* quando scilicet facto flagello, ejecit vendentes in Templo & hoc præcipuè fecit *Luc. c. 19.* post enarrata mala imminentis destructionis Civitatis, & Templi Hierusalem: ut discas, quod ob prophanationem Templi Sacri, & peccata Sacerdotum veniunt flagella publica & ruina Populi, hæc enim peccata extrahunt flagella è Dei manibus. *in Lucam c. 19. v. 45* Dicit igitur, quod zelus domus Patris comedit eum, scilicet accensus est zelo vehementi, eo quod Pater suus inhonorabatur ab illis, maximè in loco, ubi magis honorari debebat, ideò se terribilem eis ostendit. *opusc. meditat. vitæ Christi. cap. 41.*

16. *Prælatorum, & virorum spiritualium zelus qualis debet esse circa Dei servitium.*

Zelus domus tuæ comedit me. Nota, quod non solùm de Christo hæc proferuntur, sed & in persona Prælatorum, & virorum spiritualium, quorum munus est zelare pro observantia legis divinæ, & in Religionibus pro observantia statutorum ordinis, qui non valentes sæpè corrigere delinquentes pro desiderio, & necessitate in virtute patientiæ mirabiliter exercentur zelantes ardenter pro domo Dei. *opusc. de sex alis Seraph. c. 5. & opusc. medit. vitæ Christi, c. 56.*

17. *Exemplo Christi invitamur ad sufferentiam opprobriorum.*

Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Nota, quod opprobrium est opinatum vitium, scilicet convitium, vel vituperium illatum ab alio ob odium, quia est odii seminarium, quod toleratum patienter pro Christo, reddit nos imitatores Christi, qui tot pro nobis voluntariè sustinuit. *in Lucam c. 21. v. 65. & Psalm. 118 cap. 3. 7. & 10. & in op cap. 3.*

18. *Christus jejunio quadragesimali copulavit simul legem, & Evangelium.*

Et operui in jejunio animam meam. Nota quod hic allusio fit ad jejunium 40. dierum Christi, quo copulavit legem, & Evangelium; nam per quaternarium significatur Evangelium: per denarium lex dena: ius ergo multiplicatus per quaternarium constituit numerum quadragenarium, sic Christus operuit legem in Evangelio. *Psal. 68.*

19. *Vestium curiositas abjicienda exemplo Christi.*

Operui in jejunio animam meam; & posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Vide quomodo sacer textus copulet jejunium cum vilitate vestium nam hæc summopere placet Christo, Christus enim vilibus vestibus semper usus est; sic etiam Ninivitæ cum jejunio induti sunt saccis; nam ex curiositate, & superfluitate vestium multa mala consequuntur. *opusc. medit. vit. Christi, c. 12. & ser. 4. Dom 1. Quadrag.*

20. *Christus quomodo Iudæis factus est in parabolam.*

Factus sum illis in parabolam, adversum me loquebantur, qui sedebant in porta. Nota, quod hæc ad litteram dicuntur de Christo, qui tempore passionis luto, immunditiis, conviciis, derisionibus impellebatur, anxiabatur, & torquebatur, *opusc. medit. vitæ Christi, c. 74.*

21. *Peccatores alii morantur in cloaca diaboli, alii in ore ipsius; ideò ut liberentur à tantis malis confugere debent ad Deum in oratione.*

Ego verò orationem meam ad te Domine. Cur ad orationem confugis: quid à Deo prætendis? subdit: *eripe me de luto, ut non infigar; libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum.* Nota, quod hic duo dicit, & à duobus periculis petit liberari, scilicet de profundo aquarum, lutoque, & ab iis, qui oderunt eum, ut videas miserrimum statum peccatorum: alii enim morantur in profunda cloaca diaboli, nempe in peccatis luxuriæ, alii in ore dæmonum per obstinationem: felices tamen sunt ii, quos invenit Dominus, ut eos liberet, & ideò in persona istorum infelicium petit inveniri, & liberari à Deo *ferm. 1. Dom. 4. post Pentecost. & ferm. 4. Dom. 3. Advent.*

22. *Homo lutum corporale, & spirituale, & à Christo solo sublimari potest ad statum nobiliorem.*

Eripe me de luto ut non infigar. Nota, quod hic petit incarnationem Verbi Dei, ad quod spectat liberare lutum: lutum autem est caro nostra infirma, & culpa fœdata, ad hoc lutum sublimandum venit Christus, qui uniens divinitatem cum hoc luto, eam liberavit, & nobilitavit. *Psal. 68. & ser. 4. Dom. 11. post Pentec. & in Ioan. c. 9. v. 7*

 23. Felix

23. *Felix peccator, qui exiſtens in cloaca diaboli toto corde petit ab ipſa liberari: Infelix, qui in ea vult morari.*

Eripe me de luto, ut non infigar. Vide, quod peccator exiſtens in peccato, in cloaca diaboli moratur: Felix ergo erit, ſi toto corde ad Deum confugit, ut eripiatur: E contra, infelix, qui de hac cloaca extrahi differt, nec curat; Iſti ergo eveniet quod legitur de quodam Judæo, qui in die Sabbati noluit extrahi; die autem ſequenti, ſcilicet Dominico Rex ipſum extrahi non permittit, dicens. *Heri ſervavit Sabbatum ſuum, hodie ſervet meum.* Ita faciet Deus peccatori, ſi in die vitæ præſentis ſentinam vitiorum exire peccator noluerit, in die futuræ vitæ de lacu miſeriæ exire non poterit. Extrahatur ergo peccator in die præſentis vitæ, ut non cogatur ſubjici æternæ miſeriæ. *Ser. 4. Dom. 3. Adv.*

24. *Caveat homo ab adverſitate, à proſperitate, & deſperatione, ne ruat ob iſtas tentationes in peccatum.*

Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum. Nota hæc tria, quæ hic innuit Propheta à quibus cavere debet homo, ne ruat ob ipſa in peccatum, nempè à tentatione violenta, ſcilicet à periculo adverſitatis, ſignificatæ per tempeſtatem aquæ: à tentatione deceptoria, ſcilicet proſperitatis ſignificatæ per profundum: à tentatione deſperationis, ſignificatæ per puteum. *Pſalm. 73. & 54.*

25. *Peccatum ratione culpæ, & pœnæ annexa evaneſcere facit hominem in nihilum, ideò auxilio divino indiget, ut liberetur.*

Eripe me de luto, ut non infigar, non me demergat tempeſtas aquæ. Nota hæc duo, ſcilicet lutum profundi, & profundum aquæ: per quæ ſignificatur duplex miſeria peccatoris, ſcilicet ratione culpæ, & pœnalitatum, in quas incidit: ab his petebat Propheta liberari per adventum Redemptoris: ab his debet petere quilibet noſtrum, ut liberemur. *l. 1. prolog. in Lucam c. 14. v. 6.*

26. *Miſericordia Dei quarè dicitur benigna, & multiplex.*

Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Nota, quod petens miſericordiam à Deo Propheta, eam appellat benignam, & poſtea multiplicem: cur hoc? Quia non ſolùm benigna eſt, liberans à miſeria temporali, maximè in tempore mortis, ſed eſt magna, quia liberat à miſeria culpæ originalis, & ſpecioſa liberat à miſeria peccati actualis: eſt ergo multiplex, quia ſe extendit ad omne malum tollendum, & omne bonum conferendum. *Pſal. 118. c. 5. v. 13. & c. 6. v. 8.*

27. *Chriſtus quare dicitur puer.*

Ne avertas faciem tuam à puero tuo. Hæc ſunt verba Chriſti ad Patrem. Nota, quod Chriſtus dicitur puer, ſcilicet ob puritatem, peccatique immunitatem: propter humilitatem propter obedientiam, & propter manſuetudinem. *Pſal. 68.* Sicque ut puer dilectus orabat Patrem, ut ipſum liberaret.

28. *Chriſtus qualem confuſionem paſſus fuit.*

Tu ſcis improperium meum, & confuſionem, & reverentiam meam. Nota hæc dicuntur in perſona Chriſti tempore paſſionis: paſſus enim eſt ab inimicis improperia multa, & confuſionem, ſcilicet triſtitiæ in horto, & erubeſcentiæ, vel reverentiæ, quando fuit nudatus, & flagellatus: non autem habuit confuſionem conſcientiæ, quia hæc eſt propria peccatorum. *Pſ. 68. op. med. vita Chriſti 75.*

29. *Gravitas pœnarum Chriſti qualis, ex eo quod relictus eſt ſolus.*

Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni. Nota, quod in his verbis exprimitur gravitas pœnarum Chriſti ex eo quod fuit relictus ſolus: Gravè enim eſt homini, ſi in tormentis eum nullus conſolatur; gravius ſi à multis exprobratur: graviſſimum, ſi ab omnibus deſeratur: hæc omnia paſſus eſt Chriſtus; habuit enim in dictis contradictores, in tormentis illuſores, in factis obſervatores, in morte exprobratores. *Ser. 6. in Paraſc.*

30. *Summus gradus patientiæ Chriſti expenditur.*

Improperium expectavit cor meum. Vide ex hoc ad quem gradum pervenit patientia Chriſti: nam altus gradus eſt tolerare afflictionem, quam homo meruit pro peccatis ſuis, & Chriſtus pro alienis; altior eſt ſufferre pro juſtitia; & altiſſimus eſt ferventer appetere afflictionem; hancque Chriſtus ſublimiſſimè exercuit. *Opuſc. de grad. virt. c. 5.*

31. *Prælati, non compatientes infirmis, Deo exoſi, & contra eos clamant voces, & lamentationes ſubditorum infirmorum.*

Tu ſcis improperium meum: in conſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant. Nota, quod ſi dantur Prælati non compatientes ſubditis infirmis, eoſque non conſolantes, & deſerentes: contra eos ſubditorum miſeria clamat ad Patrem miſericordiarum, quia addunt vulnera vulneribus: væ ergo iſtis crudelibus, contra quos dicit ſubditus Domino: Tu ſcis Domine improperium, & miſeriam meam. *Opuſcul. de ſex alis Seraph. cap. 4.*

32. Chriſtus in Cruce fuit potatus aceto mixto felle ad majus tormentum, & ut guloſis daret exemplum abſtinentiæ: unde dicitur hic. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. Luc. c. 23. v. 36. & ſerm. 3. & 4. in Paraſc. & ſerm. 1. Dom. 20. poſt Pentecoſt.*

33. *Effectus peſſimi indignæ communionis Euchariſtiæ enumerantur.*

Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum. Nota, quod hic inſinuantur octo effectus peſſimi indignæ communionis: & primò dicit, *in laqueum,* eſt

est talis communio, quia illaqueatur talis malè suscipiens novo peccato, & sacrilegio: secundò damnationem præparat & ideò dicit, *in retributionem*: tertiò addit, *& in scandalum*, scilicet scandalizat proximum: quartò offuscationem mentis; unde dicit: *obscurentur oculi eorum, ne videant*: quintò tentationibus succumbit; undè dicit, *& dorsum eorum semper incurva*: Sextò Deum specialiter irritat; undè dicit: *Effunde super eos iram tuam*: Septimò vitam temporalem breviat; unde dicit: *Fiat habitatio eorum deserta*: Octavò gratuitis spoliat, sic addit: *& in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. opusc. Comp. Theol. l. 6. c. 15. & Psal. 68.*

34. *Mensa multiplex in sacra Scriptura, quæ in laqueum malis convertitur.*

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Hic nota, quod mensa multipliciter sumitur in sacra scriptura; mensa scilicet propositionis, quæ erat in tabernaculo: mensa cælestis gloriæ: mensa, sacræ Scripturæ: Mensa item in malum, scilicet iniquitatis, & istæ mensæ conversæ fuerunt Judæis in laqueum ob mortem Christo illatam. *Psal. 68.*

35. *Peccatum obscurat lumen etiam naturale datum homini.*

Obscurentur oculi eorum ne videant. Nota, quod hoc non dicit Propheta optando, sed prædicendo, sed quid est, quod prædicit? Nota, quod loquitur primò de Judæis, secundò de peccatoribus, ut exprimat effectum persecutionis Judæorum contra Christum, & peccati agentis in animam; nam proprium ejus est obscurare ingenium, memoriam, & rationem. *Ps. 68 & ser. 6. de Apostol.*

36. *Christus magis doluit pro peccatis Judæorum, quàm propriis vulneribus.*

Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Quid est quod addiderunt super dolorem vulnerum Christi? addiderunt peccatum, addiderunt & obcæcationem spiritualem animæ: & hoc fuit vulnus super vulnus, & dolor major Christi. *Serm 1. Dom. 1. infra oct. Epiph. & opusc de perfec. vitæ c. 6.* Nota etiam, quod hic allusio fit ad flagellationem factam Christi, super quam addiderunt proprium peccatum, & odium Judæi. *Psal. 118. c. 11. v. 1.*

37. *Non compatiens proximo infirmo ipsumque deserens, addit vulnera vulneribus ipsi.*

Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt. & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Nota, quod hæc mysticè à Christo dicuntur de paupere infirmo à Deo infirmitate & necessitate percusso; sed addendo super dolorem vulnerum meorum addiderunt, ingerit difficultatem: Quomodò dolores hujus percussi à Deo transierunt in dolores, & vulnera Christi? Sed attende, quod conqueritur Christus de iis, qui à Prælatis, vel divitibus deseruntur absque subventione in suis necessitatibus, & infirmitatibus; tunc enim additur dolor super dolorem, & vulnus super vulnus: & quia Christi membra sunt, ideò Christus tamquam de propriis vulneribus conqueritur. *Op. de sex alis Seraph. c. 4. & ser. 6. de Apost.*

38. *Qui intentioni malæ addit opus, addit iniquitatem super iniquitatem.*

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Nota hoc dicitur prædicendo: sed quid est apponere iniquitatem super iniquitatem, nisi intentioni malæ addere opus? sic enim additur, non novum peccatum, sed circumstantia aggravans. *l. 2. d. 42. a. 1. qu 2.*

39. *Quinam deleri possunt de libro vitæ, & quinam non.*

Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur. Ergone potest quis deleri de libro vitæ? ergone immutatio potest cadere in consiliis, & decretis Dei æternis? nonne hæc sunt immutabilia? Sed attende, quod tribus modis dicitur aliquis scribi in libro vitæ, qui consistit in divina dispositione, secundùm quam aliquis ordinatur ad vitam, & reputatur esse dignus vita: primò secundùm præsentiam, & præsentem justitiam: secundò secundùm finalis gratiæ prævisionem: tertiò secundùm opinionem: primo modo præscitus potest dici scriptus ad tempus in libro vitæ, sed non finaliter: secundo modo dicuntur prædestinati scripti in libro vitæ, licèt ad tempus perdant gratiam, quia involuitur in prædestinationem eorum ordinatio ad vitam secundùm præscientiam divinam: tertio modo quatenus præsciti faciunt opera, quæ reputant homines bona: primo, & tertio modo non dicuntur scripti indelebiliter & finaliter, sed tantum secundo modo; stet igitur, & operetur quilibet cum metu, & tremore suam salutem: Nec per hoc existimet aliquis cadere in consiliis, & sententia Dei aliquam immutationem, sed tantùm in homine circa meritum immutatum. *l. 1. d. 31. dub 2. & lib 4. d 43. a. 1. q. 1. & 2. & in Psal. 68. in Lucam c 10. v. 20.*

40. *Quatuor sunt libri Dei à Deo expositi fidelibus.*

Deleantur de libro viventium. Ergone apud Deum est aliquis liber? maximè: Nota, quod quatuor sunt libri à Deo expositi, & scripti: primus est scriptus ab æterno, estque divinitas: Secundus scriptus in Paradiso in mente hominis: tertius in deserto, scilicet lex scripta: quartus in Christo in ejus Incarnatione: in primo legebant tantùm tres Personæ Divinæ & erat scriptus intus tantùm: in secundo legere poterant primi homines in statu innocentiæ, & potest legere etiam quilibet, scilicet dictamen legis naturæ: Tertius expositus fuit mundo in tabulis legis: quartus est scriptus intus per divinitatem, auroque divinitatis illustratus, & foris per humanitatem in claustro Virginis Mariæ scriptus, in quo possunt legere homines, & Angeli: caveat ergo homo, ne deleatur ex hoc libro *Psal. 68.*

41. *Christus verè fuit pauper, & mendicus temporaliter.*

Ego sum pauper, & dolens. Nota hæc dicta esse in persona Christi, qui verè tēporaliter fuit pauper, & mendicus, ut nos instrueret ad sui imitationem: sed advertendū, quod triplex mendicatio reperitur: prima est ex necessitate naturæ, quæ potest fieri meritoria ipsa tolerādo pro amore Christi: secūda est

eſt ex vitioſitate, ſcilicet vel pro otio fovendo, vel pro lucro reportando: tertia, ex ſupererogatione Juſtitiæ, & hæc fuit in Chriſto, in Apoſtolis, & ipſorum imitatoribus, & hæc eſt laudabilis, nobilis, & meritoria. *Opuſc. de paup. Chriſti art. 2. & l. 3. d 16. art. 1. qu. 1.*

42. *Paupertas voluntaria affert dulcedinem, & delectationem ſpiritualem animæ.*

Ego ſum pauper, & dolens: Nota, quod ſequitur: *ſalus tua Deus ſuſcepit me, laudabo in cantico*: ut videas, quod paupertas voluntaria non ſolùm non affert miſeriam, ſed lætitiam, & delectationem ſpiritualem animæ: caſtigat enim & probat, purgat, humiliat, & exaltat: O felix paupertas, & fælices pauperes Chriſti. *Opuſc. Apol. paup. reſp. 3. cap. 3.*

43. *Pauper voluntarius quomodò debet eſſe dolens.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota hanc connexionem pauperis, & dolentis, ut videas quod ſolùm ille eſt pauper Deo gratus, & voluntarius, qui eſt dolens, ſcilicet qui per compunctionem interiorem, & pro imitando Chriſtum, relinquit poſſeſſionem exteriorem, addit: *ſalus tua ſuſcepit me*, id eſt Ieſus filius tuus ſuſcepit me ad emiſſionem voti paupertatis, & obedientiæ, & caſtitatis. *Pſal. 118 c. 8. v. 4.*

44. *Quilibet homo in hac vita eſt pauper.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota hæc dici in Perſona cujuſlibet hominis, qui verè eſt pauper, non habens in hac vita permanentem civitatem: & ideò tanquam mendici, debemus à Deo petere eleemoſynam. *in Pſal. 114. & opuſc. de paup. Chriſti. art. 2. & in Lucam c. 16. v. 10.*

45. *Chriſtus fuit dolens multipliciter.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota hæc dici à Chriſto: multipliciter enim doluit: primò ex infirmitate pro ſe: ſecundò pro bonis ex dilectione: tertiò pro malis ex compaſſione: & ideò oravit pro Judæis dicens: *ignoſce illis. Pſal. 68.*

46. *Chriſtus acerbiſſimum dolorem paſſus eſt.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota, quod hic impugnatur error eorum, qui dixerunt, Chriſtum verum dolorem non habuiſſe; quia verè ſecundùm humanitatem doluit, ejuſque dolor fuit acerbiſſimus, tum ex cauſa patiendi, quia fuit dolor pro culpa non propria, ſed aliena pro amicis, & inimicis: tum ex modo, quia ob generalitatem membrorum, & continuitatem pœnæ; tum ex conditione patientis propter maximam complexionis æqualitatem, & propter ſenſus vivacitatem. *l. 3. d. 16. art. 1 qu. 1. & 2.*

47. *Laus Dei qualiter à nobis promenda.*

Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Nota quod in his verbis exprimuntur conditiones perfectæ laudationis divinæ; debemos enim laudare Deum voce unde dicit: *Laudabo nomen Dei*: mentis jucunditate, unde addit, *cum cantico*: & bona operatione, unde dicit, *& magnificabo eum. Pſal 68.*

48. *Verus pauper Chriſti indigentiâ lætatur.*

Videant pauperes, & lætentur. Cur lætari debent? propter excellentiam virtutis gratuitæ, & affluentiam jucunditatis internæ, & propter bonitatem divinam. *In Lucam c. 7. v. 22. & pſal. 118 c. 5. v. 10.*

49. *Quærendus eſt Chriſtus, ut panis, ut medicus, ut medicina, ut fons omnium bonorum.*

Videant pauperes, & lætentur, quærite Deum, & vivet anima veſtra. Nota, quod prius præcipit, ut lætentur pauperes, & poſtea vult, ut quærant Deum, ad quod conſequitur vita animæ: per quæ datur intelligi, quod qui eſt pauper, & indigens pane, ad Chriſtum recurrat, ut ad panem vitæ: ſi eſt pauper, & infirmus, ad Chriſtum ut medicum recurrat, & vivet anima: ſi alio bono indigens, ad Chriſtum, ut ad fontem omnium bonorum. *Ser. 6. Dom. infra oct. Epiph ſer. 6. in rogat. & ſer. 2. Dom. 14. poſt Pentecoſt.*

50. *Vincti alii ſunt Chriſti, alii Diaboli: ubi de fune S. Franciſci.*

Quoniam exaudivit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non deſpexit. Nota illam particulam, *vinctos ſuos*: ſcilicet loquitur de vinctis Chriſti; quia alii ſunt vincti Chriſti, alij Diaboli: vincti Chriſti ſunt, qui vinculis pœnitentiæ, charitatis, religionis ſunt ligati, utique à Chriſto ſunt dilecti, & exauditi: vincti Diaboli ſunt vinculis peccatorum irretiti, quos Diabolus ducit ad præcipitium, iſtoſque deſpicit Deus. *Serm. 3. Dom. 11. poſt Pentec. & ſerm. 3. Dom. 3. Adv. & Pſal. 118. cap. 2. v. 10. & Pſal 68.* Nota etiam, quod hic textus poteſt applicari fratribus minoribus, quibus S. Franciſcus ordinavit, ut pro cingulo ſacci uterentur fune, ut Chriſtum vinctum imitarentur, & ut vinculi vilitas concordaret habitui pauperum: ut hoc cingulo armati, veritatis linea mnlris aſpera, ab Eccleſia videantur diſturbare ſimoniacos, & ſceleſtos. *Op. expoſ. in reg. S. Fran. cap. 2.*

51. Vinculum ligans manus, pedes, collum, & linguam eſt peccatum mortale: qui ergo vult ſolvi à vinculo iſto clamet ad Deum. *Ser. 3. Dom. 11 poſt Pentecoſt.*

52. *Contemplativi corpore habitant terram, anima Cœlum.*

Quoniam Deus ſalvam faciet Sion, & ædificabuntur Civitates Iuda, & inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam, & ſemen ſervorum ejus poſſidebit eam. Hic ad litteram prædicit Propheta ædificationem Eccleſiarum ſub nomine civitatum Iuda, cultum Dei, qui in ipſis florebit, & tandem acquiſitionem gloriæ ipſorum colentium ſervorum Dei: Myſticè loquitur de contemplativis qui licet corpore habitent in terra, anima tamen civitatem ſupernam inhabitant, & finaliter illam hæreditant. *Pſal. 118. c. 7. v. 15.*

53. Qui

53. *Qui in profundo peccatorum est, ad Mariam recurrat, & liberabitur.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Nota, quod ut dictum est hæ sunt voces existentis in profundo luto peccati, & ad Deum recurrentis pro liberatione: attamen si vult securè liberari à talibus angustiis, recurrat ad Mariam Virginem, quæ est unicum refugium peccatorum; & dicat toto corde: salvum me fac Domina Virgo, quoniam intraverunt aquæ concupiscentiarum usque ad animam meã: infixus sum in limo profundi, & aquæ voluptatis circumdederunt me plorans ploravi in nocte: sicque dies lætitiæ orietur talibus confugientibus ad Mariam. *opusc. Psalt. B. Virgin. Psal. 68.*

54. *Qui in mari tempestatum hujus vitæ jacet, ad stellam maris recurrat, quæ est stella salvans peccatores.*

Salvum me fac, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Nota quod istæ voces sunt existentis in medio undarum, & fluctuum maris, vallati angustijs mortis, & tales sunt omnes homines navigantes hanc vitam miseram; sed quis nos salvabit in tot angustiis? sola Maria maris stella; hanc Deus collocavit in Ecclesia, ut ad ipsam adspiceremus, ut per ipsam ad portum salutis reduceremur: dicamus ergo ad ipsam toto corde conversi: O gloriosa Virgo, si es stella maris, nobile solatium, dulce consortium, efficax auxilium, pium subsidium nostrum, volo in hac vita esse in mari, ut semper sis stella mea, ut semper in mari sim perfectæ amaritudinis, de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo compatiendo, & proximorum miseriis subveniendo: currant undique tribulationes, intrent usque ad animam meam, non timebo, quoniam tu mecum es. *Opusc. stim. p. 3 cap. 16.*

55. *Ad Mariam clamandum in angustiis.*

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Sic dicebat Propheta ad Deum: sic dicit Ecclesia ad Mariam in antiphona: *Salve Regina*: dum continuè exit in has voces: *ad te clamamus exules filii Evæ*, scilicet clamamus angustiati, miseriis infinitis oppressi, clamamus cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris acerbitate: aut forte erga Mariam amoris immensitate clamamus ne somnolentia sibi erga nos inducatur: Clamamus ad te ô Maria, ut nostram tibi manifestemus miseriam, quia clamare necessitas nos compellit: & etiam clamamus, ut te ad compassionem amplius moveamus: propter hunc clamorem raucæ factæ sunt fauces nostræ. Quid ergo amplius moraris? Quid affligi nos permittis? si ergo multum tardaveris, & vocem clamando amisero, ad te amplius clamare nequibo. Citò Domina subveni clamanti, ne in manibus inimici subjiciar: curre, festina Domina, & tuum nequissimum servum, ac infidelissimum ad te clamantem parcendo adjuva, & eripe de manibus inimici, & periculis sui hostis: salva animam meam Genitrix salvatoris, quia per te vera salus data est toti mundo, dum, nuntiante Angelo, fuisti obumbrata, & sapientiâ Patris gravidata. *Op. stim. p. 3. c. 19. & opusc. Psalt. B. Virg. Psal. 68.*

56. *Dolores B. Virginis in Passione filii expendantur.*

Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt; & super dolorem vulnerum meorum addiderunt: Ego sum pauper, & dolens. Nota, quod ista sunt verba Salvatoris in passione positi; Sed tamen etiam possunt applicari ad Mariam dolentem de doloribus, & passione filii dilecti: Nam non solùm in anima fuit illi Martyri commartyr, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa, gladiato congladiata: Pallebat enim decor munditiæ, & naturali pulchritudine tabescebat in filio, & ipsa tabescebat, quia talis in ipsa relucebat effigies, qualis ab objecto corporis filii resultabat: sordebat sputis facies gloriosa, sordebat & ipsa luctu mæstitiæ, non enim alium habitum prætendebat amans, nisi qualis virtus amoris expresserat amato: Ad hæc addit Maria: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt; nempè ob compassionem quam habebat, & dolebat de obcæcationis malitia Judæorum, eo quod apponebant iniquitatem super iniquitatem, spernendo illud magnum sacramentum, & vilipendendo illud saluberrimum medicamentum passionis Christi antidotum, ut videretur ei addere dolorem vulnerum mentalium, quem gladius passionis Christi filii sui in sua anima expresserat. *ser. 1. Dom. infra oct. Epiph.*

Maria est speculum erat, in quo expressa fuerunt omnes pœnæ Christi corpora tenus.



PSALMUS LXIX.

Titulus: in finem, Psalmus David in rememorationem quod salvum fecerit eum Dominus.

1. PRIMÒ Nota, quod cum suprà egerit de Christi passione, à qua nobis est omne bonum: in hoc psalmo dirigitur justus ad Christum, ut ab eo obtineat adjutorium in omnibus suis necessitatibus in virtute passionis Christi, à qua salus provenit: per quod diffidens de se ipso totam fiduciam collocat in ipso Christo.

2. *SicutE cclesia in principio horarum canonicarum utitur hoc primo versu; sic & quilibet debet in omni necessitate, & tentatione eodem uti.*

Deus in adjutorium meum intende. Nota, quod in primitiva Ecclesia unusquisque dicebat hunc versum in principio cujuslibet actionis: nunc verò idem facit Ecclesia in principio cujuslibet horæ canonicæ, & ob id quilibet debet eodem versiculo uti in omnibus tentationibus, & accidentibus: est enim valde efficax contra diabolum, quia exercetur in eo diffidentia sui, & totalis fiducia in Deo; petitur autem multiplex adjutorium à Deo, nempè ut intendat per misericordiam, per perseverantiam, & per consummationem, & simul adjuvet præveniendo quantum ad principium per primam gratiam, quantum ad perfectionem

Ff

ctionem operis per cooperantem ſecundam gratiam, & conſummando in ordine ad gloriam. *Pſal 69. & opuſc. de modo confit. c. 5.*

3. *Adjutorio ſpeciali indiget homo ad repellendas tentationes hoſtium inviſibilium, & hominum adulantium.*

Avertantur retrorſum, qui dicunt mihi euge, euge. Nota, quod hic petitur auxilium à Deo, 1. contra Dæmones quærentes animas noſtras: 2. contra homines adulantes, & deceptores; illa enim particula, *euge, euge*, eſt adverbium adulatorium. *Pſalm. 69. & in Lucam c. 19. v. 17.*

4. *Quærentes toto corde Chriſtum, ipſum inveniunt medicum, theſaurum, ſponſum, & Regem.*

Exultent, & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant ſemper magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Nota, quod hic ſuadet animæ, ut toto corde quærat Chriſtum, ex eo quod exultatio, & lætitia emanat ſemper ex tali conquiſitione; ſed quid eſt, quod facit lætari, & exultare animam? quia quærendo Chriſtum invenit Ægrotus medicum, & medicinam; pauper theſaurum ditiſſimum; dilecta ſponſum, & hæres Regnum. O felix, qui quærit Chriſtum toto corde! *ſer. 3. Dom. 14. poſt Pentec.*

5. *Paupertas generis humani qualis.*

Ego verò egenus, & pauper ſum; Deus adjuva me. Nota hæc dici in Perſona cujuſlibet hominis, qui verè pauper, & egenus eſt: 1. ob fomitem peccati: 2. quia de ſe nihil habet boni: 3. quia eſt in motu, & tranſitu: 4 quia pœnalitatibus infinitis ſubjacet. *Pſal. 69.*

6. *Chriſtus fuit verè pauper, & mendicus.*

Ego ſum egenus, & pauper. Nota hæc dici in Perſona Chriſti, qui verè fuit pauper, divitias non habens, & ſibi inſufficiens quoad res temporales. *opuſc. de paup. Chriſti. a. 1.*

7 *Multiplex perſecutio in Eccleſia, ipſam ad Deum faciens recurrere.*

Deus adjuva me adjutor meus. Nota, quod iſta dicuntur in Perſona Eccleſiæ ad Deum recurrentis pro multiplici perſecutione, quæ ad quatuor capita reducitur: nempè prima fuit in ſtrage Martyrum: 2. in prædicatione hæreticorum: 3. in fraude falſorum fratrum: 4. erit in tempore Antichriſti. *Pſalm. 69.*

8. *Ad Mariam Virginem poſt Deum docemur confugere in principio noſtrarum operationum.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Deus in adjutorium meum.* Dicamus & Mariæ: Domina in adjutorium meum intende; & luce miſericordiæ tuæ illuſtra mentem meam: doce nos exquirere bonitatem tuam, & enarremus mirabilia tua: oſtende potentiam tuam contra inimicos noſtros, ut ſanctificeris in nationibus procul: in irâ flammæ tuæ mergantur in infernum, & qui conturbant ſervos tuos inveniant perditionem: miſerere ſervorum tuorum, ſuper quos invocatum eſt nomen tuum, & ne ſinas anguſtiari eos in tentationibus ſuis. *Opuſc. Pſalt. B. V. Pſal. 69.*



PSALMUS LXX.

Titulus: Pſalmus David: filiorum Jonadab, & priorum captivorum.

1. PRIMÒ Nota, quod iſte Pſalmus agit de filiis Jonadab, ſcilicet de ſignificatis per eos, ſcilicet de illis qui obediunt ſpontaneè Dei voluntati (Jonadab interpretatur ſpontaneus) qui prius erant captivi per peccatum: proponitur autem exemplum iſtorum filiorum nobis, quia ipſi ſpontaneè ſervabant præcepta Patris ſui, ne biberent vinum: ut hoc exemplo excitemur ad obediendum Deo, & totam ſpem reponamus in ipſo, ſicque liberabimur ab omnibus malis.

2. *Captivitas multiplex noſtra, ſignificata in trina Judæorum captivitate: Titulus: filiorum Jonadab, & priorum captivorum.*

Nota, quod hic innuit multiplicem captivitatem, (quæ fuit triplex Judæorum) ſignificantem trinam captivitatem noſtram, ſcilicet pœnæ, culpæ, & gehennæ: innuit autem hic primam, quæ eſt pœnæ, nempè contractam ob fomitem concupiſcentiæ per quam ſuperior pars ſubjacet inferiori, quia lex carnis ligat animam: excitatur autem hic anima ad ſperandum in Deo, & obediendum ipſi, & conſequenter ad ſubjiciendam partem inferiorem ſuperiori. *Pſal. 70.*

3. *Vera ſpes in Deum excludit præſumptionem, & confuſionem.*

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia tua libera me. Notandũ, quod hæc verba ſunt Chriſti, ſed in perſona membrorum prolata, nam propriè in Chriſto non fuit ſpes; & ideò membrum ejus quodlibet in Deo confidens, & ſpem in ipſum collocans, ſe proteſtatur nullum timorem habere confuſionis, quia vera ſpes non confunditur. *Pſal. 118. c. 2. v. 15. & l. 3. d. 26. dub. 5.*

4. *Verè ſperans in Deum, omne bonum ab ipſo recognoſcit, malum à ſe ipſo.*

In te Domine ſperavi &c. Eſto mihi &c. quoniam firmamentum meum es tu. Vide quod ſperans in Deum, omne bonum, robur, firmitatem à Deo recognoſcit, & omne malum à ſe ipſo: hoc enim verum eſt, nempè quicquid boni ſumus, miſericordiâ Dei ſumus: quicquid ex nobis ſumus, & mali ſumus. *Pſalm. 70.*

5. *Boni in libro Legis divinæ legunt: mali contra legem ſcribunt.*

Eripe me de manu contra legem agentis & iniqui. Nota hic, quod ponitur diſcrimen inter bonos, & malos: nam mali manu operantur, & ſcribunt contra

tra legem : Boni legunt in lege Dei,quæ eſt quadruplex,ſcilicet lex foris ſcripta,quæ eſt Moſaica & Evangelica: lex intus data , ſcilicet in ratione: Lex in mundi figura,quia per creaturæ pulchritudinem laudatur Creator, & lex æterna , quæ eſt Deus : Juſti autem in hac quadruplici lege continue legunt , & petunt à Deo liberari ab iniquis manu contra legem agentibus. *Pſal.* 70.

6. *Iuventus Eccleſiæ explicatar.*

Domine tu es ſpes mea à juventute mea. Nota hæc ſunt verba Eccleſiæ,quæ totam fiduciam habet in Chriſto a juventute ſua : ſed quænam eſt hæc juventus ? Reſpondeo , quod juventus conſiſtit in tribus, ſcilicet in ætate parva in fortitudine,& in decore: ſic Eccleſia fuit parva, in paucis fidelibus in principio : fortis in tempore martyrum,& decora eſt in patria.Ejus ætas diſtinguitur ſecundum quatuor Sacramenta quæ ſunt Baptiſmus ſignificans infantiam:exorciſmus , ſeu ordo, pueritiam;Confirmatio ſignificans juventutem, & id quod ſequitur ſignificat ſenectutem, ſcilicet in Pœnitentia , Extrema - unctione , Matrimonio. *Pſalm.*70.

7. *Laus vocalis in Eccleſia quare ordinata, & quomodo exercenda.*

In te cantatio mea:repleatur os meum laude. Nota, quod laus vocalis in Eccleſia hic exprimitur,fuitque Spiritu ſancto dictante ordinata quadruplici ex cauſa , ſcilicet ut pigritia noſtra excitetur, ut proximus audiendo corrigatur , & ædificetur , ut meritum noſtrum augmentetur , ut illa laus mente , & ore exprimatur , ne ſit ibi duplex cor. *Pſalm.*70.

8. *Alij deficiunt in malum , alij in bonum.*

*Ne projicias me in tempore ſenectutis mea: cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.*Nota,quod vir juſtus,videns ſe in Dei obſequio collocatum diffidens de propria virtute ad Deum confugit , ne à Deo projiciatur in tempore ſenectutis, & cum defecerit virtus ſua: Notanter auté dicit:*cum defecerit virtus mea*,quia deficit quis à Deo , ſub Deo , in Deo,& in Deum. A Deo quando per peccatum quis recedit à Deo , tuncque deficit virtus gratiæ Dei,& hoc eſt quod metuebat Propheta : Deficit quis ſub Deo qui à peccato deſiſtit,in Deo, qui in Dei cognitione deficit ; in Deum verò deficit & tranſmutat , qui in Deum per contemplationem intendit.*Pſalm* 70.

9. *Juſti caveant à viris ſcandaloſis æquè ac peccato.*

Deus ne elongeris à me:confundantur,& deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur pudore qui quærunt mala mihi. Vide quid eſt , quod vir juſtus à Deo petit , nempe ne elongetur à ſe : & ne elongetur à ſe poſtulat ab ipſo , ut elongentur , & deficiant detrahentes animæ ſuæ : qui ſunt iſti detrahentes animæ ? ſed ex hoc patet, quale periculum inferat ſocietas ſcandaloſorum, qui alios pertrahunt ad peccatum:iſti enim detrahunt provocando ad peccatum:unde hoc cognoſcens,petit à Deo , ut ab iſtorum ſocietate , & commercio liberetur,quaſi æquè timeat,& formidet peccatum , ac ſocietatem iſtorum perfidorum qui quærunt animas , ut eas ad malum , & peccatum inducant. *Pſal.*70.

10. *Vir juſtus debet ſe ſemper exercere in ſpei longanimitate.*

Ego autem ſemper ſperabo & adjiciam ſuper omnem laudem tuam Vide quod vir juſtus toties repetit exercitium ſpei in Deum, quia ſciebat, quod hoc exercitium mirabiliter ſtabilit animam in Dei ſervitio eamque reddit tutam ab omni labe in omnibus eventibus.*Pſal* 118.*c*.6.*v*.14.

11. *Litteratura qualis damnoſa , & qualis proficuà.*

*Quoniam non cognovi litteraturam,introibo in potentias Domini.*Quid eſt hoc, quod hic notatur?ergone addiſcere ſcientias impedit ingreſſum in Cœlum, vel cognitionem mirabilium Dei?Nonne omnes ſcientiæ ancillantur Theologiæ coadjuvantes ipſius intellectum?ſed attende,quod eſt litteratura bona & mala : mala eſt quæ facit cor inflatum;item & illa quæ in cortice litteræ ſiſtit, ut faciunt Hebræi , & hæc facit ſervum : Bona eſt Chriſti,quæ in ſua ſchola addiſcitur, & hæc facit filium , unde loquitur de mala ſacer textus , quià nullum medicamentum affert animæ pro medendo vulneribus peccati : tertia verò omne bonum affert *Pſal.*70.

12. *Periculum negotiatorum grande.*

Quoniam non cognovi litteraturam. Alia litterà apud D.Auguſtinum legit:*quoniam non cognovi negotiationes* ; ergone negotiatio impedit ingreſſum Cœli?ſed attende , quod eſt negotiatio , quæ vix, aut nullateous poteſt ſine peccato exerceri , & de hac verificatur ſimpliciter hic textus : quælibet tamen negotiatio ſi non exercetur cum maxima cautela , ad peccatum trahit,& ideò ſanum conſilium eſt cavere ab omni negotiatione , *opuſc.Phar* *l*.1.*c*.48.

13. *Deus multipliciter nos docet viam veritatis præcipuè per expoſitionem ſacrarum imaginum.*

*Deus docuiſti me à juventute mea , & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua.*Vide quomodo Deus volens,ut dirigamur per vias veritatis , etiam providit nos omnibus neceſſariis;nam multipliciter nos in ſua ſchola inſtruit : docet enim nos per Sacram ſcripturam , per doctrinam à Chriſto expreſſam: per inſpirationem interiorem;per ſancta exempla, & per flagella. *Pſal.*70.Adde & per ſacrarum imaginum expoſitionem , nam iſtæ ſunt loco librorum rudibus. *l*.3.*d*.9. *a*.1.*quaſt*.2.

14. *Recordatio juſtitia Dei contra peccata quare ſuadetur.*

Domine memorabor juſtitia tua ſolius. Cur ſolius Dei ? Nonne & ab aliis exercetur juſtitia , ut à Principibus , & judicibus ? quia hæc ſola Dei eſt metuenda , qua impios condemnat ad pœnam æternam, & hujus recordatio eſt unum ex præcipuis documentis in ſacra ſcriptura , & ſchola Chriſti traditis,quia per hanc retrahitur homo à peccato.*Pſal.*118.*c*.9.*v*.14.

Eccleſiæ dividendo ſpolia, ſcilicet homines erutos à poteſtate diaboli: dicitur autem meritò, Rex virtutum, quia omnes virtutes perfectiſſimè exercuit, ut perficeret & ditaret Eccleſiam ſuam ſponſam. *Pſal. 67.*

27. *Eccleſia eſt Myſtica Columba, in cujus medio dormire debent ſacerdotes.*

Si dormiatis inter medios cleros, penna Columbæ deargentata. Nota ex Gloſſa, quod illud verbum, (*inter medios cleros,*) eſt phraſis Græca; nam latinè deberet dici, in medio clerorum: Cleros Græcè dicit latinè teſtamentum, in cujus virtute datur hæreditatis ſors, & ideò interpretatur ſors, & hæreditas Chriſti, ſignificans gradus Eccleſiæ, in medio quorum dormit, qui illos ardenter, & inordinatè non petit, ſed ipſos patiènter expectat: Qui enim ad eos inordinate inhiat, numquam quieſcit: Si igitur ô clerici ſic quieſcitis ad hos ordines ſolùm Deum deſiderantes, ejuſque obſequium pennæ veſtræ erunt dealbatæ ex donis, & adventu Spiritus ſancti; quia iſta ſunt pennæ columbæ, ſcilicet Eccleſiæ Dei: Eccleſia autem columbæ comparatur, primò propter ſimplicitatem, quia Chriſtus vult, ut ejus membra ſint ſimplicia ſicut columba. Secundò propter fæcunditatem, qua filios Chriſto continuè gignit Tertiò propter murmurationem, & gemitum contra peccatum. *Pſal. 67. & opuſc. Proc. S. Script.*

28. *Prælati Eccleſiæ communitatem debent ſervare cum omnibus abſque acceptione perſonarum.*

Si dormiatis inter medios cleros penna columbæ deargentata. Nota, quod hic loquitur Prælatis Eccleſiæ, docetque, quod ſi volunt, ut eorum pennæ, ſcilicet dona ſint deargentata, & Deo accepta, debent dormire in medio clerorum, ſcilicet fidelium, per communitatem, & abſque acceptione perſonarum. *In Thren. c. 1.*

29. *Contemplatio facit dormire animam in Deo.*

Si dormiatis inter medios cleros. Nota, quod hoc dicitur etiam de dormitione ſpiritualì contemplativorum; nam eorum anima dormit in medio clerorum, ſcilicet terminorum mundi, & Cœli, ſublevata à terra in confinio Cœli, & Dei: ſic eorum pennæ volabunt feliciter ad Deum. *Opuſc. de prof. relig. l. 2 c. 72.* Et hinc ſubdit: *dum diſcernit cæleſtis Reges ſuper eam*; ſcilicèt mens in cæleſtibus innixa, ſcit diſcernere Reges bonos, ſcilicet Rectores, & malos, bonum, & malum, & ſolum Deum deſiderare. *Pſal. 67.*

30. *Chriſtus, licèt haberet gratiam ſine menſura, eum menſura tamen aliis communicabat doctrinam ſuam ſecundùm captum auditorum ſic & Prædicatores debent facere.*

Mons Dei, mons pinguis, & coagulatus. Nota; hic loquitur myſticè de Chriſto, ſub nomine montis, quia ut mons pinguis habebat dona, & gratiam ſine menſura; qui tamen erat coagulatus in communicando doctrinam ſuam; ſcilicet colliminando, & conformando ſe auditoribus, ſecundùm exigentiam ſui ſtatus: quod & debent advertere Prædicatores. *Pſal. 118. v. 5. v. 6. & in Ioan. collat. 40. & ſerm 5. de Apoſtol.*

31. *Contemplativorum mens eſt mons pinguis Dei, donis cæleſtibus.*

Mons Dei, mons pinguis: in quo beneplacitum. Nota, quod myſticè dicitur de mente contemplativorum, quæ erigendo ſe in Deum fit mons donis cæleſtibus, & contemplationibus impinguatus, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. *Serm. 4. Dom. 1. quad.*

32. *Gloria Chriſti ad Cœlum aſcendentis hic exprimitur.*

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium in eo, etenim Dominus habitabit in finem. Nota quod hic innuitur aſcenſus Chriſti in Cœlum, ejuſque gloria: dicit autem quod ejus currus erat multiplex, ſcilicet multipliciter glorioſus: Hic currus eſt exercitus Angelorum, currus inquam, non neceſſitatis, ſed dignitatis; & ſignificatur per numerum decem millium: & per millia lætantium intelliguntur animæ glorioſæ cum Chriſto aſcendentes in Cœlum: an verò hic ſumatur numerus talis ad litteram, an numerus certus pro incerto, dubium eſt. *Serm. 1. in Aſcenſione.*

33. *Alii ad Cœlum aſcendunt in curru Chriſti; alii ad infernum deſcendunt in curru diaboli.*

Currus Dei multiplex. Nota, quod ultra currum ſupra poſitum Angelorum, alios currus habet Deus, per quos aſcendit, & aſcendere facit ad Cœlum animas; Eſt enim currus Evangelii: item & exercitium quatuor virtutum Cardinalium, per quas Chriſtus aſcendit, & aſcendere facit ſuos ad Cœlum, diabolus habet & ſuos currus, nempè vitiorum, & bon rum ter enorum, per quos deſcendere facit ad infernum. *Pſal. 67.*

34. Chriſtus aſcendens ad Cœlum cœpit captivitatem, ſcilicet liberando animas à captivitate, & ducendo eas ad Cœlum. *Ser. 3. Dom. 4. poſt Pent. & in ſap. cap. 8. & cap. 10. & opuſc. lignum vitæ, etc.* Jeſus: *doctor exercitus: & opuſc. de inviſibilitate Dei, & opuſc. Comp. Theolog. l. 4. c. 24. & in Lucam c. 4. v. 19.*

35. *Chriſtus in aſcenſu ad Cœlum, quænam dona reliquit nobis.*

Dedit dona hominibus. Quænam dona ante hunc triumphum? Corpus tortori, Spiritum Patri, Matrem Joanni, Paradiſum latroni, & poſtmodum Eccleſiæ dona Spiritus ſancti. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiphan.*

36. *Chriſtus Dominus mortis, & vitæ, bonis eſt tribuens gloriam, malis pœnam.*

Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum, Deus noſter, Deus ſalvos faciendi, & Domini, Domini exitus mortis. Nota myſteria horum verborum, in quibus indicatur, quod Chriſtus venit in hunc mundum, ut nos dirigeret per iter ſalutis: ſed ne nimis confidamus, addit, quod ipſe

ipſe eſt Dominus dupliciter,ſcilicet exitus mortis bonorum,& malorum ; bonos præmians, & malos puniens. *Serm.*1. *in rogat.* & *Pſal.* 17. unde ſubdit Propheta, quod conſtinget capita inimicorum.

37. *Confuſio, & erubeſcentia in confeſſione quàm utilis.*

Dixit Dominus ex Baſan convertam : convertam in profundum maris. Quid eſt quod Deus ſpeciali modo vult convertere peccatorem in profundum maris exiſtentem ſolum ex Baſan ? Ad litteram prædicit deſtructionem civitatis Hieruſalem factam ab exercitu Romano,& inchoatam ex parte, in qua erat terra Baſan : Myſticè quia Baſan interpretatur confuſio : datur intelligi, quod deſtructio peccatorum in Eccleſia debet inchoare à Baſan, ſcilicet à confuſione,& erubeſcentia peccatorum in confeſſione : ſic enim eruitur anima converſa de profundo ſubmerſionis : verè ergo eſt utilis hæc erubeſcentiæ pœna pro peccato,quia talis dignus fit miſericordia.*fer.*4.*in die Ciner.* & *fer.* 2.*Dom.*3.*poſt oct. Epiphan.*

38. *Ad majores peccatores tendere debet ſtudium prædicatorum,ut convertantur.*

Convertam in profundum maris. Cur in profundum tendit hoc ſtudium convertendi, & non potius ad litus maris ? Nota, quod in profundo ſunt peccatores involuti in maximis vitiis : Prædicator verò totus intentus ad converſionem omnium, maximè tamen debet intendere ad converſionem eorum, qui morantur in hoc profundo:O felix ille, qui hos piſces in profundo morantes capere poteſt. *Serm.* 2. *Dom.* 3. *poſt oct. Epiphan.*

39. *Chriſtus utitur lingua prædicatorum ad ſanandum morbos ſpirituales animarum: Diabolus è contra utitur mala lingua impiorum ad damnationem.*

Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo. Vide mirabilem pietatem Domini Jeſu Chriſti, qui ex inimicis,ſcilicet ex gentilitate, & profundo peccatorum convertit plures, quorum miniſterio uſus eſt ad animarum converſionem per prædicationem; unde patet,quod Deus utitur lingua prædicatorum, qui tamquam canes lambendo curant vulnera peccatorum : è contra Diabolus utitur miniſterio ſuorum miniſtrorum, non ut ſanet,ſed ut inficiat veneno,ut mordeat,& vulneret per detractionem,ſuggeſtionem,adulationem, rapinam alienorum. *Serm.*3. *Dom.*2. *poſt oct. Epiph.* & *Pſal.*67.

40. *Angeli in medio pſallentium adſtant in Choro.*

Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus, in medio iuvencularum tympaniſtriarum. Vide qualia ſint privilegia pſallentibus à Deo conceſſa ; nam Principes Cæli, ſcilicet Angeli Dei & præveniunt, & concomitantur conjuncti pſallentibus in medio animarum ſanctarum in Choro, & Tympano laudes decantantium.*Ser.*1.*in Dedicat. Opuſc. de ſex alis Seraph. cap.* 8. & *opuſ. Eccleſ. Hier. p.*1.*cap.*1. Et hinc Propheta invitat nos ad benedicendum Domino in Eccleſia, dicens : *in Eccleſiis benedicite Deo Domino* : cogita ergò, ô anima Deo dicata, quanta cum reverentia coram Chriſto & Angelis adſtare te decet dum in choro ad pſallendum,vel orandum convenis.*opuſc.regul. Novit.c.*1. Nota etiam quod per hoc datur intelligi,quod mentes contemplativæ in canonicis laudibus frequenter præveniuntur Angelicis illuminationibus. *Pſal.*118.*c.*10.*v.*3.

41. *In Eccleſia ad Orationem, & Deo pſallendum maximè invitantur adoleſcentuli, & adoleſcentulæ : non verò veteres.*

*In medio iuvencularum:ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.*Nota hic invitari adoleſcentulos,& adoleſcentulas ad pſallendum Deo, & ad orationem,dicens,quod in Eccleſiis maximè moratur Benjamin adoleſcentulus : Cur ſolum adoleſcentuli,& non etiam veteres,& omnes invitantur ? nonne alibi dicitur : *juvenes,& virgines, ſenes cum iunioribus laudate Dominum*;ſed nota quod nomine adoleſcentulorum ſignificantur humiles, & perfecti & maxime in Benjamin, quod interpretatur filius dexteræ ; quia filij dexteræ Dei, ſcilicet gratiæ Dei,qui ſunt contemplativi, & in Deum elevati per mentis exceſſum, ſunt apti ad orationem, eorumque oratio valde placet Deo. *Pſal.*118.*c.*9.*v.*13.

42. *In Paulo Apoſtolo ſignificantur perfecti contemplativi:& cur ad dexteram, & S.Petrus ad ſiniſtram in picturis ponitur in Eccleſia.*

Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Cur in medium hic ponitur Benjamin ? Nota quod in Benjamin ſignificatur Paulus Apoſtolus, qui eſt filius dexteræ:Et hinc exponitur in picturis ad dexteram,& Petrus ad ſiniſtram ; quia factus eſt ille filius gratiæ poſt reſurrectionem, & Petrus ante paſſionem:In Paulo autem ſignificantur contemplativi, quia ſicut ille raptus eſt uſque ad tertium Cœlum, ſic & contemplativi per tria viſionum genera ſcilicet in imaginatione, ſecundùm rationem,& ſecundùm intelligentiam ſupra omnia creata transeuntes, in Dei contemplationem feruntur : Iſtiſque potiſſimè diriguntur hæc verba.*Pſalm.*67.

43. *Invitantur Religioſi ad Deum laudandum exemplo Apoſtolorum.*

*Ibi Beniamin adoleſcentulus: Principes Iuda duces eorum.*Nota,quod dum invitantur Religioſi ad pſallendum Deo,& ad orationem, mentiſque elevationem, proponitur exemplum Apoſtolorum, qui fuerunt duces gregis Chriſti, dirigentes oves ſuas in hoc ſacro miniſterio ; ſignificantur enim nomine Principum Juda.*Pſal.* 28. Ex quo patet, quod Pſalmodia in Choro orta eſt ex traditione Apoſtolorum in Eccleſia.

44. *Per Incarnationem Chriſtus diſſipavit bellum,quod erat inter Deum,& hominem.*

*Diſſipa gentes,quæ bella volunt : venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus Deo. Regna terræ cantate Deo.*Ad quæ bella alludit hic ſanctus Propheta?& qui ſunt isti Legati pacem tractantes?

verba iſta videntur obſcura, ſed plena ſunt maximis myſteriis: daturque intelligi, quod deſiderabat in his verbis incarnationem Verbi, ex qua oritura erat pax, & omne bellum diſſipandum: Nam bellum erat inter carnem, & ſpiritum, inter hominem, & Deum, & hoc eſt duellitas: in Deo non eſt niſi pax, nam ibi Trinitas S. inter Patrem, & filium unio, & amor Spiritus ſancti, & ideò non fuit, qui ei pacem turbaret, quia quartum non admittitur, ne pax turbetur. In homine tertius non erat, qui duellum ſedaret: opus igitur erat, ut in noſtra duellitate appareret, qui duellum ſedaret, ſicque Filius Dei venit de Cœlo, ut appareret nova Trinitas, ſcilicet corpus, anima, & divinitas in Chriſto: Cum hac differentia, quod in Trinitate increata ſunt tres Perſonæ diſtinctæ æquales, & coæternæ, & unitas ſubſtantiæ; in hac verò naturalis diverſitas ſubſtantiarum, & unitas perſonalis; quia ibi eſt una Perſona, & tres ſubſtantiæ inæquales: ſicque per hanc diſſipata ſunt bella, & pax inter Deum, & homines reddita, per quam invitantur omnes ad cantandum, & laudandum Deum. *Pſalm.67.* Ex quibus primò notandum eſt, quod ex ſupradictis patet, quod numerus binarius eſt numerus diviſionis; ternarius numerus unitatis: ſecundò, quod qui inter diſcordes ſe medium, vel mediatorem interponit imitator eſt Spiritus ſancti, qui eſt nexus Patris, & Filii, & Chriſti Jeſu, qui mediator eſt Dei, & hominum. Tertiò quod pax, & concordia eſt tantum, & tale bonum, quod ſine ipſa nulla eſſet bonitas in divinis; infinitique divinitatis theſauri diſſiparentur ex levi etiam diviſione, & diſcordia: quod ſi hoc in divinis, quid in creatis?

45. *Ex Aſcenſu Chriſti ad Cœlum meditatione excitatur anima ad lætandum, & ipſum laudandum.*

Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino, pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cœlos Cœli ad orientem. Vide, quod meritò invitantur omnes fideles ad lætandum, & Deum laudandum ex conſideratione aſcenſionis Chriſti in Cœlum, videntes hanc noſtram humanitatem aſcendentem tam ſublimiter, & triumphaliter, & imperialiter. *In Ioan. collat. 16. & in Lucam c. 19. v. 12.*

46. *Cur Eccleſia orat verſa ad orientem: ubi Deus dicitur habitare, non ad occidentem.*

Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cœlum Cœli ad orientem. Cur dicitur Chriſtus aſcendere ad orientem, & non potius ad occidentem? Nota, quod per orientem ſignificatur rectus ordo: per occidentem confuſio; & hinc diabolus dicebat à latere Aquilonis aſcendam: ideo, quia Deus dicitur habitare ubi eſt ordo, diabolus ubi eſt confuſio, quia fuit primus confuſor ordinis, ideò de Cœlo dejectus eſt in hoc caliginoſo aëre, ubi ordo confunditur: hinc Eccleſiæ praxis eſt, ut ad orientem oret, quia orientia ante oculos, occidentia poſt tergum debemus habere, & ſic dicitur Chriſtus aſcendere ad orientem, ut ad ipſum ordinatè vertamus mentem. *Pſalm. 27. & in ſap. cap. 16.*

47. *Verba Dei virtutem ſpiritualem continent, quia ſunt conjuncta Chriſti virtuti.*

Ecce dabit voci ſuæ, vocem virtutis: date gloriam Deo ſuper Iſraël. Quænam virtus eſt hæc, quam promittit Propheta reddendam eſſe à Deo voci ſuæ? Nota, quod hic innuitur virtus verbi Dei prædicati, quod ultra virtutem naturalem, etiam aliam ſupernaturalem, & cæleſtem continet; quia conjuncta eſt virtuti ejus, qui eſt virtus, & ſapientia Patris: Elice qua devotione eſt ſuſcipiendum. *In Lucam c. 4. v. 32. & in Ioan. coll. 7. & 58.*

48. *Vox Chriſti in Judicio ſuſcitare faciet mortuos.*

Ecce dabit voci ſuæ, vocem virtutis. Quid eſt dare vocem virtutis voci Chriſti? Quia Chriſtus in judicio vocem emittet habentem virtutem ſuſcitando mortuos. Dicitur autem vox virtutis addita voci Chriſti, quia Chriſti vox eſt inſtrumentum, & vox virtutis, ſeu virtus ſuperaddita eſt Dei, ſuſcitans mortuos. *l. 4. d. 46. a. 1. q. 6.*

49. *Magnificentia Chriſti exaltatur maximè ex expoſitione Sacramenti Euchariſtiæ.*

Date gloriam Deo ſuper Iſraël, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus. Nota verba, ſigna myſteria. Hic invitantur fideles ad Deum glorificandum, & affert rationem, dicens: *magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus:* & cur in nubibus, & non potius in Cœlo? Sed reſpice ad nubem candidam Euchariſtiæ, & cognoſces, quod magnificentia Chriſti maximè eluceſcit ex his nubibus, & ideò fuit præfigurata in manna, quod ex nubibus deſcendit ad modum ſeminis coriandri albi. *In ſap. c. 56.*

50. *Per prædictiones factas à Prophetis, nobis inſonuit magnifica Dei virtus.*

Unde hic dicitur. *Magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus*; nam per nubes intelliguntur myſticè S. Prophetæ, & prophetiæ ab ipſis de Chriſto factæ. *Pſal. 18. c. 50. v. 42.*

51. *Quomodò Deus dicitur mirabilis in ſanctis ſuis.*

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Cur in ſanctis, & non in cæteris dicitur Deus mirabilis? Nota, quod Deus dicitur mirabilis in omnibus rebus creatis; Sed hic dicitur in ſanctis ſuis, quia in ipſis maximè elucet ejus clementia, bonitas, gratia, virtus, & miſericordia; nempe in eorum prædeſtinatione, vocatione, juſtificatione, magnificatione, exercitio, probatione, liberatione, redemptione, & aliis operibus mirabilibus. *In Lucam c. 2. v. 34.*

52. *Mirabilis item demonſtratur Deus in creatione animæ, ut ſit ſancta.*

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Cur in ſanctis? quia in ipſis infundit animam capacem ſanctitate. Nota mirabilia Dei relucentia in hac

hac anima: dicitur enim suo modo, qualis, quanta, habens differentias positionis: nempè alba, nigra, longa, lata, habens aliquid sursum, deorsum, ante, retro, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum: nam eam albam facit sapientia, vel bona conscientia, nigram ignorantia, malaque conscientia, fides longam, altam spes, latam charitas: timor contractam: avaritia arctam, pusillanimitas parvam: Ante habet, quod requirit: retrò, quod non meminit: sursum, quod non capit; deorsum, quod respicit: dextrorsum, quod delectat: sinistrorsum, quod molestat: Ecce quàm mirabilis Deus in creatione animæ. *Psal.67.*

53. *Ex assistentia Mariæ Virginis exurgit Deus ad liberandum homines ab inimicis.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* Nota, quod si ex operibus factis à Christo, Christus dicitur exurgere, & grandescere, & præcipue ex victoria, quam ejus virtute reportant fideles de inimicis: Hoc totum maximè obtinetur per assistentiam Mariæ Virginis: Si enim ipsa exurgit nobis assistendo, statim dissipantur ejus inimici, & contererentur omnes sub pedibus ejus, quia impetum ipsorum dissipat, & destruit omnem iniquitatem eorum: & sicut fluit cera à facie ignis, sic & ipsi disperguntur, & fugiunt. *Opusc. Psal. B.Virg. Psal.67. & opuscul spec. B.Virg. lec.3. & 12. & 13. & 14.*

54. *Iusti ad conspectum Mariæ exultant, & delectantur in gaudio.*

Iusti exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Nota, quod si in conspectu Dei justi exultant, & delectantur: Idem suo modo faciunt in conspectu Mariæ. Gloriosum enim Mariæ privilegium est, quod post Deum major nostra gloria, majus nostrum gaudium est de Maria: summa gloria est post Dominum ipsam videre, sibi adhærere & in suæ protectionis munimine demorari: & hinc dicamus meritò Mariæ: Ad te Domina clamavi in tribulatione, serenasti conscientiam meam; pax multa diligentibus te Domina, anima eorum non videbit mortem. *Opusc. specul. B.V. lec.6. & op. Psal. B.V. Psalm.67.*

55. *Maria Virgo dicitur propriè locus Sanctus Dei.*

Deus in loco sancto suo. Nota emphasim verborum, in quibus datur intelligi, quod Deus habet locum sanctum suum specialem, & à cæteris discretum: & quis est? Hic est uterus Beat. Virginis: hoc in Mundo nullus dignior est: ergo qui vult invenire Deum, quærat locum suum, scilicet Mariam. *Opusc. specul. Beat. Virg. lec.12.*

PSALMUS LXVIII.

Titulus: In finem, pro his, qui commutabuntur David.

1. PRIMÒ Nota, quod cùm supra actum sit de resurrectione, & ascensione Christi, hic consequenter agitur de causa resurgendi & ascendendi, scilicet de ejus passione, per quam Christus venit ad resurrectionem, & ascensionem, & per quam fit commutatio, & immutatio membrorum de statu culpæ ad gratiam, & de gratia ad gloriam: Unde rectè titulus dirigitur in finem, scilicet Christum, pro his, qui commutabuntur, scilicet, ut nos exemplo Christi laboremus, & commutemur.

2. *Impugnatio diabolica quàm gravis sit & quali auxilio Dei indiget.*

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam; infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Nota, quod hic exprimitur gravitas impugnationis diabolicæ, & indigentia auxilij divini, quam habet in ipsa homo. Unde nomine generis humani datur intelligi primò bellum intestinum ex vitiis, & concupiscentiis, quo impugnatur homo, dicens: *intraverunt aquæ*, scilicet concupiscentiæ, *usque ad animam meam*. Addit *infixus sum in limo*, & per limum denotat dejectionem, & dejectionis tenacitatem; deinde magnitudinem persecutionis, dicens: *in limo profundi*: & spem ablatam liberationis, dicens: *& non est substantia*; scilicet non est virtus valens se liberare: & ideò solo auxilio divino id potest obtineri; hinc dicit: *salvum me fac*, scilicet per adventum, & gratiam salvatoris. *Psal.68.*

3. *Christus, quia induebat Personam Peccatorum, ad Patrem per orationem confugiebat.*

Salvum me fac Deus. Nota hæc verba dicta esse in Persona Christi; sed quomodò id poterat dicere? indigebatne auxilio divino, ne mergeretur in profundum peccati, ut diceret: salvum me fac? Respondeo, quod Christus transformat membra tribus modis; scilicet eorum proprietates sibi attribuendo, unde cœpit Jesus pavere, & hoc habebat à membris: vel in Persona membrorum loquendo, unde dicebat: salvum me fac; vel suo exemplo nos instruebat, ut in his impugnationibus recurreret homo ad Deum clamando. *Ps.68.*

4. *Christus à planta pedis usque ad verticem, totus in passionum aquis demersus fuit.*

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum. Nota, quod hæc dicuntur in Persona Christi Jesu in passione positi, nam à planta pedis usque ad verticem totus in aquas passionum demersus est, ut animam nostram totam de passionibus extraheret: intraverunt aquæ usque ad animam suam. *Opusc. lignum vitæ. Iesus cruci elevatus.*

5. *Ad Deum confugiat per pænitentiam, qui tentationibus premitur interioribus, & exterioribus; tunc enim Deus erit illi specialis adjutor.*

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Nota, quod hic exprimitur status miserrimus hominis in hac vitâ degentis, subjecti tentationibus internis, & externis: cum enim talis motus, & tempestas suscitatur in hoc mari, tunc ad pœnitentiam convolet, & confugiat fiducialiter ad Deum, dicens: Domine salva nos perimus: tunc enim in majori necessitate Deum inveniet, & speciale adjutorium, & refugium. *in Lucam c.6. v.69. & cap.8. v.25. & ser. 1. Dom.4. post Pentec.*

6. *Peccatum demergit hominem in lutum, & ipsum evanescere facit.*

Infixus sum in limo profundi, & non est substantia Quid est hoc quod dicit homo: infixus sum in limo profundi, & non est substantia? ergone distractus est, & adnihilatus primus homo? Maxime: sed nota, quod profundum creaturæ est vanitas esse creati: & ideò quantò magis evanescit creatura, tantò magis in profundum tendit: evanescit autem per culpam, quia peccatum tollit benè esse: & hinc existens in hoc profundo, dicit verè, & non est substantia, scilicet boni esse, & gratuiti. *l.1. in prolog. & l.3. d.1. a.2 q.1 fund.2.*

7. *Christus se infixit in limo factus cloacarum, & stabuli Diaboli purgator, quia homo in profundo limi prius se infixit.*

Infixus sum in limo profundi. Et quandonam Christus se infixit in limo profundi? Nota, quod prius homo se infixit in limo profundi per culpam factus cloaca, & stabulum diaboli, & ideò Christus ad hunc limum profundum descendit, factus expurgator stabuli, & cloacarum diaboli: Vide igitur ad qualem humilitatem, & profundum se Christus reduxit propter nos. *l.3. d.1. a.1. qu.2. fund.1. & ser.3 Dom.4. Adv.* Addit autem, *& non est substantia*, scilicet cum sim incomprehensibilis, hæc comprehendi non possunt. *Psalm.68.* Nota etiam, quod hæc dicit Christus, quia dum ducebatur tempore passionis cum Cruce ad Calvarium, luto, & immunditiis impetuosè inimici eum commaculabant, & affligebant. *Opusc. medit. vita Christi. c.74.* Nota iterum, quod addit, *& non est substantia*, quasi per hyperbolem, quia redactus est, non habens speciem, neque decorem. *Psal.68.*

8. *Septem vitia capitalia constituunt mare tempestuosum, in quo homo demergitur, sed luxuria infigit hominem in limo profundi.*

Infixus sum in limo profundi: veni in altitudinem maris. Nota, quod hæc dicuntur ab homine irretito vitiis capitalibus, quæ constituunt mare tempestuosum, in quo homo demergitur: Nam superbia aufert homini Deum, Invidia aufert proximum, Ira aufert homini seipsum: Tristitia spoliatum flagellat; Avaritia flagellatum ejicit; Gula ejectum seducit: Luxuria seductum servituti subjicit, dum spiritum humanum fœdæ carni servire compellit, ut jam infirmus spiritus cum Psalmista clamat: infixus sum in limo profundi, & non est substantia, ascendi in altum maris, & tempestas demersit me. *Opuscul. de 7. donis capit.3.*

9. *Peccatum Adæ in altitudinem maris collocavit genus humanum, & subjecit tempestati.*

Veni in altitudinem Maris, & tempestas demersit me. Nota, quod hæc dicuntur in Persona generis humani, in quibus tria notantur, & primò dicit: (*veni*) per quod denotatur consensus liberæ voluntatis Adæ, quando peccavit: subdit: *in altitudinem maris*, per quod significatur magnitudo pœnæ; subdit, *& tempestas demersit me*, scilicet per infirmitatem humanitatis, quæ in tot miserias delapsa est ob peccatum unius hominis. *Psal.68.*

10. *Christi amor, & desiderium nostræ salutis exprimitur in similitudine gallinæ, quæ clamando rauca fit.*

Laboravi, raucæ factæ sunt fauces meæ. Et quandonam raucus factus est Christus in clamando? Nota, quod Christus clamavit prædicando indefessè, & vocando homines ad pœnitentiam, & hinc se comparat gallinæ, *Matth.13.* dicens: *quoties volui congregare*: quia gallina avidius nutrit, & fovet pullos suos, quàm alia Avis, quod cognoscitur in laxatione alarum, & raucitate, sic Christus in vocando ad pœnitentiam, non cessavit clamare, & ideò dicit: *raucæ factæ sunt fauces meæ*: vide qualis amor Christi Jesu in nos. *Psal.68.*

11. *Christus in quo sensu dicit: quæ non rapui tunc exolvebam.*

Quæ non rapui tunc exolvebam. Quid est hoc, quod non rapuit, & tamen opere Christus exolvit? Nota, quod primi Parentes voluerunt rapere divinitatem, sicque graviter Deum offenderunt: venit Christus Deus, ut solveret, & huic peccato rapinæ satisfacere, & ideò dicit: quæ non rapui. *l.3. d.5. articul. primo, quæst. secunda, & d.22. articul. primo, quæst. prima, & opusc. lig. vitæ.*

12. Aliquando plures dæmones obsident hominem, quàm sit numerus capillorum ipsius. Unde in Persona obsessi dicitur: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. in Lucam cap.8. v.30.*

13. *Qui peccat, valde stultus est.*

Tu scis Domine insipientiam meam. Hæc verba sunt peccatoris pœnitentis ad Deum: sed cur appellat actus suos nomine insipientiæ? quia omne peccatum est actus insipientiæ, & qui peccat valde stultus est. *ser.4. Dom.4 post oct. Paschæ.*

14. Qui

14. *Qui suscipit Christum in corde, opus misericordiæ exercet, recipiens peregrinum: item peregrinus ostenditur Christus ys, qui ipsum ut peregrinum tractant.*

Extraneus factus sum fratribus meis, & Peregrinus filiys Matris meæ. Quandonam Christus factus est extraneus, & Peregrinus? nonne induerat humanitatem nostram factus noster frater? sed optimè dicit, nam in passione derelictus est à suis tanquam extraneus, & peregrinus; idque notat specialiter Christus, ut ad exercitium actus misericordiæ nos excitet, recipiendo in hospitio cordis nostri hunc Peregrinum, vel ipsum recolligamus in suis membris. *opusc. stim. p. 1. c. 14.* Nota etiam, quod id dicitur à Christo in ordine ad Discipulos euntes in Emaus, in quorum oculis Peregrinus erat, quia erant ipsi Peregrini in fide. *in Lucam cap. 24. v. 18.* qualis enim eris Deo, talis erit tibi Deus.

15. *Ex Templi profanatione, & peccatis Sacerdotum Deus immittit principaliter flagella publica.*

Zelus domus tua comedit me. Et quandonam iste zelus comedit Christum, idest attenuavit eum? sed percurre ad id, quod fecit Christus *Ioan. 2.* quando scilicet facto flagello, ejecit vendentes in Templo & hoc præcipuè fecit *Luc. c. 19.* post enarrata mala imminentis destructionis Civitatis, & Templi Hierusalem: ut discas, quod ob prophanationem Templi Sacri, & peccata Sacerdotum veniunt flagella publica & ruina Populi, hæc enim peccata extrahunt flagella è Dei manibus. *in Lucam c. 19. v. 45* Dicit igitur, quod zelus domus Patris comedit eum, scilicet accensus est zelo vehementi, eo quod Pater suus inhonorabatur ab illis, maximè in loco, ubi magis honorati debebat, ideò se terribilem eis ostendit. *opusc. meditat. vita Christi, cap. 41.*

16. *Prælatorum, & virorum spiritualium zelus qualis debet esse circa Dei servitium.*

Zelus domus tua comedit me. Nota, quod non solùm de Christo hæc proferuntur, sed & in persona Prælatorum, & virorum spiritualium, quorum munus est zelare pro observantia legis divinæ, & in Religionibus pro observantia statutorum ordinis, qui non valentes sæpè corrigere delinquentes pro desiderio, & necessitate in virtute patientiæ mirabiliter exercentur zelantes ardenter pro domo Dei. *opusc. de sex alis Seraph. c. 5. & opusc. medit. vita Christi, c. 56.*

17. *Exemplo Christi invitamur ad sufferentiam opprobriorum.*

Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Nota, quod opprobrium est opinatum vitium, scilicet convitium, vel vituperium illatum ab alio ob odium, qoia est odij seminarium, quod toleratum patienter pro Christo, reddit nos imitatores Christi, qui tot pro nobis voluntariè sustinuit. *in Lucam c. 22. v. 65. & Psalm. 118 cap. 3. 7. & 10. & in op. cap. 3.*

18. *Christus jejunio quadragesimali copulavit simul legem, & Evangelium.*

Et operui in jejunio animam meam. Nota quod hic allusio fit ad jejunium 40. dierum Christi, quo copulavit legem, & Evangelium; nam per quaternarium significatur Evangelium: per denarium lex dena, ius ergo multiplicatus per quaternarium constituit numerum quadragenarium, sic Christus operuit legem in Evangelio. *Psal. 68.*

19. *Vestium curiositas abjicienda exemplo Christi.*

Operui in jejunio animam meam: & posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Vide quomodo sacer textus copulet jejunium cum vilitate vestium nam hæc summopere placet Christo, Christus enim vilibus vestibus semper usus est; sic etiam Ninivitæ cum jejunio induti sunt saccis; nam ex curiositate, & superfluitate vestium multa mala consequuntur. *opusc. medit. vit. Christi, c. 12. & ser. 4. Dom. 1. Quadrag.*

20. *Christus quomodo Iudæis factus est in parabolam.*

Factus sum illis in parabolam, adversum me loquebantur, qui sedebant in porta. Nota, quod hæc ad litteram dicuntur de Christo, qui tempore passionis luto, immunditiis, convitiis, derisionibus impellebatur, anxiabatur, & torquebatur, *opusc. medit. vita Christi, c. 74.*

21. *Peccatores alij morantur in cloaca diaboli, alij in ore ipsius; ideò ut liberentur à tantis malis confugere debent ad Deum in oratione.*

Ego verò orationem meam ad te Domine. Cur ad orationem confugis? quid à Deo prætendis? subdit: *eripe me de luto, ut non infigar; libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum.* Nota, quod hic duo dicit, & à duobus periculis petit liberari, scilicet de profundo aquarum, lutoque, & ab iis, qui oderunt eum, ut videas miserrimum statum peccatorum: alij enim morantur in profunda cloaca diaboli, nempe in peccatis luxuriæ, alij in ore dæmonum per obstinationem: felices tamen sunt ij, quos invenit Dominus, ut eos liberet, & ideò in persona istorum infelicium petit inveniri, & liberari à Deo *serm. 1. Dom. 4. post Pentecost. & serm. 4. Dom. 3. Advent.*

22. *Homo lutum corporale, & spirituale, & à Christo solo sublimari potest ad statum nobiliorem.*

Eripe me de luto, ut non infigar. Nota, quod hic petit incarnationem Verbi Dei, ad quod spectat liberare lutum: lutum autem est caro nostra infirma, & culpa fœdata, ad hoc lutum sublimandum venit Christus, qui uniens divinitatem cum hoc luto, eam libertavit, & nobilitavit. *Psal. 68. & ser. 2. Dom. 11. post Pentec. & in Ioan. c. 9 v. 7*

23. *Felix peccator, qui existens in cloaca diaboli toto corde petit ab ipsa liberari: Infelix, qui in ea vult morari.*

Eripe me de luto, ut non infigar. Vide, quod peccator existens in peccato, in cloaca diaboli moratur: Felix ergo erit, si toto corde ad Deum confugit, ut eripiatur: E contra, infelix, qui de hac cloaca extrahi differt, nec curat; Isti ergo eveniet quod legitur de quodam Judæo, qui in die Sabbati noluit extrahi; die autem sequenti, scilicet Dominico Rex ipsum extrahi non permittit, dicens. *Heri servavit Sabbatum suum, hodie servet meum.* Ita faciet Deus peccatori, si in die vitæ præsentis sentinam vitiorum exire peccator noluerit, in die futuræ vitæ de lacu miseriæ exire non poterit. Extrahatur ergo peccator in die præsentis vitæ, ut non cogatur subjici æternæ miseriæ. *Ser.4. Dom.3. Adv.*

24. *Caveat homo ab adversitate, à prosperitate, & desperatione, ne ruat ob istas tentationes in peccatum.*

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Nota hæc tria, quæ hic innuit Propheta à quibus cavere debet homo, ne ruat ob ipsa in peccatum, nempè à tentatione violenta, scilicet à periculo adversitatis, significatæ per tempestatem aquæ: à tentatione deceptoria, scilicet prosperitatis significatæ per profundum: à tentatione desperationis, significatæ per puteum. *Psalm.73.& 54.*

25. *Peccatum ratione culpæ, & pœna annexa evanescere facit hominem in nihilum, ideò auxilio divino indiget, ut liberetur.*

Eripe me de luto, ut non infigar, non me demergat tempestas aquæ. Nota hæc duo, scilicet lutum profundi, & profundum aquæ: per quæ significatur duplex miseria peccatoris, scilicet ratione culpæ, & pœnalitatum, in quas incidit: ab his petebat Propheta liberari per adventum Redemptoris: ab his debet petere quilibet nostrum, ut liberemur. *l.1. prolog. in Lucam c.14.v.6.*

26. *Misericordia Dei quarè dicitur benigna, & multiplex.*

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me. Nota, quod petens misericordiam à Deo Propheta, eam appellat benignam, & posteà multiplicem: cur hoc? Quia non solùm benigna est, liberans à miseria temporali, maximè in tempore mortis, sed est magna, quia liberat à miseria culpæ originalis, & speciosa liberat à miseria peccati actualis: est ergo multiplex, quia se extendit ad omne malum tollendum, & omne bonum conferendum. *Psal.118. c.5. v.13.& c.6.v.8.*

27. *Christus quare dicitur puer.*

Ne avertas faciem tuam à puero tuo. Hæc sunt verba Christi ad Patrem. Nota, quod Christus dicitur puer, scilicet ob puritatem, peccatique immunitatem: propter humilitatem ptopter obe dientiam, & propter mansuetudinem. *Psal.68.* Sicque ut puer dilectus orabat Patrem, ut ipsum liberaret.

28. *Christus qualem confusionem passus fuit.*

Tu scis improperium meum, & confusionem, & reverentiam meam. Nota hæc dicuntur in persona Christi tempore passionis: passus enim est ab inimicis improperia multa, & confusionem, scilicet tristitiæ in horto, & erubescentiæ, vel reverentiæ, quando fuit nudatus, & flagellatus: non autem habuit confusionem conscientiæ, quia hæc est propria peccatorum. *Ps.68. op. med. vita Christi 75.*

29. *Gravitas pœnarum Christi qualis, ex eo quod relictus est solus.*

Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni. Nota, quod in his verbis exprimitur gravitas pœnarum Christi ex eo quod fuit relictus solus: Gravè enim est homini, si in tormentis eum nullus consolatur; gravius si à multis exprobratur: gravissimum, si ab omnibus deseratur: hæc omnia passus est Christus; habuit enim in dictis contradictores, in tormentis illusores, in factis observatores, in morte exprobratores. *Ser.6. in Parasc.*

30. *Summus gradus patientiæ Christi expenditur.*

Improperium expectavit cor meum. Vide ex hoc ad quem gradum pervenit patientia Christi: nam altus gradus est tolerare afflictionem, quam homo meruit pro peccatis suis, & Christus pro alienis; altior est sufferre pro justitia; & altissimus est ferventer appetere afflictionem; hancque Christus sublimissimè exercuit. *Opusc. de grad. virt. c.5.*

31. *Prælati, non compatientes infirmis, Deo exosi, & contra eos clamant voces, & lamentationes subditorum infirmorum.*

Tu scis improperium meum: in conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant. Nota, quod si dantur Prælati non compatientes subditis infirmis, eosque non consolantes, & deserentes: contra eos subditorum miseria clamat ad Patrem misericordiarum, quia addunt vulnera vulneribus: væ ergo istis crudelibus, contra quos dicit subditus Domino: Tu scis Domine improperium, & miseriam meam. *Opuscul. de sex alis Seraph. cap.4.*

32. Christus in Cruce fuit potatus aceto mixto felle ad majus tormētum, & ut gulosis daret exemplum abstinentiæ: unde dicitur hic. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Luc.c.23. v.36. & serm.3.& 4. in Parasc. & serm.1. Dom.20. post Pentecost.*

33. *Effectus pessimi indignæ communionis Eucharistiæ enumerantur.*

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Nota, quod hic insinuantur octo effectus pessimi indignæ communionis: & primò dicit, *in laqueum,* est

eſt talis communio, quia illaqueatur talis malè ſuſcipiens novo peccato, & ſacrilegio: ſecundò damnationem præparat & ideò dicit, *in retributionem*: tertiò addit, *& in ſcandalum*, ſcilicet ſcandalizat proximum: quartò offuſcationem mentis; unde dicit: *obſcurentur oculi eorum, ne videant*: quintò tentationibus ſuccumbit; undè dicit, *& dorſum eorum ſemper incurva*: Sextò Deum ſpecialiter irritat; undè dicit: *Effunde ſuper eos iram tuam*: Septimò vitam temporalem breviat; unde dicit: *Fiat habitatio eorum deſerta*: Octavò gratuitis ſpoliat, ſic addit: *& in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet. opuſc. Comp. Theol. l.6.c.15. & Pſal.68.*

34. *Menſa multiplex in ſacra Scriptura, quæ in laqueum malis convertitur.*

Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum. Hic nota, quod menſa multipliciter ſumitur in ſacra ſcriptura; menſa ſcilicet propoſitionis, quæ erat in tabernaculo: menſa cæleſtis gloriæ: menſa, ſacræ Scripturæ: Menſa item in malum, ſcilicet iniquitatis, & iſtæ menſæ converſæ fuerunt Judæis in laqueum ob mortem Chriſto illatam. *Pſal.68.*

35. *Peccatum obſcurat lumen etiam naturale datum homini.*

Obſcurentur oculi eorum ne videant. Nota, quod hoc non dicit Propheta optando, ſed prædicendo, ſed quid eſt, quod prædicit? Nota, quod loquitur primò de Judæis, ſecundò de peccatoribus, ut exprimat effectum perſecutionis Judæorum contra Chriſtum, & peccati agentis in animam; nam proprium ejus eſt obſcurare ingenium, memoriam, & rationem. *Pſ.68 & ſer.6. de Apoſtol.*

36. *Chriſtus magis doluit pro peccatis Judæorum, quàm propriis vulneribus.*

Et ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Quid eſt quod addiderunt ſuper dolorem vulnerum Chriſti? addiderunt peccatum, addiderunt & obcæcationem ſpiritualem animæ: & hoc fuit vulnus ſuper vulnus, & dolor major Chriſti. *Serm 1. Dom. 1. infrà oct. Epiph. & opuſc de perfec. vita c.6.* Nota etiam, quod hic alluſio fit ad flagellationem factam Chriſti, ſuper quam addiderunt proprium peccatum, & odium Judæi. *Pſal.118. c.11. v.1.*

37. *Non compatiens proximo infirmo ipſumque deſerens, addit vulnera vulneribus ipſi.*

Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Nota, quod hæc myſticè à Chriſtu dicuntur de paupere infirmo à Deo infirmitate & neceſſitate percuſſo; ſed addendo ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt, ingerit difficultatem: Quomodò dolores hujus percuſſi à Deo tranſierunt in dolores, & vulnera Chriſti? Sed attende, quod conqueritur Chriſtus de iis, qui à Prælatis, vel divitibus deſeruntur abſque ſubventione in ſuis neceſſitatibus, & infirmitatibus; tunc enim additur dolor ſuper dolorem, & vulnus ſuper vulnus: & quia Chriſti membra ſunt, ideò Chriſtus tamquam de propriis vulneribus conqueritur. *Op. de ſex alis Seraph. c.4. & ſer.6. de Apoſt.*

38. *Qui intentioni malæ addit opus, addit iniquitatem ſuper iniquitatem.*

Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum. Nota hoc dicitur prædicendo: ſed quid eſt apponere iniquitatem ſuper iniquitatem, niſi intentioni malæ addere opus: ſic enim additur, non novum peccatum, ſed circumſtantia aggravans. *l.2. d.42. a.1. q.2.*

39. *Quinam deleri poſſunt de libro vitæ, & quinam non.*

Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur. Ergone poteſt quis deleri de libro vitæ? ergone immutatio poteſt cadere in conſiliis, & decretis Dei æternis? nonne hæc ſunt immutabilia? Sed attende, quod tribus modis dicitur aliquis ſcribi in libro vitæ, qui conſiſtit in divina diſpoſitione, ſecundùm quam aliquis ordinatur ad vitam, & reputatur eſſe dignus vita: primò ſecundùm præſentiam, & præſentem juſtitiam: ſecundò ſecundùm finalis gratiæ prævisionem: tertiò ſecundùm opinionem: primo modo præſcitus poteſt dici ſcriptus ad tempus in libro vitæ, ſed non finaliter: ſecundo modo dicuntur prædeſtinati ſcripti in libro vitæ, licèt ad tempus perdant gratiam, quia involuitur in prædeſtinationem eorum ordinatio ad vitam ſecundùm præſcientiam divinam: tertio modo quatenus præſciti faciunt opera, quæ reputant homines bona: primo, & tertio modo non dicuntur ſcripti indelebiliter & finaliter, ſed tantum ſecundo modo; ſtet igitur, & operetur quilibet cum metu, & tremore ſuam ſalutem: Nec per hoc exiſtimet aliquis cadere in conſiliis, & ſententia Dei aliquam immutationem, ſed tantùm in homine circa meritum immutatum. *l.1. d.31. dub 2. & lib 4. d 43. a.1. q.1. & 2. & in Pſal.68. in Lucam c 10. v.10.*

40. *Quatuor ſunt libri Dei à Deo expoſiti fidelibus.*

Deleantur de libro viventium. Ergone apud Deum eſt aliquis liber? maximè: Nota, quod quatuor ſunt libri à Deo expoſiti, & ſcripti: primus eſt ſcriptus ab æterno, eſtque divinitas: Secundus ſcriptus in Paradiſo in mente hominis: tertius in deſerto, ſcilicet lex ſcripta: quartus in Chriſto in ejus Incarnatione: in primo legebant tantùm tres Perſonæ Divinæ & erat ſcriptus intus tantùm: in ſecundo legere poterant primi homines in ſtatu innocentiæ, & poteſt legere etiam quilibet, ſcilicet dictamen legis naturæ: Tertius expoſitus fuit mundo in tabulis legis: quartus eſt ſcriptus intus per divinitatem, autoque divinitatis illuſtratus, & foris per humanitatem in clauſtro Virginis Mariæ ſcriptus, in quo poſſunt legere homines, & Angeli: caveat ergo homo, ne deleatur ex hoc libro *Pſal.68.*

41. *Chriſtus verè fuit pauper, & mendicus temporaliter.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota hæc dicta eſſe in perſona Chriſti, qui verè tēporaliter fuit pauper, & mendicus, ut nos inſtrueret ad ſui imitationem; ſed advertendū, quod triplex mendicatio reperitur: prima eſt ex neceſſitate naturæ, quæ poteſt fieri meritoria ipſa tolerādo pro amore Chriſti: ſecūda eſt

eſt ex vitioſitate, ſcilicet vel pro otio fovendo, vel pro lucro reportando: tertia, ex ſupererogatione juſtitiæ, & hæc fuit in Chriſto, in Apoſtolis, & ipſorum imitatoribus, & hæc eſt laudabilis, nobilis, & meritoria. *Opuſc. de paup. Chriſti art. 2. & l. 3. d. 16. art. 1. qu. 1.*

42. *Paupertas voluntaria affert dulcedinem, & delectationem ſpiritualem animæ.*

Ego ſum pauper, & dolens: Nota, quod ſequitur: *ſalus tua Deus ſuſcepit me, laudabo in cantico*: ut videas, quod paupertas voluntaria non ſolùm non afferr miſeriam, ſed lætitiam, & delectationem ſpiritualem animæ: caſtigat enim & probat, purgat, humiliat, & exaltat: O felix paupertas, & fæſices pauperes Chriſti. *Opuſc. Apol. paup. reſp. 3. cap. 3.*

43. *Pauper voluntarius quomodò debet eſſe dolens.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota hanc connexionem pauperis, & dolentis, ut videas quod ſolùm ille eſt pauper Deo gratus, & voluntarius, qui eſt dolens, ſcilicet qui per compunctionem interiorem, & pro imitando Chriſtum, relinquit poſſeſſionem exteriorem, addit: *ſalus tua ſuſcepit me*, ideſt Ieſus filius tuus ſuſcepit me ad emiſſionem voti paupertatis, & obedientiæ, & caſtitatis. *Pſal. 118 c. 8. v. 4.*

44. *Quilibet homo in hac vita eſt pauper.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota hæc dici in Perſona cujuſlibet hominis, qui verè eſt pauper, non habens in hac vita permanentem civitatem: & ideò tanquam mendici, debemus à Deo petere eleemoſynam. *in Pſal. 114. & opuſc. de paup. Chriſti. art. 2. & in Lucam c. 16. v. 10.*

45. *Chriſtus fuit dolens multipliciter.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota hæc dici à Chriſto: multipliciter enim doluit: primò ex infirmitate pro ſe: ſecundò pro bonis ex dilectione: tertiò pro malis ex compaſſione: & ideò oravit pro Judæis dicens: *ignoſce illis. Pſal. 68.*

46. *Chriſtus acerbiſſimum dolorem paſſus eſt.*

Ego ſum pauper, & dolens. Nota, quod hic impugnatur error eorum, qui dixerunt, Chriſtum verum dolorem non habuiſſe; quia verè ſecundùm humanitatem doluit, ejuſque dolor fuit acerbiſſimus, tum ex cauſa patiendi, quia fuit dolor pro culpa non propria, ſed aliena pro amicis, & inimicis: tum ex modo, quia ob generalitatem membrorum, & continuitatem pœnæ; tum ex conditione patientis propter maximam complexionis æqualitatem, & propter ſenſus vivacitatem. *l. 3. d. 16. art. 1 qu. 1. & 2.*

47. *Laus Dei qualiter à nobis promenda.*

Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Nota quod in his verbis exprimuntur conditiones perfectæ laudationis divinæ; debemos enim laudare Deum voce unde dicit: *Laudabo nomen Dei*: mentis jucunditate, unde addit, *cum cantico*: & bona operatione, unde dicit, *& magnificabo eum. Pſal 68.*

48. *Verus pauper Chriſti indigentiâ lætatur.*

Videant pauperes, & lætentur. Cur lætari debent? propter excellentiam virtutis gratuitæ, & affluentiam jucunditatis internæ, & propter bonitatem divinam. *In Lucam c. 7. v. 22. & pſal. 118. c. 5. v. 10.*

49. *Quærendus eſt Chriſtus, ut panis, ut medicus, ut medicina, ut fons omnium bonorum.*

Videant pauperes, & lætentur, quærite Deum, & vivet anima veſtra. Nota, quod prius præcipit, ut lætentur pauperes, & poſtea vult, ut quærant Deum, ad quod conſequitur vita animæ: per quæ datur intelligi, quod qui eſt pauper, & indigens pane, ad Chriſtum recurrat, ut ad panem vitæ: ſi eſt pauper, & infirmus, ad Chriſtum ut medicum recurrat, & vivet anima: ſi alio bono indigens, ad Chriſtum, ut ad fontem omnium bonorum. *Ser. 6. Dom. infra oct. Epiph fer. 6. in regat. & fer. 2. Dom. 14. poſt Pentecoſt.*

50. *Vincti alii ſunt Chriſti, alii Diaboli: ubi de fune S. Franciſci.*

Quoniam exaudivit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non deſpexit. Nota illam particulam, *vinctos ſuos*: ſcilicet loquitur de vinctis Chriſti; quia alii ſunt vincti Chriſti, alij Diaboli: vincti Chriſti ſunt, qui vinculis pœnitentiæ, charitatis, religionis ſunt ligati, utique à Chriſto ſunt dilecti, & exaudit: vincti Diaboli ſunt vinculis peccatorum irretiti, quos Diabolus ducit ad præcipitium, iſtoſque deſpicit Deus. *Serm. 3. Dom. 11. poſt Pentec. & ſerm. 3. Dom. 3. Adv. & Pſal. 118. cap. 2. v. 10. & Pſal. 68.* Nota etiam, quod hic textus poteſt applicari fratribus minoribus, quibus S. Franciſcus ordinavit, ut pro cingulo ſacci uterentur fune, ut Chriſtum vinctum imitarentur, & ut vinculi vilitas concordaret habitui pauperum: ut hoc cingulo armati, veritatis linea multis aſpera, ab Eccleſia viderentur diſturbare ſimoniacos, & ſceleſtos. *Op. expoſ. in reg. S. Fran. cap. 2.*

51. Vinculum ligans manus, pedes, collum, & linguam eſt peccatum mortale: qui ergo vult ſolvi à vinculo iſto clamet ad Deum. *Ser. 3. Dom. 11. poſt Pentecoſt.*

52. *Contemplativi corpore habitant terram, animâ Cælum.*

Quoniam Deus ſalvam faciet Sion, & ædificabuntur Civitates Iuda, & inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam, & ſemen ſervorum ejus poſſidebit eam. Hic ad litteram prædicit Propheta ædificationem Eccleſiarum ſub nomine civitatum Iuda, cultum Dei, qui in ipſis florebit, & tandem acquiſitionem gloriæ ipſorum colentium ſervorum Dei: Myſticè loquitur de contemplativis qui licet corpore habitent in terra, anima tamen civitatem ſupernam inhabitant, & finaliter illam hæreditant. *Pſal. 118. c. 7. v. 15.*

53. *Qui*

53. *Qui in profundo peccatorum est, ad Mariam recurrat, & liberabitur.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Nota, quod ut dictum est hæ sunt voces existentis in profundo luto peccati, & ad Deum recurrentis pro liberatione: attameo si vult securè liberari à talibus angustiis, recurrat ad Mariam Virginem, quæ est unicum refugium peccatorum; & dicat toto corde: salvum me fac Domina Virgo, quoniam intraverunt aquæ concupiscentiarum usque ad animam meâ: infixus sum in limo profundi, & aquæ voluptatis circumdederunt me: plorans ploravi in nocte: sicque dies lætitiæ orietur talibus confugientibus ad Mariam. *opusc. Psalt. B. Virgin. Psal. 68.*

54. *Qui in mari tempestatum hujus vitæ jacet, ad stellam maris recurrat, quæ est stella salvans peccatores.*

Salvum me fac, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Nota quod istæ voces sunt existentis in medio undarum, & fluctuum maris, vallati angustijs mortis, & tales sunt omnes homines ehavigantes hanc vitam miseram; sed quis nos salvabit in tot angustiis? sola Maria maris stella: hanc Deus collocavit in Ecclesia, ut ad ipsam adspiceremus, ut per ipsam ad portum salutis reduceremur: dicamus ergo ad ipsam toto corde conversi: O gloriosa Virgo, si es stella maris, nobile solatium, dulce consortium, efficax auxilium, pium subsidium nostrum, volo io hac vita esse in mari, ut semper sis stella mea, ut semper in mari sim perfectæ amaritudinis, de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo compatiendo, & proximorum miseriis subveniendo: currant undique tribulationes, intrent usque ad animam meam, non timebo, quoniam tu mecum es. *Opusc. stim. p. 3 cap. 16.*

55. *Ad Mariam clamandum in angustiis.*

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Sic dicebat Propheta ad Deum: sic dicit Ecclesia ad Mariam in antiphona: *Salve Regina*: dum continuè exit in has voces: *ad te clamamus exules filii Evæ*, scilicet clamamus angustiati, miseriis infinitis oppressi, clamamus cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris acerbitate: aut forte erga Mariam amoris immensitate clamamus ne somnolentia sibi erga nos inducatur: Clamamus ad te ô Maria, ut nostram tibi manifestemus miseriam, quia clamare necessitas nos compellit: & etiam clamamus, ut te ad compassionem amplius moveamus: propter hunc clamorem raucæ factæ sunt fauces nostræ. Quid ergo amplius moraris? Quid affligi nos permittis? si ergo multum tardaveris, & vocem clamando amisero, ad te amplius clamare nequibo. Citò Domina subveni clamanti, ne in manibus inimici subjiciar: curre, festina Domina, & tuum nequissimum servum, ac infidelissimum ad te clamantem parcendo adjuva, & eripe de manibus inimici, & periculis sui hostis: salva animam meam Genitrix salvatoris, quia per te vera salus data est toti mundo, dum, nuntiante Angelo, fuisti obumbrata, & sapientiâ Patris gravidata. *Op. stim. p. 3. c. 19. & opusc. Psalt. B. Virg. Psal. 68.*

56. *Dolores B. Virginis in Passione filii expendantur.*

Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt; & super dolorem vulnerum meorum addiderunt: Ego sum pauper, & dolens. Notâ, quod ista sunt verba Salvatoris in passione positi; Sed tamen etiam possunt applicari ad Mariam dolentem de doloribus, & passione filii dilecti: Nam non solùm in anima fuit illi Martyri commartyr, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa, gladiato congladiata: Pallebat enim decor munditiæ, & naturali pulchritudine tabescebat in filio, & ipsa tabescebat, quia talis in ipsa relucebat effigies, qualis ab objecto corporis filii resultabat: sordebat sputis facies gloriosa, sordebat & ipsa luctu mæstitiæ, non enim alium habitum prætendebat amans, nisi qualis virtus amoris expresserat amato: Ad hæc addit Maria: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt; nempè ob eorum passionem, quam habebat, & dolebat de obcæcationis malitia Judæorum, eo quòd apponebant iniquitatem super iniquitatem, spernendo illud magnum sacramentum, & vilipendendo illud saluberrimum medicamentum passionis Christi antidotum, ut videretur ei addere dolorem vulnerum mentalium, quem gladius passionis Christi filii sui in sua anima expresserat. *fer. 1. Dom. infra oct. Epiph.* *Maria e ob speculum erat, in quo expressa fuerunt amore passionis Christi corpora ...*



PSALMUS LXIX.

Titulus: in finem, Psalmus David in rememorationem quod salvum fecerit eum Dominus.

1. PRIMÒ Nota, quod cum suprà egerit de Christi passione, à qua nobis est omne bonum: in hoc psalmo dirigitur justus ad Christum, ut ab eo obtineat adjutorium in omnibus suis necessitatibus in virtute passionis Christi, à qua salus provenit: per quod diffidens de se ipso totam fiduciam collocat in ipso Christo.

2. *Sicut Ecclesia in principio horarum canonicarum utitur hoc primo versu; sic & quilibet debet in omni necessitate, & tentatione eodem uti.*

Deus in adjutorium meum intende. Nota, quod in primitiva Ecclesia unusquisque dicebat hunc versum in principio cujuslibet actionis: nunc verò idem facit Ecclesia in principio cujuslibet horæ canonicæ, & ob id quilibet debet eodem versiculo uti in omnibus tentationibus, & accidentibus: est enim valde efficax contra diabolum, quia exercetur in eo diffidentia sui, & totalis fiducia io Deo; petitur autem multiplex adjutorium à Deo, nempè ut intendat per misericordiam, per perseverantiam, & per consummationem, & simul adjuvet præveniendo quantum ad principium per primam gratiam, quantum ad perfectionem

tra legem: Boni legunt in lege Dei, quæ est quadruplex, scilicet lex foris scripta, quæ est Mosaica & Evangelica: lex intus data, scilicet in ratione: Lex in mundi figura, quia per creaturæ pulchritudinem laudatur Creator, & lex æterna, quæ est Deus: Justi autem in hac quadruplici lege continue legunt, & petunt à Deo liberari ab iniquis manu contra legem agentibus. *Psal.* 70.

6. *Iuventus Ecclesiæ explicatur.*

Domine tu es spes mea à juventute mea. Nota hæc sunt verba Ecclesiæ, quæ totam fiduciam habet in Christo a juventute sua: sed quænam est hæc juventus? Respondeo, quod juventus consistit in tribus, scilicet in ætate parva in fortitudine, & in decore: sic Ecclesia fuit parva, in paucis fidelibus in principio: fortis in tempore martyrum, & decora est in patria. Ejus ætas distinguitur secundum quatuor Sacramenta quæ sunt Baptismus significans infantiam: exorcismus, seu ordo, pueritiam; Confirmatio significans juventutem, & id quod sequitur significat senectutem, scilicet in Pœnitentia, Extrema-unctione, Matrimonio. *Psalm.* 70.

7. *Laus vocalis in Ecclesia quare ordinata, & quomodo exercenda.*

In te cantatio mea: repleatur os meum laude. Nota, quod laus vocalis in Ecclesia hic exprimitur, fuitque Spiritu sancto dictante ordinata quadruplici ex causa, scilicet ut pigritia nostra excitetur, ut proximus audiendo corrigatur, & ædificetur, ut meritum nostrum augmentetur, ut illa laus mente, & ore exprimatur, ne sit ibi duplex cor. *Psalm.* 70.

8. *Alij deficiunt in malum, alij in bonum.*

Ne projicias me in tempore senectutis mea: cum defecerit virtus mea ne derelinquas me. Nota, quod vir justus, videns se in Dei obsequio collocatum diffidens de propria virtute ad Deum confugit, ne à Deo projiciatur in tempore senectutis, & cum defecerit virtus sua: Notanter autẽ dicit: *cum defecerit virtus mea*, quia deficit quis à Deo, sub Deo, in Deo, & in Deum. A Deo quando per peccatum quis recedit à Deo, tuncque deficit virtus gratiæ Dei, & hoc est quod metuebat Propheta: Deficit quis sub Deo qui à peccato desistit, in Deo, qui in Dei cognitione deficit; in Deum verò deficit & transmutat, qui in Deum per contemplationem intendit. *Psalm* 70.

9. *Justi caveant à viris scandalosis æquè ac peccato.*

Deus ne elongeris à me: confundantur, & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur pudore qui quærunt mala mihi. Vide quid est, quod vir justus à Deo petit, nempe ne elongetur à se: & ne elongetur à se postulat ab ipso, ut elongentur, & deficiant detrahentes animæ suæ: qui sunt isti detrahentes animæ? sed ex hoc patet, quale periculum inferat societas scandalosorum, qui alios pertrahunt ad peccatum: isti enim detrahunt provocando ad peccatum: unde hoc cognoscens, petit à Deo, ut ab istorum societate; & commercio liberetur, quasi æquè timeat, & formidet peccatum, ac societatem istorum perfidorum qui quærunt animas, ut eas ad malum, & peccatum inducant. *Psal.* 70.

10. *Vir justus debet se semper exercere in spei longanimitate.*

Ego autem semper sperabo, & adjiciam super omnem laudem tuam. Vide quod vir justus toties repetit exercitium spei in Deum, quia sciebat, quod hoc exercitium mirabiliter stabilit animam in Dei servitio eamque reddit tutam ab omni labe in omnibus eventibus. *Psal* 118. *c.* 6. *v.* 14.

11. *Litteratura qualis damnosa, & qualis proficua.*

Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Quid est hoc, quod hic notatur? ergone addiscere scientias impedit ingressum in Cœlum, vel cognitionem mirabilium Dei? Nonne omnes scientiæ ancillantur Theologiæ coadjuvantes ipsius intellectum? sed attende, quod est litteratura bona & mala: mala est quæ facit cor inflatum; item & illa quæ in cortice litteræ sistit, ut faciunt Hebræi, & hæc facit servum: Bona est Christi, quæ in sua schola addiscitur, & hæc facit filium; unde loquitur de mala facer textus, quia nullum medicamentum affert animæ pro medendo vulneribus peccati: tertia verò omne bonum affert *Psal.* 70.

12. *Periculum negotiatorum grande.*

Quoniam non cognovi litteraturam. Alia littera apud D. Augustinum legit: *quoniam non cognovi negotiationes*: ergone negotiatio impedit ingressum Cœli? sed attende, quod est negotiatio, quæ vix, aut nullatenus potest sine peccato exerceri, & de hac verificatur simpliciter hic textus: qualibet tamen negotiatio si non exercetur cum maxima cautela, ad peccatum trahit, & ideò sanum consilium est cavere ab omni negotiatione, *opusc. Phar.* *l.* 1. *c.* 48.

13. *Deus multipliciter nos docet viam veritatis præcipuè per expositionem sacrarum imaginum.*

Deus docuisti me à juventute mea, & usque nunc pronunciabo mirabilia tua. Vide quomodo Deus volens, ut dirigamur per vias veritatis, etiam providit nos omnibus necessariis; nam multipliciter nos in sua schola instruit: docet enim nos per Sacram scripturam, per doctrinam à Christo expressam; per inspirationem interiorem; per sancta exempla, & per flagella. *Psal.* 70. Adde & per sacrarum imaginum expositionem, nam istæ sunt locu librorum rudibus. *l.* 3. *d.* 9. *a.* 1. *quæst.* 2.

14. *Recordatio justitiæ Dei contra peccata quare suadetur.*

Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Cur solius Dei? Nonne & ab aliis exercetur justitia, ut à Principibus, & judicibus? quia hæc sola Dei est metuenda, qua impios condemnat ad pœnam æternam, & hujus recordatio est unum ex præcipuis documentis in sacra scriptura, & schola Christi traditis, quia per hanc retrahitur homo à peccato. *Psal.* 118. *c.* 9. *v.* 14.

Ff 2 15. Ideò

15. *Ideò Prædicator à Deo mittitur, ut instructus doctrina sacra scriptura alios instruat.*

Deus docuisti me à juventute mea, & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua. Vide quomodò iste Propheta instructus in lege Domini, promittit se aliis prædicaturum mirabilia Dei, dicens: *usque nunc pronuntiabo*: hoc enim est munus, & obligatio eorum, qui vocati sunt ad hoc ministerium. *Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 13.

16. *Quænam similitudo ad Deum competat nobis, & quænam non.*

Deus quis similis tibi? quasi dicat nemo: sed quomodò id potest dici, cum homo fuerit creatus ad imaginem, & similitudinem ejus? sed attende, quod alia est similitudo naturæ, secundùm quam homo factus est ad imaginem Dei: alia similitudo gratiæ per quam homo dicitur ad similitudinem Dei factus, scilicet secundùm gratuita: alia est similitudo imitationis, per quam imitari debemus Christi opera virtuosa: alia est similitudo æqualitatis, quæ sola Personis divinis competit; & de hac loquitur sacer textus: alia est similitudo usurpationis, & hæc fuit Luciferi, & pessima est: nempè usurpare quod soliusDei est. *Ps.* 70.

17. *Resurrectio nostra multiplex ex Christi resurrectione.*

Et de abyssis terræ iterum reduxisti me. Nota, quod hæc est prædictio resurrectionis mortuorum, quæ erit in omnibus hominibus in die judicij, eritque effectus resurrectionis factæ in Christo quæ fuit figura resurrectionis spiritualis animæ de morte peccati. *Psal.* 70.

18. *Deus suos servos multipliciter consolatur.*

Multiplicasti magnificentiam tuam, & conversus consolatus es me. Nota, quod in his verbis datur intelligi, quod magnificentia Dei respectu nostri multiplicatur ex multiplici modo, quo suos servos consolatur: consolatur enim nos per pascua scripturarum, per promissa, per flagella, & per beneficia temporalia: O quantus & qualis est amor, & cura Dei in suos servos! *Psal.* 70.

19. *Proprium servorum Dei est Deum laudare corde, & ore in hac vita, ut postea in alia vita idem opus in Cœlis fiat.*

Nam & ego confitebor tibi: exultabunt labia mea &c. Vide quid promittit, & sibi præfigit Justus post consolationes à Deo receptas, nempè, quia vult tota die, & nocte in hac vita ore, & corde Deum laudare, quod & Beati in Cœlo exequuntur incessanter. *Psal.* 118. *v.* 176. *& c.* 11. *v.* 11. *& opusc. stim. p.* 3. *cap.* 20.

20. *Qui in Maria-Virgine confidit, non confundetur in æternum.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *In te Domine speravi non confundar in æternum, in justitia tua libera me.* Si justus ad Deum confugit spe armatus: non debet tamen cessare à Virginis Mariæ obsequio, si vult à Deo securè obtinere liberationem ab hostibus, & peccatis: qui enim sperant in Virgine Maria non confundentur in æternum; & in ejus misericordia liberabuntur ab omnibus inimicis, & peccatis: dic ergo, ô Serve Dei: In te Domina Virgo speravi, non confundar in æternum, & in tua misericordia libera me, & eripe me. *Opusc. Psalt. B. V. Psal.* 70.

21. *Peccator in peccatis immersus confugiat ad Mariam Virginem.*

Deus meus eripe me de manu peccatoris. Hoc dicendum est ab immerso in peccatis: sed tamen confugiat ad Mariam, quia per ipsam liberabitur, & dicat fidenter: propter multitudinem iniquitatum mearum, oppressus sum vehementer: vide Domina quoniam tribulor, expande manus tuas, succurre pereunti; ne moreris propter gratiam nominis tui, ut efficiaris mihi in gaudium, & salutem. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psal.* 70.

PSALMUS LXXI.

Titulus: Psalmus in Salomonem.

1. PRIMÒ Nota hunc Psalmum tractare de adventu Salvatoris significati in Salomone, qui interpretatur Pacificus; quia ipse est causa, & fons pacis, & quia nuntius est pacis & quia, dat pacem in præsenti. *Psal.* 71. *& in Lucam c.* 11. *vers.* 31.

2. *Quæ in hoc Psalmo magis competunt Christo, quàm Salomoni.*

Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis. Iste Psalmus fuit litteraliter compositus in laudem Salomonis; sed verè competit Christo, qui fuit major Salomone; Soli Christo judicium absolutum datum est, & dominium à mari usque ad mare, quia ille Salomon fuit pacificus ad tempus, iste æternaliter: Ille sapiens, sed iste sapientia: ille faciens justitiam, iste justitia; & si ad ipsum Regina Saba venit, multò magis ad istum nos confugere debemus. *in Lucam c.* 11. *v.* 31.

3. *Contemplativi suscipiunt largiter influxus cœlestes.*

Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam. Nota, quod nomine montis venit status contemplationis sanctorum majoris meriti, & minoris gradus; quia contemplativi primò, & abundantes suscipiunt influxus cœlestium visionum, & pacis divinæ. *In Lucam c.* 9. *v.* 19. *& Psal.* 33.

4. *Christi Regnum potissimè ex quatuor virtutibus elucesit.*

Deus judicium tuum. Nota hic quod Christus commendatur potissimè ex quatuor: 1. à regia dignitate: 2. ab æquitate; unde dicit, *judicare populum*: 3. ab utilitate, unde dicit: *suscipiant*: 4. ex perpetuitate: unde dicit: *& permanebit. Psal.* 71.

5. In

5. *In Prælatis prius influxus cæleſtium deſcendere debet, & ex ipſis ad ſubditos.*

Suſcipiant montes pacem populo. Ad quid pax in montibus ſuſcipienda eſt ad profectum populorum: & quænam eſt hæc pax? Nota, per montes intelliguntur Prælati, quorum cura debet eſſe ordinata ad profectum ſubditorum, datur hic intelligi, quod prius illuminationes, & influxus cæleſtes ad Prælatos debent deſcendere, & hinc ad ſubditos: hic enim eſt proceſſus ſapientiæ, eſt à ſupremo ad medium, & hinc ad infimum *Sap. in prolog.*

6. *Vbi eſt juſtitia, ibi eſt Pax.*

Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam; judicabit pauperes populi. Nota hanc connexionem inter pacem montium, & juſtitiam collium. Cur montibus attribuitur pax, & collibus juſtitia? Quid myſterii latet in hoc ordine? Nota per montes ſignificantur ſuperbi per populum ſubditi: per colles boni, & humiles prælati, & judices: ut videas, quando judices ſervant juſtitiam, etiam pax ſervatur in populis, & etiam in montibus, ſcilicet ſuperbis, qui ad nutum juſtitiæ ſe ſubdunt prælatis: quia juſtitia, & pax ſe invicem concomitantur. *Opuſc. Eccleſ. Hier. p. 2. cap. 2.*

7. *Quid debeamus Deo, quid proximo.*

Et permanebit cum ſole & ante lunam in generatione, & generationem. Nota, quod ad litteram oſtenditur perpetuitas gubernationis Dei, nomine ſolis; & ante lunam ſcilicèt ante decurſum generationum: myſticè datur intelligi, quod ſicut per ſolem intelligitur Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui velut ſol communicat bona, & ideò Innuitur quantum ipſi debeamus: & quia per lunam intelligitur congregatio fidelium, etiam innuitur quid proximo debeamus cum ſole, ideſt pro Chriſto. Dicitur igitur, & permanebit, ſcilicet juſtos cum ſole, ſcilicet Deum recognoſcendo, & ante lunam, ſcilicet præfigendo ſibi quid proximo debeat, quia Patris Majeſtati debemus reverentiam, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam: filii veritati obedientiam, & benignitati Spiritus ſancti patientiam: Proximo verò pro Chriſto debemus noſtrum poſſe in ſubſidiis; noſtrum noſce in conſiliis, & noſtrum velle in deſideriis, ſicut ſol totum ſeipſum diffundit in inferiora. *Pſal. 71.*

8. *Chriſtus ſol, Eccleſia luna ſine macula.*

Permanebit cum ſole, & ante lunam. Nota, quod prius collocatur ſol cum Chriſto, & inde proponitur luna: quia ſol juſtitiæ eſt Chriſtus; & ſicut ſine ſole luna non habet lumen; ſic nec Eccleſia, quæ rectè comparatur lunæ præcipuè propter tria, primò quia in principio fuit parva, poſtea creſcit, ſecundò ſine macula, tertiò quia omne bonum recipit à Chriſto ſole juſtitiæ. *Pſalm. 71.*

9. *Regnum Chriſti quale.*

Deſcendat ſicut pluvia in vellus Nota, quod Propheta commendat Regnum Chriſti à tribus, primò ab origine, unde dicit. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.* Secundò ab utilitate, unde dicit. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis.* Tertiò ab amplitudine, unde dicit, *& dominabitur à mari uſque ad mare.* Ex quibus patet quale regnum ſit Chriſto ſubjectum, & qualis Rex ipſe. *Pſal. 71.*

10. *Chriſtus rectè comparatur pluviæ fæcundanti terram.*

Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Nota, quod Chriſti deſcenſus rectè comparatur pluviæ deſcendenti in terram, quia ſicut pluvia fructificare facit terram & extinguit ignem, & ſedat ſitim; ſic Chriſtus deſcendens in mundum, pluviam gratiæ ſecum attulit, & diffudit ſuper animas, eas fructificare faciens, extinguens ignem peccati, ſedans iram antiquorum. *Pſal. 67. & 10. & 71. & in Ioan. coll. t 16.* Nota etiam, quod dicitur Chriſtus velut imber ob multiplicem gratiam, qua veniens mundum irrigavit; ſcilicet imber temporaneus, ob gratiam prævenientem, ſerotinus ob gratiam ſubſequentem; unde ante ingreſſum Filii Dei per carnem, mundus aridus fuit ab humore gratiæ, neque germen, neque fructum boni operis faciens, & erant homines ligna arida, igni tantùm apta: ſed ſtillicidiis gratiarum per egreſſum Chriſti perfuſus eſt mundus aridus. *Serm. 1. in Nativ.*

11. *Sine contemptu temporalium non poteſt quis habere veram pacem, & juſtitiam.*

Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna. Ergone ex adventu Chriſti auferenda eſt luna, & hinc oritura juſtitia, & abundantia pacis? & quandonam ablata eſt luna? Sed attende ad ſenſum myſticum Spiritus ſancti. Per lunam intelliguntur proſperitates temporales, & bona caduca. Ante adventum Chriſti in carne, multi juſtitiam, & pacem ſervabant, ſicut etiam nunc multi id faciunt, dum proſperantur in temporalibus; ſed hæc non eſt vera juſtitia, & abundantia pacis: Chriſtus verò abſtulit lunam, ſcilicet docuit contemnere temporalia, à quibus oritur inſtabilitas, ira, & turbatio; quia poſt Chriſti adventum inventi fuerunt tot temporalium contemptores, & deſertores in Eccleſia; ex quo contemptu oritur vera juſtitia, & abundantia pacis: Felix igitur, qui hæc temporalia contemnit exemplo Chriſti. *Serm. 3. in Penteeoſt.*

12. *Dominium Chriſti extenditur ſuper omnem terram in omnes gentes.*

Et dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum. ſcilicet per totam terram erit dominium Chriſti: & à flumine Iordanis ſe extenderunt Apoſtoli per totum orbem terrarum, ut videas amplitudinem dominationis Chriſti. *Pſal. 71.*

13. *Alij cadunt coram Deo, alij à Deo cadunt, alij ſub Deo, alij in Deum.*

Coram illo procident: Æthiopes, & inimici ejus terram lingent Nota illud verbum, *coram illo*, ſcilicet Chriſto: quid eſt coram Deo cadere? Reſpondetur, quod alij coram Deo cadunt, ſcilicet qui prius malè credunt, & poſtea fideles ſiunt: alij à Deo, qui ab ipſo recedunt per peccatum mortale: alij ſub Deo, ſuntque peccantes venialiter: alij in Deum, ſuntque illi qui ad lapidem angularem offendunt, ſcilicet omnem malitiam in Chriſtum exercent. *Pſal.* 71.

14. *Timor reverentialis coram Deo facit procidere peccatorem.*

Coram illo procident Æthiopes. Cur Æthiopes ſolùm? Quia Æthiopes nigri ſignificant peccatores nigros per peccatum: iſti, timore Dei excitati, coram Deo procidunt, & convertuntur. *in Lucam c.* 5. *v.* 16.

15. *Dæmones, audito nomine Ieſu, coram illo procidunt.*

Coram illo procident Æthiopes. Nota iſti ſunt dæmones, qui audito nomine Ieſu, coram illo procidunt, quia in nomine Jeſu omne genu flectitur. *in Lucam c.* 8. *v.* 28.

16. *Chriſti adoratio Regum, & omnium aliorum prædicta à Rege Propheta.*

Reges Tharſis, & Inſulæ. Hæc eſt prædictio facta adorationis Regum orientalium factæ Chriſto Jeſu in die Epiphaniæ: ex qua ſubſecuta eſt adoratio omnium aliorum, qui Chriſto ſe ſubjecerunt. *Pſal.* 71. Nota etiam, quod excellentia dignitatis Chriſti bodie patuit, cum à Regibus quæſitus, adoratus eſt: quia enim Reges adorant, & muneribus reverentur ipſum in dignitate excellentem proteſtantur: unde dixit Propheta: *Adorabunt eum omnes Reges terræ. Serm.* 1. *in Epiphan.* Nota iterum, quod hæc Prophetia præcipuè verificabitur in die judicii, tunc enim omnes velint, nolint cogentur ipſum ut Regem adorare. *Ser.* 1. *de uno Confeſſ.*

17. *Chriſtus Ieſus de ſuo ſanguine compreſſo in torculari Crucis ſolvit debiti reatus hominum.*

Liberabit pauperem à potente: & animas pauperum ſalvas faciet. Ecce effectus effuſionis ſanguinis Chriſti factæ in torculari Crucis; nam ipſo redemit hominem pauperrimum, qui non habebat unde ſolveret: liberavitque ſic animas pauperum. *ſerm.* 1. *in reſurrect. & in Lucam cap.* 2 *verſ.* 11.

18. *Pauperibus principaliter ſalvandis venit Chriſtus.*

Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſalvas faciet. Vide quod Chriſtus venit ad ſublevandam paupertatem generis humani; & nota illud verbum (*pauper, & inops*) quia primò prædicavit Judæis, qui erant pauperes, quia pauca habebant; poſtea gentilibus, qui dicebantur inopes, qui nihil habebant, ſcilicet nec legem, nec Prophetas: datur etiam intelligi, quod venit ſalvandus principaliter pauperes ſpiritu, ut per ipſos alios ſalvaret. *Pſ.* 71 *in Lucam c.* 4. *v.* 18. *& c.* 7. *v.* 22. *& c.* 14. *v.* 21.

19. *Peccata ſunt uſura, & peccator uſurarius.*

Ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum. Quid eſt, quod Chriſtus redimit ex uſuris? quænam fuit hæc uſura? ſed reſpondetur, quod meritò connectit uſuram cum peccato, quia peccatum eſt uſura, & peccator dum peccat committit cum Deo uſuram; quia plus mali invenitur in ſuppliciis, quàm commiſſum eſt in culpis; nam quoad extenſionem, & intenſionem non eſt proportio inter culpam, & pœnam, licèt quoad demeritum adſit, imò nec in hac parte adeſt proportio, quia plus pœnæ meretur peccatum, quàm à Deo infligatur. *l.* 4. *d.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 1. *& in Lucam cap.* 5. *verſ.* 21. Nota autem, quod multiplex fuit hæc uſura ſcilicet injuriæ, pœnæ, & culpæ, à quibus Chriſtus liberavit hominem. *Pſalm.* 71. *& in Lucam ibidem.*

20. *Chriſtus eſt firmamentum Eccleſiæ in terra non terrenum, ſed cæleſte.*

Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper libanum fructus ejus, & florebunt de Civitate ſicut fœnum terræ. Ecce quales fructus ex adventu Chriſti in Mundum: nam ipſe fundavit Eccleſiam, eamque firmavit ſuper ſeipſum; ideò dicitur firmamentum in terra, ſed non terrenum, quia cæleſte, ſuper quod elevati ſunt ſancti ſuper Libanum, ideſt ad puritatem, & candorem innocentiæ, & ſanctitatis in hac, & in alia vita. *Op. de Eccleſ. Hier. part.* 4. *cap.* 6. *& Pſal.* 71. *&* 16.

21. Majeſtas Chriſti in ſuis operibus mirabilis ſemper fuit: unde Propheta concludit poſt enarrationem actuum ipſius: *& benedictum nomen majeſtatis ejus qui facit mirabilia ſolus. Pſalm.* 118. *cap.* 1. *verſ.* 4.

22. *Deus Pater judicium, & juſtitiam in manibus Chriſti reſignavit, & miſericordiam in manus Mariæ.*

Deus judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio Regis. Cur petit Propheta, ut reſignetur omne judicium, & juſtitia in manibus Chriſti? ergone rejicit à ſe miſericordiam? Nonne hoc eſt ſe exponere periculo patenti æternæ damnationis? ſed attende divinam providentiam: prævidit enim Propheta quod ſi filio competit judicium, & juſtitia; & Mariæ, & in ipſius manibus conſtituenda, & reſignanda erat miſericordia, à qua & ſalus, & venia, & miſericordia, & lætitia perpetua homini provenire debebat; cum ipſa ſit vera Mater miſericordiæ. *Opuſ. Pſal. B. Virg. Pſal.* 71: Dicamus ergo Beatæ Virgini fidenter: In manu tua ſalus, & vita conſiſtunt, lætitia perpetua, & æternitas glorioſa, reſperge cor meum dulcedine tua, fac me obliviſci miſerias hujus vitæ, trahe me poſt te vinculis miſericordiæ tuæ, & fomentis gratiæ, & pietatis tuæ ſana dolorem meum: concupiſcentias ſempiternas excita in animam meam, & *Applicatio ad Mariam Virginem.*

& de gaudio Paradiſi inebria mentem meam. *Op. Pſal.ibid.*

23. *Chriſtus de Beata Virgine Maria ſicut de vellere exivit.*

Deſcendet ſicut pluvia in vellus. Cur ſicut pluvia in vellus? Nota, quod hic loquitur de Incarnatione Verbi facta in utero B. Virginis Mariæ, quæ rectè comparatur velleri ob multas rationes: Nam ſicut de vellere fiunt veſtes, ita caro Chriſti facta eſt de carne Virginis, quaſi veſtis ejus, unde rectè dicitur, quod verbum venit veluti indigenos ad Mariam, ut veſtem ab ipſa reciperet, & indueretur hac veſte. Secundus ſicut vellus ſine læſione ovis ſumitur, ſic Chriſtus de Maria ſine læſione exivit, & ſine virili ſemine: & ſicut vellus plenum eſt rore, ita Maria virtute, & gratia plena. *Pſalm.71.*

24. *Sicut Magi per Mariam ad Chriſtum acceſſerunt; ſic qui vult Chriſtum invenire quærat prius Mariam.*

Reges Tharſis, &c. Nota quod hic deſcribit adorationem Regum factam in die Epiphaniæ: unde ſicut prius invenerunt Mariam, & per Mariam Chriſtum; ſic tu ſi vis Chriſtum invenire ad Mariam prius accede. *Serm.4. Dom. infra octa. Nativit.*

⚜:⚜⚜⚜⚜⚜⚜:⚜:⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

PSALMUS LXXII.

Titulus: defecerunt laudes David Filii Jeſſe: Pſalmus Aſaph.

1. PRIMÒ nota quod hic Pſalmus attribuitur Aſaph, quia fuit unus ex præcipuis cantoribus deputatis à David: myſticè dicitur, quod defecerunt laudes David filii Jeſſe, ſcilicet ſynagogæ, & ſucceſſit Pſalmus Aſaph: Aſaph interpretatur congregatio à Chriſto fundata, quæ eſt Eccleſia, in qua novum teſtamentum, quod in veteri lege erat occultum quantum ad verba, promiſſa, & opera; erat, in Eccleſia, & Evangelio manifeſtum eſt: defecerunt igitur laudes Dei in ſynagoga, tum propter culpam, tum propter infirmitatem, tum ob defectum intelligentiæ myſteriorum Dei, tum propter temporalium ſubtractionem, & ſucceſſit laus Eccleſiæ, & ſtatus Evangelici. *Pſal.72.*

2. *Recti ſoli ad bonitatem divinam convertuntur, & bonitas Dei ipſis communicatur.*

Quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde. Nota, quod Pſalmiſta docet, quod Deus ſummè bonus eſt his, qui recto ſunt corde: ergone ſolis iſtis Deus ſe oſtendit bonum? Nonne omnibus ſuam bonitatem exhibet, & communicat? ſed attende, quod in iſtis verbis continentur multa myſteria: loquitur enim de communicatione bonitatis divinæ, ſcilicet gratiæ, & juſtitiæ, quæ ſolis rectis corde tribuitur: Hæc rectitudo exigit converſionem, & conformitatem voluntatis humanæ ad ſummam bonitatem, juſtitiam, & ſanctitatem, ex qua converſione, & conformitate conſequitur inclinatio, & communicatio divinæ ſanctitatis animæ ſic converſæ, per quod anima continuatur ſummæ poteſtati, & omnia in ultimum finem ordinat. *lib.2. ſent. in prolog.*

3. Recti corde expectant, & quærunt Deum ſollicitè per contemplationem, & Deus eis ſe oſtendit bonum conſolando, & protegendo: unde hic dicitur: *quam bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde*: bonus inquam conſolando, & protegendo. *In Thren. c.3.*

4. *Idem confirmatur.*

Quàm bonus Deus his, qui recto ſunt corde. Nota, quod hæc rectitudo eſt animæ in contemplatione myſteriorum Dei abſorptæ, & ob id Deum, ejuſque dulcedinem deguſtantis: cui Deus ſe quam bonus ſit oſtendit, quia ipſum ſolum intuetur, & in cujus ſumma dulcedine requieſcit. *Op. ſtim p.3. c.5. & op. remedium defectuum Religioſ. & in Lucam c.9. v.33. & c.11. v.42.*

5. *Rectitudo perfecta attrahit ad ſe bonitatem divinam.*

Quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde. Quinam ſunt iſti recti corde? recti corde ſunt, qui rectas habent ad Deum intentiones, cogitationes, locutiones, paſſiones, actiones, & retributiones; omniaque referunt in Deum; & ad Dei voluntatem conformantur. *In Lucam c.3. v.4. & c.18 v.19.*

6. *Iudex rectè judicans, ſcilicet cum juſtitia, & miſericordia bonitatem divinam ad ſe attrahit.*

Quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde. Nota, quod rectis corde Deus exhibet, & diffundit ſuam bonitatem: quis eſt rectus corde, niſi ille judex, qui in judicando, bonitatem, & pietatem divini judicii ſemper inſpicit, ſcilicet, qui inſpecta pietate Dei judicantis, diſcit pietatem habere cum alios judicat? *In ſap. c.12.*

7. *In primis motibus animæ non eſt conſenſus, ſed in ſecundis; & ideò in illis Deus ſuſcipit hominem.*

Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Nota, quod dicit, *penè moti ſunt pedes*: quia in primis motibus malis non adeſt conſenſus, quia proveniunt ex infirmitate humana, & tunc Deus non abiicit à ſe hominem, ſed tantùm quando concurrit conſenſus. *Pſalm.47. & 65. & Pſalm.118. c 9 v.5. & Pſal.119.*

8. *Pax malorum in malo, maledicta, & inquinata.*

Quia zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns. Ergone tibi ô Propheta diſplicet videre pacem inter malos? nonne pax eſt bonum deſiderabile inter omnes. Nota, quod eſt pax bona Chriſti, & pax malorum in malo, & ad malum; & hæc eſt maledicta, & dæmonum; ſicut fuit inter Pilatum, & Herodem contra Chriſtum, hæcque eſt ſimulata, falſa, & inquinata & deteſtabilis bonis. *op. Diat. tit.7. c.6. & in Lucam c.9. v.54. & c.12. v.51.*

9. Omnis

9. *Omnis homo quomodò in labore debet vivere.*

In labore hominum non ſunt , & cum hominibus non flagellabuntur. Quid eſt in labore hominum? ergone omnes homines tenentur laborare , ut qui non laborant ejiciantur à Dei conſortio? Sed Nota,quod dicit Apoſtolus : *qui non laborat , non manducet :* ergo omnes laborare tenentur ? ita : tenentur ſecundùm ſtatum ſuum,ſcilicet. alij enim tenentur eſſe in laboribus manualibus, alij in ſpiritualibus.*Op.de paup.Chriſti qu.2. ad 1.*

10. *Flagella à Deo immiſſa, ſunt cauſa ſalutis.*

In labore hominum non ſunt , & cum hominibus non flagellabuntur. Ergone ſignum damnationis eſt non flagellari cum hominibus maximè : flagella enim a Deo immiſſa ſunt ſignum & cauſa ſalutis & ideò qui in hac vita non flagellantur cum hominibus , flagellabuntur in alia cum dæmonibus. *lib.4. d.15.p.1. dub.1. & ſer.2.fer.4.Pentec.& op. Phar.l.4.c.31.*

11. *Impii quia non flagellantur, incidunt in plures miſerias.*

Ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate,& impietate ſua. Vide præcipitium , in quod ruunt iſti, qui à Deo non viſitantur flagellis ; nam immerſi in amore temporalium,irretiuntur ſuperbia reſpectu Dei, iniquitate reſpectu ſui, & impietate reſpectu proximi. *Pſal.118.c.8. v.15.*

12. *Abundantia rerum temporalium ſæpe cauſa ruinæ ſpiritualis,& multiplicationis peccatorum.*

Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Nota illud verbum : *quaſi ex adipe* : quia ſicut ex adipe provenit pinguedo : ſic ex abundantia rerum temporalium prodit ſæpè multiplicatio peccatorum. *Pſal.72 & 6*. Et ſi quæras quænam iniquitas prodit ex abundantia iſta:ſubdit Propheta : *tranſierunt in affectum cordis* , ſcilicet incedendo poſt concupiſcentias ſuas , tamquam equus, & mulus, cogitaverunt , & locuti ſunt nequitiam , iniquitatem in excelſo loquuti ſunt ; nempè in peccata cordis, oris, & operis , ſcilicet in omnia ſcelera. *Pſal.139.*

13. *Hypocritæ fingunt ſe homines cæleſtes , ſed evaneſcunt in terra.*

Poſuerunt in Cœlum os ſuum , & lingua eorum tranſivit in terra. Quis eſt ille, qui poſuit in Cœlum os ſuum ? Is eſt , qui fingit ſe hominem cœleſtem , ſed tantùm verbis apparentibus , non veris factis ; & ideò ad modum ſtellarum fictarum evaneſcunt citò in terrenos vapores.*Op. Eccleſ.Hier.p.4.c.4.*

14. *Qui verbis doloſis alios trahunt ad peccatum Deo ſunt exoſi.*

Poſuerunt in Cœlum os ſuum,& lingua eorum tranſivit in terra Nota , quod hic loquitur de hypocritis,qui fideles verbis fallacibus , & perfidis argumentis trahere contendunt ad peccatum ; iſti dicuntur ponere in Cœlum os ſuum , & ſe extendere linguâ ſuâ in terram : Deoque ſunt valde exoſi.*Pſal.118.c.7.v.14.* Et Nota, quod exprimitur nequitia iſtorum per figuram hyperbolem *In Ioan. c.21. v.25.* Alij enim ponunt in Cœlum os ſuum murmurantes contra Dominum per impatientiam ; alij derogant potentiæ divinæ diffidentes de ſua providentiâ : alij malè ſentientes , ut hæretici. *Pſal.72.* Nota etiam, quod hic loquitur contra blaſphemos,ponentes in Cœlum os ſuum, & contra detractores , ponentes linguam ſuam in terram, ſcilicet detrahendo de vitiis aliorum. Iterum Nota , quod in bonum poteſt ſumi , de prædicatoribus ponentibus os ſuum in Cœlum per orationem , & linguam in terram per prædicationem *Sic Vgo Cardinal.*

15. *A Chriſto fonte gratiarum venit plenitudo omnium gratiarum.*

Ideò convertetur populus meus hic ; & dies pleni invenientur in eis. Nota illam particulam cauſalem (*ideo :*) nempè quia impij in profundum peccatorum venerunt , ut dictum eſt : vel quia Apoſtoli , prædicando , pervenerunt in omnem terram : ideò Chriſtus venit in plenitudine temporum , & tunc populi convertentur ad Deum (ait Propheta) quia à Chriſto ad cor humanum, velut ad proprium centrum transfunduntur radii gratiarum per juſtificationem , & illuſtrationem ſapientiæ , veritatiſque inſpirationem,& conſummationem finalem charitatis divinæ. *Opuſ.Eccleſ. Hier.p.4.c.6.& in Lucam c.2. v.6.*

16. *Alii dies plenos habent in curſu hujus vitæ,alii dimidios,alii vacuos.*

Et dies pleni invenientur in eis. Quid eſt dies pleni ? ergone inveniuntur dies vacui ? ſic , ſic evenit hominibus,quorum aliqui habent dies plenos , ſcilicet ducendo vitam in pœnitentiâ ad redimendum peccata : Alij præſumentes de divina miſericordiâ , de longâ vitâ, de futura converſione, de finali contritione , differunt pœnitentiam; & ideò nec pleni , nec quandoque dimidii , nec quandoque unius diei plenitudo invenitur in eis ; & ideò ſæpè divino judicio relinquuntur impœnitentes in die extrema : quia hac animadverſione percutitur peccator, ut moriens obliviſcatur ſui , qui dum viveret oblitus eſt Dei. *ſerm.3. Cinerum.*

17. *Qualem miſericordiam exhibent divites pauperibus , talem Deus cum ipſis exercet.*

Ecce ipſi peccatores abundantes , in ſæculo obtinuerunt divitias. Quomodò ipſi facti ſunt in deſolationem. Notandum quod hic ſacer textus intendit confutare ſenſum eorum , qui diffidunt de Dei providentiâ, videntes impios , & divites crudeles proſperare in hoc mundo , & juſtos torqueri adverſitatibus,dicenteſque : ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum , & fui flagellatus tota die : ad cujus ſenſus confutationem ſubdit Spiritus Sanctus : *Ecce ipſi peccatores abundantes in ſæculo, obtinuerunt divitias*,eas expendendo in deliciis, & voluptatibus, crudelitatemque exercentes in miſeros,

seros, & pauperes: Id quidem verum est; sed attende exitum ipsorum, quia subitò facti sunt in desolationem: quasi dicat sicut fecerunt factum est eis,& retributionem suam convertit Deus in caput eorum,& sicut sudorem,& sanguinem aliorum biberunt,ita Dæmones de eis facient in inferno quia qualem misericordiam homo exhibet proximo suo,talem Deus exhibebit ipsi in morte. *Ser.1.Dom.14. post Pentecost.*

18. *Christi flagellatio prædicta à Propheta expenditur.*

Et fui flagellatus tota die. Si hæc verba in Persona Christi dicuntur, quomodò verificari possunt, & quomodò potest dici, quod fuerit flagellatus tota die: sed nota,quod hæc ad litteram verificantur de Christo, & etiam mysticè: Nam Christus fuit quidem flagellis materialibus flagellatus ad horam, sed flagellis linguæ ab hora captivitatis suæ,usque ad horam mortis fuit flagellatus tota die,scilicet toto tempore vitæ suæ, qu a ab hora nativitatis suæ usque ad mortem, semper fuit in passionibus,& doloribus: tertiò quia nunc etiam à malis Christianis flagellis pejoribus cæditur, quàm à Iudæis, nempè blasphemiis, & peccatis. *Ser.1. Dom. quinquag.& in Lucam c.18.v.32. & op. de perfectione vitæ.c.6.*

19. *Quicquid boni, & mali recipitur per modum recipientis recipitur.*

Existimabam ut cognoscerem hoc,labor est ante me; donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum. Ex his eruitur, qood differentia, qua Deus se habet cum bonis, & malis, viribus naturæ non potest haberi, sed requiritur ingressus in sanctuarium Dei; nempè illuminatio superna cordis unde dicit: *existimabam, ut cognoscerem hoc*, scilicet hoc discrimen; sed inveni, quod labor est ante me scilicet frustratorius; unde intravi in sanctuarium Dei, & totum intellexi, intellexi, inquam, quod quicquid recipitur per modum recipientis recipitur: nempè intellexi, quod quædam bona sunt mala bonis; ut est affluentia temporalium, quando cor eis apponunt: quædam sunt bona,quæ sunt mala malis, ut sumptio indigna Eucharistiæ,quædam bona bonis, ut sacramenta Ecclesiæ: quædam sunt, malis bona, ut doctrina hæreticorum: sunt mala malis bona, ut adversitates in præsenti, quando per illas ad Deum redeunt: Hæc omnia sunt in se vel bona, vel mala, simpliciter: sed secundùm dispositionem recipientium vel bona, vel mala, quia nullum est bonum, nisi in beneplacito Dei, nec malum est, nisi quod displicet Deo; quæ omnia cognoscuntur ab intrantibus in sanctuarium Dei; scilicet in voluntate Dei cognita. *Psal.72.*

20. *Qui voluntate Dei se conformat,intrat in sanctuarium Dei.*

Donec intrem in sanctuarium Dei. Quodnam est hoc sanctuarium Dei,in quod intrat anima,& cognoscit mirabilia Dei?Nota: hæc est conformitas cum voluntate Dei;talis enim se conformans divinæ voluntati,cognoscit quod solum est bonum, quod Deo placet;solum est malum,quod Deo displicet. *Psal.72.*

21. *Status contemplationis est sanctuarium Dei.*

Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam. Nota, quod status contemplationis est hoc sanctuarium, in quod anima intrans, exhibet Deo compunctionem cordis,orationes, & precationes suas, & hinc introducitur ad percipiendos radios illuminationum divinarum. *Psal.118.c.13.v.10. & Psal.115.in fine.*

22. *Qui vult cælestem doctrinam addiscere,intret in sanctuarium Christi, qui est liber vitæ.*

Donec intrem in sanctuarium Dei. Quodnam est hoc sanctuarium, in quo didicit mysteria fidei? Hoc est Christus Sanctus sanctorum, verè sanctuarium Patris,simulque liber, in quo legitur tota sapientia cælestis. *ser.3.Dom.2.Adv.*

23. *Qui ex substantiâ aliorum elevantur, quærunt subitum præcipitium,& inveniunt.*

Posuisti eis,dejecisti eos, dum elevarentur. Notanda sunt hæc verba diligenter, quia continent maximum mysterium: dat enim nobis Deus intelligere,quod iniqui ex substantiâ aliorum se elevantes,& ditantes,quærunt ruinam,& eam à Deo recipiunt, & inveniunt:& hinc dicit posuisti eis, non dicit eos,quia eorum positio est in transitu,& ad tempus; sic exigentibus eorum dolis ob idque positio eorum est falsa,& ordinata ad interitum, quia sunt velut lapides inutiles: dicit etiam, dum elevarentur; non dicit dum elevati sunt, sed dum elevarentur,quia citò evanescunt,& in interitum, dū elevantur,ruunt. *In Eccl.c.10.& ser.1.de S. Ant.*

24. *Superbus se exaltans quærit,& invenit dejectionem: Humilis se deprimens, invenit exaltationem.*

Dejecisti eos dum elevarentur. Vide quid opponit sacer textus elevationi superborum:nempè dejectionem,qui enim se exaltat humiliabitur,& qui se humiliat exaltabitur & si quæras, à quo dejiciuntur superbi? Respondeo, quod à Deo principaliter,& etiam à diabolo, ut vindicatore divinæ justitiæ: sicut enim in luctâ, si unus de luctatoribus possit levare pedem alterius,dejicit ipsum sic si dæmon possit levare pedem,scilicet affectionem hominis per superbiam, dejicit eum in æternam damnationem. *Opusc diæt sal.tit.1.c.3. & in Lucam. cap.14.vers.11.*

25. *Impij de miseriis & tribulationibus, occasionem inveniunt majoris ruinæ: Iusti è contra scalam sibi faciunt majoris meriti, & perfectionis.*

Quomodò facti sunt in desolationem, subitò defecerunt,perierunt propter iniquitates suas. Nota,quod in his verbis exprimitur discrimen inter præscitos, & electos tribulatos; nam præsciti opprimuntur magnis pœnalitatibus, easque cum impatientiâ sustinent,nec ad Deum convertuntur; & hinc pœnalitates convertunt in augmentum culpæ pereuntque propter iniquitatem suam, invenientes majus præcipitium. Iusti è contra faciunt de necessitate virtutem. *Ser.5. Dom.4. post oct. Epiphan.*

26. *Duplex imago in homine in ordine ad Deum; alia eſſentialis, alia accidentalis.*

Velut ſomnium ſurgentium in civitate tua, imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Ergone imago, quæ eſt eſſentialis ad nihilum redigi poteſt? & ſi id non poteſt eſſe, quomodò dicitur, quod ad nihilum redigenda eſt? Sed attende, quod duplex imago eſſentialis reperitur in homine, ſcilicèt quoad animam, & quoad corpus: quoad animam eſt in ordine ad ſanctiſſimam Trinitatem, & conſiſtit in potentiis, & actibus animæ, quæ habent unitatem, & trinitatem: quoad Corpus eſt ad imaginem mundi, quia eſt microcoſmus, ſcilicet parvus mundus; eſt & in homine alia imago, quæ propriè dicitur ſimilitudo Dei, & conſiſtit in gratuitis, ſcilicet in receptione gratiæ Dei, quæ ſuperaddit benè eſſe, & decorem ipſi animæ; & hæc per peccatum diſperditur, & de hac poteſt intelligi hic textus. *Pſal.72.& l.1.d.3.p.2.dub.1.*

27. *Vita temporalis, & iſta bona ſunt veluti ſomnium.*

Velut ſomnium ſurgentium in civitate tua ad nihilum rediges. Nota, quod in his verbis exprimit ſacer textus ſtatum miſerum horum temporalium bonorum; unde juſtus orat Deum, ut à civitate animæ, quæ eſt habitatio Dei redigat ad nihilum imaginem horum temporalium, ut nihil reputet eſſe, vel fuiſſe, quod pertranſiit, ſicut ſomnium de ſtrato ſurgentium oblivioni traditum non curatur: ſomnium enim eſt hæc vita malis, & ſtultis, qui putant ſe eſſe, quod non ſunt idest felices, & habere, quod non habent, ſcilicet putant vera iſta bona, quæ ſunt falſa: quæ conſideratio non eſt phantaſtica, ſed eſt veræ ſapientiæ, faciens mentem tranquillam, & ſtabilem inter mundanæ proſperitatis, & adverſitatis varietates, & ideò in memoriam ſæpe à juſtis revocandæ ſunt. *Op.de prof.Religioſ.l.2.c.37.*

28. *Ignis amoris divini effectus in animam quales.*

Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt. Vide quales effectus in anima parit amoris divini ignis, nam non ſolùm facit cognoſcere vanitatem rerum terrenarum, ſed quampluri-mum ignit, & arentes motus affectioneſque accendit, maloſque concupiſcentiæ ſignificatos in renibus concremat, & exſufflat, teporem inflammat, & torporem expergiſci facit, atque totam animam ipſam velut pinguiſſimum holocauſtum divino conſpectui repræſentat: ſicque Deus immiſſum ignem auget, & calere facit eam. *Opuſc. de 7.grad. contemplat. & in Lucam cap.17. verſ.36.* Nota etiam, quod dicit: *& neſcivi.* Quia cor inflammatum præ deſiderii nimietate, videtur loqui, & agere abſque cognitione. *In Lucam cap. 9. verſ.33.*

29. *Peccatum ad nihilum redigit hominem.*

Et ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi. Quomodò ad nihilum dicitur redactus, qui ſic loquitur? Si loquitur, ergo & eſt; & ſi eſt, ergo non eſt nihil? Reſpondetur, quod cum eſſe ſit, quod ordinem retinet, ſervatque naturam, & cum peccatum tollat hunc ordinem, hinc peccatores dicuntur in nihilum redigi, quoad bene eſſe, quia à Deo receſſerunt. *In Ioan. cap. 1. verſ.*.

30. *Homo in Cælo eſt homo, in terra eſt velut jumentum in malo, & in bono.*

Vt jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum Quomodo dicitur homo ut jumentum rationis expers? Sed nota, quod homo in Cœlo verè dicitur in Deum ordinatus, in terra veluti jumentum: & hoc tum in malo, tum in bono: in malo dicitur propter ſtoliditatem, propter fœtorem, & propter laborem, quæ ſunt fructus, & effectus peccati: in bono dicitur homo ut jumentum tum propter manſuetudinem, tum quia pœnitens non recuſat onus pœnitentiæ, tum ratione obedientiæ exhibitæ ſine ſimulatione, & cum ſimplicitate. *Pſalm.72. op. diat.titul.2. cap.1.& titul.4. cap.1. & ſermon.4. Domin.4. poſt oct. Epiphan.* Felix igitur, qui poteſt dicere Deo: ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum per obedientiam exhibitam. *In Lucam c.15.v.30.*

31. *Iuſti per manum dexteram tenentur, & deducuntur à Deo: impii à diabolo per manum ſiniſtram.*

Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Vide in his verbis felicitatem juſtorum, qui in hac vita Deum per amorem fortiter tenent in mente; nam iſti ducuntur à Deo ne timeant, deducuntur ne cadant, diriguntur ne circumeant: Iſtos Deus tenet fortiter per manum dexteram, ſcilicet per bona opera in morte, ut evolent ad Cœlum, & non circumeant per purgatorium: Vide è contra infelicitatem impiorum, nam iſti per manum ſiniſtram à diabolo tenentur, dum per pravæ vitæ opera ad infernum deducuntur. *Ser.12. in Pentecoſt.& ſer.2. Dom.23. poſt Pentecoſt.*

32. *Iuſtus per contemplationem ducitur ad ſtatum quietis.*

Tenuiſti manum meam; & cum gloria ſuſcepiſti me. Nota hoc dici in perſona contemplativæ animæ, quæ ducitur à Deo à gradu inferiori ad ſtatum quietis glorioſæ, in quo ſtatu introducitur ad conſortium ſpeciale Dei. *In Lucam cap.17. verſ.34.* Nota etiam, quod magis propriè dicuntur in perſona Chriſti, qui poſt paſſiones, & tribulationes aſſumptus eſt ad gloriam. *In ſap. cap.2.*

33. Gloriæ cæleſtis qualitas, & quantitas eſt ineffabilis, & inexplicabilis: unde dicebat propheta. *Quid mihi eſt in Cœlo?* Quid, ſcilicet, non ſolùm ſubſtantia, ſed & quantitas, & qualitas gloriæ eſt tanta, quod excedit capacitatem intelligentiæ meæ. *Pſal.72.*

34. *Alii deficiunt ſub Deo in bonum, alii à Deo in malum.*

Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Ergone Deo ſerviens, uti ſe proteſtatur iſte vir juſtus, deficit,

&

& non potius vim, & robur acepit, ita ut dicere debeat: defecit caro, & cor meum, dum scilicet totum cor meum in Deum fixi? sed nota. quod est deficientia in bonum, & in malum: mali dum peccant, deficiunt à Deo, ipsum relinquentes: alij, & sunt justi, Deo totaliter adhærentes deficiunt quidem, sed sub Deo, scilicet, desinunt peccare, & in Deum transformantur, & isti felices sunt. *in Psal.70.& Psal.118.v.81.*

35. *Qualis moderatio exigitur in quærendis consolationibus divinis à servis Dei.*

Defecit caro mea, & cor meum. Quomodò deficit caro ex hoc, quod se ad Dei amorem contulit? sed nota antecedentia, & consequentia: *quid mihi est in Cælo: Deus cordis mei*: quia nimia solicitudine divinas consolationes voluit quærere, hinc etiam & vigor in carne deficit. Ex quo notabile documentum datur servis Dei, ut scilicet moderatè quærant consolationes divinas eum debilitas corporis obsistit, quia sic diutius eis frui non poterunt, imò adveniente debilitate corporis, eas fugere eis necesse erit: quia vase contrito liquor effunditur; & virtute corporis deficiente, etiam cordis vigor à devotione languescit. *Op.de profe.Religios.l.1.c.26.*

36. *Deus ab anima dilectus est ipsi animæ totum desiderabile.*

Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Nota illud verbum, & phrasim: *Deus cordis mei*, nec dicit quid, sed indefinitè loquitur: ut videas quod Deus dilectus ab anima est ipsi totum desiderabile: est enim lux, vita, sonus, odor, cibus, & omne bonum. *op.de 7. don.c.3.*

37. *Iustis Deus est pars: impiis nequaquam.*

Pars mea Deus. Nota quod dicit. *Pars mea*: quia erat justus: istis enim pars, & sors tota est Deus, impiis nequaquam. *ser.3. in cœna Domini, & Glossa, & op. solil.c.1.*

38. *Fornicatio multiplex, & Deo abominabilis, qua destruit perseverantiam.*

Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Nota, quod hic multiplex fornicatio innuitur ob quam Deus eijcit fornicatores tales à se: est enim fornicatio Idololatriæ, fornicatio cujuscumque peccati mortalis, quia sicut per fornicationem corporalem separatur uxor à Viro; sic ob peccatum mortale separatur anima à Deo, & hinc fornicatio corporalis est species fornicationis spiritualis. *Psal.72. in Lucam cap. 15. vers. 10.* Fornicantur, qui relicto vero sponso, Jesu Christo, cum Mundo luxuriantur, & ideò quia non perseverant cum Deo, perduntur meritò, quia ab ipso separantur: si ergo non vis perdi, adhæreas Deo, voluntatem ejus semper, & perseveranter implendo. *ser.1.Dom.1.quadra.*

39. *Amor inordinatus Creaturæ fornicationem inducit.*

Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Quinam sunt isti fornicatores abs Deo? sunt qui inordinatè, & nimio amore amant Creaturam, eamque præponunt Creatori; & hinc ab ipso perduntur. *ser.2. Dom.5.post Pentec.*

40. *Iusti firmiter adhærentes Deo, stant: Impij adhærentes Mundo, cadunt.*

Mihi autem adhærere Deo bonum est ponere in Domino spem meam. Nota, quod dicit, *bonum est adhærere Deo*; nec exprimit ad quid: quodnam bonum est hoc? Bonum est; quia adhærendo Deo firmiter, & stabiliter manet, qui sic adhæret Deo: Non sic qui mundo adhæret, quia labenti adhærendo necessariò labitur. Adhæreant ergo (ait Propheta) alij quibuscumque voluerint, ego Deo adhærebo, qui est protector meus in via, & beatificator in patria. *ser.2.in festo omn.Sanctor. & op. incend.am.c.3.& op.Theol. myst.c.3.p.1.*

41. Virtus spei in charitate fundatæ facit animam firmiter adhærere Deo: unde dicit hic Propheta: *mihi autem Deo adhærere*, scilicet per charitatem, *bonum est ponere in Domino Deo spem meam. Psalm. 118. cap. 2. vers. 15. & in sap. cap.5.*

42. *Spei exercitium in Deum, quales effectus in anima producat.*

Mihi autem adhærere Deo bonum est Sed quibus artibus prætendis, ô Sancte Propheta adhærere Deo, & hoc bonum recipere? subdit: *ponere in Domino Deo spem meam*: Ecce quales effectus gignit in anima virtus spei; hæc enim adhærere facit animam immediatè Deo, eamque quodammodò beatam reddit. *op.de dono spei. cap.3.* Nota etiam, quod hæc fœlicitas speciali modo acquiritur, dum anima, existens in tribulatione, Deo adhæret per spem firmam. *op. medit. vitæ Christi, cap. 36.*

43. *Recti corde sunt, qui diligunt Mariam, & diliguntur à Deo.*

Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde. Et quinam sunt isti recti corde? Recti corde sunt, qui conformant suam volontatem divinæ, & ipsum colunt; & quia voluntas Dei est, ut post Deum colamus Beatam Virginem Mariam; hinc Deus summè bonus est his qui colunt Matrem suam, & venerantur; qui enim Mariam continuè colit, ad maxima Dei beneficia de novo semper recipienda se disponit. *Op. psalt.B.Virg. Psal.72.& op. stim.p.3.c.16.* Dicamus igitur Mariæ: quia Deus summè bonus est, qui te Matrem ejus colunt, & venerantur, quia es solatium nostrum, & in laboribus subventio optima, fac in visceribus meis oriri lumen cæli: avertatur à me ira Dei per te: placa eum meritis, & precibus tuis: in judicio pro me assiste, coram eo suscipe causam meam, & mea sis advocata *Op. psal. B.Virg. Psal.72.* Et hinc verè Maria est solatium nostrum in laboribus subventio optima, quia per ipsam placatur Deus *ibid.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*



PSALMUS LXXIII.

Titulus Intellectus Asaph.

1. PRIMÒ Nota, quod cum fupra docuerit Deo effe adhærendum, hic docet quomodò id faciendum: unde ifte pfalmus eft Afaph, fcilicet fidelis populi, qui intelligit, quod tranfierunt figuræ & quod veritas venit, & quod æterna quærenda funt, non temporalia.

2. *Loco Judæorum fucceffit Populus Chriftianus, at Populus Dei.*

Intellectus Afaph: Ut quid Deus repulifti in finem. Nota. quod hic pfalmus dirigitur ad Populum Dei: Populus autem Dei jam erat Populus Judæorum, fimiliter & Populus gentilium: fed Judæorum Populus erat fpecialiter, & beneficio amoris: Populus gentilis tantùm beneficio creationis: Ille enim plura beneficia recepit, fcilicet fidem, circumcifionem, liberationem; fed quia id fuit figura futurorum, fucceffit Populus Chriftianus, qui verè eft Populus Dei. *Pfal.* 73.

3. *Signa myfteriorum Chrifti præcefferunt in lege veteri.*

Pofuerunt figna fua figna, & non cognoverunt ficut in exitu fuper fummum. Quomodò Populus Judæorum pofuit figna fuper figna, fi non cognovit fignificatum illorum? Nota, quòd figna præcefferunt in lege veteri adventus Chrifti, quæ non cognita à Judæis, fuerunt caufa ruinæ illorum; figna itaque habuerunt præteritorum, & futurorum, & præfentium. *Pfal.* 73.

4. *Mali exponunt figna Dæmonum contra figna Chrifti.*

Pofuerunt figna fua figna, & non cognoverunt ficut in exitu fuper fummum. Qui funt ifti, qui pofuerunt figna fua figna? Nota, quod dicit, (*figna fua*,) non Dei: Nempè Chriftus pofuit in Ecclefia figna fua, fcilicet Crucem, humilitatem: mali autem ponunt figna oppofita diaboli, fcilicet fuperbiæ, gulæ, luxuriæ, & avaritiæ, quibus contradicunt fignis Chrifti. *in Lucam c.* 11. *v.* 16.

5. *Peccantes voluntariè funt incendiarij thefaurorum Dei, & polluunt tabernaculum Dei.*

Incenderunt igni fanctuarium ejus; in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Qui funt ifti incendiarij fanctuarij Dei? funt inimici Dei, funt peccatores, qui peccando, & Deum offendendo, domum Domini cum familia, fcilicet Cor cum virtutibus igne vitiorum fcienter incendunt, occidentes animam propriam, & polluentes tabernaculum Dei Nota etiam, quod parentes, filios malè educantes, dicuntur incendere fanctuarium Dei, & polluere tabernaculum nominis Dei. *fer.* 3. *Dom.* 1. *poft oct Pafcha.* item rixantes funt incendiarij Domus Dei. *Op. comp. Theol. l.* 3. *c.* 17.

Nota educantes malè filios funt incendiarii Domus Dei. Item rixantes cum proximo.

6. *Humilibus, & Pauperibus data funt figna Chrifti: fuperbis figna diaboli.*

Dixerunt in corde fuo cognatio eorum fimul, quiefcere faciamus omnes dies feftos Dei à terra: figna noftra non vidimus Ecce quid facit congregatio malorum, nempè opponens fe fignis Chrifti, ea rejicit: Signa autem Chrifti funt paupertatis, & humilitatis, quæ à Chrifto expofita funt pauperibus, & humilibus; fed mali, & fuperbi hæc non cognofcentes, ea rejiciunt. *in Lucam cap.* 1. *verf.* 12. *& cap.* 7 *verf.* 59. *& c.* 11. *verf.* 16. *& ferm* 2. *de S. Barthol.* Quafi dicat: ecce cognatio vitiorum, & vitioforum fimul cum Dæmonibus, dicunt: quiefcere faciamus omnes dies feftos Dei à terra; ideft auferamus dies feftos Dei, fed homines inducamus ad figna noftra, fcilicet ad tabernas, ad negotiationes, ad proftibula, & alia opera mala: & hinc poffunt dicere Prædicatores: figna noftra, fcilicet Jefu Chrifti, non vidimus, quia jam deferta, & rejecta funt à Chriftianis. *ita etiam Ugo Cardinal.*

7. *A Chrifto Salus quomodò dicitur operata in medio terræ ad litteram.*

Deus autem Rex nofter operatus eft falutem in medio terræ. Nota ad litteram dicitur Chriftus operatus effe falutem in medio terræ, ideft in Hierufalem: fed quomodò dicitur medium terræ? quia eft veluti umbilicus, & media in terra habitabili: fic refpondent plures Doctores: fed melius dicitur in medio terræ, ideft in fuperficie; quia enim terra eft fpherica, ideò quæcunque fuperficies dicitur medium. *Pfalm.* 73. *fap. cap.* 51. *& cap.* 18. *& fermon. primo, Invent. S. Crucis.*

8. *Chriftus medium fuit in Cruce diftantiæ, fcilicet mathematicæ Chriftianæ, ut nofmetipfos metiremur ad fui imitationem.*

Deus autem Rex nofter operatus eft falutem in medio terræ. Cur dicit in medio terræ, & non potius in aëre, vel in Cruce fuper terram? Nota, quod dicit in medio terræ, nempè, terra inter cætera elementa fpherica, modica, & infima, quia eft in centro; & ideò modica eft refpectu circumferentiæ; & hinc eft, quod facilè recipit omnes influentias corporum cœleftium. Ideò dicitur Chriftus, in medio terræ falutem operatus: nempè quia fuit fphericus paupertate, infirmus humilitate, modicus humanitate, & hinc homo factus venit non folùm ad fuperficiem terræ, fed in profundo inferni, & fic reftauravit cœleftium fedium vacationes: In hoc profundo medio falus eft, quia recedens à medio humilitatis damnatur, ut difcamus quomodò poffumus metiri nos ipfos per hoc medium. *fer.* 1. *Hexaem.*

9. Chrifti

9. *Christi redemptio dicitur facta in medio terra, idest omnibus communis, & utilis, & perfecta.*

Deus autem Rex noster operatus est salutem in medio terra. Cur dicitur in medio terræ? quia medium est omnibus commune, utilius & perfectius; ut pateat redemptionem à Christo operatam fuisse omnibus communem, utilissimam, & perfectissimam. *Psal.73. comp.Theol.l.4.c.7.in Ioan.coll.13.& fer. in festo Pascha* Dicitur in medio terræ tamquam cor, vitales influentias immittens in omnes ex cruce per sacramenta, & ideò stat Jesus in medio, damnans angulos ambitionis in beneficiorum exhibitione: latibula Personarum acceptionis in præbendarum dispensatione: delusoria verba privatæ consolationis, & conventicula fordidæ delectationis. *fer.1.Dom.3.Adv. & fer.1.in Inventione S.Crucis.*

10. *Pœnitens se tribulans per contritionem contribulas, & conterit simul dæmones, eorumque potentiam.*

Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita Draconum in aquis. Ecce effectus redemptionis à Christo operatæ: nam sicut Pharaonem cum suis sequacibus subvertit Deus sua virtute in mari: sic Christus suam virtutem dedit aquis Baptismi, & contritionis, & lachrymarum, ut in ipsas submergerentur capita draconum, idest tentationes dæmonum. Nota autem, quod dicit, *contribulasti*, quia dum pœnitens se in corde tribulat, simul & tribulat dæmones. *opusc.Diat.tit.7.c.3. & serm.4. Dom.3.post Pentecost.*

11. *Christus baculo Crucis confregit caput diaboli.*

Tu confregisti capita draconis. Caput diaboli est ejus potestas, caput diaboli igitur confractum est per Christi virtutem, & privatus possessione super homines. *fer.1.in resurrect.*

12. *Ex Christi Passione siccata sunt flumina aquarum Sapientia mundana, & aperta divinarum gratiarum flumina.*

Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluvios Ethan. Ecce quid fecit Christus ascendens in Crucem, ubi aperuit fontes divinarum gratiarum, ut eas diffunderet in omnes homines, & siccavit fluvios sapientiæ mundanæ. *in Ecclesi.c.1.& 12.*

13. *Quatuor tempora anni, quatuor genera hominum designant bonorum, & malorum.*

Æstatem, & ver tu plasmasti ea. Nota, quod hic Propheta ad litteram quatuor tempora anni designat, scilicet ver, æstatem, autumnum, & hyemem; per quæ denotantur mysticè quatuor genera hominum: in vere enim significantur incipientes; In æstate charitate ferventes; In Autumno charitate refrigescentes, & in hyeme in peccati gelicidio torpentes. *Psal.73.*

14. *Christus est faber, qui fabricavit Auroram, & Solem, ut bonos foveret, & malos ureret.*

Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram, & Solem. Nota, quod per diem intelligitur vita justorum, per noctem vita peccatorum in tenebris involuta: Christus autem ut faber fabricatus est auroram, & solem ut bonis esset in refrigerium, & malos per judicium ureret. *opusc. spec. B. Virg. lect.4.& 11.& op. Diat.tit 8.c.5.*

15. *Christus est faber mysticus, qui nobis fabricatus est instrumenta ascendendi ad Cœlum.*

Tu fabricatus es auroram. Si fabricatus est Christus auroram, ergo est faber, & ad quidquid ut faber nobis fabricatus est instrumenta, per quæ ad Cœlum possemus conscendere. *op. Diat tit.8.c.5.*

16. Anima peccans mortaliter relinquitur in potestate bestiarum crudelium, scilicet dæmonum, unde Propheta exclamat Domino: *Ne tradas bestiis*, idest dæmonibus, *animas confitentes tibi, & animas &c. ferm.4. Dom.2.post oct.Epiph. & ferm. 3. Dom.quinq. & fer.4. Dom.4. quadrag. & fer.1. fer.4. Pasch.& fer.3 in rogat. & fer.de S Michaele, & op. me dit vita Christi c.1.*

17. *Peccatum excæcat animam, aliudque est trabs, aliud festuca.*

Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terra domibus iniquitatum. Ex hoc textu vide miseriam peccatorum, qui per peccatum obscuratos habent oculos, scilicet vel trabe peccati mortalis, vel festuca venialis: indigent ergo lumine superno, ne in interitum ruant. *Psal.73.*

18. *Pauper, & inops est Peccator: Pauper item, sed diverso modo est Iustus.*

Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Nota, quod Pauper dicitur qui parum habet de divitiis: ergo qui parum habet de spiritu dicitur pauper spiritu: sed attende, quod pauper spiritu dicitur in bonum, & in malum; in bonum qui spiritu Dei repletus, temporalia abdicavit: in malum, qui est carens gratiâ Dei, repletus spiritu Dæmonum. *Psal.73* de pauperibus spiritu in bonum dicitur, quod laudabunt nomen Dei, quia eorum oratio est Deo charissima. *in Lucam c.11.v.17.*

19. *Odium Dei, superbia, & alii Actus mali in damnatis nunquam in aeternum cessabunt.*

Unde dicitur hic, *superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*, scilicet quoad potentiam, & quoad provocationem unius ad alterum insultandi, irridendi, & provocationem ad malum. *op. comp. Theol.l.2.c.1.in sup.c.14 & l 4. d.14.p.2. dub.12.* Et hinc eruitur, quod in Diabolo ex multiplicatione actuum malorum, quantum ad seducendum homines semper magis, & magis intenditur, licèt non quoad vim contemplativam in ordine ad Deum. *l.2.d.7.p.1.a.1. qu.3.*

20\. Proprium ſuperborum eſt ſicuti, & dæmonum aſcendere ſemper in altum: proprium humilium deſcendere. Unde hic dicitur: *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*, quia ſemper cogitant aſcenſum ad dignitates, qui aſcenſus poſtea terminat in deſcenſum æternum: è contra humiles deſcendunt, ut poſtea aſcendant ad Cœlum. *In Lucam c.19.v.27.& ſerm.3.fer.3. Paſcha, & ſerm.4. in Aſcenſione.*

21. *In tempore tribulationis, & tentationum ad Mariam recurrendum.*

Vt quid Domine? Nota, quod hæc à nobis ſunt convertenda ad Mariam Virginem in tempore tribulationum, & dum à diabolo tentamur, dicere que debemus confidenter: ut quid Domina repuliſti nos, nec ſubvenis in die tribulationis? ingrediatur oratio mea in conſpectu tuo, & voces gementium ne deſpexeris: tetendit arcum ſuum contra nos inimicus: firmavit dexteram ſuam, & non eſt conſolator: diſrumpe in nobis capturam malitiarum ſuarum, & libera nos dexterâ tuâ: repelle eum in locum perditionis: ſempiterna damnatio ſuſcipiat eum. *Opuſc. Pſalt. B.Virg. Pſalm. 73.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

22. *Maria Virgo medium terræ, quia mediatrix noſtra, & quia in ipſa inchoata eſt ſalus noſtra.*

Deus autem Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ. Quomodo in medio terræ dicitur, cum in quacumque parte corporis ſpherici, qualis eſt terra, ſit medium? Nota, quod hoc medium eſt B.Virgo, vel ejus uterus, in quo inchoata eſt ſalus noſtra; medium autem meritò dicitur, quia ad illam, ſicut ad medium, (*ait etiam D.Bernard.*) ſicut ad Arcam, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui habitant in Cœlo, & qui habitant in inferno, & qui nos præceſſerunt, & qui nos ſequuntur. Illi, qui ſunt in Cœlo, ut reſarciantur, qui in inferno, ut eripiantur, qui præceſſerunt Prophetas, ut fideles inveniantur, qui ſequuntur, ut glorificentur. Io hoc ergo benedicto terræ medio, benedictus eſt Iſraël, benedictus eſt Dei Populus, dum per benedictam Dei Matrem, Deo eſt acceptus; imò per ipſam, benedicta eſt non ſolùm creatura rationalis, ſed & univerſalis, quia per ipſius benedictionem benedicitur omnis creatura, non ſolùm creatura à creatore, ſed creator à creatura. *Opuſcul. ſpecul. B. Virgin. lect. 14.*

23. *Maria Virgo aurora, mediatrix inter noctem iræ Dei, & diem pietatis.*

Tu fabricatus es auroram, & ſolem. Quomodò dicitur Aurora fabricata, ſi non eſt aliquod corpus, ſed nota. quod aurora mediat inter noctem & ſolem, ſignificatque Mariam: quia enim Chriſtus eſt ſol juſtitiæ urens malos, & fovens bonos; Deus collocavit in mondo Mariam, ut eſſet veluti aurora, medians inter iram Dei, & pietatem, ut bonos foveret, & iram Dei refrigeraret, & per ipſam omnis homo acceſſum haberet ad Deum. *Opuſcul. ſpec. B.Virg. lect. 11. & 4.*



PSALMUS LXXIV.

Titulus in finem, ne corrumpas: Pſalmus cantici Aſaph.

1\. PRIMÒ Nota, quod cum in præcedenti Pſalmo egerit de deſtructione ſynagogæ cujus loco ſucceſſit Populus Chriſtianus, & ideò egit de ſalute ei data per Chriſtum in 1. Adventu: Hic agit de ædificatione Eccleſiæ per Apoſtolos, & de ſalute danda ei per gloriam in 2. Adventu: hinc titulus eſt, quod hic Pſalmus eſt cantici, ſcilicet de remuneratione æterna Aſaph, ſcilicet fidelis populi, & ideò agens de æternis, monet ne diſperdas, ſcilicet ſpem, quæ habetur in Dei promiſſione, ut pervenias in finem æternæ conſummationis, & ideò cavendum, ne perdamus gratiam per peccatum, & per conſequens etiam gloriam promiſſam.

2. *Ad perfectam ſanitatem animæ in Eccleſia habendam, remedium confeſſionis, orationis, & prædicationis Deus collocavit.*

Confitebimur tibi Deus, & invocabimus nomen tuum; narrabimus mirabilia tua. Nota ordinem horum verborum, in quibus primò proponitur confeſſio: 2. oratio, & 3. prædicatio: quia ad ſanitatem ſpiritualem acquirendam primò requiritur remotio malorum humorum, ſcilicet per confeſſionem: 2. acquiſitionem honorum, ſcilicet per invocationem, & orationem, per quam attrahuntur influxus cœleſtes: 3. doctrina omnibus communis, ut hæc neceſſaria addiſcantur, & hoc per prædicationem: unde 1. dicitur: *confitebimur*: 2. *invocabimus*: 3. *narrabimus*: & hæc tria in Eccleſia Dei maximè vigent. *Pſal. 74.*

3. *Peccator invitatur ad duplicem confeſſionem neceſſariam Saluti.*

Confitebimur tibi Deus, confitebimur. Nota, quod dupliciter hic dicitur, *confitebimur*: quia duplex eſt confeſſio facienda à peccatore: ſcilicet peccatorum, & confeſſio laudis, quæ conſiſtit in corde, ore, & opere, per quam Deus perfectè laudatur, & invocatur. *Pſal. 74. & op. Diæt. titul. 2. capit. 3.*

4. *Oratio alia Deo exoſa, alia Deo chara.*

Et invocabimus nomen tuum. Facta confeſſione peccatorum, pœnitens exit in confeſſionem laudis, & hinc ad orationem ſe confert. Nota autem, quod oratio alia eſt Deo abominabilis, alia chara: 1. eſt, quæ ex indevotione fit, nempè ex indevotione nequitiæ, quando quis invocat Deum, ut proſperetur in malis; ſic enim contra ſe Deum vocat, judiciumque poſtulat: vel ex indevotione negligentiæ, negligenter orando, ſcilicet peccando in ſpe, ut ſcilicet poſtea ad Deum confugiat: 2. oratio, ſcilicet Deo chara eſt, quæ fit ex devotione, & cum devotione. *Pſal. 74.*

5\. Chriſtus

5. *Chriſtus contra ingratos in judicio exercebit iram ſine miſericordia.*

Cum accepero tempus ego juſtitias judicabo. Quid eſt cum accepero tempus? quodnam eſt hoc tempus, quod accipiet Dominus? Nota, quod nunc per primum adventum Chriſti accepit tempus miſerendi, illudque nobis in hoc curſu mortalis vitæ tradidit, ut ipſo uteremur ad agendam pœnitentiam: Sed poſtea in morte noſtra illud reaſſumet, & contra ingratos, & impios, qui illo malè uſi ſunt, ſolùm juſtitiam exercebit, & meritò; nam ſi in hoc mundo Reges ſuorum præceptorum tranſgreſſores tormentis afficiunt: multò magis Chriſtus contra eos, qui in hac vita rebelles vixerunt ſuis præceptis juſtiùs, & in eos ſævius aget ſine ulla miſericordia. *Ser. 1. de S. Matthia & op. Diat. tit. 9. cap. 1. in Lucam c. 19. v. 21. & c. 21. v. 8. & l. 4. d. 44. p. 2. a. 1. qu. 1. ad 4. in Ioan. c. 8. v. 16. & c. 12. v. 31. & v. 47.*

6. *In Judicio non ſolùm diſcutientur mala, ſed & bona opera.*

Cum accepero tempus ego juſtitias judicabo. Quomodò juſtitias Deus judicabit? nonne judicium fiet contra mala opera? ergone etiam contra juſtitias? Nota hanc terribilem ſententiam: datur enim intelligi, quod Chriſtus veniet ad judicium, non ſolùm ut examinet mala opera, ſed & bona, quomodò facta ſint; quod debet nos movere ad timorem, & mandatorum obſervantiam, dum cuncta agimus in conſpectu judicis cuncta intuentis. *In Eccleſ. c. 12. in fine.*

7. *Apoſtoli, & Sancti ſunt columnæ à Chriſto firmatæ ad ſuſtentandam Eccleſiam.*

Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmavi columnas ejus. Quandonam liquefacta eſt terra? Sed adverte, quod ſub tempore præterito prædicit perſecutionem futuram Antichriſti; tunc enim liquefiet terra, ſcilicet, terreni homines diſſolventur in peccata varia, accipientes ad modum æris liquefacti, formam omnium errorum, quos diſſeminabit Antichriſtus: *Sic Vgo:* ſubdit: *& confirmavi columnas ejus*; ſcilicet Apoſtolos, eorumque ſequaces, ut veluti columnæ ſuſtentant bonos, & Eccleſiam: Iſti enim ſunt, qui portant orbem, & ſuſtentant Eccleſiam, quorum miniſterio etiam liquefient peccatores, & inducentur ad opera pœnitentialia. *In ſap. cap. 1. & Pſal. 77.*

8. *Prædicatores debent clamare contra impios.*

Dixi iniquis nolite iniquè agere, & delinquentibus. Ecce quod expoſitis columnis, ſcilicet Prædicatoribus in Eccleſia, hæc ſe vertit ad iniquos; quia debent Prædicatores clamare contra iniquos, ut relinquant impietatem, quæ reddit hominem ſtupidum durum, & crudelem, quia non poterunt effugere iram Dei. *In Eccleſ. cap. 7.*

9. *Deus prohibet malum ſecundùm omnimodam rationem.*

Nolite exaltare cornu: nolite extollere in altum cornu veſtrum nolite loqui adverſus Deum iniquitatem. Nota ordinem verborum: primò dicit, *nolite exaltare cornu*, ſcilicet voluntatem peccandi, erigendo vos contra Deum: ſecundò *nolite extollere in altum cornu veſtrum*, ſcilicet peccandi perſeverantiam: tertiò *nolite loqui*. Scilicet cavete à murmuratione contra Deum: ſubditque: *quia neque ab oriente, &c. Deus judex eſt.* Scilicet nemo poterit effugere ab ira ſuperni judicis. Advertendum tamen, quod in ſacra Scriptura ſunt cornua bonorum, ſunt & cornua malorum: item crucis: hic loquitur de cornibus malorum, ſcilicet malæ voluntatis, & ſuperbiæ. *Pſalm. 74. & in Lucam c. 16. v. 15.*

10. *Aliis Deus porrigit calicem plenum vino perfecto: aliis mixtum ex mero, & fæce: aliis plenum fæce.*

Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia Calix in manu Domini vini meri plenus mixto: & inclinavit ex hoc in hoc, veruntamen fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Notanda hæc digniſſima verba, in quibus datur intelligi, quod Deus habet calicem, ſcilicet juſtitiæ ſuæ, in cujus ſummo eſt vinum merum, in imo eſt fæx, & in medio mixtum: primum eſt jucunditas æterna ſecundum eſt amaritudo ſumma: tertium eſt mixtum ex proſperis, & adverſis: primum datur beatis in patria: ſecundum damnatis: tertium hominibus in hac vita; hunc calicem Dominus in manu tenet, quia exercet juſtitiam in opere: in hoc calice inebriata eſt angelica natura, quando glorificata eſt: & illa, quæ cecidit, fæce æterna: humana autem natura inebriata eſt de mixto, non volens ipſam inebriare de mero; ſed quia ſuggeſtione alterius peccavit, ideò Deus eam inebriare decrevit ex ſua miſericordia de mero in Cœlo, vel de fæce in inferno ex juſtitia; ſed in hac vitâ de mixto collocans eam inter proſpera, & adverſa, temperans iram cum miſericordiâ, & compaſſione. *Pſal. 74. & op. de dono ſap. c. 6. & in Lucam c. 2. v. 34.*

11. *Homo in præſenti habet unum cornu: in futuro in inferno confringentur duo cornua peccatoribus. In Cœlo exaltabuntur: ſcilicet ſuperbi humiliabuntur, & humiles exaltabuntur.*

Et omnia cornua peccatorum confringentur, & exaltabuntur cornua juſti. Quænam cornua ſunt iſta? Nota per cornu fortitudinis privilegium ſignificatur, quod habuit in ſtatu innocentiæ homo ſimul cum integritatis privilegio corporis, & mentis: per peccatum ablata eſt integritas corporis ob ſubjectionem mortalitati; & alterum inclinatum eſt, ſcilicet ad peccatum: in alia vita in damnatis confringentur iſta cornua: in beatis exaltabuntur, & reaſſumentur perfectiſſimè. *In Pſalm. 28. & 36. in Lucam cap 9. verſ. 16. & cap. 14. verſ. 11.*

11. *Trahitur hic Psalmus ad suadendum devotis Mariæ, ut ipsam semper toto corde laudent.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Confitebimur tibi Deus.* Si hic Psalmus invitat nos ad laudes Dei, ex consequenti ad majorem ipsius gloriam invitat, & ad laudandum Matrem: Confitebimur igitur Virgini Mariæ, & laudemus nomen ejus, & facier nos delectari in suis laudibus. Dicantque, & prædicent, & suadeant prædicatores omnes laudes ipsius, dicentes: Cantate Mariæ habitatores terræ, & laudem ejus in Populis nunciate: confessio, & magnificentia coram illa, fortitudo, & exultatio in throno illius: adorate illam in decore illius, glorificate opificem pulchritudinis illius, recordamini in sempiternum misericordiæ illius, retinere in mente virtutes, & mirabilia illius. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 74.*

PSALMUS LXXV.

Titulus: In finem, in laudibus: Psalmus Asaph: Canticum ad Assyrios.

1. PRIMÒ Nota, quod Psalmus iste dicitur Asaph, scilicet ab Asaph jussu David cantatus, qui Asaph, ut dictum est, significat Populum Christianum, qui tendit in finem confitetur Christum, & continet laudes Dei, quas fidelibus suadet contra Assyrios, idest Judæos: Assyrii enim interpretantur dirigentes quod intelligitur per contrarium, scilicet contra Christum, & ideò in hoc Psalmo confunditur superbia Judæorum: ostenditur Christi virtus, illuminans, salvans, & judicans, & suadet unumquemque fidelem Christo reddere sua vota. *Ps. 75. & Vgo.*

2. *Dei magnificentia excellit ubi est ipsius confessio, & cognitio.*

Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Quomodò solùm dicitur notus in Judæa, & non alibi: & quomodò solùm in Israël magnum dicitur ejus nomen? nonne & in aliis nationibus? Nota quod dicitur in Judæa, & in Israël: Judæa interpretatur confessio, & cognitio Dei, ibi Deus magnificus redditur: commendatur igitur Deus, quia manifestatur, & à fidelibus confitetur, & contemplatur. *Psalm. 75. & l. 4. d. 3. p. 1. art. 1. qu. 2. ad 3. & Psal. 138. in sap. c. 15.*

3. *Dei notitia incipit in gratia, & consummatur in gloria.*

Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Sed quomodò dicitur tantùm notus Deus in Judæa, & postea in Israël magnum nomen ejus? Nonne Israël continetur in Judæa? sed attende ad mysterium: in Judæa, idest in confessione, & significat statum præsentis vitæ, in qua incipit per fidem cognitio Dei; additur, *in Israël,* idest in statu visionis beatæ, in quo magnum nomen est, scilicet, perficitur cognitio Dei. *in Lucam cap. 11. v. 2.*

4. *Cognitio Dei sine cultu, & amore parum prodest.*

Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Cur in Judæa, & Israël tantùm? Nonne & Philosophi gentiles cognoverunt Deum primam causam? cognoverunt quidem, sed ipsum non dilexerunt, nec coluerunt: cum enim Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, *ut Apostolus ad Rom. c. 1.* & ideò dicitur; solùm notus in Judæa, & in Israël, ubi vigebat cultus Dei, ut videas quod notitia Dei sine amore, & cultu debito, facit ad damnationem majorem. *Psalm. 75.*

5. *Qui vult ad speculationem contemplationis pervenire, præparet intra seipsum locum pacis Deo.*

Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Nota ordinem horum verborum. 1. dicit quod locus Dei est pax, & postea habitatio in Sion. Cur in Sion post præparationem loci dicitur Deus habitare? Sed attendendum, quod Sion interpretatur speculatio, & significat speculationem contemplationis mysteriorum Dei, ad quam qui vult pertingere, necesse est, ut præparet locum Deo: hic locus est pax mentis: quia solùm pax præparat locum Deo in mente. *Op. specul. B. Virg. lec. 11.* Et si quæras, quid sit ista pax, & quomodò acquiratur? Respondetur, quod consistit in tranquillitate, & quiete interna; & cum hæc insit in anima, tunc ibi nihil est, quod possit eam perturbare, velut in Arca Noë, in qua irrationalia pacem habebant cum homine: cum ibi nulla sit cupiditas, nullus timor, & ideò hic status est ultimus, & perfectus effectus charitatis. *Op. incendium am. c. 1. & op. itin. mentis prolog.*

6. *In pace locus est Dei: in discordia locus Diaboli.*

Et factus est in pace locus ejus. Vide, quod locus Dei est locus pacis, ut intelligas, quod sicut pax trahit Deum ad se; sic è contra discordia trahit diabolum: In pace igitur libenter habitat Jesus, unde *Luc. 2.* dicitur: *remansit puer Iesus in Ierusalem* idest in civitate pacis. *Op. de dono consilii c. 5. & op. comp. Theolog. l. 3. c. 17. & ser. 1. in fer. 3. Pascha. & in Lucam c. 22. v. 11.*

7. *Locus pacis est fructus humilitatis, locus discordiæ fructus superbiæ.*

Et factus est in pace locus ejus. Quis locus iste est? & in quo situ collocatus? sed attende, quod est in hoc Mundo locus superior, & locus inferior; in superiori, scilicet in superbiâ sunt contentiones, & discordiæ, rixæque; quia ambitiosi contendunt pro loco superiori: in inferiori, scilicet in humilitate est pax, quia ibi nulla est contentio; & ideò pax est fructus humilitatis, contentio fructus superbiæ. *Op. Diat. tit. 7. c. 1.*

8. *Patientia triumphat in omnibus perfectionibus de inimicis.*

Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. Ibi; in quo loco? Ibi, scilicet in loco pacis,

pacis, ubi residet pax, & patientia: Deus confringit omnem potentiam diaboli, omnem malam voluntatem hostium, significatam per scorum,& gladium, scilicet intimam persecutionem, & apertum bellum: quia pax, & patientia sola, licet inermis armatos vincit hostes. *ser. 2. in festo omn. Sanc & in Psal. 75. & 88.*

9. *Fide, & bona voluntate triumphat anima de suis hostibus.*

Ibi confregit potentias, Ibi, scilicet in Sion, ubi est speculatio Dei, & bona voluntas, & hæc est fructus fidei, qua justi triumphant, tanquam robusti milites, & vincunt regna, & omnes hostes, opponentes scutum bonæ voluntatis malignitatibus hostium. *Psalm. 75. & sermon. 2. in festo omn. Sanc.*

10. *Fides mirabiliter illuminat animam: Incredulitas obscurat, & perturbat.*

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde. Nota hæc duo opposita hic expressa, scilicet illuminationem mirabilis animæ, & obscurationem perturbationemque, quia anima necessariò in aliqua istarum reperiri debet: prima oritur ex illustratione fidei provenientis à montibus æternis, scilicet à sanctissima Trinitate: hæc mentem ducit in cognitionem æternorum, adjuvat cognitionem omnium scientiarum, ut per ipsas notitia habeatur Dei unius, & trini: Et ideò ubi immittitur talis illustratio, ibi adsunt securitas, & summa quies; è contra incredulitas ducit in perturbationem, & inquietudinem animam. *Op. itin. ment. c. 3. & ser 11. & 18. Hexaem. & in Lucam c. 8. v. 16. & in Ioan. c. 14. v. 2.*

11. *Divitiæ sunt somnium, & eas congregantes somniantes sunt.*

Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Nota, quod post expressionem illuminationum fidei, & tandiorum cœlestium, & perturbationis incredulorum, & mundanorum, ut magis pateat origo talis perturbationis, notat facer textus, quod viri cupidi, & mundani vitam degunt in somno, & in somniis, & ideò in morte manus suas vacuas inveniunt: sed quomodo id verè dicitur, cum benè vigilent in acquisitione divitiarum numquam quiescentes? sed attende mysterium: datur per hoc intelligi, quod inventio rerum temporalium est sicut somnium dormientium, qui dum dormiunt, somniando divites se esse credunt, sed dum evigilant in morte, vacuos se esse inveniunt: nihilque se habere nisi peccata, quæ propter divitias commiserunt. *serm. 2. in Invent. S. Crucis. & ser. Dom. 11. post Pentec.*

12. *Cor hominis solo Deo satiari, & repleri potest, non rebus creatis.*

Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Quomodò nihil? nonne divitiæ aggregatæ, sunt aliquid? O quàm benè dicitur nihil! quia quod vanum est, non potest replere vacuum, & quod inferius est ipso continente, illud non potest replere, quid verò sunt ista mundana, nempè prosperitates, honores, divitiæ, nisi mera vanitas, & semper inferiora cordi humano: ergo illud non possunt replere, nec satiare, quid ergo est, quod potest satiare cor hominis vacuum? Hic est solus Deus, qui est summum, & infinitum bonum: ergo rectè dicitur de cupidis, nihil invenerunt. *Psal. 75. & ser. 2. in invent. S. Crucis.*

13. *Qui in hac vita volunt inordinatè divites fieri, sunt servi pauperrimi, & indigentes: è contra viri amatores paupertatis divites erunt in morte.*

Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Nota, quod hæc miseria, & summa indigentia accidit viris divitiarum, & quinam sunt viri divitiarum? ergò ne omnibus divitibus hoc accidit? minimè; sed tantùm viris divitiarum. Nota, quod dicit viri divitiarum, & non divitiæ virorum, quia avarorum non sunt divitiæ, sed avari sunt servi divitiarum, nempè qui inordinato amore adhæserunt divitiis in hac vita, sicut vir uxori, isti namque in vita sunt captivi earum, & post mortem evigilantes, nihil inveniüt in manibus suis, sed paupertrimi, & miserrimi inveniuntur. *serm. 1. de S. Iacob. & in Lucam c. 6. v. 24. & v. 34. & c. 8. v. 14. & c. 12 v. 15. & c. 16. v. 10. & 24. & c. 21. v. 11. & Op. Diæt tit. 1. c. 6. & tit. 7. c. 2.* Si ergo vis dives inveniri in morte, esto non vir divitiarum, sed paupertatis, quia qui imitator verus fuerit pauperis Christi, qui paupertatem in hac vita pro Christo diliget, & sectabitur, bonis omnibus non solùm spiritualibus, sed etiam temporalibus abundabit in hac vita, & in morte, igitur nec habere divitias, nec amare utile est ac securum, & delectabile, & actus virtutis perfectæ, & ideo consilium Domini de paupertate, & ejus exemplum omnem Christianum movere debet, & accendere ad amorem paupertatis. *Opusc. de perf. vita, cap. 3.*

14. *Qui in manibus pauperum non deposuit divitias, eas in morte non inveniet.*

Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Cur non invenerunt in manibus suis? quia fuerunt viri divitiarum, scilicet servi divitiarum, quia eas non expenderunt, & in depositum eas non collocaverunt in manibus pauperum; ideò eas non inveniunt in morte. Vis ergo in morte invenire divitias in manibus tuis? noli contemnere modò manum pauperis & relinquere pauperum manus vacuas si vis habere manus plenas in morte. *serm. 7. in rogat.*

15 *Prælatorum incuria notatur erga subditos.*

Ab increpatione tua dormitaverunt qui ascenderunt equos. Et quinam sunt isti dormitantes? & si sūt dormitantes, quomodò dormitando ascendunt equos? Nota, isti sunt viri divitiarum, qui nihil existimantes increpationes Dei, dormitantes vivunt, dormitare autem est à vigilantiâ ad somnolentiam declinare: divitiæ autē sæpe faciunt dormitare hominē in via Dei, sed hoc præcipuè contingit iis, qui ascēdunt ad prælaturā: isti erga subditos dormitant

Hh quia

quia malunt ad alia impertinentia equitare, quàm fructuosè ſuos viſitare, & exemplis laudabilibus ad ſimilia excitare: væ igitur iſtis dormitantibus. *Pſal. 118 c. 2. v. 12.*

16. *Omnipotentia Dei, rectè conſiderata, incutit timorem in animá*

Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua. Vide quomodò Propheta in mente voluit potentiam infinitam Dei, contra quam nullus poteſt reſiſtere: hæc enim conſideratio timorem & reverentiam incutit in animà. *In Lucam c. 14. v. 31. & c. 21. v. 15.*

17. *Iudicii divini conſideratio incutit timorem.*

De Cœlo auditum feciſti judicium: terra tremuit, & quievit. Ecce quomodò Chriſtus de Cœlo intonat rigorem judicii extremi, ut peccatores teneantur, & quieſcant à malis operibus. *Pſal. 118. c. 6. v. 4.*

18. *Manſuetis à Chriſto ſalus certa promiſſa, & deſtinata.*

Cum exurgeret in judicium Deus, ut ſalvos faceret omnes manſuetos terræ. Quomodò ſalus ſolùm manſuetis dicitur deſtinata? ergone in judicio ſolùm manſueti ſalvabuntur? maximè hoc verum eſt. Manſueti autem ſunt, qui pacem cum proximo, & familiaritatem cum Deo conſervant: ideò iſtis promittitur hæreditas in Cœlo: & meritò, quia iſti poſſidentur à Deo, poſſident, & dominantur ſibi ipſis; & non ſunt viri divitiarum, ſcilicèt ſervi; ſed dominantur omnibus temporalibus ordinatè: & hinc elevantur à Chriſto ad gratiam, & gloriam: qui ergo non habebit hanc mititatem, non ſalvabitur. *Op. diat. tit. 7. cap. 1. & tit. 8. c. 4.*

19. *Meditationes ſanctæ, & confeſſio laudis, & peccatorum, magnum feſtum afferunt animæ, & Deo.*

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Quænam eſt hæc cogitatio, & quænam reliquiæ cogitationis? ergone noſtræ cogitationes diem feſtum Deo agere poſſunt? dicitur cogitatio, ſcilicet meditatio myſteriorum Dei; reliquiæ cogitationis, ſcilicet ea quæ conſequuntur ex cognitione eorum, ſuntque laudes Dei; & opera bona, ſcilicèt confeſſio peccatorum, & laudis divinæ, cultus, & honor Dei, diem feſtum agent animæ, Angelis, & Deo. *Op. incendium c. 2 & in Ioan. collat. 36.* Vide ergo quomodò Deus delectatur in meditationibus, & oratione noſtra.

20. *Vovere Deo eſt libertatis actus: reddere eſt actus neceſſitatis, & præcepti.*

Vovete & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui affertis munera terribili. Nota, quod dicit vovete per modum conſilii, quia hic eſt actus libertatis noſtræ; eſtque de meliori bono, ad quod prius non tenebamur; poſtea addit, & reddite, quia reddere, & obſervare votum Deo factum eſt neceſſitatis, & præcepti: alioquin qui hoc non obſervat, punietur à Deo, qui eſt terribilis contra inobſervantes. *l. 4. d. 38. a. 1. qu. 2. Pſal. 24. in Eccleſ. c. 5. in ſap. c. 13. & op. ſpec. animæ c. 3.*

21. *Vbi viget cultus, & memoria Mariæ Virginis, ibi omne bonum, & divina cognitio.*

Notus in Iudæa Deus. Cur in Judæa ſolùm reſtringitur cognitio Dei? Quia ibi Maria Virgo orta eſt, quia ex cultu, & memoria Mariæ Virginis, ibi viget cognitio, & viſio Dei, ibi dulcedo animæ, ſalus, & vita, pax, & gloria ſempiterna. Honorificate igitur illam Cœli, & terra, quia ſummus artifex hanc mirabiliter honoravit: date illi omnes creaturæ laudem, & ſtupendam miſericordiam ejus extollite gratulanter. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 75.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

22. *Locus Dei fuit uterus Mariæ Virginis.*

Et factus eſt in pace locus ejus. Quinam eſt locus Dei? poteſtne Deus locari. Sed nota, quod loquitur de Deo incarnato, cui locus competebat: Et quiſnam fuit hic locus, niſi uterus B. Virginis Mariæ, in quo verbum locatum eſt, quando ſumpſit carnem ex ea? locus inquam voluptatis, in quo Chriſtus deliciabatur. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 11.*

23. *Locus ſpiritualis Dei fuit anima Mariæ, factus in pace.*

Et factus eſt in pace locus ejus. Si locus Dei ſpecialiter eſt locus pacis; ergo proprius locus Dei fuit mens, & anima Mariæ Virginis, verè pacificata, & quieta, quia in ea omnis ſenſus, & potentiæ perfectiſſimè Deo ſubjectæ erant. *Op. ſpec. B. Virg. lec. 11.*

24. *Beatæ Virginis Mariæ cognitio myſteriorum Dei ſublimiſſima.*

Et habitatio ejus in Sion. Nota, quod Sion interpretatur ſpeculatio; & ad hanc ſpeculationem ſublimiſſimam pervenitet anima B Virginis pacificata, & quieta. O quis enarrare, vel etiam cogitare ſufficiat in qualibus quotidiè ſpeculationibus ſancta illa Sion, ſcilicet ſancta mens Mariæ fuerit: dum omnia myſteria, præ omnibus mortalibus, ſibi nota, ferventiſſima ſibi mente revoluit! conſiderate quo cruciabatur amore, quove deſiderio æſtuabat hæc Virgo, dum revolueret animo cuncta quæ audierat, quæ viderat, quæ cognoverat, quantiſve movebatur, repleta Spiritu ſancto cæleſtium ſecretorum incitamentis. *Op. ſpec. B Virg. lec. 11.* O quàm verè dicebat Propheta Deo. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Quia illuminationes omnes creaturæ communicabiles à montibus æternis, ſcilicet à perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, in Mariæ mentem deſcenderunt *Op. ſpec. B. Virg. lec. 7. & 8. & op. Phar. 1. c. 5. in Lucam c. 1. v. 30.*

PSALMUS



PSALMUS LXXVI.

Titulus: in finem Idithun: Psalmus Asaph.

1\. PRimò Nota, quod litteraliter in isto Psalmo prædicitur captivitas Babylonica Iudæorum: clamor, & oratio ipsorum pro liberatione, & deinde ipsa liberatio: Mysticè canitur iste psalmus ab Asaph, scilicet à congregatione justorum ad Christum recurrentium pro transitu ab his terrenis ad Cœlum: Idithun enim interpretatur transiliens.

2\. *Christi saltus multiplex hic innuitur.*

In finem pro Idithun. Nota quod finis noster est Christus, & figuratur per hoc nomen Idithun, quod interpretatur saliens, seu transiliens: nam saliit à Cœlo in Virginis uterum: secundò à ventre in terram: tertiò à terra in Crucem: quartò à Cruce in sepulchrum: quintò à sepulchro in infernum: sextò ab inferno in Cœlum: saliit item dum erat mortalis in carne in tres montes principales primò quando ascendit: in montem docere discipulos: secundò in montem Thabor ubi ostendit gloriam suam: tertiò in montem oliveti, ut oraret, & salutem nobis impetraret: & hic solus saliit, quia solus æqualis cum Patre, & Spiritu sancto. *Psal.76.*

3\. *Christi clamor pro nobis multiplex.*

Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi Nota hæc verba Prophetæ sunt prolata in Persona Christi, qui ut via, veritas & vita tripliciter ad Patrem clamavit primò pro deviis, ut errantes corrigeret, & in viam rectam collocaret: secundò ut nos viatores dirigeret ut veritas: tertiò pro pulsantibus, ut vita, ut nos admitteret pulsantes ad januam. *Psal. 76.*

4\. *Oratio efficax ad se præparandum ad mortem, ut fecit S. P. Franciscus.*

Voce mea ad Dominum clamavi. Nota, quod vir justus volens proficere in Dei servitio, debet suum cursum inchoare, prosequi, & terminare clamando ad Deum in oratione: unde hic bis repetitur clamor animæ ad Deum: sic fecit S. P. Franciscus, qui proximus morti, hunc psalmum devotè recitavit, & in fine animam Deo reddidit. *Psalm.118. cap. 7. vers. 6. & op. legenda S. Franc. c.14.*

5\. *Tempore tribulationis Deo est recurrendum non solùm ore, & corde, sed & actibus, operibusque bonis.*

In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis, nocte contra eum, & non sum deceptus. Nota sonum horum verborum; dicit enim, *in die tribulationis*, & postea, *in nocte exquisivi Deum:* quomodò in die, si in nocte? *in die tribulationis*, id est in tempore tribulationis, quæ tolerata est animæ dies, illuminans ipsam dum in nocte, scilicet adversitatis, anima non solùm vocibus, sed & manibus, actibusque virtuosis Deum exquirit, *contra eum*; scilicet ei obvians, recurrens, sicque addit fructum, dicens: *& non sum deceptus*: vide ergo, quod tempore tribulationis maximè ad Deum recurrendum. *Psal.118.c.1. v.10. & in Lucam c.17.v.2. & c.21.v.10.*

6\. *Diligens Deum etiam in tribulationibus renuit consolationes temporales, quia Deus vult animam ab omnibus creatis abstractam.*

Renuit consolari anima mea. Si in die tribulationis ad Deum recurristi, cur advenientibus consolationibus eas rejicis à meritò iste vir justus, Deum diligens, positus in tribulationibus, & ad Deum confugiens pro auxilio, renuit consolationes, scilicet temporales, & carnales; quia simul non possunt stare: despecta enim est confessio, quam facit prosperitas: unde de talibus dicitur eum nihil intus prurit sunt cælibes: cum nihil extra sævit, sunt fortes, cum nullus molestat, mansueti sunt: cum omnia prosperè succedunt, sunt devoti: sed istis tales cælibatus, fortitudo, mansuetudo, devotio sunt valde suspectæ, cum in tentationibus cognoscantur vera sanctitas, & fidelitas. *Psal.76. op.comp. Theol. l.1. c.9.* Et hinc amor Apostolorum ad Corpus Christi impediebat adventum Spiritus sancti, & multò magis id facit amor creaturarum, vult ergo Deus animam à terrenis abstractam. *ser.19 Hexaem. & in Thren.c.3. & in Lucam c. .v.24 & op.myst. Theol.c.3.p.4.*

7\. *Anima diligens toto corde Deum, rejectis delectationibus terrenis, totam se convertendo ad Deum, ibi omnem delectationem suscipit.*

Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Vide industriam animæ diligentis Deum, quæ rejectis delectationibus creaturarum, ad Deum se totaliter convertit per exercitium memoriæ, & meditationis, ubi deficiens spiritus ab his sensuum oblectamentis delectationem mirabilem captat. *op.myst.Theol.c.3.p.4. & op. de 7. itiner. ater. itin.6.d.7.* Nota etiam quod rejectis delectationibus terrenis, se totam convertit ad Deum, experitur, quod sola memoria Dei delectat, & facit oblivisci temporalia, & deficere spiritum superbiæ. *op de dono fortitud.c.a.* Nota etiam, quod memoria de Deo, vel de creatura in ordine ad Deum bona est, & delectationem affert: & quæ est de creatura contra Deum mala est, & tristitiam affert. *Op.comp theol l.3.c.11.*

8\. *Exercitium præsentiæ Dei, mirabilia operatur in anima.*

Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit Spiritus meus. Nota ordinem, & mysterium horum divinorum verborum: 1. dicit; *memor fui Dei, & hinc delectatus sū* ut videas quod sola memoria præsentiæ Dei in anima mirabilem delectationem spiritualem parit: addit, *& exercitatus sum, & defecit spiritus meus*, ut videas, quod replicatio hujus exercitij facit deficere animam, & abstrahere ab omnibus terrenis rebus, & vitiis, & ad fontem omnium deliciarum reducere: O felix qui in hoc exercitio se collocat! *Op. de 7. itin.*

*ater.Itin.6.d 7. & op. de dono fortitud.cap.*1. Nota etiam hic, quod labor spiritualis animæ circa Deum, sanctus est, & fructuosus est magis, quàm labor corporalis. *Op.de paup Christi q.2. ad fin.*

9. *Ad orationem bonam præparatio est præmittenda.*

Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus. Ad quid ista anticipatio? sed perpende sequentia: *cogitavi dies antiquos: meditatus sum*: dat igitur intelligere, quod volens se conferre ad orationem, debet se prius præparare: omnia exteriora dimittere, & ad intimum animi reducere ibique oculos cordis ad Deum dirigere, & nihil aliud, quàm de Deo cogitare. *ser.5 de uno Confess.* Nota etiam quod dicit: *anticipaverunt vigilias oculi mei*: idest ante alios surrexi ad orationem, ut melius paratus essem, nec ulla turbatio me impedivit: ut videas quod oratio in diluculo Deo summè grata est.

10. *Nocturni tres in Matutino sunt tres vigiliæ, quæ nos disponere debent ad divinas laudes.*

Anticipaverunt vigilias oculi mei. Nota, quod hæc dicuntur in Persona Ecclesiæ, quæ ideò ordinavit tres vigilias, seu nocturnos in matutino, ut essent veluti præparatio ad divinas laudes decantandas, & ad sancta opera patranda: tres autem sunt quia significant tres status Ecclesiæ: ante legem, in lege; & post legem: unde in 3. legitur Evangelium. *Psal.76.*

11. *Turbatio contritionis sancta, & desiderabilis.*

Turbatus sum, & non sum locutus. Cur non es locutus? cur ex turbatione interna, non prorupisti in verba exteriora? O felix & sancta turbatio! turbatio hæc est desiderabilis, quæ ex motione contritionis oritur & ideò turbatio hæc generat quietem in corde: talisque fuit etiam turbatio Mariæ Virginis, quæ simul cum splendore intelligentiæ gignitur. *In Ioan.c.14. v.4. & in Lucam. c.1.ver.13.*

12. *Meditationis materia hic proponitur, ejusque fructus.*

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, meditatus sum: & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Vide qualem materiam, circa quam se exercebat Propheta in oratione, & meditatione: nempè circa mala præterita, & temporalium delectationum admissionem, item, & divina beneficia recepta; unde dicit: *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*: 2. circa infernales pœnas, quas ob peccata merui, ut de istis concipiam devotionis affectum, timoris, amoris, desiderij, mœroris, & gaudii spiritualis: 3. dicit: *scopebam spiritum* scilicet per cordis contriti compunctionem. *Psal 118.c.4.v.11.& c.5. v.6. & op.de sex alis Seraph. c.8* Vide ergo quomodò meditationis sedula exercitatio circa æterna mentem purificat à temporalibus abstrahendo, & eam pulchrificat, & formosam facit ad æterna extendendo. *Op.de 7.itin.ætern.itin.1.d 7.*

13. *Nox est tempus maximè aptum orationi.*

Et meditatus sum nocte cum corde meo. Cur nocte, & non de die? quia tempus nocturnum est maximè aptum lectioni, meditationi, & revelationibus: dicit autem; *cum corde meo*, non in corde, scilicet discrete, & sapienter. *Psal.118. c.4.v.7. & op.de perfect. vitæ c.1.*

14. *Iusti scopatam intus domum tenent: mundant solùm exterius.*

Et exercitabar, & scopebam spiritum meum. Quid est scopebam spiritum meum? Nonne & hoc est, quod quærebat *Luca c.11.* diabolus, ubi dicitur, quod quærebat, & invenit domum suam mundatam, & ornatam? sed respondetur, quod alia est mundatio interior, alia exterior: prima est justorum, & hæc est quam quærit, & vult spiritus sanctus ad habitandum in tali animâ: alia est exterior corporis, & hypocritarum, & hæc est, quam quærebat diabolus ad habitandum, quia intus talis domus fœtet Deo. *in Lucam c.11. versic.24.*

15. *Quomodò contineatur in ira Dei misericordia in hac vitâ, & in alia.*

Numquid in æternum projiciet Deus, ut non complacitior sit adhuc, aut continebit in irâ sua misericordias suas. Quasi diceret: Non: nam in sacra scriptura ut plurimum ad interrogationem factam per, *Nunquid*, datur responsio negativa, & ad factam per *nonne*, supponitur affirmativa: sic Doctores. Attende igitur, quod in his verbis innuitur quomodò Deus simul cum irâ miscet misericordiam suam in hac. & in alia vitâ; nam in hac vitâ semper miscet suam misericordiam cum justitiâ, etiam cum præscitis, vel differendo pœnam, vel mitigando acerbitatem, vel non puniendo quantum meretur peccatum. In Inferno verò quia non punit de condigno, sed citra condignum: sed quantum ad intensionem, & extensionem pœnæ est ira sine misericordiâ, scilicet non est proportio inter actum peccati, & pœnam. *l.4 d.46.a.1.qu.2.*

16. *Deus exercet in hac vitâ suam pietatem etiam cum maximis peccatoribus.*

Numquid obliviscetur misereri Deus? Quasi diceret: Non: nam semper Deus exercet suam pietatem etiam cum maximis peccatoribus. *Psal.123.* Nota igitur ut videas, quod misericordia Dei superexaltat justitiam, quia tria sunt mala, in quibus affligitur homo, & quatuor bona, in quibus consulatur, mala sunt ista: unum exterius sub homine, scilicet per mala exteriora: unum inferius in homine per infirmitates carnis, & unum interius in homine per vermem conscientiæ, sed ut pateat, quod misericordiâ ita non continet, sed beneficia propitii, irati flagella transcendunt quatuor bona his tribus malis opposuit Deus: scilicet bonum exterius sub homine in tranquillitate temporalium; bonum exterius in homine in sanitate corporum: bonum interius in homine in securitate conscientiæ: & bonum interius supra hominem in dulcedine cælestium gaudiorum: plus ergo confert propitius, quàm iratus. *Psal.76.*

17. *Peccator*

17. *Peccator conversus ad pœnitentiam incipit esse.*

Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Quomodò verè poterat dicere: nunc cœpi? nunc? ne à multo tempore incœperat Deo seruire? Sed adverte, quod hæc dicuntur in persona noviter conversi ad pœnitentiam, qui verè potest dicere: nunc cœpi; idest incœpi esse, quia à servitute diaboli, in qua non eram, transeundo ad servitutem Christi incœpi esse: & hæc est mutatio dexteræ excelsi. *Psal. 76. & 118. c. 4. v. 8.*

18. *Transiens ad servitutem Dei, multa secreta supernaturalia intelligit de novo.*

Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Quid cœpisti? cœpi, idest intellexi, scilicet multas veritates in hac mea mutatione facta à Deo ad servitutem ipsius, quas prius non intellexeram. *Psal. 76.*

19. *Transiens ad servitutem Dei verè magna accipit: in servitute mundi nihil accipit.*

Et dixi nunc cœpi. Quid? cœpi, idest accepi magna, & mirabilia dum ad servitutem Dei transii; & ideò securus sum; quia in servitute mundi nihil accipitur, quia temporalia bona comparata spiritualibus nihil sunt. *Psal. 76.*

20. *Verus servus Dei se semper novum in via Dei existimat, quasi nihil fecerit umquam: & hoc exemplo Sancti Patris Francisci.*

Et dixi nunc cœpi. Quomodò nunc cœpi, si ante etiam Deo serviebat? Nota, quod hæc meritò diceebat vir iste justus, quia pœnitentia crucis debet esse nova, & recens, ut dicatur semper: *& dixi nunc cœpi*; Sic etiam B. Pater Franciscus in morte se profitebatur incipientem: Fratres (dicebat) incipiamus, & proficiamus, quia nunc usque parum profecimus: Crux omnque Christi renovativam habet naturam, quia licet is, qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est renovatur de die in diem. *In Lucam cap. 9. v. 23. & Psal. 76.*

21. *Mutatio dexteræ excelsi nobis proficua: mutatio sinistræ sæpè noxia*

Hæc mutatio dexteræ excelsi. Cur dexteræ, & non sinistræ? mutatio dexteræ excelsi est in collatione bonorum spiritualium: Sinistræ in collatione temporalium: illa desiderabilis, ista nequaquam. *Serm. 1. Dom. 1. post oct. Epiph. & ser. 4. Dom. Trin.*

22. *Memoria operum Dei excitat ad ipsius laudem.*

Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum: & meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor: Deus in sancto via tua. Vide qualibus mediis se excitabat Propheta ad Deum incessanter laudandum: nempè exercitio memoriæ operum Dei, & beneficiorum Dei, quæ ab initio mundi contulit, & confert incessanter homini; nam talis memoria mirabiliter elevat animam ad Deum laudandum: quia in operibus Dei vestigium bonitatis, potestatis, & veritatis relucet. *In Lucam c. 1. v. 3. & Ecclesi. c. 1. & Psal. 118. c. 8. v. 5.*

23. *Christus nostra via.*

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia. Nota, quod hic explicat mirabilia Dei operata per Christum: Deus enim in sancto suo, scilicet in Christo factus est via nostra, ac patria: Sed nota, quod dicitur Deus in sancto, scilicet in Christo, per quod indicatur divinitas, & humanitas Christi nam ut homo est via in hac vitâ, & ut Deus est patria: via in humilitate, patria in divinitate; via per quam venitur, Patria, ad quam itur: veritas item, in qua manetur, ut ad veritatem, & patriam, idest ad vitam perveniamus, & permaneamus: ipse est per quem veniamus, ad quem veniamus, & quo perveniamus. *Psal. 76.* Et hinc meritò subdit Propheta. *Quis Deus magnus sicut Deus noster, tu es Deus, qui facis mirabilia:* notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum: quia de solo Christo tam magna mirabilia dicuntur, quia solus redemit hominem; unde subdit: *redemisti in brachio tuo filios Iacob, & Ioseph*, scilicet populum Judæum, & gentilem. *Psalm. 76. in Lucam cap. 1. vers. 69. & cap. 9. vers. 9.*

24. *Christi mirabilia in redemptione hominum, nomine aquarum hic innuuntur.*

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, turbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Quid est viderunt te aquæ? ergone aquæ habent oculos? Sed nota, quod hic coacervat Propheta mirabilia à Deo creatore, & à Christo redemptore operata: nam primò dicit: *viderunt te aquæ*; & quia aqua tres proprietates habet; nam fluit, mundat, & potat: sic prout fluit significat primordialem materiam fluidam, & informem, super quam spiritus Dei ferebatur, ut ex ea educeret per creationem, vel generationem omnes formas corporeas, & corpora hominum, in quibus est fluxus continuus generationis, & concupiscentiæ, & quatenus motri, & peccatis subjacent: secundò sicut aqua lavat, sic Christus lavat per baptismum, & dona Spiritus sancti, per quæ potat animas, & reficit: per aquas etiam significatur fluxus, lotio, & potatio nobis præparata per passionem, & sanguinem Christi: item, & martyrium, quod subierunt sancti pro Christo: item per aquam significatur sacra doctrina per quam fideles lavantur, & potantur, & hæretici submerguntur. Hæc omnia mirabilia operatus est Deus per Christum Redemptorem. *Psal. 76.*

25. *Apostolorum prædicatio, & mirabilia prædicta à Propheta.*

Vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ transeunt; vox tonitrui tui in rota: illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra. Nota, quod per has metaphoras Propheta prædicit mirabilia opera, quæ Apostoli Christi fecerunt in

Eccleſia: fuerunt enim veluti nubes immittentes pluviam, & rorem prædicationis, & circumvolitantes per mundum univerſum, nunc tonantes minis, nunc pluentes doctrinis, nunc miraculis coruſcantes, ſopitorum corda in peccatis ſalubriter commoverunt, & ad pœnitentiam commoverunt eos. *Op. de Eccleſ. Hier p.4.c.2.*

26. *Chriſtus in mari hujus mundi oſtendit viam ſuam, ut reduceret populos ad Deum.*

In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis. Ecce quot mirabilia operatus eſt Chriſtus redemptor: nam in hoc mundo, qui eſt veluti mare fluctuans, & in quo homines fluctuant, fecit viam per baptiſmum, & pœnitentiam, ut ſecurè ad ſalutem perducerentur. Sicut enim Iſraëlitas tranſvexit per mare rubrum ſalvos, ſic & Chriſtus per mare rubrum baptiſmi, & pœnitentiæ perducit ad regna Cœlorum. *Pſal.39.& in ſap.c.4.*

27. *Chriſtus deducit ſuos ſequaces ad ſtatum perfectionis per ſubjectionem obedientia.*

Deduxiſti ſicut oves populum tuum in manu Moyſi, & Aaron. Nota, hic alluſio fit ad deductionem populi Iſraëlitici de Ægypto in deſertū per mare rubrum per manum Moyſis, & Aaron: ſed myſticè exprimitur id, quod continuè fit à Chriſto ductore ſui populi, dum ad ſtatum perfectionis deducit per continuum augmentum perfectionis per manum Prælatorum, & Judicum ſuos ſequaces: Notandum autem eſt, quod dicit, *in manu Moyſi, & Aaron.* Quia ſicut quando Moyſes elevabat manus, populus vincebat, & dum remittebantur vincebatur; ſic quando auctoritas ſuperiorum levatur in correctione ſubditi, tunc ſuperat hoſtes: dum per negligentiam remittitur, deficit, & vincitur. *Ser.4.Dom.1.poſt oct.Paſcha in ſap.c.11. & in Ioan. c.10. v.4.*

28. *Qui ad Mariam devotè per orationem confugit, auditur, & exauditur ab ea.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Voce mea ad Dominum clamavi.* Vertamus hæc ad Mariam; quia certiſſimum eſt, quod confidens, & clamans devotè ad Mariam, auditur ſtatim, & exauditur ab ea: ſicque poterit verè dicere: voce mea ad Mariam clamavi, & ſua gratiâ intendit mihi: abſtulit à corde meo mæſtitiam, & mærorem, & ſuavitate ſua cor meum dulcoravit: formidinem meam erexit in confidentiam bonam, & ſuo aſpectu mellifluo mentem meam ſerenavit: adjutorio ſancto ſuo evaſi pericula mortis, & de manu crudeli ſubterfugi gratias Deo, & tibi Mater pia de omnibus, quæ aſſecutus ſum de pietate, & miſericordiâ tua. *Opuſ. Pſalt. B.Vir.Pſal.76.*

PSALMUS LXXVII.

Titulus: Intellectus Aſaph.

1. PRIMÒ nota, quod iſte titulus indicat quod ea, quæ hic ad litteram dicuntur de populo Judæorum, qui dicitur vetus, debent intelligi ſpiritualiter à populo Chriſtiano; quia hic Chriſtus ut caput loquitur ad membra ſua, ut diligenter percipiant ſacramenta myſteria, & ſingularia beneficia, quæ per ipſum receperit, ne ſit ingratus: & ideò ſecundùm bonam rethoricam in principio Pſalmi reddit ſolicitos auditores, dicens: *attendite*, & benevolos, dicens. *Popule meus* & attentos, proponens materiam tractandam, dicens, *legem meam*, item & aſſiduos ad audiendum, quia materia eſt Dei, & de divinis beneficiis, dicens. *Inclinate aurem veſtram in verba oris mei, aperiam in parabolis os meum. Pſal.77.*

2. *Cur Chriſtus, & ſacra Scriptura frequenter utitur parabolis.*

Aperiam in parabolis os meum Cur parabulis, & non claro ſermone: Sed reſpondetur, quod parabola eſt rerum natura diſcrepantium ſub aliqua ſimilitudine facta collatio (*ait S. Hieron.*) & hinc ut facilius capiantur myſteria ſacræ Scripturæ Spiritus ſanctus, & Chriſtus utuntur frequenter parabolis, ut per apertas res, quibus homo aſſuetus eſt addiſcat myſteria, quæ intendit exponere: hincque facilius auditores concurrebant ad audiendum Chriſti Evangelium. *In Lucam c.8. v.4. & c.14.v.7.& Pſal.118. c.9.v 3.*

3. *Qualibet perſona ſanctiſſimæ Trinitatis habet os ſuum.*

Aperiam in parabolis os meum. Quis eſt iſte, qui aperit os ſuum? Paterne, an Filius, an Spiritus ſanctus? Sed attende, quod quælibet perſona Trinitatis dicitur habere os ſuum. Os Patris eſt filius, ſonus oris eſt Spiritus ſanctus. Os Filii ſunt Apoſtoli, os Spiritus ſancti ſunt Prophetæ, & hinc licèt opera ad extra ſint communia toti Trinitati; tamen quælibet perſona appropriat ſibi ſtatum proprium, & tempus ſuum: unde ab initio mundi uſque ad incarnationem Chriſti dicitur locutus Pater, & tale tempus ipſi appropriatur: ab incarnatione uſque ad adventum Spiritus ſancti attribuitur filio: à miſſione Spiritus ſancti uſque ad finem mundi attribuitur Spiritui ſancto: Tempus ergo creationis datur Patri, tempus Prophetarum Spiritui ſancto, quia ipſo mediante locuti ſunt, & tempus Apoſtolorum Filio, quia eos miſit. Vide ergo totam Trinitatem ad beneficium, & ſalutem hominis occupatam. *Pſalm.77.*

4. *Chriſtus principium, & finis noſter.*

Loquar propoſitiones ab initio. Cur ab initio? & quodnam eſt hoc initium? Nota, quod omnia hæc ordinata ſunt ad Chriſtum: & ideò hoc principium eſt Chriſtus: & quia eſt principium perfectum, ideò eſt principium, & finis noſter: Alpha, & Omega, à quo omne bonum incipit, & in quem omnia ordinantur. *Pſal.77.*

5. Logica

5. *Logica Christi qualis.*

Loquar propositiones ab initio. Cur propositiones, & non conclusiones? Nota, quod logici, ut rectè concludant præmittunt propositiones ordinatas, & hinc inferunt conclusiones: sic facit Christus; nunc enim loquitur propositiones ab initio, scilicet in hoc tempore usque ad finem vitæ, & proponit peccatorum commissiones vel operationes bonas, assumitque pro minòre opera pœnitentiæ, vel justitiæ negligentias; & hinc in fine non loquitur propositiones, sed conclusiones in judicando secundùm bona, vel mala opera. *in Ioan. collat.7. ser.1. Hexaem.*

6. *Christus proponit veras propositiones: diabolus Sophismata*

Loquar propositiones ab initio. Nota, quod ut rectè concludamus, Christus nobis loquitur, & proponit veritatem, scilicet veras propositiones, ut bonum operemur: hæc est logica Christi: diabolus, & Mundus proponit sophismata, nam sophisticando suas viles merces occultat onera sub honoribus, pericula sub dignitatibus, dolores sub deliciis, languores sub divitiis; hæc est logica diaboli, & mundi, ut nos decipiat. *ser. de animabus & ser.1. de Hexaem.*

7. Narratio nobis facta per Evangelistas, & Apostolos de operibus, & beneficiis nobis patratis à Christo, est maximum motivum nostræ fidei, & summum beneficium nobis à Spiritu Sancto factum: unde possumus dicere cum Propheta: *quanta audivimus, & Patres nostri narraverunt nobis. in Lucam c.8.v.16.*

8. *De veritate fidei dedit nobis Deus testimonium triplex.*

Et suscitavit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel. Ecce quid fecit Dominus Deus nobiscum, dum legem naturæ, & scriptæ, & Evangelicæ nobis dedit tum in corde insitam, tum per scripturam: & prædicationem expressam; & de ea testimonium multiplex nobis dedit in Ecclesia. *Psal.118.c.11.v.8.* Nota autem, quod dicit, *in Iacob*: Jacob interpretatur luctatio; quia per hanc legem à Deo datam debemus luctari contra carnem, contra falsos fratres, contra diabolum, & in ordine ad Deum, scilicet tribulationes tolerando. *Psalm.77.*

9. *Clericis Christus legem specialem dedit super laicos.*

Et suscitavit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel. Nota, quod testimonium solùm posuit in Jacob, idest in laicis, quibus testimonium, scilicet legem dedit communem omnibus, sed specialem Israël, scilicet Clericis, quos speciali vinculo ligavit, ut perfectiorem vitam super laicos ducerent. *Psalm.118.c.3.v.1.*

10. *Post legem datam prædicationem collocavit Deus in Ecclesia tamquam medium summè necessarium, & utile ad salutem.*

Et hinc Ecclesiæ filii possunt dicere cum Propheta: *Quanta mandavit patribus nostris nota facere filiis suis, ut ponant in Deo spem suam* Hoc enim est munus prædicationis, quod in Ecclesia collocavit Christus ad nostram salutem procurandam. *in Lucam c.8.v.19.*

11. *Fructus potissimus prædicationis est reductio peccatorum ad collocandam spem in Deo, & ad ipsum exquirendum toto corde.*

Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant. Ecce ad quid Deus instituit prædicationem in Ecclesia: nempè ut homines ponant in Deo spem veniæ peccatorum, & non obliviscantur operum Dei quantum ad exempla patientiæ; & mandata ejus exquirant quantum ad dignos fructus pœnitentiæ; nam ira Dei cadet super eos, qui non exquirent fructum. *Psal.118.c.1.v.1.* Nota autem ex traditis, quod prædicatio ordinatur principaliter fidelibus ad hoc, ut erigant se per spem in Deum, tamquam anchoram: 2. ne sint ingrati Deo, & 3. ut non cessent à studio, & observantiâ mandatorum Dei.

12. *Verbi Dei prædicationem non attendentes, & respuentes à Deo abjecti.*

Ne fiant sicut Patres eorum, generatio prava, & exasperans, generatio, quæ non direxit cor suum. Vide ad quid Deus immittit prædicationem hominibus, ne scilicet ipsam respuentes fiant generatio prava. scilicet in vitiis involuta, & exasperans Deum, vel non credentes verbo Dei, vel absque devotione illam audientes, vel omittentes, ut aliena, & curiosa sectentur: & isti significantur per filios Ephrem, scilicet Israelitas, qui contra voluntatem Moysis processerant ad prælium, & fuerunt occisi ab hostibus, & significant inobedientes, & incredulos, *ser.1. Hexaem. & in Lucam c.7. v.31. & Psal.36. & 77.*

13. *Per viam humilitatis perducit nos ad perfectionem Christus Jesus, & ad Cælum.*

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos. Nota, quod per figuram eorum, quæ fecit Deus ad utilitatem Israelitarum in Ægypto, nos perducit Spiritus Sanctus in notitiam eorum, quæ fecit Christus, ut nos liberaret de captivitate diaboli: & notanter dicit in campo Taneos tot mirabilia fecisse: quia Taneos interpretatur mandans humilitatem, & Tanis humile; per hocque datur intelligi quod sicut Christus in redemptione mundi dedit nobis exempla mirabilia humilitatis, sic nobis insinuavit, quod humilitas in opere justificationis debet præcedere, concomitare, & subsequi nostra opera: qua interveniente, Deus operatur mirabilia, nos transire faciens de tenebris peccati ad lucem gratiæ, & statum salutis *Psal.77.*

14. *Christus per mare hujus mundi viam nobis paravit, ut perduceret ad perfectum salutis.*

Interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in utre, & deduxit eos in nube. Ecce quomodo in figura mirabilium, quæ Deus fecit Israëlitis, explicatur quid fecerit Christus ad nostram salutem scilicet viam nobis parando per mare, scilicet per gratiam Spiritus Sancti, quam in baptismo, & pœnitentia confert, & hinc perducendo nos ad perfectum virtutis. *ser.4. Dom.1. post oct. Pascha.*

15. *Columna nubis, & ignis nobis multipliciter à Chriſto preparata.*

Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Nota, quod ſicut Deus deduxit Iſraëlitas per deſertum, per columnam, quæ in die erat eis nubes, & umbraculum contra æſtum ſolis, & nocte erat columna lucis: ſic in deſerto hujus mundi Chriſtus nobis providit multiplicem columnam, quæ contra æſtum vitiorum nos defenderet & illuminaret in tenebris hujus vitæ. Columna autem principalis fuit Chriſtus, qui eſt nubes ratione humanitatis, & ignis ratione divinitatis; & hoc ſignificat cereus Paſchalis, qui ante reſurrectionis diem exponitur in Eccleſia: Columna ſpiritualis item ſunt Angeli nos protegentes, & ducentes per viam ſalutis: Item Apoſtoli, & Sancti Patres; item & novum teſtamentum. *Pſal* 77.

16. *Petra Chriſtus, ex qua in cruce fluxerunt aquæ Sacramentorum, & gratiarum.*

Interrupit petram. Ecce quomodo Chriſtus figuratus in petrâ à Moyſe percuſſa, ruptus, & vulneratus in cruce emiſit aquas ſpirituales ſacramentorum, & gratiarum, ut nos ſitientes in hoc deſerto potaret. *Sup. c.11. & ſer. 4. in Pentecoſt.*

17. *Incredulitas, inobedientia, & vitium gulæ maximè excitat iram divinam contra nos: fidelitas, obedientia, & abſtinentia conciliant amicitiam Dei.*

Et appoſuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt excelſum. Quodnam fuit hoc peccatum novum? hoc fuit peccatum incredulitatis, quia non credebant Deum eos poſſe paſcere in deſerto: fuit & peccatum inobedientiæ, item eſt gulæ: iſta enim peccata maximè provocant iram Dei, & inducunt hominem ad omnia facinora: è contra, fidelitas, obedientia, & abſtinentia, maximè conciliant amicitiam cum Deo, & attrahunt gratiam in præſenti, & perducunt ad gloriam. *ſer. 1. Dom. 8. poſt Pentec. & ſer. 1. Dom. 19. poſt Pentec. & Pſalm. 54. & 65. & 72. & in Lucam cap. 9. verſ. 11. & cap. 12. verſ. 28.*

18. Qui omittit renunciare omnibus pro Chriſto timens perire neceſſitate, ſimilis eſt incredulis Judæis qui in deſerto dicebant: *Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* hocque eſt Deum exacerbare, unde viri fideles in Deo confidere debent, qui eis neceſſaria ſemper ſuppeditabit, quia ſi de irrationabilibus curam ſpecialem gerit, multò magis de rationabilibus, & maximè de ſuis fidelibus in ipſum confidentibus. *Opuſ. de pauper. Chriſti, a. 1. & in Lucam c. 12. v. 18.*

19. *Euchariſtia Sacramentum expoſitum ſub metaphora pluviæ.*

Pluit illis manna ad manducandum. Quomodo dicitur pluit manna? pluere eſt immittere ſtillas aquæ, non alterius rei: optimè id exprimit ſub metaphora pluviæ, quia ſicut pluvia habet multas ſtillas; ſic Euchariſtia habet multas gratias, quia plurimos effectus ſpirituales gignit in nobis. *ſer. 5. in Cœna Domini.*

20. *Deus per collationem bonorum temporalium inducere intendit ad amorem ſpiritualium.*

Pluit illis manna ad manducandum. Nota illud verbum, *ad manducandum*, & admirare Dei benignitatem, qui populum ſatiare voluit ingratum, & incredulum per bona iſta temporalia, ut ipſum excitaret ad amorem ſpiritualium, ſic & nobiſcum facit optimus Deus. *Pſal. 45.*

21. *Multiplici pane ſpirituali Deus reficit homines in Eccleſiâ.*

Pluit illis manna ad manducandum, panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. Nota ordinem, & myſterium horum verborum; nam tripliciter exponit cibum à Deo paratum Iſraëlitis; 1 ſub nomine mannæ: 2. ſub nomine panis Cœli: 3 ſub nomine panis Angelorum, ut pateat, quod triplici pane reficiuntur homines in Eccleſia: primus eſt pœnitentiæ, ad quem requiritur dolor, labor, & timor: 2. eſt panis Cœli, ſcilicet virtutum, ad quem requiritur fides, ſpes & charitas: 3. eſt panis Angelorum, ad quem requiritur amor, laus, & viſio, & iſte eſt, qui paſſim in hac vitâ habetur, & totaliter ad ſatietatem in alia. *Pſal. 130.*

22. *Panis, qui pro Chriſti amore petitur à pauperibus, & ipſis datur, dicitur panis Angelorum.*

Panem Angelorum manducavit homo. Quis eſt panis Angelorum? ergone Angeli comedunt panem? ſed reſpondet Seraphicus P. Franciſcus, quod iſtud propheticum dictum impletur in pauperibus Chriſti: dum enim pro Chriſto petunt panem, & cibum, illiſque datur, tunc talis panis dicitur Angelorum, quia Angelis ſuggerentibus pro amore Dei largitus à ſancta paupertate oſtiatim colligitur, & hoc eſt, quod præcipuè curabat ſibi providere S. P. Franciſcus, maximè in feſtis ſolemnibus, oſtiatim petendo ſibi neceſſaria. *Opuſcul. legenda S. Franciſci, c. 7.*

23. *Euchariſtia quare dicitur Panis Angelorum.*

Panem Angelorum manducavit homo. Si hic panis eſt Euchariſtia, cur dicitur panis Angelorum? ſumuntne Angeli Sacramentum Euchariſtiæ? ſed attende myſterium, panis Angelorum dicitur, quia cum Deus providerit corpus animale cibo, ſic & animam cibo ſpirituali providit; unde ſicut Deus cibat Angelos viventes ſpiritus verbo increato, ſic homines mortales in hac vita cibat verbo incarnato in Sacramento ſuſcepto: illos quidem cibat cibo conveniente, ſine quo vivere non poſſent; iſtos item per modum convenientem homini mortali ſcilicet, quia eſt impoſſibile nobis comedere in hac vitâ mortali illum panem in ſoliditate propriæ formæ ſcilicet divinitatis, ideò ut cibum comeſtibilem præbuit ſub forma convenienti, ſcilicet panis, & vini corporalis dandum propter convenientem ſimilitudinem panis ad panem, & refectionis ad refectionem; ſicque per hoc Sacramentum uniret ſibi Chriſtus omnia membra in unum, ô mirabilis pietas, & ineffabilis Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Op. de preparat. ad Miſſam c. 7. & Opuſc.*

Opusc. comp. Theolog. l. 6. cap 13. & 15. & in Lucam c. 11. v. 3. & c. 12. v. 19. & in Ioan. c. 6. vers. 32. & 33 & collat., 2.

24. *Prædicatores, & prædicatio comparantur vento de Cælo venienti.*

Transtulit austrum de Cælo, & induxit in virtute sua aphricum. Nota quod per vim ventorum Deus providit coturnices Populo Israëlitico : mysticè datur intelligi , quod Christus ad cibandum spiritualiter homines , misit de Cœlo ventos, scilicet prædicatores & verbi sui prædicationem, quæ rectè comparantur vento; prædicatio enim valida est contra omnem ictum diaboli : dissolvit gelu peccatorum , & in altum se extollit , quia extollit ad statum gratiæ , & gloriæ auditores. *Psal.* 77.

25. *De Cælo Christus misit Spiritum sanctum in Discipulos ad salutem : Diabolus de inferno misit suos ministros ad perditionem.*

Transtulit austrum de Cælo. Cur Austrum , & non potius Aquilonem? quia per Austrum significatur Spiritus sanctus, qui fœcundat animas, huncque misit è Cœlo Christus in Apostolos, & continuè in fideles suos ad salutem : E contra Aquilo significat diabolum , qui suos mittit per Mundum ad perdendum homines per frigus tentationum. *fer.* 3. *Dom.* 19. *post Pentec.*

26. *Abundantia bonorum temporalium sæpe causa multorum malorum.*

Et pluit sicut pulveres carnes , & sicut arenam maris volatilia pennata. Nota, quod Deus immisit coturnices in maxima abundantiâ Israëlitis in deserto, & dicit eas pluisse sicut pulverem , & sicut arenam ut notet abundantiam : sed mysticè comparantur pulveri, & arenæ maris , ut noteתur, quod abundantia rerum temporalium sæpè est causa ariditatis roris gratiæ divinæ; item & superbiæ , & aliorum peccatorum : unde talis abundantia sæpè est effectus iræ divinæ : unde addit : *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum , & ira Dei ascendit super eos. Psal.* 77. Nota etiam quod dicit: *sicut pulverem*; allusioque fit ad id, quod dicitur, *Gen.* 3. *pulvis es, & in pulverem reverteris*; quia abundantia rerum temporalium vitam non prolongat, sed frequenter abbreviat, & ad mortem, interitumque ducit. *in Lucam c.* 12. *v.* 15.

27. *Oratio, quæ est purè pro temporalibus, aliquando exauditur à Deo in majorem pœnam orantis.*

Et manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo: adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum & ira Dei ascendit super eos. Quomodò Deus tam facile exaudivit desiderium istorum , & tamen legitur , quod ira Dei ascendit super eos ? ergone oratio exauditur in malum omen exorantis ? maximè: quando oratio est purè pro temporalibus, & non ordinatis ad bonum animæ , ut fuit desiderium istorum impiorum : Hæc oratio enim , licet à Deo contemnatur auditur tamen & exauditur, aliquando à Deo ad ruinam orantis. *Ps.* 54.

28. *Gulositas, & nimia libido comedendi excitat iram Dei super gulosos.*

Et manducaverunt , & saturati sunt nimis : & ira Dei ascendit super eos. Vide quale vitium est gulositas, & nimia libido comedendi : nam hæc excitat iram Dei, & attrahit è Cœlo flagella divina. *in Lucam cap.* 6. *vers.* 25. & *c.* 17. *v.* 1. Et hinc hic textus potest aptari ad tempus carnis privii ante quadragesimam, in quo tunc homines manducant carnes, & saturantur nimis , sed in sequentibus sequitur pœna eorum. Item etiam in Paschate, quando homines post quadragesimam se immergunt in crapulam ex qua postea sequuntur infirmitates, & mortalitates. *Sic etiam Vgo Cardinalis.*

29. *Dominus vulnerat ut sanet, occidit, ut vivificet.*

Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur , & diluculò veniebant ad eum. Vide quod dum abundabát Israëlitæ carnibus, non legitur, quod ad Deum reverterentur, sed solùm dú occideret eos , & percutiebat : quia homo in statu abundantiæ rerum temporalium raro recurrit ad Deum , sed dum tribulationibus , & flagellis percutitur , facilè ad Deum convertitur ; & ideò Deus ut bonus medicus vulnerat , ut medeatur , occidit ut vivificet. *in Lucam c.* 14. *v.* 2, . & *c.* 4. *v.* 12. & *fer.* 3. *Dom.* 14. *post Pentec.*

30. *Culpa oculos claudit, quos pœna aperit.*

Cum occideret eos quærebant eum; & rememorati sunt , quia Deus adjutor est eorum Vide quomodò, cum oculos clausos haberent ad recurrendum Deo dum abundabant carnibus , pœna eos aperuit ; quia oculos, quos culpa claudit , pœna sæpè aperit. *in sap. cap.* 11. & 18. & *in Thren. cap.* 1.

31. *Peccatum elongat animam à Deo, pænitentia appropinquare facit ad eum.*

Et diluculo veniebant ad eum. Ergone elongati erant à Deo ? maximè : erant quidem elongati à Deo per culpam ; quia culpa facit à Deo discedere, & reducit in regionem longinquam, non quo ad situm localem , sed per voluntatis dissimilitudinem : quantò enim quis in pravo opere delinquit, tantò à gratia Dei longius recedit : & cum sit iniquitas , elongat à summa bonitate ; cum sit tenebra elongat à summa luce , & veritate : & cum sit nihil elongat à summa æternitate : sed postea per fidem , & pœnitentiam anima venit , & appropinquat ad Deum. *Psal.* 77. *in Lucam c.* 15. *v.* 13.

32. *Maxima Dei misericordia elucet in peccatoris maxima miseria.*

Ipse autem est misericors : & recordatus quia caro sunt Vide Dei clementiam, & hominis miseriam: dum enim homo in profundo peccatorum jacet, adspicitur à Deo, & radios suæ bonitatis ei immittit, videns quod caro est , scilicet subjectus peccandi potentiæ, & impotens ad resurgendum, ipsum per suam gratiam reddens potentem , & in eum exercens suam pietatem. *Psal.* 77.

33. Homo eſt Spiritus vadens, & non rediens, ſic dicitur hic: vadens, quia de ſe peccare poteſt, ſed de ſe ſine Dei gratia, & operatione non valens redire ad Deum. *ſalm 77. & in Thren. c.1. & ſap. c.12. In Ecclen. cap. 2. op. Diat ſalut. titul.7. cap.1.*

34. *Peccatores canes filii diaboli, Juſti filii Dei.*

Miſit in eos cœnomiam, & comedit eos. Nota, quod hic enarrat flagella, & plagas, quas immiſit Deus in Ægyptios: inter quas fuit immiſſio cœnomiæ, quæ eſt muſca canina valdè torquens: myſticè datur intelligi, quod juſto permittente judicio Dei, relinquitur peccator obſtinatus præcipitari in caninos mores: inter quos eſt notabile, quod canes non recognoſcunt, vel venerantur Patres ſuos: ſic peccatores contemnunt ſuum Patrem Deum, & voluntatem diaboli facientes, recognoſcunt diabolum ut Patrem, ei obtemperando: Juſti è contra obtemperando Deo, ſe ſubjiciunt ipſi ut veri filii. *Pſal.77. in ſap.c.19.*

35. *Fructus juſti manet in æternum: fructus impiorum ab erugine, locuſta, grandine, & igne conſumitur.*

Et dedit erugini fructus eorum, & labores eorum locuſto, & tradidit grandini jumenta eorum; & poſſeſſionem eorum igni. Vide diſcrimen fructus juſtorum, & impiorum; nam fructus juſtorum permanet in æternum: fructus impiorum conſumuntur ab ærugine luxuriæ, à locuſtâ ſuperbiæ, à grandine avaritiæ, & ab igne concupiſcentiæ: ſi ergo vis fructum tuum manere, debes Ægyptum, ideſt mundum fugere. *ſer.3. Dom.7. poſt Pentecoſt. & in Pſal.77. & 118.c.6.v.3.*

36. *Conſenſus in peccatum mortale eſt ignis, omnia devorans, & ejiciens è Paradiſo gratiæ animam.*

Et tradidit poſſeſſionem eorum igni. Nota, quod hæc myſticè intelligenda ſunt de igne peccati mortalis, qui omnia bona conſumit in anima; & ſicut è Paradiſo ejectum primum hominem tenebat foras ignis conflatilis; ſic & peccatum mortale è Paradiſo gratiæ ejicit animam: de quo verè dici poteſt: & Deus dedit ejus poſſeſſiooem in poſſeſſionem ignis. *Pſal.77.*

37. *Maximum Signum iræ Dei, cum hominem peccatorem Deus ſubjicit diabolo.*

Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos. Ecce quale exitium peccatoris, dum à ſe projicit Deum per peccatum; nam & Deus eum meritò ſubjicit diabolo, qui ipſo abutitur tamquam pecore ſuo, eum torquendo variis tribulationibus. *l. 2. diſt. 28. articul. primo, quæſt.2. & art.2. quæſt.2. & de dono conſilii cap.5.*

38. *Felix qui ex Ægypto mundi perducitur in deſertum.*

Et abſtulit ſicut oves Populum ſuum, & perduxit eos tamquam gregem in deſerto. Vide quali ſimilitudine ſacer textus exprimit curam particularem, quam habuit Deus de ſuo Populo ab Ægyptiis oppreſſo, quem tot prodigiis perduxit in deſertum: ſed myſticè innuitur beneficium vocationis animarum de Ægypto mundi in deſertum, ſcilicet in ſtatum religionis, in quo ſancti habitant, & per exercitium virtutum progrediuntur in via ſalutis. Felix igitur, qui ſic perducitur à Deo. *ſer.4. Dom.1. poſt oct. Paſcha.* Et hinc additur: *& induxit eos in montem ſanctificationis, montem quem acquiſivit dextera ejus.* Nota, quod myſticè loquitur de religioſo, & homine juſto, qui in religionem, & ſtatum perfectionis perductus dexterâ ſuâ ſcilicet operibus bonis, pervenit in poſſeſſionem ſanctificationis, ſcilicet juſtitiæ, & ſanctitatis. *Pſalm.118.c.7.v.15.*

39. *In articulo mortis inobſervantia præceptorum Dei terribilis evadet.*

Et exacerbaverunt Deum excelſum, & teſtimonia ejus non cuſtodierunt: in ira concitaverunt eum. Nota, quod hic ad litteram loquitur de ingratitudine Judæorum, qui non obſervantes Dei præcepta exacerbaverant Deum, ipſumque in iram concitaverunt: ſed myſticè dicitur etiam de omnibus peccantibus, qui ob inobſervantiam divinorum præceptorum Deum ad iracundiam provocant, redditurque eis terribilis in morte. *Pſal.118.c.6.v.8. & c.9.v.16.* & ideò ut inobedientes ſubjecti fiunt iræ Dei, qui eos ad nihilum redigit. *ſer.1. Dom.8. poſt Pentec.*

40. *Ignis eſt luxuria omnia devorans bona.*

Iuvenes eorum comedit ignis. O quot ſubjiciuntur huic pœnæ ignis, quot devorantur ab igne luxuriæ, quæ omnia bona corporalia, & ſpiritualia devorat, & conſumit *Pſal.25.*

41. *Peccatum mortale eſt gladius occidens animam.*

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt. Quonam gladio? Ad litteram ſacerdotes fuerunt ab inimicis occiſi: myſticè loquitur de gladio peccati mortalis, & præcipuè ſuperbiæ, avaritiæ, invidiæ, & iræ: hoc gladio diabolus occidit animam præcipuè malorum ſacerdotum. *Pſal.77.*

42. *Quinam ſint electi à Deo ad Cælum.*

Et elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit: & ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundavit in ſæcula. Nota, quod in his verbis myſticè ſignificatur quoſnam Deus elegit; nam per Judam ſignificatur confeſſio; per Sion ſpeculatio mandatorum Dei; quia qui confeſſionem peccatorum exercet, & meditatur in obſervantia, & ſubjectione mandatorum Dei, ædificatur in ſanctificium, & tabernaculum Dei: & iſte electus dicitur à Deo. *Pſal 77.*

43. *Innocentia cordis gratior Deo, quàm bona speculatio.*

Et pavit eos in innocentiâ cordis, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos. Quomodò dicitur in intellectibus manuum? ergone manus habet intellectum? Sed Nota, quod hic apponitur figura transpositionis quia videtur, quod deberet dici in intellectu cordis, & in innocentiâ manuum; sed tamen id fit cum maximo mysterio, ut intelligatur, quod idem prætendit explicare per utrumque, scilicet operationes innocentes manuum, & cogitationes cordis; & quod ad rectam, & sanctam vitam utrumque requiritur. Notandum tamen, quod ponitur primò innocentia cordis, quia hæc est melior, & via perveniendi ad speculationem, & cognitionem mysteriorum Dei. *Psal.* 17. & 35.

44. *Deus per visibilia deducit nos ad invisibilia cognoscenda.*

Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos. Idest per cognitionem mirabilium, quæ facta sunt à Deo visibiliter deduxit eos in cognitionem mirabilium invisibilium. Sic facit Deus nobiscum, ostendendo mirabilia, quæ operatus est. *Psalm.* 118. *c.* 11. *v.* 9.

45. *Invitatur anima ad contemplandum mirabilia B. Virginis Mariæ.*

Attendite popule meus legem meam. Supra in principio dictum est, hic invitari fideles ad perceptionem legis, & mysteriorum nostræ fidei; & quia inter mysteria hæc unum ex præcipuis continet magnalia operata à Deo in Beata Virgine; hine dicitur omnibus fidelibus: Attendite populi præcepta Dei: & Reginæ Cœli nolite oblivisci: aperite eor ad intertogandum eam, & labia ad glorificandum illam; descendat amor ejus in cordibus vestris: concupiscite placere illi. *Opusc. Psalt. B Virg. Psal.* 77.

Applicatio ad Mariam Virginem.

46. *Maria columna nubis, & ignis.*

Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Hic traditur figura eorum, quæ in statu legis Evangelicæ futura erant per expositionem mysticæ columnæ: & quænam fuit? Hæc fuit B. Virgo Maria, verè columna nubis, & ignis: Columna nubis, quia tamquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis, & ab æstu diabolicæ tentationis: est & columna ignis, multis misericordiæ suæ beneficiis illuminans mundum in nocte hujus sæculi: O infelices quantum erraremus, si non Deus providisset mundum hac columna. *Op. spec. B. Virg. lec.* 3.

47. *Maria illustrior sole illuminans Cœlum, & terram.*

Et tota nocte in illuminatione ignis. Alii legunt (*solis*) quia illa columna veluti sol illuminabat totum exercitum, & meritò quia figurabat Mariam Virginem, cujus pulchritudo, & lux vincit Solem, & Lunam: & ideò tolle hoc corpus solare; quid erit mundus, nisi magnum chaos inclusus in tenebris, & miseriis? tolle Mariam, quid erit in mundo, nisi caligo involuens, umbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquentur? O verè illuminata, & illuminatrix Maria. *op. pec. B. Virg. lec.* 3. & *op. Psalt. B. V. Psal.* 77.

48. *Spiritus sanctus venit in hortum, scilicet uterum B. Virginis ipsum fecundans.*

Transtulit austrum de Cœlo. Ad quid è Cœlo transtulit austrum? Sed nota, quod auster in sacra Scriptura est Spiritus sanctus, qui è Cœlo missus fuit, & veluti translatus in uterum Virginis Mariæ, ut ipsum fœcundaret, & ipsius virtute generaret verbum Patris filium. *Ser.* 1. *Dom.* 3. *Adv.*

49. *Maria fuit ædificium singularibus privilegiis ab ipso Deo fabricatum.*

Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula. Quænam similitudo est unicornis, & ædificii à Deo fabricati? Sed attende, quod unicornis facit ædificium suum, nec permittit sibi aliena animalia accedere; & ideò hic dat intelligere ædificium aliquod speciale ab ipso Deo solo fabricatum cum speciali privilegio; Unde nota, quod dicit, *sanctificium*, idest ædificium plenum sanctitate: & quodnam fuit hoc? Hoc aliud non fuit, nisi Beata Virgo verè domus Dei à divinâ sapientiâ sibi fabricata, qua quoad maternitatem non potuit fieri alia melior, nec quoad plenitudinem gratiarum, nec quoad dona naturalia. *l.* 3. *d.* 44. *dub.* 5. & *op. B. Virg. lec.* 6. & 7.

PSALMUS LXXVIII.

Titulus: Psalmus Asaph.

1. PRIMÒ nota, quod ad litteram deplorat Propheta repulsionem Judæorum, quæ fuit facta per Antiochum: mysticè persecutionem, quæ fit de Ecclesia per infideles, & ideò dicitur Psalmus Asaph, scilicet fidelis populi de talibus persecutionibus conquerentis.

2. *Multiplex templum à Deo in mundo positum.*

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. Nota hic, quod per templum intelligitur, vel materiale lapidibus fabricatum: vel allegoricè corpus dominicum: vel moraliter anima cujuslibet fidelis: vel anagogicè Paradisus. *Psal.* 78.

3. *Templi, & Ecclesiæ prophanatio Deo summè exosa.*

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. Nota, quod hic conqueritur Ecclesia vel Angeli sancti, videntes, quod continuè Ecclesia prophanatur: cum enim deberet esse locus orationis, & sacrificii, à multis fit locus negotiationum, & nequitiarum, quæ prophanatio destructionem, & ruinam multiplicem affert. *Ser.* 1. *de dedicat. templi.*

4. *Peccatum mortale polluit Templum ſpirituale animæ: ipſamque tradit in poſſeſſionem diaboli.*

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam. Quænam eſt hæc hæreditas niſi anima à Chriſto redempta? in hanc veniunt dæmones, quando recedit à Deo per peccatum mortale, & ſic polluitur; tuncque à Deo gratia privatur, fitque ſanctificatio deſerta, & locus abominationibus plenus. *ſer. 1. de dedicat. Eccleſiæ.*

5. *Prædicit Propheta ſub verbo præterito perſecutionem Tyrannorum Eccleſiæ.*

Poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam, poſuerunt morticinia ſervorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Vide, quod hic prædicit perſecutionem futuram Eccleſiæ, in qua Tyranni totm rtyres exquiſi. is, & diverſis modis occiderunt *Pſal 119. & l. 4. d. 45. a. 1. qu. 5 ad 6 & i ſol.* 8. Nota, quod dicit ſanctorum corpora data in eſcam volatilibus cœli, quod cum veriſſimum ſit, ne credas, quod materia ſubſtantialis, & quæ eſt de eſſentiali conſtitutione corporis humani deperdita fuerit: nam eadem reſurget in judicio integra *l. 4. ibid.*

6. *Anima in peccato mortali eſt in opprobrium, illuſioni, & ſubſannationibus diaboli ſubjecta.*

Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris ſubſannatio. Nota, quod hoc verè dici poteſt ab anima exiſtente in peccato mortali, quia ſubjecta dæmonibus qui in circuitu noſtro ſunt, fit: illudere enim quærunt in cognoſcendis per velamen ignorantiæ: in agendis per hypocriſim, & in appetendis res temporales *ſer. 2. Dom. in quinquag.*

7. *Perfecta oratio, & inquiſitio divinæ miſericordiæ quænam exigit.*

Ne memineris Domine iniquitatum noſtrarum. Nota, quod in hac oratione Propheta includit omnes conditiones neceſſarias ad orationem, & miſericordiam obtinendam; nempè in hac petitione confeſſionem & indulgentiam peccatorum commiſſorum unde dicit: *ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum*: gratiam prævenientem, unde *citò anticipent*: Cognitionem propriæ miſeriæ, unde ait. *Quia pauperes facti ſumus nimis. Pſal. 78.*

8. *Vera paupertas Spiritualis confidentiam ingerit ad recurrendum ad Deum in tribulationibus.*

Citò anticipent nos miſericordia tua, quia pauperes facti ſumus nimis. Nota hic, quòd hæc paupertas poteſt ſumi in malum, eſtque eorum, qui carent omni virtute: & in bonum; & hæc eſt paupertas plena, & perfecta, ſignificata per illam particulam (*nimis*) ut eſt Religioſorum perfectorum, qui nec habent divitias, nec voluntatem propriam: & hæc eſt, quæ aſcendere facit ad Deum ſine labore, & difficultate. *Pſal. 78.*

9. *Virtute nominis Ieſu, & ſanctiſſimæ Trinitatis Deus propitiatur peccatis noſtris, & glorificatur ejus magnificentia.*

Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris. N tandum, quòd in hac oratione ut exaudiatur, propon t Deo gloriam nominis ſui, dicens: *Deus ſalutaris*, ſcilicet Jeſus, & propitiationem peccatorum petit, ut videas, quod virtute nominis Jeſu veniam impetrare poſſumus peccatorum, gratiam, victoriam, & gloriam, & ex hoc etiam magnificentia ejuſdem ampliatur: item & in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, quia in ejus nomine recipimus gratiam in Baptiſmate cum remiſſione culparum *ſer. 4. in Circumciſ. & ſerm. 2. Dom. 10. poſt Pentecoſt.*

10. *Quod Diabolus deſtruxit, hoc B. Virgo reparavit.*

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam. Ideſt dæmones polluerunt Templum ſanctum tuum: vide quid fecit, & quid facit diabolus, qui ſemper conatur deſtruere hæreditatem Chriſti, & polluere ſanctum Templum animarum: væ igitur mundo tot evidentibus hoſtibus ſubjecto, ſi Maria Virgo non accurriſſet tot malis reparans, quod diabolus deſtruit: hinc ſicut Propheta dicebat in malum: Deus venerunt dæmones in hæreditatem tuam: ſic in bonum poſſumus dicere lætanter Beatæ Virgini: Domina venerunt gentes in hæreditatem Dei, quas tu meritis tuis Chriſto confœderaſti: felices igitur ſunt iſti fideles, qui in poſſeſſionem hæreditatis Chriſti Jeſu, meritis Mariæ reducti ſunt. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 78.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

11. *Devota invocatio proponitur ad B. Virginem facienda ad iram Dei placandam, & verſutiam Diaboli ſuperandam.*

Deus venerunt gentes, ſcilicet diaboli *in hæreditatem tuam*: *Citò anticipent nos miſericordia tua.* Hoc dicebat Propheta Deo; dicat ergo quiſque noſtrum B. Virgini: Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, ô Maria: citò Domina ſubvenias clamanti, ne in manibus ſubjiciar inimici: citò, curre, feſtina Domina, & tuum nequiſſimum ſervum, ac infideliſſimum ad te clamantem parcendo adjuva, & eripe de manibus inimici, & periculis tui hoſtis: ſi aliud ô Domina allicere te non deberet, niſi quia tuus hoſtis audet tuos ſervos fraudulenter invadere, debes ad nos quantocius feſtinare: citò curre, & libera nos Domina propter ſuam ſuperbiam comprimendam: curre ne inimici noſtri dominentur in nobis clientulis: curre ne dicant, ubi eſt Deus eorum, de cujus clementia confidebant. *Op. ſtim. div. am. p. 3. c. 19.*

12. *Alia ſimilis invocatio proponitur.*

Citò anticipent nos miſericordia tua. Adjuva nos Domina noſtra, ſit eloquium tuum dulce coram ipſo, & conjunge me illi, qui me redemit: extende brachium tuum contra hoſtem crudelem, & denuda mihi verſutiam illius; vox tua dulcis ſuper omnem melodiam: harmonia Angelica ei

ei non valet comparari: Distilla mihi suavitatem gratiarum tuarum, & tuorum charismatum fragrantiam, & odorem. *Opusc. Psalt. Beat. Virg. Psal.*78.

13. *Propter honorem nominis Mariæ propitiatur nobis Deus.*

Adjuva nos Deus salutaris noster, scilicet Iesus, & propter gloriam nominis tui libera nos, propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Hoc dicitur ad gloriam nominis Jesu. Hoc & suo modo ad gloriam nominis Mariæ: Nam virtus istius nominis dæmones terret, & fugat, propitiationem à Deo impetrat, & attrahit, & miram dulcedinem animæ affert. *Op. Psalt. B. Virg. Psal* 6. *& op. specul. B. Virg. lect.* 3. *&* 9. *&* *opusc. stim. p.* 3. *cap.* 16.

PSALMUS LXXIX.

Titulus: In finem pro iis, qui commutabuntur; testimonium Asaph; Psalmus.

1. PRIMÒ, Nota, quod iste Psalmus dirigitur ad Christianum Populum qui per incarnationem, & redemptionem Christi, commutatus est, & conversus de gentilitate ad fidem Christi: dirigitur, inquam fidelibus, ut in Christum dirigant seipsos, & suas operationes.

2. *Pastorum regentium populos; alii boni, qui intendunt ad curam ipsorum, alii mali.*

Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph. Nota, quod litteraliter hæc ordinantur ad Deum, tanquam ad pastorem animarum: petitque Ecclesia, ut intendat in adjutorium ipsarum, ut proficiant de virtute in virtutem: Mysticè ordinantur hæc verba ad quemlibet Pastorem animarum; daturque intelligi quinam sunt veri Pastores imitatores Christi, & quinam mali: Boni sunt, qui diligentem curam habent ovium, dantque animam suam ad imitationem Christi pro ovibus suis; scilicet, toto studio incumbunt suo muneri: mali sunt, qui faciunt oppositum, suntque vel mercenarii, vel fures, vel lupi: primi, videntes lupum venientem, fugiunt, & relinquunt suas oves pro commodis temporalibus: secundi, qui furantur, & tertii, qui rapiunt animas, diaboloque tradunt. *Psal.*77.

3. *Ecclesia sub cura Christi Pastoris crescit augmento spirituali, numero, & merito.*

Qui deducis velut ovem Ioseph. Cur dicitur, quòd Deus deducit Joseph, & non alium Patriarcham? Nota: Joseph interpretatur augmentum, significatque Ecclesiam, quæ crescit augmento virtutum, numero, & merito, per quod dilatatur tabernaculum Jacob, scilicet ejusdem Ecclesiæ fide, spe, & charitate. *Psal.*77.

4. *Oves Christi deducuntur ad statum perfectionis per augmentum virtutum.*

Deducis velut ovem Ioseph. Nota, quòd ut dictum est Joseph significat augmentum, & significatur, quòd Christus suas oves peculiares, scilicet justos, deducit per augmentum virtutum ad statum perfectionis. *ser.* 10. *Dom.* 1. *post oct. Pascha. & in Psal.*69.

5. *Denominatio Angelorum desumpta est ab Ecclesia ex sacra scriptura, ut hic patet de ordine Cherubim cujus munera enodantur.*

Qui sedes super Cherubim &c. Qui est ordo inferior Seraphim, & cæteris superior *l.* 2 *d.* 9. *art.* 1. *qu.* 4 In his primò, & principaliter relucent divini luminis radii, pro eo quòd vicinius divinæ veritati junguntur, & ideò eorum officium est promovere homines ad divinam cognitionem. *opusc. Comp. Theol. l.* 1. *c.* 14. Dicitur autem Deus sedere super Cherubim, ut denotetur, quod plenitudo scientiæ est immensa super omnem intellectum; & quod ab ipso descendit immediatè ad Cherubim, & hinc per ipsos ad cæteros: sessio namque auctoritatem designat, & ideò tanquam supremus in doctrina, influit eam in inferiores. *Op. comp. Theol. l.* 1 *c.* 14. *& in Luc. c.* 5. *v.* 3. *& c.* 8. *v.* 7.

6. *Manifestatio divinitatis desideranda in quolibet statu, & petenda.*

Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. Cur super istos tres petitur manifestatio divinæ claritatis? Nota, quod hic petitur in terra manifestatio Christi, sicut in Cœlis manifestissimus est ipsis Cherubim; & dicitur super Ephraim, qui interpretatur frugifer: coram Benjamin, qui interpretatur filius dexteræ: & coram Manasse, qui interpretatur oblivio: & significatur triplex status, cui petitur dicta manifestatio scilicet Laicorum, justorum, clericorum, qui sunt filii dexteræ, & religiosorum, qui oblivioni tradiderunt ista terrena per emissionem votorum. *ser. de Angelis, & ser.* 23. *Hexaem. & in Psal.* 59. *sic Vgo Card.*

7. *Deus plus dat, quàm sibi petatur.*

Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos. Nota, quod hæ sunt voces antiquorum Patrum desiderantium; & petentium adventum Christi in Mundum: sed tamen mirum est, cur petant excitationem potentiæ divinæ, & non etiam sapientiæ, & bonitatis; cum hæc tria maximè manifestata fuerint in opere Incarnationis? sed respondetur, quod Propheta ardenter petebat subventionem potentiæ divinæ contra diabolicam potestatem, & infirmitatem humanam, quia sciebat vir illuminatus, quod liberalissimus Deus plus dare solitus est, quàm petatur; & ideò venit in mundum cum potentia ad vincendum dæmones, & sublevandum miseriam humanam: cum sapientia, docendo nos viam salutis, & cum misericordia ignoscendo peccatis nostris. *serm.* 2. *Dom.* 2. *Adv. & in Ioan. coll.* 81.

8. *Potentia infinita Dei cum misericordia ad remittendum peccata qualiacunque, & quantacunque excitat animam ad spem in Deum.*

Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos. Nota, quod hic Propheta in medium ponit potentiam divinam, quam recognoscit infinitam in dimittendo peccata qualiacunque, & quantacunque, ut excitet nos ad fiduciam erigendam in Deo, ut ad ipsum confugiamus in nostris necessitatibus, & tribulationibus, & ut veniam impetremus per conversionem ad ipsum *fer. 5. in die ciner.*

9. *Deus se ostendit, & exhibet nobis, quales nos ipsos sibi exhibemus.*

Ostende faciem tuam, & salvi erimus. Qua consequentia prætendit Propheta salutem ex ostensione faciei Dei? & si ostendat faciem iratam, quomodò salvus erit? sed attende, quod Propheta sciebat, quod Deus se nobis ostendit, quales nos ante ipsum comparemus, & quia antecedenter se petentem, orantem, humiliantem, & flentem se ostenderat Deo, ideò fidenter petit, ut faciem suam ostendat talem, ut salutem consequatur: sic & Christus pro flentibus ipse flevit, *Psal. 118. c. 8. v. 5.*

10. *Iustus petit fidenter Deo cognitionem ipsius, à qua oritur salus.*

Ostende faciem tuam Quomodò intendit videre Deum in carne mortali? Nota: facies Dei est cognitio divinitatis ejus, quam hominibus in hac vita tribuit, ex qua oritur salus. *opusc. de invisibilit. Dei.*

11. *Tribulationes Iustorum sunt cum mensura: impiorum sine mensura.*

Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Quid est in mensura? quænam est hæc mensura lachrymarum? Nota, quod Propheta vidit varias tribulationes in diversis temporibus hominum; sed prævidens eas, quas post Christi adventum passuri erant justi, eas dicit datas in mensura, scilicet secundùm delictorum mensuram, & in salutem, sicut & impiis datæ sunt sine mensura, scilicet cum desperatione: Unde justi ante, & post adventum Christi puniti fuerunt ad consolationem, & liberationem à malis, & peccatis. *Psal. 79. & in Lucam c. 22. v. 42.*

12. *Panis spiritualis cibans animam in vita præsenti qualis.*

Cibabis nos pane lachrymarum. Quis est panis lachrymarum? Nota, in pane tria sunt necessaria, scilicet farina; suntque bonæ operationes: Aqua, scilicet lachrymæ: & ignis, scilicet charitas, quæ illa duo consolidat, & coadunat. *Psal. 79.* Præpara ergo ô homo bonam farinam simul cum aqua, ut pane possis te reficere.

13. *Pœnitentia est panis, & vinum cibans, & potans animam spiritualiter: panisque sine fermento debet esse.*

Cibabis nos pane lachrymarum, & potum nobis dabis in lachrymis. Vide quomodò per pœnitentiam fit panis, & vinum cibans, & potans animam: sed adverte, ne cum ipso sit admixtum fermentum carnalitatis, vel servilis timoris; sed quod sit purus ex farina contritionis, confessionis, & satisfactionis, & igne charitatis coctus *Psal 79. & serm. 2. Dom. 4. quadrag. & opusc. comp. Theolog. l. 6. cap. 16.*

14. *In vinea Religionis non habitant incircumcisi.*

Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti radices ejus. Nota ad litteram describit hic transitum Israëlitarum de Ægypto, & possessionem eis traditam terræ promissionis, à qua ejecit gentiles: sed mysticè significatur status pœnitentium, & religiosus: utrumque enim de Ægypto mundi transtulit, & plantavit Christus in Ecclesia; & ideò ab ipso ejicit gentes, scilicet incircumcisos: quia qui à vitiis circumcidi non vult, in vinea religionis non debet esse. *fer. 2. Dom. in septuag.*

15. *Termini vineæ Domini, sunt baptismus, & pœnitentia.*

Extendit palmites ejus usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus. Nota, quod hic ad litteram describitur extensio facta fidei Christianæ per totum mundum, sub nomine vineæ, & vitis, qui est Christus in cujus virtute se extendit usque ad mare, scilicet pœnitentiæ, & usque ad flumen, scilicet baptismi, qui sunt termini ejus. *In Ioan. collat. 67. & Vgo Cardinalis hic.*

16. *Destructio Synagogæ prædicta à Propheta sub metaphora vineæ.*

Vt quid destruxisti maceriam ejus. Nota, quod Propheta prævidit, & prædixit destructionem synagogæ sub metaphora vineæ desertæ, sicut etiam Christus id expressit *Luca 20.* in cujus loco successit gentilitas. *in Lucam c. 20. v. 16.*

17. *Fides Christi, exercitium virtutum, sanctorumque protectio, valida, & fervens oratio sunt murus Ecclesiæ, & locorum.*

Vt quid destruxisti maceriam ejus, exterminavit eam Aper de Silva. Nota, quod maceria est murus sine cæmento, & significat fidem Christi; item & exercitium virtutum; item & protectionem sanctorum; item & validam, & ferventem orationem: ista enim sunt murus Ecclesiæ, & locorum: væ igitur quando destruitur talis maceries; quia tunc Aper, scilicet diabolus exterminium omne portat. *Psal. 79.*

18. Aper

18. ***Aper singularis, scilicet conversatio mala, & malum exemplum exterminant vineam religionis.***

Exterminavit eam Aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam. O infelix illa vinea, de qua hæc verba verificantur: scilicet de religionis statu, quæ ab Apto devastatur. Aper iste est mala conversatio, & malum exemplum, diciturque Aper ob manifestam perversitatem: dicitur singularis ob superstitiosam singularitatem, quæ duo destruunt observantiam religiosam. *serm. 2. Dominic. in Septuag.*

19. ***Visitatio Prælatorum diligens est effectus divinæ pietatis.***

Respice de Cœlo, & vide, & visita vineam istam. Vide quid opponit Propheta, ut remedium exhibeat devastationi factæ in religione, & Ecclesia à diabolo: nempè visitationem Prælatorum: Hæc enim corrigit delinquentes, excitat negligentes, promovet operantes, & adjuvat pugnantes, *in Lucam c.1.v.79.*

20. ***Omne peccatum nascitur vel ex amore male inflammante, vel ex timore malè humiliante causante febrem peccati.***

Incensa igni, & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt. Ad litteram exprimit Judæorum desolationem: mysticè dat intelligere, quòd omne peccatum est febris, quæ causatur, vel ex igne cupiditatis, vel ex frigore timoris servilis, & hoc est quod accendit iram Dei in peccatores. *In Ioan. c.4. v.54. & c.18. v.18. & in Sap. c.14.*

21. ***Deus protegit nos per Christum.***

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi. Nota quòd nomine manus, ut plurimum venit protectio Dei; hancque petit vir justus à Deo super virum, idest per Christum Deo unitum, qui est dextera Patris. *Psal. 118. c.11. v.13. & Op. Eccl. Hier. p.4. c.6.*

22. Innocentia vivificationem spiritualem attrahit à Deo: unde fidenter Propheta dicebat: *Non discedimus à te Deus in conversus vivificabis me. Psalm. 118. c.3. v.8.*

23. ***Ad Mariæ operationum virtutum considerationem, & imitationem invitatur anima.***

Applicatio ad Mariam Virginem.

Qui regis Israël intende. Si hic Psalmus invitat fideles ad considerationem, & imitationem operum Christi: secundario & invitantur ad considerationem, & imitationem virtutum, & operationum Mariæ Virginis. Unde deberet quisque verè posse dicere: qui regis Israël intende ad me: matrem tuam collaudare: expergiscere de pulvere anima mea perge in occursum Reginæ Cœli: solve vincula colli tui, paupercula anima mea, & gloriosis laudibus accipe illam, odor vitæ de illa progreditur, & omnis salus de corde illius scaturit: Charismatum suorum fragrantia suavi animæ mortuæ suscitantur. *Psalt. B. Virg. Psal. 79.*

PSALMUS LXXX.

Titulus pro torcularibus: Psalmus ipsi Asaph.

1. PRIMÒ Nota, quòd hic Psalmus ordinatur in finem, scilicet in Christum ipsi Asaph, scilicet fidelibus Christianis pro torcularibus, scilicet pro tribulationibus, per quas in Ecclesia separantur boni à malis: sicut enim in torculari fit separatio vini ab acino, & olei ab amurca; sic in Ecclesia fit separatio per tribulationes bonorum à malis, corporis ab anima, sensus spiritualis Sacræ scripturæ à littera. *Psal. 80.* Nota etiam, quod sicut oleum separatur in torculari ab amurca, sic sancti, qui dicuntur rectè oleum: oleum enim illominat, reficit, & saoar, sic & sancti à malis separantur. *Psal. 80.*

2. ***Tempus gratiæ est dies solemnitatis hominis.***

Exultate Deo, buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. Nota hic Propheta invitat ad lætandum, & exultandum in die solemnitatis hominis: nec exprimit quænam solemnitas sit ista: hæc est Pentecosten, ait S. Bonaventura: alij dicunt, quod est scenopegia, scilicet festum tabernaculorum, quod in principio septimi mensis celebrabatur per septem dies tubarum sonitu. Mysticè hoc festum est tempus legis Evangelicæ, quod prævidens Propheta, appellat insignem diem; cum homo ante vixerit in morte peccati: invitatque totam Ecclesiam ad canendum, & exultandum in Domino. *Psal. 80.*

3. ***Qui vult linguam ignotam audire, scilicet inspirationes Dei, & Angelorum exeat de Ægypto.***

Cum exiret Ioseph de Ægypto, linguam, quam non noverat audivit. Nota, quod hic dicunt Rabini, quod Joseph edoctus fuit à Gabriele notitia 70. idiomatum: de quo quicquid sit, certum est ipsum edoctum fuisse à Deo multis notitiis supernaturalibus, & mysticè datur intelligi, quod Ægyptus interpretatur tenebræ, & ideò exire de Ægypto est tenebras ignorantiæ deserere. Cum igitur de Ægypto eximus, linguam ignotam audimus, scilicet linguam, & visitationem Angelicam & inspirationem divinam: has linguas audire non possunt, qui Ægypti tenebras aspiciunt. *Psalm. 80.*

4. ***Peccatum trahit animam deorsum sub omnibus creaturis: Gratia sublevat super omnes creaturas, & in Deum.***

Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in Cophino servierunt. Nota, quod hic ad litteram innuit infelicitatem, in qua vixit Populus Israël in Ægypto sub captivitate Pharaonis, & liberationem Populi ejusdem factam à Deo, mysticè datur intelligi, quod homo in Ægypto hujus mundi pressus est sarcina peccatorum, & onere horum temporalium: ut autem ab his oneribus liberetur,

liberetur, debet per iſta tranſitoria tranſire, & ſe elevare ad cæleſtia, mundatione cordis, ſicque in ſerenitatem rationis evadere, & in intelligentiam æternorum ſurgere, candoremque conſcientiæ, ut Jeſum transfiguratum, & glorificatum videat. *Pſal.* 80.

5. *Deus vult nobis gratias impertiri; ſed tamen vult rogari.*

In tribulatione invocaſti me, & liberavi te, exaudivi te in abſcondito. Nota, quod ad liberationem, & conceſſionem gratiarum à Deo factam, præmittit invocationem noſtram: quia vult quidem, & cupit nobis impertiri gratias, & beneficia, ſed tamen vult rogari. *In Lucam c.4.v.38.*

6. *Qui præter Deum, & ſupra Deum quid amat eſt veluti idololatra.*

Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ad quid nobis fidelibus inculcatur hoc monitum, qui unum Deum colimus, & maximè abhorremus deorum cultum? Sed nota, quod nobis præcipuè id dicitur: nam etiam inter Chriſtianos multi ſunt veluti idololatræ, ſuntque illi, qui Deum puré non amant; ſed præter Deum, & ſupra Deum, creaturam amant: O quot ſunt, quibus Deus à ius eſt præter verum Deum. *In Joan. collat.47. & ſer.1. in op. de dec. precept.*

7. *Deſiderium ardens eſt digna præparatio ad recipiendum manna Euchariſticum, & cibum ſapientiæ cæleſtis.*

Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti dilata os tuum, & implebo illud. Quid eſt dilatare os? ergone ad recipiendum cibum ſpiritualem os corporis aperiendum eſt, & dilatandum? Nota, quod hic loquitur de ore hominis interioris, quod eſt deſiderium cordis: *dilata*, ait, ideſt dilata deſiderium cordis, & ego implebo refectione panis cœleſtis: ut videas, quod digna & prima præparatio ad recipiendum cibum cœleſtem, ſcilicet panem Euchariſticum, & ſapientiam ſupernam eſt deſiderium ardens cordis. *Pſalm.* 80. *& ſermon.1. Hexaem & in Lucam cap.11 verſ.15.* Nota etiam, quod ad hanc cibationem præmittit Deus, *Ego ſum Deus, qui eduxi te de terra Ægypti*; ut ſcias, quod hoc dicitur tantùm egredientibus de Ægypto per liberationem à peccatis. *Pſal.* 80.

8. *Qui aperit os in confeſſione recipit cibum cæleſtem gratiæ.*

Dilata os tuum. Quid eſt dilatare os, niſi aperire illud in confeſſione, & confiteri peccatum, totumque morbum evomere, poſt quod impletur anima indulgentiæ dono: & notanter dicitur. *Dilata os*, quia fiſtula, quæ habet os ſtrictum, numquam perfectè curatur, nec ſanies perfectè educitur, niſi os ejus competentibus inſtrumentis amplietur; nec quamdiu ibi aliquid putredinis celatur, niſi foras educatur, fruſtra medicina omnis impenditur: ergo ſi vis perfectè ſanari, neceſſe habes dilatare os in confeſſione, & evomere putredinem peccatorum per confeſſionem: ſicque Deus implebit illud, ſcilicet remiſſione, & indulgentiâ, & gratiâ. *Ser.2. de S. Ambroſ.* Et nota, quod dicit; *implebo illud*: ſed quo cibo? ſcilicet pane vitæ: nempè cordis contritione, oris confeſſione, & operis ſatisfactione: iſti ſunt panes ex tribus farinæ cæleſtis ſatis firmati. *Pſal.* 80.

9. *Oves Chriſti vocem Chriſti audiunt: Hædi illam rejiciunt.*

Et non audivit populus meus vocem meam, & non intendit mihi, & dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum. Vide quid facit contemptus auditus verbi Dei: nam oves Chriſti ipſum audiunt libenter, & devotè, qui illud rejiciunt, in deſideria, ſcilicet in manus dæmonum traduntur, & in nefanda flagitia ruunt, ut accidit iſtis ingratis: & nota, quod Deus multis modis ſeminat verbum ſuum ne excuſationem habeamus: ſeminat enim in auribus voce, in oculis exemplo: in corde gratiæ infuſione. *Pſalm.80. & ſerm.1. in op. de decem precept. & ſer.2. Dom.1. poſt oct. Paſcha & in Joan.c.8 v.44.*

10. *Deus ad profectum hominis mittit manum ſuam ſcilicet tribulando, ut tangat velut medicus ejus pulſum.*

Et ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Quid eſt hoc mittere manum Dei? Nota, quod Deus mittit manum ſuam in hominem, dum punit ipſum, & etiam dum ipſum benedicit, & ipſi benefacit. *Pſalm.* 80. Ut videas, quod Chriſtus bonus medicus immittendo tribulationem tangit pulſum infirmi, ut ipſum eruet à morbo ſpirituali. *Sic & S. Bernardinus.*

11. *Inimici Dei, & peccatores mentiuntur Deo; & ob id in æternum punientur in inferno.*

Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula. Quomodò dicitur, quod inimici mentiti ſunt Deo? & quinam ſunt iſti inimici Dei, de quibus hic loquitur? forſan ſunt fideles? Sed reſpondetur, quod propriè iſti inimici ſunt Chriſtiani mali, qui toties mentiuntur Domino, quoties promiſſiones in baptiſmo factas, & vota ſua, & juramenta tranſgrediuntur: ſunt item inimici, Domino mentientes, dum in oratione Dominica dicunt ſe debitoribus dimittere, & non dimittunt, & ideò erit tempus eorum in ſæcula, ſcilicet punientur igne in æternum. *Ser.1. Dom.1. quadrag.* *Nota pro vindicatris.*

12. *Pietas Dei quanta, dum etiam inimicis ſuis præparavit adipem gratiarum, & mel dulcedinis divinæ.*

Et cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturavit eos. Vide pietatem, & clementiam Dei noſtri, qui Chriſtianis, licèt mentiantur ſibi, tamen cibat eos multiplici cibo, & melle, ſcilicet gratiarum, vocationumque, & benedictionis multiplicis: certant igitur divina clementia, & humana malitia; illa benefaciendo, iſta male reddendo Deo: *Sic Gloſſa.* Sed nota, quod iſtos fructus non poterit percipere, niſi qui ex inimico fit amicus: Nam ſuis amicis hæc ſunt præparata à Deo. *Ser.4. in Pent. & ſer.4. Dom.6. poſt Pent.*

13. Amici

13. *Amici Dei in Cœlo saturantur melle infinitæ dulcedinis: Inimici tanquam porci siliquis in inferno.*

Et de petra melle saturavit eos. Quoniam: scilicet inimicos factos amicos: nam de petra, scilicet de Christi divinitate in æternum in Cœlo saturabuntur melle infinitæ dulcedinis Spiritus sancti. E contra inimici, qui tales remanent usque ad mortem in hac & in alia vita onerantur, & onerabuntur in inferno siliquis porcorum. *fer.4. Dom.e.post Pentecost.& fer.4.in Pentecost.*

14. *Invitatur homo ad celebrandum festa B.Virginis in lætitia cordis,& ad recurrendum ad eam.*

Applicatio ad Mari. in Virginem. *Exultate Deo adjutori nostro in insigni die solemnitatis vestra.* Si hoc festum est tempus gratiæ evangelicæ, in quo invitantur fideles ad lætandum, & exultandum in Domino: quia in hoc statu Beatissima Virgo festum, & lætitiam nobis confert suis virtutibus, exemplis, & intercessione: & ideò jure merito omnibus fidelibus verba hujus Psalmi diriguntur à S. Doctore: Exultate Dominæ adjutrici nostræ: jubilate in lætitiâ cordis vestri: accendantur affectus vestri in illam, & inimicos vestros induet confusione: Imitemur humilitatem ejus, obedientiam, & mansuetudinem illius: omnes gratiæ radiant in illa, capacissima enim fuit capacitas illius: currite ad illam cum devotione sancta; & de bonis suis participabit vobis. *Op.Psalt.B.Vig Psal.80.*

15. *Per Mariam Christus adipe frumenti nempe Eucharistiâ nos satiat.*

Et adipe frumenti cibavit eos Quid est iste adeps frumenti? certum enim est, quod frumento Deus non satiavit Israëlitas in deserto, sed Manna: cur ergo Manna appellat adipem frumenti? quia figurabat Eucharistiam, in qua substantia panis convertitur in Corpus Christi: sed nota, quod etiam hoc potest dici de Beatissima Virgine: nam istum adipem, scilicet corpus, & sanguinem, ipsa B. Virgo exhibuit Verbo, quo reficeremur: & ideò per Mariam Christus nos cibat hoc adipe suavissimo. *in Psal.53.& 138 & op de perfec. vite c.8. & op meditat.vita Christi.c.4.*

16. *Maria Virgo petra deserti, immunis à concupiscentiæ fomite, durissima contra inimicos,& super quam fundata est Ecclesia; & qua emanavit nobis mel dulcissimum.*

Et de petra melle saturavit eos Quomodò de Petra mel dicitur exiisse, cum non legatur Deum cibasse melle suum Populum? sed nota, quod hic figuratè loquitur? quia hæc petra fuit B. Virgo Maria; & dicitur petra deserti: quia omninò extinctam habuit concupiscentiam: & quia est durissima, & securissima contra hostes nostros: & quia super ipsam fundata est Ecclesia post Christum: & de ipsa non aqua, ut in deserto, sed mel emanavit, scilicet Christus, cibus suavissimus. *in Lucam cap. 11. verf.14. & op. Litania B.Virg & fer.1.de B.Virg.*

PSALMUS LXXXI.

Titulus: Psalmus Asaph.

1. PRIMÒ, Nota hunc Psalmum dirigi in Synagogam; dicitur enim Psalmus Asaph, idest congregationis Judaicæ; & ob id agitur de utraque natura Christi, ad hoc, ut synagoga, quæ crucifixit Christum respiscat, & ipsum recognoscat verum Redemptorem: & ideò dicitur: *Deus stetit*, scilicet divinitas visibilis apparuit in synagoga Deorum, scilicet scribarum, & Pharisæorum. *Ser.5.Hexaem.*

2. *Christus stat in medio Ecclesia, tanquam Iudex Angelorum,& hominum.*

Deus stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat Nota hic loqui de Christo, & dicitur stare in synagoga, scilicet Congregatione Deorum: Ergone sunt plures Dij? Deorum, idest Angelorum & hominum, ut illos discernat bonos, & malos: illos in honorem, istos in contumeliam: timendum autem est Angelis, magis autem timendum est hominibus, maximè autem dæmonibus: Angeli autem sunt, qui boni sunt per gratiam: homines, qui peccant per ignorantiam dæmones, qui per malitiam peccant: Unde per Deos intelligi possunt & perfecti, & mali. *Ser.1.fer.3.Pascha.*

3. *Impij in hoc Mundo ut Dij venerantur; sed in inferno ut Damones torquentur.*

In medio, Deos dijudicat. Quosnam Deos? ergone sunt in Mundo plures Dij? Nota, quod loquitur hic de his, qui subjacent divino judicio: & sunt impij & superbi, & hypocritæ, quos in Mundo isto homines venerantur ut Deos; sed in futuro subjecti sunt divino judicio; & in inferno dæmones ipsos succendent, & torquebunt. *fer. 1. fer. 3. Pascha & fer.4.Dom.4.quadrag.*

4. *In foro Dei alij appellantur Dij in bonum, alij in malum.*

In medio autem Deos dijudicat. Nota, quod hoc nomen Dij assignatur aliis in bonum sensum, aliis in malum: In bonum sunt illi, qui rectè vivunt, gratiam Dei conservant, & ad perfectionem tendunt: alij in malum, suntque superbi, hypocritæ, & perversi *fer.1 fer.3.Pascha & fer.de SS.Simone, & Iuda.& fer.9.de Apostol.*

5. *Stare Dei multipliciter dicitur in Sacra Scriptura.*

Deus stetit in synagoga. Ergone Deo competit stare? quomodò id dicitur de Deo, qui non est alligatus Corpori? sed nota quod hoc dicitur metaphoricè: stare enim stat pro adjuvare; unde dicitur *Act.7.Stephanus vidit Iesum stantem*: secundò stare item per judicij sententiam: tertiò item stare per gloriæ stabilitatem: quartò stare item per carnis manifestationem; undè *Ioan. 1. medius vestrum stetit* quintò stare dicitur in medio: et in medio scilicet intra omnia inclusus, non extra exclusus: dicitur etiam extra omnia, quia omnia continet

Kk supra

supra omnia, quia omnibus præsidet, subtus omnia, quia omnia omnibus sustinet. *Psal.81.*

6. *Obligationes, & munera recti Iudicis hic describuntur.*

Unde dicitur judicibus: *usquequo judicatis iniquitatem*, scilicet judicando facitis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis, scilicet accipientes personas in judicando hæc enim debent diligentissimè evitari à rectis judicibus, subdit: *judicate Egeno, & pupillo, humilem, & pauperem justificate*: quia munus judicum est non solùm elongare se ab injustitiis, sed & defendere miserabiles personas. *Op. de sex alis seraph & op. pharet l. 1. cap. 45. & l. 4. c. 9. & op. Eccles. Hier. p. 2. c. 2.*

7. *Ignorantia Prælatorum ex injustitiâ, & avaritiâ procedit, estque causa ruina locorum.*

Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terra. Nota, quod hic loquitur de malis judicibus, & Prælatis, atque eorum ignorantiam, cæcitatem, & negligentiam, causatam ex injustitiis eorum, ex quibus movetur fundamentum terræ, scilicet otitur ruina Populorum. *Ecclesiast. c. 2. In Lucam c. 18. vers. 34 & in Ioan. c. 1. 2. 5. & op. de dono intell. c. 2. & op. Pharet. l. 1. c. 45. & l. 4. c. 39. & op. Eccl. Hier. p. 2 cap. 2.*

8. *Quomodò Sancti dicuntur Dij.*

Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Quomodò Dij? quia in Iustis divinitas per gratiæ participationem est, & multitudo, magnitudoque dilectionis, quæ transfert amantem in amatum, scilicet animam in Deum, & Deum in animam: unusquisque enim est talis, quale est dilectum objectum: si ergo anima terram diligis, terra es: si autem Deum diligis, Deus es. *Op. Diat. tit 10. c. 2. & in Cap. c. 1. & op. emp. Theol. l. 1. c. 2. & in Ioan. c. 1. in fine & ser. 9. de Apostol.* Et hoc maximè verificatur in regno cælesti, in quo omnes sunt Reges, & Reginæ, Deiformes effecti, & Dij appellati. *Op. Diat. ibid. & op de dono sap. c. 11.*

9. *Ex superbia oriuntur omnia mala.*

Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Nota, quod prius impios appellat homines: postea dicit, quod cadent, sicut unus de principibus: qui sunt isti Principes cadentes? Respondetur, quod homo sumitur ab humo, scilicet mysticè à peccati miseria, cui subjacent impij, & isti cadunt sicut dæmones, scilicet ex superbia cadent in omnia vitia; quia ex hac nascitur invidia & ex invidiâ ira, tristitia, avaritia, gula, & luxuria. superbia Deo privat hominem, invidia proximo, seipso tristitia, & luxuria ipsum stercorat. O grande malum superbia! *Ps. 81. & in Ioan. Col. 12.*

10. *Maria ex spinis Iudæorum, ut rosa prodiit.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat* Ad quid ponitur Deus stare in synagoga Deorum, idest Iudæorum, qui ut populus Dei electus, dicebantur Dij? & cur in medio eorum dijudicat? dijudicat, idest separat bonum à malo; & qualis fuit hæc dijudicatio? Nota, quod Christus non ex gentilibus, sed ex Iudæis carnem sumpsit, & natus est; & ideò in medio Iudæorum dicitur dijudicasse, quia de spinis Iudæorum extraxit rosam, scilicet Mariam, quæ ut rosa progressa est Mater Dei: verè rosa decens, rosa munda, rosa recens sine spina, rosa florens, & fœcunda, rosa gratia divina. *Op. Laus B. Virg. in Ave Maria. & op. Psalt. B. Virg Psal. 81.*

11. *Maria Virgo simul cum Christo Deos dijudicat, & constituit.*

In medio autem Deos dijudicat: usquequo judicatis iniquitatem. Nota, quod de Christo dicitur, quòd Deos dijudicat, per participationem suæ gratiæ Deos justos constituens: ad hoc munus etiam concurrit B Virgo Maria, tergens fœditatem nostram, quia semper rutilat puritate: fontem vitæ influit in os nostrum, ex quo viventes aquæ profluunt, & emanant: omnes igitur sitientes venite ad Mariam, & de fonte suo vos potabit, & constituet Deos: qui enim hauriet ex eo, saliet in vitam æternam, & qui biberit ex eo, non sitiet umquam. *Op. Psalt. B Virg. Psal. 81.*



PSALMUS LXXXII.

Titulus: Canticum Psalmi Asaph.

1. PRIMÒ Nota quod in hoc Psalmo prædicuntur persecutiones Ecclesiæ, futuræ, tempore Antichristi, quas petit Propheta festinari, & terminari: Titulus autem est Canticum Psalmi Asaph, scilicet Canticum Psalmi Congregationis justorum; quia boni in afflictione non cessant Deum laudare voce, & opere.

2. *Christus tacuit in passione: sed contra persecutores & impios tonabit in Iudicio.*

Deus, quis similis erit tibi, ne taceas: quoniam ecce, &c. Nota quod dicendo: *Deus quis similis tibi*, alludit ad Christi potestatem infinitam: & subdendo: *ne taceas*, alludit ad taciturnitatem, quam exercuit in passione, in qua velut agnus obmutuit: hancque non exercebit in judicio contra persecutores Ecclesiæ: & ideò addit: *quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput. Psal. 82. & Glossa hic.*

3. *Impij contra justos, & Deum, pactum simul ineunt, ut Deum eijciant de cordibus justorum.*

Quoniam cogitaverunt unanimiter simul adversum te, testamentum disposuerunt. Vide quomodò conqueritur de concordia pessima malorum qui simul pactum ineunt contra Christum, & justos, ut Deū eijciant de cordibus eorum, hæc est pax maledicta à Deo, quam contrahunt Moab, & Agareni, Gebal, & Amalec: Agareni interpretantur Advenæ; Gebal vallis Moab ex patre: Ammon populus turbidus: Amalec lingens sanguinem: significaturque, quod reprobi in valle delectationis carnalis, & in profundo peccatorum, tanquam alieni à sacramento fidei contra Deum in unum colligantur, & contra quos petit Propheta vindictam à Deo. *Psal 82. & Glossa.*

4. Sapientes

4. *Sapientes sæculi à Deo derelicti: Sapientes Christi ab ipso illuminati.*

Fac illis sicut Iabin in torrente Cison. Nota quod Jabin fuit Rex cui serviebat Sisara, ut dux exercitus ejus, qui victus est juxta torrentem Cison: Mysticè Jabin interpretatur sapiens, & datur intelligi, quod sapientes mundi, qui stulti sunt apud Deum, & congregantur contra Deum ad bona temporalia, & honores mundi possidendum, isti à Deo derelinquuntur & confunduntur per sapientes Dei, qui congregantur ad eum cognoscendum, & possidendum, & à Deo foventur virtutibus. *Psalm* 82. Et hinc subdit Propheta. *Facti sunt ut stercus terræ*: quia mundani videntur quidem florere in hoc mundo, sed tamen finaliter cadunt ut flos in stercore, vel potius ut stercus terræ. *Ser.2.in vigil.Nativ.*

5. *Homo quilibet vivit in rota, rotando vel ad Cœlum vel ad infernum.*

Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Cur in rota vult Propheta ut ponantur isti inimici Dei? Sed nota, quod rota, dum ex una parte elevatur, in alia deprimitur, & quæ circularis est, finem non habet: sic omnis homo est in rota: Mundus enim est rota, quia semper in hoc mundo homo voluitur, vel ad bonum, ad Deumque, vel ad malum, scilicet ad infernum. Boni voluuntur versus Cœlum per rotam spiritualem, scilicet per observantiam legis, & Evangelii: mali per volubilitatem honorum temporalium, quæ numquam in eodem statu permanent, & terminant ad infernum sine fine. Vide ergo vanitatem, & volubilitatem honum temporalium. Quid autem homo carnalis in rota vanissima gloriaris? quid de tanta varietate lætaris? Nonne vides, quod cum stent cælestia corpora, quatuor elementa, stent metalla, multaque talia; Tu verò totus vanus, ut umbra velocius transis, quàm rota, quàm umbra, vel herba? *Psalm.82.& ser.2. de S.Barthol.*

6. *Deum derelinquentes cadunt in perpetuam ignominiam.*

Deus meus pone illos, ut rotam. Cur ut rotam? quia rota dum ex una parte elevatur, ex alia simul cadit deorsum. Sic evenit Deum derelinquentibus; dum enim volunt in altum elevari Deum offendendo, in perpetuam ignominiam descendunt usque ad abyssos. *In Thren.c.2.*

7. *In inferno mali voluuntur in rota, & comburuntur ut stipula.*

Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Nota hanc metaphoram: rota enim, quæ in circuitum voluitur, numquam permanet, nec habet finem, & dum ex una parte elevatur, ex alia deprimitur: item & stipula ante faciem venti accensa igne, nec extinguitur, nec extinguetur; sic impii in inferno voluuntur, transeundo de uno tormento ad aliud, & igne, qui nec extinguitur, nec extinguetur, puniuntur, & punientur in sempiternum: & ideò addit. *Sicut ignis, qui comburit sylvam. in Lucam c.5. v.17.*

8. *Qui in hac vitâ seipsum non judicat, & punit, in altera judicabitur, & punietur.*

Ita persequeris illos in tempestate. Quænam est hæc tempestas, nisi judicium Dei strictissimum? datque intelligere, quod illi, qui in hac vitâ non subeunt hanc tempestatem, scilicet seipsos judicant, ubi testis est conscientia quæ accusat, dolor qui cruciat, & ratio judex, qui judicat: in altera tempestati subjacebunt, scilicet divino judicio, & ultioni. *Psal.82.*

9. *Deus in hac vita sæpe implet suos, & peccatores ignominiâ, ut resipiscant, & convertantur ad ipsum.*

Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine erubescant, & convertantur in sæculum. Vide hic artem Domini Dei, qua vult attrahere ad se peccatores: implet enim sæpe eos ignominiâ, ut quærant postea ipsum per pœnitentiam: sicut enim captivi coangustantur vinculis ad extorquendam pecuniam, sic infirmitatibus, & adversitatibus coangustat hos Deus ad solvendam justitiam: sed tamen nota ingratitudinem hominis, quia multi postquam vincula Dei evadunt, Deo emendationem nullam persolvunt, & ideò subdit: erubescant, & confundantur, & pereant, veluti ingrati. *Ser.3.Dom.19.post Pent.*

10. *Excommunicatio in Ecclesia exercetur, tamquam medicina apostematis.*

Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine. Quæ est hæc ignominia, qua vult Spiritus sanctus, ut impleantur inimici Domini, & confundantur? Nota, quod nulla major ignominia, & infamia ab homine potest contrahi, excommunicatione, qua homo traditur in potestatem Sathanæ, & privatur munimentis contra hostem necessariis: & hac utitur Ecclesia, ut sit sicut sectio, quæ dolorem facit in plaga, & ut medicina apostematis, ut sanetur homo in animâ, & quærat Deum per pœnitentiam. *l.4. d.18. p.2.a.1.qu.1.& l.1.d.1.a.2.qu.1. ad 6.*

11. *Munus Prædicatoris est implere peccatores ignominiâ, & timore, ut convertantur ad Deum.*

Imple facies eorum ignominiâ. Nota hæc dirigi ad Prædicatorem, scilicet ut lachrymas; non tisum moveat, ut corripiat peccatores, & impleat eos ignominiâ, & confusione, & terrore, ut resipiscant, & ad pœnitentiam excitentur. *In Thren.c.1.*

12. *Duris, & obstinatis remanet in futura vitâ erubescentia, conturbatio, confusio, & damnatio æterna.*

Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant. Nota hæc quatuor, quæ post hoc sæculum remanent luenda ab impiis, scilicet, erubescentia ob justitiam omissam: conturbatio propter injustitiam commissam: confusio propter gloriam amissam; & periclitatio propter miseriam æternam, quam promeruerunt. *Psal.118.c.3.v.11.*

13. *Nomen Domini qualiter Deo conveniat.*

Et cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra. Quid est, quod ex punitione malorum prætendit Propheta? ut cognoscant quia nomen ei Dominus: Nonne & hoc cognoscebant prius? ut cognoscant practice in sui ipsorum pœnam. Nota autem, quod Dominus est nomen potestatis ab æterno ipsi competens essentialiter secundùm aptitudinem, & actualiter in tempore; quia potestatem exercet, maximè in ingratos, & malos. *Psal.* 81.

14. *Numerus undenarius quid significet in Scriptura.*

Erubescant, & conturbentur & pereant. Nota, quod hic Psalmus est undecimus Asaph; quia egit in his Psalmis de Domini incarnatione, & gentium fide, & de judicio, in quibus transgressio Judæorum multiplex redarguitur; & quia undenarius numerus est transgressionis, quia & denarium transit, & ad duodenarium non pervenit; & ideò hic psalmus agit de transgressione judæorum, & de pœna æterna, quæ eorum incredulitati remanet. Agitur etiam de pœna, quæ præparata est à Deo undecim generibus malorum nostrorum, nam vetustas nostra, alia est pœnæ, alia culpæ: Pœna alia temporalis, alia æterna: culpa alia originalis, alia actualis; actualis alia mortalis, alia venialis: originalis est in tribus, scilicet in fomite, in actu, & in reatu: utriusque culpæ actualis mortalis, & venialis actus consistit in tribus, scilicet in affectu peccandi, in actu, & in utriusque reatu, ex quibus tot mala nobis proveniunt. *Psal.* 82.

15. *Sicut nemo est similis Deo: sic nulla Creatura similis B. Virgini Mariæ.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Deus quis similis tibi.* Idem & voluit, ut possemus dicere Beatæ Virgini Mariæ: Domina quis similis tibi? quasi dicat nullus; nec homo, nec Angelus, quia gratia, & gloria supereminet universos: & sicut exaltantur Cœli à terra, sic Maria præcelsior cunctis, & nimis exaltata. Cum igitur sit ipsa tantum elevata, dicamus confidenter: Tu ô Maria Virgo vulnera Cor meum charitate tua: fac me dignum gratia, & muneribus tuis: liqueat caro mea in timore tuo, & concupiscentia tua cor meum inflammetur; fac me desiderare honorificentiam, & gloriam tuam, ut per te recipiar ad pacem Jesu Christi. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psalm.* 82.

16. *Idem confirmatur.*

Domina Virgo quis similis tui? Quasi dicat: Nemo: Maria enim ut Mater Dei supergressa est universos, tum in natura; tum in gratia, tum in gloria: supergressa est inquam tam Angelos, quàm homines virtutibus mirabilibus, & signis. *Op. spec. B. Virg. lec.* 13. *& op. Psal. B. Virgin. Psal.* 95. *&* 96.

PSALMUS LXXXIII.

Titulus, in finem: pro Torcularibus filiis Chore Psalmus.

1. PRIMÒ Nota, quod cum in præcedenti Psalmo Ecclesia oraverit pro acceleratione secundi adventus Christi: in isto desiderium ostendit intrandi in cœlestes mansiones, quas laudat, ad quas per multas tribulationes oportet intrare, sicut & Christum oportuit multa pati, & ita intrare in gloriam suam: unde sensus tituli est: Psalmus iste dirigit nos in finem, scilicet in Christum, & proponitur filiis Chore, scilicet imitatoribus Christi in loco Calvariæ Crucifixi, pro torcularibus, idest pro pressionibus, ne in eis deficiant, sed ipsi quasi vinum per torcular ad cellarium per eas desiderant intrare in æterna tabernacula: unde intentio Psalmi est incitare desiderium ad amorem æternorum exemplo Christi; ut in præsenti vivat cum timore, scilicet mortis, judicii, & gehennæ, & justitiam operetur, ut fiat conformis anima ad imaginem Christi crucifixi. *Psalm.* 83.

2. *Invitatur anima contemplativa ad intrandum in curiam cælestem, & ad visitandum mansiones Sanctorum.*

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: Cor meum, & caro mea exultaverunt. Nota hic, quod dicitur, Tabernacula Domini esse valde diligenda, & quærenda; addit; *& concupiscit*, ut videas, quod concupiscentia alia est bona, alia mala: in hac caro concupiscit adversus spiritum: in bona spiritus adversus carnem, solumque Deum adspicit, & desiderat; unde excitatur anima contemplativa ad intrandum in Tabernacula Dei: sed ad quid? quia Deus vult, ut unicuique nostrum in hoc tempore mortalitatis liceat nunc quidem revisere Patriarchas, nunc salutare Prophetas: nunc senatui Apostolorum immisceri; nunc Martyrum inseri choris, addit: *Domine virtutum*, scilicet Angelorum; & ideò & beatarum virtutum status, & mansiones à minimo Angelo usque ad Cherubim, & Seraphim rota mentis alacritate percurrendò lustrare prout quemque sua devotio feret; sic faciebat sanctus Propheta, immolans in tabernaculo Domini hostiam vociferationis: Circuite ergo & vos fratres cum pietatis, & devotionis hostia visitantes animo sedes supernas, & multas; quæ in domo Patris sunt mansiones, humiliter prosternentes corda vestra ante Thronum Dei, & agni, supplicantes singulis ordinibus supernis. *Op. medit. vita Christi c.* 53. *& in Psal.* 106. *&* 118. *c.* 2. *v.* 4. *& op. soliloqu. c.* 3. *in princip. & op. Incend. am. c.* 3. *& opusc. de perfec. vita. c.* 5.

3. Cur

3. *Cur diligibilia sint tabernacula cælestis gloriæ.*

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Nota, quod dicit, *quam dilecta*, scilicet & quàm diligibilia: Cor hoc diligibilia, & dilecta sunt: tum quia ibi est perfecta libertas, vera, & pura lætitia, adeptio omnis boni; pax continua, & indeficiens: omnimoda securitas; perpetua sanitas, & aperta Dei visio. *serm. 1. in festo omnium sanctorum, & serm. 1. de S. Matthia, & op. medit. vita Christi c. 52. & in Ioan collat. 63.*

4. *Homo mysticè dicitur Tabernaculum Dei.*

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Nota, quod per tabernacula ista mysticè intelligitur homo; sicut enim in tabernaculo erat atrium pro sexu promiscuo: sancta sanctorum pro ministrorum quotidiano servitio; & aliud sancta sanctorum pro Pontifice summo, qui ibi intrabat, sic in quolibet nostrum; pars anterior est corpus nostrum; pars interior est anima nostra, in qua est pars inferior, & superior, & sanctum sanctorum est pars superior, & spiritus, qui carni, & sensualitati dominatur, felix igitur ille est, qui tabernaculum Deo subjectum, & sacratum continet, & in Deum totum, quod in se est, ordinat. *ser. 1. in dedicat. Ecclesiæ, & in Lucam c. 1. v. 47.*

5. Anima in meditando cœlestem gloriam, rapitur sæpe in tantum, & tale gaudium, ut videatur quærere exire de angustia corporis: unde dicit: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Op. de Profectu religios. l. 2. c. 73.*

6. *Christi vulnera sunt mystica tabernacula, ad quæ invitatur anima.*

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit &c. Cor meum. Nota, quod dicit: *Domine virtutum*, & est Christus, de quo dicitur: *quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum.* Tabernacula igitur ista, mysticè sunt vulnera Christi: ad hæc invitatur anima, ut ibi quiescat, dormiat, videat, bibat, comedat, legat, oret, & omnia negotia pertractet: ibi anima loquitur ad cor ejus, & ab ipso, quod voluerit impetrat. O felix, qui sic ad ista tabernacula accedit, & intrat, poterit enim dicere melius, quàm D. Petrus: *Bonum est me hic esse. opusc. stim. part. 1. cap. 1.*

7. *Anima intrans vulnera Christi est passer, & turtur inveniens sibi Domum, & Nidum.*

Etenim passer invenit sibi Domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Ergone passeres, & turtures ingredi possunt in ista Dei tabernacula? maximè, & hæc est anima contemplativa, quæ elevans se per meditationem vulnerum Christi, in ipsa intrans, veluti passer inveniens sibi domum vigilare non cessat, & veluti turtur casti amoris pullos abscondit, scilicet suas potentias, ibique apponit os, ut hauriat de fontibus salvatoris omnem dulcedinem. *Opuscul. lignum vitæ, tit. Iesus Translanceatus.*

8. *Christus passer mysticus invenit sibi Domum, scilicet corpus.*

Etenim passer invenit sibi domum. Nota, quod etiam Christus dicitur mysticè passer, qui invenit sibi Domum, nempè corpus, ut ibi exerceret opera humilitatis *In Thren. c. 3. Psal. 29.*

9. *Homo in hac vita corde, & corpore debet in altum evolare, & sibi nidificare per opera bona.*

Etenim passer invenit sibi domum; & turtur nidum ubi reponat pullos suos. Nota, quod supra dixerat, quod cor, & caro exultaverunt in Deum: hic autem reddit rationem hujus exultationis, quia ut passer invenit domum, ut turtur nidum, quid est hic passer, & hæc turtur? passer est cor: turtur est corpus, & caro (*ait Glossa*) ista duabus alis volant in domum, & inveniunt nidum, scilicet in Deum: istæ alæ sunt confessio & satisfactio, & habet quatuor pennas: nempe veritatem, integritatem, firmitatem, & humilitatem, quia debet esse sine simulatione, sine divisione, sine titubatione, & sine præsumptione. *Psalm. 84.*

10. *Iusti in hac vitâ ad similitudinem beatorum in Deo exultant semper, & Deum laudant incessanter: ubi de solemnitate perpetua beatorum.*

Beati qui habitant in Domo tua Domine: in sæculum sæculi laudabunt te. Nota, quod hoc propriè dicitur de beatis habitatoribus Cœli, sed tamen etiam de fideliter servientibus Deo in terra: nam sicut illi incessanter exultant in Domino, ipsum laudantes, & viventes in perpetua festivitate, & solemnitate, sic & Justi in hac vita, non tantùm expectant illam beatam gloriam, sed ad similitudinem Civium supernorum exultant, & laudant Deum die, ac nocte: Beati igitur sunt & illi, & isti, qui habitant in domo Dei, ipsique serviunt. *in Lucam capit. 14. in fine. in Psal. 55. & 47. 48. & 89. & op. medit. vita Christi c. 48. in Ioan. collat. 63. Ecclesiast. 1. serm. 2. in festo omn. sanct.*

11. *Felicitates beatorum expenduntur: infelicitates mundanorum item.*

Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Nota, quòd in his verbis innuuntur felicitates habitantium in cœlesti domo: dicitur autem; *beati*: quid est beati? Vita beata est præmium, cujus promissione gaudemus; & ideò in hoc verbo innuitur stipendium nobis in æterna vita à Deo præparata: addit: *qui habitant in domo tua*; ut innuat habitaculum regale, & gloriosum, quod est hospitium quiescentium: sicut è contra mundani habitant in domo transeuntes, & laborantes: 3. addit: *in sæcula sæculorum laudabunt te*; ut innuat officium Sanctorum, quod est cantandi, exultandi, & laudandi Deum in sæcula sæculorum. *ser. 2. in festo omn. sanctor.*

12. *Chriſtus ad nos deſcendit, ut nos aſcendendo, ipſi occurramus.*

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Ergone omnis homo, qui auxilium obtinet à Domino ponit aſcenſiones in corde? ſed quo. ſunt, qui & hoc auxilium à Domino percipiunt, & tamen non aſcenſiones, ſed deſcenſiones diſponunt? ſed nota quod hoc auxilium eſt peculiaris gratia mediatoris Chriſti qui ad nos deſcendit, ut nos ipſi occurrentes deſcendenti aſcendamus ipſi faciendo gradum ſupra gradum, & contra gradum, ſcilicet non timore damni, nec cupiditate lucri, ſed ſola dilectione Dei ipſum diligentes. *Pſalm.*83.

13. *Chriſtus aſcenſiones plures poſuit in ſe, ut nos invitaret ad ſimilem aſcenſionem.*

Beatus vir, qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Quis eſt iſte beatus, niſi Chriſtus Jeſus? hic diſpoſuit plures aſcenſiones, ſcilicet aſcendit Deus in paſſione, item in reſurrectione, item & in aſcenſione, ut nos invitaret ad aſcendendum cum ipſo per paſſiones, & exercitium virtutum. *ſer.4 in Aſcenſione.*

14. *Iuſti Deum diligentes aſcendunt ſurſum de virtute in virtutem: impij deſcendunt ad infernum de vitio in vitium.*

Beatus vir: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Vide quale diſcrimen inter juſtum, & impium; nam juſtus, Deum diligens, ſcalam ſibi facit in corde, aſcendendo de virtute in virtutem Cœlum verſus, per quod meretur videre Deum Deorum in Sion: Impii verò non aſcenſiones, ſed deſcenſiones in corde ſuo diſponunt, ſcilicet per vitia, & de vitio in vitium deſcendunt in infernum: Imò iſti volentes aſcendere præſumptione, & ambitione, in profundum deſcendunt, & ſe præcipitant; ſicut è contrario Juſti deſcendendo per actus humilitatis, & ſubventionis proximi aſcendunt ad Cœlum. *ferm.*1. *Dom.*16. *poſt Pentecoſt. & ſerm.* 4. *in Aſcenſione, & opuſc. de ſept. donis cap.*6.

15. *Qui non proficit in via Dei non aſcendit, ſed deſcendit, & retro cadit.*

Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Et quomodò? ſubdit: *ibunt de virtute in virtutem.* Nota illud verbum (*ibunt:*) quia in via Dei neceſſe eſt vel ſemper aſcendere, vel deſcendere: & qui non ambulat de virtute in virtutem, non proficit, ſed remanet, & ad ea revoluitur, unde jam receſſerat, deviat, qui apoſtatat: noli ergo in via Dei deficere noli retroire, noli deviare, ſed ſemper ambula, ſemper proſice. *Op. de* 7. *donis in comm.c.*7. *& Pſal.*1 o.

16. *Beatitudo communicatur ſolùm aſcendentibus per creaturas ad Deum de virtute in virtutem.*

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum in loco, quem poſuit. Quomodo dicitur quis beatus ſimulque exiſtens, & collocatus in hac valle lachrymarum? videntur iſta ſibi contradicere? ſed nota verba, ſigna myſteria: Beatitudo nihil aliud eſt, niſi ſummi boni fruitio, & ſummum bonum, quod eſt ſupra nos; ergo nullus poteſt effici beatus, niſi ſupra ſeipſum aſcendat, non aſcenſu corporali, ſed cordiali: ſed ſupra nos non poſſumus levari, niſi per virtutem ſuperiorem nos elevantem: ergo hæc eſt neceſſaria, & ideò dicit: *cujus auxilium eſt abs te*, quod ſemper comitatur eos, qui id à Deo petunt ex corde humiliter, & devotè, & hoc eſt ad ipſum ſuſpirare in hac valle lachrymarum per ferventem orationem, & ideò oratio eſt Mater, & origo ſurſum aſcenſionis in Deum: talis igitur ponit aſcenſiones in corde: & quas aſcenſiones? aſcendendo, ſcilicet veluti per ſcalam per iſtas creaturas; tamquam per veſtigium, & per imaginem ad Deum: aperi ergo ô anima oculos, aures ſpirituales admove, labia tua ſolue, & cor tuum appone, ut in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas, & colas, magnifices, & honores. *Op. itiner. mentis c.*1. *& ſer.*20. *Hexaem.*

17. *Beatitudo, & benedictio Dei datur in hac vita aſcendentibus non deſcendentibus: & poſtea in Cælo conſummata iſdem confertur.*

Beatus vir: etenim benedictionem dabit legiſlator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Vide quomodò variis gradibus anima poteſt aſcendere ad videndum Deum in Sion. Cur in Sion, & non alibi? Nota, Sion eſt quidam monticulus in Jeruſalem, ubi poſteafacta eſt turris David: & ſicut monticulus eſt de terra, & tamen excedit terram, ita Eccleſia, & militans, & triumphans eſt de terra, ideſt de terrenis hominibus, & tamen excedit terram: Sion ergo interpretatur ſpeculum, & ſpecula: ut ſpeculum ſignificat Eccleſiam militantem: ut ſpecula ſignificat triumphantem; quia ſpecula, ſcilicet de longinquo videmus eam, ſicque datur intelligi, quod Deus liberaliter offert ſuum auxilium, & benedictionem ut nos aſcendentes de virtute in virtutem ad beatitudinem, aſcendamus per varios gradus virtutum, & donorum, quorum primus eſt fides: 2. eſt prudentia: 3. ſcientia: 4. conſilium: 5. intellectus, & 6. ſapientia: ſicque per hos ſex gradus ad Thronum Salomonis aſcendit homo, & introducitur ad viſionem Dei: ſic & per dona Spiritus Sancti fit talis aſcenſio. *Pſal.*83. *in Lucam c.*10.*v.*3. *& c.*19.*v.*4. *& op. de* 7. *donis c.*6. *& op. itin. mentis c.* 1. *& op. de dono ſap. c.*11. *& in Lucam c.*3.*v.*21. *in Ioan. c.*4.*v.*4. *& ſer.*1. *fer.*2. *Paſcha.*

18. *Nemo repente fit ſummus, ſed gradatim tantùm.*

Ibunt de virtute in virtutem. Vide quomodo nemo infima deſerens repente fit ſummus, quia ad obtinendum perfectionis meritum, oportet, ut mens quotidie in altum quaſi quibuſdam gradibus aſcenſionis perveniat. *Op. de* 7 *itin. æterna. itinere* 5. *d.*4.*a.*1. *& itin.*5.*d.*7.

19. Chriſti

19. *Christianorum omnis oratio fundatur in meritis puris Iesu Christi.*

Protector aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Cur io faciem Christi, & non potius dicamus: respice in faciem nostram humiliatam, & orantem? quia omnis nostra oratio à Deo aspicitur quatenus solùm fundatur in meritis Christi: ex cujus plenitudine omnes accipimus, & hæc est ratio quare Ecclesia omnes orationes terminet. *Per Dominum nostrum Iesum Christum*: quasi dicat: respice in faciem Christi. *serm.4. Dom.13. post Pentecost.*

20. *Dies gloria est sine vespere, dies felicitatis terrena mixta cum nocte.*

Melior est dies una in atrijs tuis super millia, scilicet dierum hujus vita. Nota, quod dicit; *dies una*, absolutè, & loquens de die hujus vitæ, dicit: *millia*: ergone plures sunt dies hujus vitæ, quàm gloriæ? maximè quoad materialitatem: nam dies hujus vitæ sunt plures, quia sunt immixti cum nocte: dies gloriæ est una, quia est sine vespere. & ideò sancti erunt semper in die: mali semper in nocte. Nota etiam, quod dat intelligere, quod melior est dies una in loco illo amœnissimo, quàm omnibus diebus sæculi in deliciis hujus vitæ, quantumcunque magnis: Tanta enim est pulchritudo justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiam si non liceret amplius in ea delectari, quàm unius diei hora, propter hoc solùm innumerabiles hujus vitæ dies, pleni deliciis, & circumstantiâ bonorum temporalium, rectè meritóque despicerentur. Tam pulchra enim est, & suavis, ut ea visa, nihil amplius possit desiderari, & omnem exuperat concupiscentiam. *Op. soliloq. c.4. Psal.81. ser.3. in Ascens. & ser.1. Dom 1. Adv & op. myst. Theol c.1.p.2 in Lucam c. 14. v 15. & cap.17. v.12 & Psal.18.*

21. *Melior est dies una in obsequio divino, & contemplatione Dei expensa, quàm mille millium in mundi servitio.*

Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Quid est in atriis Dei? cur dicitur dies una ducta in atriis Dei? Nota, quod atrium est pars Templi plana, & significat planitiem, & felicitatem amoris, & dilectionis Dei, quam anima experitur in servitio Dei: hæcque est major, suavior, dulcior, & desiderabilior, licet sit unius diei, quàm in millibus dierum valeat in variarũ rerum ineptis oblectationibus experiri, & diem in atrio nominat, quia mens, dum non per istam planitiem percurrit, sed per abrupta mundi, sciat se multiplici obtenebrante caligine obscurari: at in hac planitie supra seipsam elevatur, & per amorem unitivum in Deum transformatur, cætera omnia vilipendens: & ideò illa corporalia transeunt, ista spiritualia gaudia vitæ contemplativæ melius ex fine convalescunt, quare non deficient, sed sine fine manebunt. O felix dies, quæ nullam vesperam alicujus finis habebit. *Op. myst. Theol. c.3. p.2. & op. de dono sap. c.4.*

22. *Eligibilius est in domo Dei abjectus esse in statu obedientia, & humilitatis, quàm regnare in Babylone, & Mundo.*

Elegi abjectus esse in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Vide hic quàm decipiuntur mundani in sequela carnis, & mundi; & quàm prudentes, & sapientes sunt justi, qui unam diem expensam in obsequio Dei pluris faciunt, quàm mille in obsequio mundi, & ideò vir illuminatus dicit cum Propheta: elegi abjectus esse in domo, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, scilicet; magis existimo vitam abjectam, pauperem, mendicam, subjectam obedientiæ in domo Dei, quam regnare in Babylonia, & in domibus Principum: O beata electio, felix renuntiatio. *Op. de paup. Christi qu.1. a 2. Psal 48. in Lucam c.10. v 41. & Psal. 118. c. 11 vers 13.*

23. *Quare nunquam celebratur missa sine lumine; & in Ecclesia corpora Defunctorum non sinuntur sine lumine.*

Quia melior est dies una in atriis, quia misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam, & gloriam dabit Dominus: non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Nota, quod justis promittitur dies una, quia ista dies est sine nocte; eritque talis post resurrectionem tunc enim sol non occidet, firmamentum non movebitur, & sol stabit in occidente, & Luna in oriente, ut continuè hemisphærium superius illuminetur semper, & inferius semper obscuretur: Et hinc quia corpus Christi perpetua luce fruitur, nunquam missa sine lumine, & corpora defunctorum nunquam in Ecclesia sine lumine relinquuntur, speramus enim eos perpetua luce fruituros: & hinc dicit Propheta, quod, *gratiam, & gloriam dabit Dominus, nec privabit eos bonis.* Felix igitur hæc dies, qua cum Christo beati vivent in sæcula sæculorum. *Psalm. 83.*

24 *Observantibus praceptorum Dei promittuntur bona mobilia, & immobilia à Deo: inobservantibus tolluntur.*

Gratiam, & gloriam dabit Dominus, non privabit Dominus bonis eos, qui ambulant in innocentia. Vide quid promittitur observantibus mandata divina, & quæ bona: scilicet mobilia, & immobilia: nempè gratia in præsenti, & gloria in futuro: è contra inobservantes privantur. *Opusc. Diat. tit.3. cap.9. & tit.3. cap.1.* Et nota, quod hæc bona promittuntur habenti misericordiam, & justitiam, scilicet bona opera; gratia enim est pro arrha, & gloria pro hæreditate. *in Lucam cap. 19. vers. 26. & 28.* Dabit igitur Deus justis hæc bona certissimè, copiosissimeque. *ser. 4. in rogat. & l. 3. d.11. a.1. q.3. & op. specul. B. Virg. lect. 5.*

25. *Invitatur anima ad revisenda tabernacula Maria Virginis.*

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Supra invitatur anima ad revisendas mansiones sanctorum; ut excitetur ad desiderium intrandi in illas: sed quia inter istas omnium desiderabilius, sanctius, utilius est taberna- *Applicatio ad Mariam Virginem.*

bernaculum Mariæ Virginis; ideò invitatur anima ad hanc viſitationem: eſt enim ejus manſio ſuper omnes alias elevata in gloria, & ob id etiam nobilior, & utilior: hinc ad B. Virginem dicamus: quam dilecta tabernacula tua Domina virtutum, quàm amabilia tentoria redemptionis tuæ. Intercede igitur pro nobis Domina apud Christum tuum: neque derelinquas me in morte, neque in vitâ: benignus enim eſt Spiritus tuus. *Op. Pſalt. B. Virg. ſal. 83.*

26. *Beati qui habitant in domo Mariæ.*

Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Quænam eſt hæc domus Dei? Hæc eſt Beata Virgo Maria, verè Domus Dei ædificata à ſapientiâ cæleſti, felici fœcunditate; & omnibus bonis repleta, & ex qua Deus benedicit, qui ad illam confugit: quia ex hac domo vita omnium provenit: Beati igitur qui habitant in hac domo Dei. *Opuſcul. ſpecul. Beatæ Virgin. lec. 6. & 7. & 14.*

27. *Melior eſt dies una expenſa in obſequio, & cultu Mariæ quàm mille in ſervitio mundi.*

Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. Quænam ſunt iſta atria Dei? Nota, quod iſta ſunt manſiones ſanctorum: inter quas occupat potiorem locum Beata Virgo Maria, quæ eſt aula ſanctiſſima ſummæ Trinitatis; & ideò melior eſt dies una habitare in ipſa, quàm mille in obſequio mundi. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5. & op. Pſalt. min.* Venite igitur peccatores ad hoc atrium, ad hanc aulam, honorificate illam, & impetrabit vobis gratiam, & ſalutem: ſuper thus, & balſamum oratio ejus incenſum, preces ejus non revertuntur vacuæ, nec inanes. *Opuſcul. Pſalt. Beatæ Virgin. Pſalm. 83.*

28. *Gratiam, & gloriam dat Dominus juſtis interceſſione Mariæ.*

Gratiam & gloriam Dominus dabit. Nota, quòd inventrix gratiæ fuit B. Virgo Maria, de qua dicitur: *inveniſti gratiam apud Deum*, ergo ſi Deus dat gratiam, & gloriam, hoc eſt interceſſione Mariæ Virginis: quia hæc tranſit per manus Mariæ. *Op ſpec. B. Virg. lect. 5.*



PSALMUS LXXXIV.

Titulus: In finem filiis chore Pſalmus.

1. PRIMÒ nota, quòd cum ſupra egerit de gloria, & tabernaculis æternis, nunc redit ad caput circuli; ſcilicet ad initium gratiæ nempè ad Incarnationem Christi, quæ nobis eſt cauſa principalis aſcendendi ad æterna tabernacula; & licèt agat de Incarnatione, tamen intitulatur de paſſione, quia traditur filiis Chore, ſcilicet filiis paſſionis Christi; ut detur intelligi, quod tota vita Christi fuit paſſio, quæ incæpit à nativitate. unde tempore paſſionis Eccleſia recitans paſſionem Christi, dicit: *Vagit infans &c. opuſcul. de perfec. vitæ cap. 6.*

2. *Prædicitur à Propheta Incarnatio futura per verbum præteriti temporis: ubi de uſu talis modi agitur.*

Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti captivitatem Iacob. Conveniunt hic omnes prædictionem fieri futuræ Incarnationis. Sed quomodò id poteſt dici, cum hanc ſub tempore præterito exprimat? Notandum autem eſt, quod in ſacra Scripturâ, præteriti temporis verbum pluribus modis ſumitur: aliquando purè pro præterito, & hoc non convenit propriè Deo: quandoque ſignificat perfectionem: ut, *hodie genui te*: per hodie ſempet præſens, per genui perfectio generationis deſignatur: quandoque certitudinem: ut hoc loco. *Benedixiſti Domine* In certitudine enim prophetica ponit, futura quaſi præterita narrat. Præteritum verò imperfectum nec finitionem; nec inceptionem notat; ut, *in principio erat Verbum. Pſalm. 84.*

3. *Anima tamquam terra myſtica qualem benedictionem exoptare debeat à Deo.*

Benedixiſti Domine terram tuam. Et quali benedictione? Nota ſequentia: *avertiſti captivitatem Iacob, remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum, mitigaſti omnem iram tuam avertiſti ab ira indignationis tuæ.* Per quæ datur intelligi quænam terra ſubjicitur benedictionibus Dei: nempè anima, quæ eſt ad modum terræ, infima per humilitatem illuſtrata per fidem ſole æterno: ſolis ardore excocta per charitatem: arida per caſtitatem: Fœcunda per operis ſtrenuitatem: & firma per patientiæ firmitatem: taliſque anima benedicitur à Deo benedictione temporali, ſpirituali, & æterna: & ideò ei competunt dicta privilegia. *Serm. 5. de una S. Virgine. In Lucam cap. 8. verſ. 8.*

4. *Converſio perfecta ad Deum colligit quod averſio diſperſerat.*

Converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam à nobis. Quid eſt converti ad Deum? Nota, quod converſio ad Deum eſt remedium ad tollendum mala cauſata ab averſione: converſio enim ad Deum ad unitatem in Deum ipſum colligit, & reparat, quod averſio deſtruxerat: unde hæc converſio perfecta ad Deum non ſolùm avertere facit iram Dei, ſed & diſponit animam ad Deum videndum: Et hinc Eccleſia in Completorio utitur hoc verſiculo & precatione. *Converte nos Deus*; invitans animam per hoc, ut ſe diſponat ad complementum perfectionis, ſcilicet ad Deum videndum. *In Ioan. collat. 88.*

5. *Cur Eccleſia quotidiè petit à Deo converſionem: ubi de pænitentia ſera periculo.*

Converte nos Deus ſalutaris noſter. Nota, quod Eccleſia quotidie facit hanc precationem in fine divini officii, ut dictum eſt. Cur hoc? Nonne ſufficit unica converſio? Sed attende quod hanc converſionem quotidie nobis inculcat, ut intelligamus,

mus; quòd nec unius diei inducias habemus, ut semper ad hanc conversionem inhiamus, & quia incertum diem habemus, nec ullum est tempus certum in nostra potestate positum, semper ad pœnitentiam incitemur: qui enim pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit: certa est mors futura; sed incertum quando, aut quomodò, aut ubi. *Ser. 3. in die cinerum.*

6. *Si anima convertitur ad Deum, & Deus ad ipsam convertitur, præbens illi vitam.*

Deus tu conversus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Vide quomodò conversioni animæ, de qua supra dictum est, respondet conversio Dei: Et quid hæc divina conversio operatur? Nota quòd subdit: *vivificabis nos.* Quasi dicat: sicut anima cum est in corpore præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic Deus, qui est vita animæ, illi præstat sapientiam, pietatem, justitiam, charitatem, lætitiamque sempiternam, & sic ipsam vivificat. *in Ioan. collat. 27. & in Lucam c. 14. v. 16. & Psal. 118. c. 3. v. 8. & c. 4 v. 2. & c. 6. v. 8. & c. 10. v. 15.*

7. *Christus est ipsamet misericordia nobis in carne, & corde ostensa.*

Ostende nobis misericordiam, & salutare tuum da nobis. Nota, quod Propheta hic petit videre misericordiam Dei: quomodò hæc potest videri? subdit, *& salutare tuum*, idest Jesum da nobis: ecce qualem misericordiam petebat? scilicet Christum in carne venturum, & in corde habitaturum: Jesus enim est ipsamet misericordia, & salus. *ser. 4. Dom. 1. Adv. & in Lucam c. 2. v. 15. & Psal. 118. c. 6. v. 1.*

8. *Deus attentè est audiendus cum timore, & amore cum in nos, & ad nos loquitur.*

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Notanda sunt ista verba plena mysteriis: audiam, scilicet cum timore, quia Dominus est, qui loquitur, & cum amore, quia est Deus: Dominus potestatem indicat: Deus benignitatem: audiam quia bonum nunciat, loquitur enim pacem, & quia proximum ædificat: quia in plebem suam: Nota etiam quod ait *audiam quid loquatur in me*, non dicit ad me: quia Deum loqui ad hominem est commune bonis, & malis; loqui in hominem est proprium tantum bonorum: sic locutus est in David, in Oseam. *Audiamus igitur attente Deum loquentem, ut in nos loquatur. Psal. 84.*

9. *Non sufficit audire quod Deus loquitur, sed requiritur operari.*

Audiam quid loquatur in me Dominus meus. Nota, quod dicit, in me: quid est loqui Dei in me, in nos? quia ad multos loquitur, non in multos, sed in paucos: multi enim intelligunt à Deo quid faciendum, sed non operantur, & obediunt: multi etiam benè moventur, ut benè faciant, sed minime sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuò gratia Spiritus sancti, & quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne gratia Dei in nobis sit vacua, sed operetur prout ratio inspirat, & dictat: sed quia scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi, propterea non solùm moveri, & doceri oportet verum etiam moveri, & affici ad bonum operandum necesse est: rectè igitur dicit: audiam quid loquatur in me, non solùm ad me *Op. de 7. donis c. 5. & psalm. 84.*

10. *In corde solo fructuosè auditur Dei vox, cum est abstractum ab omnibus rebus creatis.*

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus Nota iterum illud, (*in me*,) scilicet in corde abstracto ab omnibus rebus creatis: sic enim auditur Deus per revelationem donec voce ejus paulatim invalescente, tota perstrepentium turba, & tumultuatio sopiatur, sulaque vox ipsius audiatur, donec omnis illa tumultuantium turba dispareat, solusque cum sola remaneat; & tunc loquitur pacem, quia in pace factus est locus ejus. *op. de dono consil. cap. 5.*

11. *Inspiratio cum illuminatione cordis est locutio Spiritus Sancti in nos.*

Audiam quid loquatur in me. Nota iterum, (*in me*) non solùm ad me, sed in me: & hæc locutio Dei per spiritum interius in mente: & hæc duobus modis fit: uno modo cum inspirat menti aliquid agendum, vel dicendum, vel de propriis docet, vel alienis, sicut cum prophetis: alio modo cum non de speciali facto illo, vel illo, sed generaliter ad plura per mentis illuminationem ostendit, quid secundum veritatis judicium fit melius, vel non melius; sicut docet omnes justos declinare à malo, & facere bonum, & per spiritum scientiæ, vel consilii, vel intellectus, vel sapientiæ Dei placitum agnoscere, vel eligere potiora: O felix, qui cum Propheta verè dicit: audiam quid loquatur Dominus Deus in me. *Op. de prof. religios. l. 2. c. 76. & Psal. 61. & 70. & ser. 5. Dom. 4. Adv. & in Ioan. c. 5. v. 25. & 6. vers 46.* Vide igitur quomodò loquitur Deus intrinsecus silenter sonans invisibili lingua compunctionis, & quantò plenius intus auditur, tantò ab exteriorum desideriorum strepitu perfectius audiens accessitur, ut cum Propheta dicat: audiam quid loquatur Dominus Deus in me, scilicet in corde, in his scilicet, qui convertuntur ad cor, idest mentem, in qua Deus, tamquam in imagine sua habitare dignatur: quomodò igitur ibi habitaret æternus, & non loqueretur de æternis. O felix anima audiens quid loquatur Dominus Deus. *Opuscul. de 7. itiner. æternitatis 2. d. 3.*

12. *Verbum Dei qualiter audiendum: ubi de fructu auditus Verbi Dei.*

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Notandum est hoc verbum (*audiam in me*) scilicet quid loquatur in me: ut videas qualiter audiendum sit verbum Dei, scilicet non aure solùm corporis, sed etiam cordis: item notatur reverentia, quia divina audita auscultamus: item cum omni obedientia, & cum omni diligentiâ: sic enim vox divina firmat corda audientium, ut etiam ipsa eorum doctrina fiat autentica: dicit autem. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*: ut intelligamus, quòd audire debemus Christum erudientem

prudentiſſime, conſulentem benè, & utiliter docentem: ſecundo Chriſtum præcipientem ſicut potentiſſimum ducem, & legiſlatorem: & ideò audiam ſtudioſiſſimè, ut ea obſervem: tertiò Chriſtum exhortantem audiam affectuosè, ut ſanctiſſimum præſulem, me verbis, & exemplis incitantem ad ſui imitationem: quartò Chriſtum conſolantem audiam ſolicitè tamquam benigniſſimum Patrem. *In Lucam cap.9. verſ.35. & c.14. in fine, & ſerm.4. de una Sancta Virgine & Pſal.25.*

13. *Idem confirmatur.*

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Notanda ſunt hæc verba, quæ continent maxima myſteria. Propheta enim, & quicumque ſacer doctor, vel ſcriptor, vel meditator hæc debet dicere, ſciens quod ſine lumine ſuperno irradiante mentem, anima nec poteſt intelligere, nec loqui ea, quæ loquitur Deus: ſicut certum eſt, quod oculus corporeus non poteſt videre naturalia ſine adjumento lucis: & ideò dicitur: *audiam*, ſcilicet reverenter, ut me præparem ad divinas irradiationes: audiam inquam, non ſolùm auditu corporis, ſed & corde, quid loquatur ſcilicet ſublimitatem divini imperii: ſubdit, (*in me*,) ſcilicet auditu cordis interno; nempè quando Deus, non exterioribus ſignis, ſed intus irradiat animam: audiam, inquam Deum, ut Regem potentiſſimum, dantem imperium, & legem qua ligamur: ut doctorem prudentiſſimum, dantem magiſterium, quo de ſalute inſtruamur: ut amicum dulciſſimum præbentem ſolatium animæ, quo conſolatur: ut judicem æquiſſimum omnia punire volentem, & videntem. *Ser.1. de Evangeliſt.*

14. *Pax alia Dei, alia mundi.*

Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Nota, quod hic loquitur de pace, quam Deus imprimit menti: non de pace mundi: nam mundus promittit pacem in tranquillitate temporalium, & in ſanitate corporum: Deus dat pacem in tranquillitate mentis, & in gaudio contemplationis. Hic autem nota, quod ſubdit: *loquetur pacem in plebem ſuam, & in ſanctos ſuos, & in eos, qui convertuntur ad cor*; ſcilicet in ſanctos: ut videas, quod duplex eſt pax, quam Deus loquitur; ſcilicet pax tranquillitatis cordis; & hæc eſt plebis, ſcilicet imperfectorum, eſtque in homine: ſecunda eſt gaudium contemplationis, quæ eſt ſupra hominem; eſtque propria perfectorum, & contemplativorum: felix igitur anima, cui Deus loquitur pacem. *Pſal.84.*

15. *Mala noſtra in corde nos dicimus: Bona in corde noſtro Deus loquitur: & hæc continentur in pace, quam nobis loquitur.*

Quoniam loquetur pacem. Ergone Deus eſt, qui in nobis loquitur pacem? nonne & boni hanc eamdem loquuntur? Sed nota, quod ea, quæ intus fiunt, alia ſunt à nobis, alia à Deo: mala ſunt à nobis; cum enim mala verſamus in corde, noſtra cogitatio eſt, & illa ſunt, quæ cor noſtrum dicit, & ſi bona ſunt, ea audiamus, quia ſermo Dei, & verba ipſius ſunt, quæ in nobis loquitur: itaque pacem, pietatem, juſtitiam Deus in nobis loquitur; nec talia nos cogitamus ex nobis, ſed in nobis audiamus: cæterum homicidia, adulteria, furta, blaſphemiæ, & his ſimilia de corde exeunt, nec illa audimus, ſed ea dicimus nos, vel immittuntur in nos per Angelos malos. *op. de 7. itin. ætern. itin 2. d.5.*

16. *Qualis pax, & quàm delectabilis, quam in ſuos loquitur Deus.*

Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & in ſanctos ſuos. Quid eſt hæc pax, quam loquitur Deus in ſuos? Nota mirabilem Dei pietatem: loquitur enim pacem in corde ſuorum, ſcilicet pacificationem animæ cum Deo admirabilem tribuit, dum Deus alloquitur in ſuis intimis animum: tunc enim fit quædam delectabilis unio animæ cum divina eſſentia, & tunc mirabilis delectatio ei infunditur; nec mirum, tantæ enim dulcedinis eſt Deus unitus animæ, ut nullis pœnis anima gravatur, dum divina dulcedo animæ eſt præſens, ſicut in ſanctis martyribus apparet, qui gladios contempſerunt, & ignes: eo quod delectatio quam interius ſentiebant, pœnam omnem extrinſecus ſuperabat. *ſer 4. de una Virgine.* Vide igitur, cur pacem magis, quàm omnia alia loquitur Deus in ſuos: Nempè, quia ubi pax dicta non habetur, nec dulcedo divinorum conſiliorum guſtatur, nec vox ejus auditur, nec convivium in monte cum Deo habetur: vera autem pax eſt à Dei voluntate non dividi: & in his, quæ ſolius Dei ſunt delectari: quando enim ſenſualitas nulla parte reſiſtit voluntati, & voluntas nulla parte reſiſtit rationi, & ratio regulatur lumine fidei tunc eſt ſerenitas mentis; & tunc eſt regnum Dei in nobis; quia in pace factus eſt locus ejus: O felix, ô beata, ô deſiderabilis pax: utinam Deus hanc in nos ſemper loquatur? *Op. de don. conſil. c.5.*

17. *Chriſtus Judæis corporaliter fuit prope: Juſtis ſpiritualiter.*

Verumtamen propè timentes eum ſalutare ipſius, ut inhabitet gloria in terra noſtra. Nota, quod hic prædicit Propheta adventum Chriſti in carnem & materialiter, & ſpiritualiter: Nam Chriſtus fuit prope Judæos ratione promiſſionis: ratione ſeminis ex ſemine Abrahæ: ratione converſationis, quia inter eos converſatus eſt, & tantum in eis in propria perſona & hoc materialiter: ſed ſpiritualiter eſt ipſum timentibus tantùm. *Pſal.84 & 118. c.11. v.6.*

18. *Verbum in Incarnatione copulavit miſericordiam, & veritatem, juſtitiam, & pacem.*

Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Quid eſt miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi? quinam occurſus iſte? Nota hic perbellum myſterium: miſericordia divina pulſabat viſcera Patris, ut ſubveniret calamitatibus humani generis, ſecum pacem habens: ſed contradicebat veritas habens ſecum juſtitiam, & inter eas magna controverſia facta eſt: dicebat autem Domino miſericordia: oportet Domine implere ſermonem, quem locutus es: eget miſeratione divina creatura rationalis, quoniam miſera facta eſt, & miſerabilis valde: ſcit enim veritas, quod ego perii, ſi numquam miſereberis: è contrario dicebat veritas: ſi tuam ſententiam quam pronunciaſti

contra

contrà hominem prævaricatorem, impius evaserit, perit & veritas tua, & non permanet in æternum: fuit ergo hæc quæstio missâ ad filium: & coram eo misericordia, & veritas eadem dicebant: at pax insurrexit, & dixit: parcite vobis à verbis istis, virtutum non est honesta contentio: & tunc Rex sententiam paci dedit legendam, quæ sic dicebat fiat mors bona, & Adam moriatur, sed sanctè; & sic habeant quod utræque petiit; sed quomodò potest fieri mors bona, cum horribilis sit auditui? Respondit Rex: mors peccatorum pessima, sed justorum est pretiosa, & janua vitæ; inveniatur qui ex charitate moriatur, non obnoxius morti. & sic mors non poterit tenere innoxium; sed faciat in ea foramen, per quod transeant liberati. Placuit sermo: sed ubi talis inveniri poterit? quæsitus est talis, sed non inventus in tota serie hominum: & ideò dixit pax: in hoc Mundo non est qui faciat bonum, quare, qui dedit consilium, ferat auxilium: Hinc misericordia, & veritas, justitia, & pax osculatæ sunt in Persona filij, quæ media inter Patrem terribilem potentiâ, & Spiritum Sanctum benignissimum in charitate, accepta est inter has virtutes, & sic per incarnationem remedium allatum est Mundo. *Op. medit. vitæ Christi c. 3. & op. comp. Theol. l. 4. c 5. & in Lucam c. 15 v 20.*

19. *In Incarnatione Verbi, & reconciliatione peccatoris per gratiam, justitia, & pax, misericordia, & veritas obviant sibi, & osculantur ad invicem.*

Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt. Nota hæc facta sunt maximè in Incarnatione Verbi, & continuè fiunt in reconciliatione peccatoris, per gratiam cum Deo: Nam in incarnatione facta est unio summi amoris, & connexionis duplicis naturæ per quam misericordia, & veritas obviaverunt sibi, & justitia, & pax osculatæ sunt; nempè per hanc unionem Deus nos osculatur, & nos Dominum osculamur In justificatione autem peccatoris fit per gratiam hæc unio Dei ad animam, & animæ ad Deum; & hæc unio est osculum, signum amoris, & pacis. *In Lucam c. 15. v. 20.*

20 *In omni opere Dei, maximè tamen justificatione peccatoris, imò & in punitione ejusdem etiam in inferno concurrit misericordia, & veritas seu justitia.*

Misericordia, & veritas. Nota, quod cum in omni opere Dei ad extra concurrat misericordia, & veritas, maximè tamen in justificatione peccatoris, imò, & in punitione ipsius: in omni opere Dei inquam: quia in omni opere concurrit affluentia bonitatis Dei, & affluentia talis non est, nisi secundùm quod decet bonitatem suam: In justificatione verò maximè concurrunt; nam impius ex peccato Deum offendit; & dignus fit pœnâ æternâ; & ita est ibi offensa, & reatus ad pœnam: & misericordia in remittendo offensam, & reatum ad pœnam æternam: sed justitia est in obligando ad pœnam temporalem tantum: & si baptismus liberet à pœnâ æterna, & satisfactoriâ, non tamen ab omni pœnâ, quia pœnalitates remanent in corpore, & animâ: in punitione verò peccatoris in inferno concurrit justitia puniens æternaliter malos, & misericordia, quia citra condignum semper punit. *l. 4. d. 17. p. 1. art. 1. q. 1. & d. 46 art. 1. per totum, & op. comp. Theol. l. 1 cap. 34.*

21. *Misericordia Dei in hac vitâ superexaltat veritatem, & pax justitiam.*

Misericordia, & veritas. Nota, quòd primo loco ponit misericordiam, postea veritatem; & justitiam: Cur hoc? quia misericordia Dei superexaltat judicium; nam veritas, & justitia per rigorem procedit, sed misericordia hunc rigorem temperat, remunerans supra meritum, & puniens citra condignum: sic est misericordiæ, & justitia in Cœlo, & in inferno. *Op. comp. Theolog. l. 1. c. 34.*

22. *Justitia, & pax quomodò in homine aliquando sunt disjuncta, aliquando copulata.*

Justitia, & pax osculatæ sunt O felix osculum! felix, inquam homo, in quo justitia, & pax osculantur se invicem: & nota, quod triplex status in homine in præsenti consideratur, primus est, quando expletur concupiscentia, & Spiritus obtemperat carni: & in hoc est sola pax; sed maledicta, & diabolica: In secundo quando Spiritus imperat carni, & caro resistit sed tamen Spiritus ut superior pœnitentiam agit; & in hoc est justitia sola: In tertio quando Spiritui obtemperat caro, & perfectè subjicitur spiritui: tunc justitia, & pax osculantur se invicem; quia blando osculo junguntur & hic status est in quem debet tendere, & inhærere toto tis viribus *Psal. 84. & Psal. 150.*

23. *Veritas de terrâ orta quando dicitur.*

Veritas de terra orta est, & justitia de Cœlo prospexit. Quando veritas dicitur orta de terra, & non potius de Cœlo? sed attende, quod veritas hic indicat verbum, quod est veritas Patris; dicitur de terra orta, scilicet unita cum terra humanitatis, cum qua factum est collyrium, quo genus humanum illuminatum est: & hinc justitia de Cœlo prospexit: Nempè sicut sol nos respicere dicitur, quando radios suos ad nos dirigit: sic per fidei, & gratiæ infusionem veritas nobis orta est de Cœlo. *in Ioan. Collat. 48.*

24. *Ex vi gratia divina anima gignit ut terra benedicta fructus pœnitentiæ, & bonorum operum.*

Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum Vide effectus divinæ incarnationis, & adventus Christi in carnem: nam benignè nos respiciens, & gratiam suam conferens, anima veluti terra fœcunda, producit fructus justitiæ, pœnitentiæ, & bonorum operum. *ser. 18. Hexaem. & in Lucam c. 8. v. 8.*

25. *Anima patienter tolerans, tentationes, adversitates, & ariditatem Spiritus, debet expectare pluviam benignitatis divinæ, ut producat fructus dignos.*

Etenim Dominus dabit benignitatem & terra dabit fructum. Quid est hæc benignitas fœcundans animam, nisi pluvia gratiæ & dulcedinis divinæ? hancque anima ariditate spiritus, vel adversitate probata debet patienter expectare à Deo: sic enim terra cordis quasi ferrea emollita pluviis in begnitatis Domini fructum suum, & effectus pios, & desiderium devotionis germinabit. *Opuscul. de profess. religios. l. 2. capite secundo.*

26. *Pœnitentia est via, per quam ad nos venit Christus.*

Iustitia ante eum ambulabit. Nota, quod qui vult ut Christus ad se veniat, debet ei parare viam: & quomodo? mediante justitia: nempè puniendo in se malum, & faciens bonum, hæc est via Domini, ut veniat ad eum, *l. 4. d. 17. p. 1. art. 1. quæst. 3.*

27. *Idem confirmatur.*

Iustitia ante eum &c. Et quomodo? nempè auferendo impedimenta, scilicet lapides, scilicet cordis duritiam, peccati consuetudinem, & omne malum, & poliendo viam lapidibus quadris; nempè mentis fortitudine, virtutum stabilitate, præcipuè dilectionis Dei, & proximi. *Psalm. 84.*

28. *Maria Virgo ab instanti suæ conceptionis fuit terra benedicta, immunis à maledictione Adæ.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti &c.* Quæ est hæc terra benedicta? Nonne in principio fuit terra à Deo maledicta? qualis igitur est hæc terra, de qua loquitur? Hæc est B. Virgo Maria, verè terra nunquam maledicta, sed semper benedicta: & hic nota, quod Propheta dicit in tempore præterito: *Benedixisti*: quomodo id verum est; si adhuc nondum erat nata? optimè tamen, & verissimè dictum est. Benedixisti; scilicet, quia fuit præventa in benedictionibus dulcedinis propter fructum benedictum ventris sui, scilicet propter donum maternitatis; benedicta, & consecrata fuit in Domum, & habitationem Dei summi. *Opuscul. Psalt. Beat. Virgin. Psalm. octuagesimoquarto, & Specul. Beatæ Virginis lec. 14.* ut intelligatur sensus verborum S. Doct. recole, quod dicunt Theologi: nempè Mariam non fuisse inclusam in maledictione peccati Adæ, sed sejunctam gratia præveniente, ne contraheret maculam culpæ originalis: unde rectè dicitur benedixisti: scilicet eo modo quo formatus est Adam in statu innocentiæ. *Vide Vegam in sua Theologia Mariana, & Salazar de conceptione Beat. Virgin.* & etiam est ad mentem Seraph. ot pater *sermon. 2. de Beat. Virgin. opuscul. de contemplatione.*

29. *Benedicta Maria fuit, quia fructum benedictum concepit, & peperit.*

Benedixisti Domine terram tuam; scilicet Mariam: quia scilicet fructum benedictum peperit; & quia ad hunc fructum producendum benedictum, fuit à Deo electa; ideò benedicta fuit à Deo, benedictionem ejus operante: benedicta consequenter ab Angelo nuntiante ejus benedictionem: benedicta ab homine, benedictionem ejus prophetante. *Op. spec. B. Virg. lec. 14.* Hæc est igitur speciosa inter filias Hierusalem, cujus memoria in benedictione est: Hæc est, quam beatissimam prædicaverunt Angeli sancti, & glorificaverunt virtutes, & Dominationes. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psal. 84.*

30. *Benedictio Mariæ continet cumulum omnium gratiarum.*

Benedixisti Domine terram tuam. Cur terra appellatur Maria, cum sit omnium elementorum infimum? sed nota mysterium. Docet scientia perspectiva, quod omne corpus perspicuum luminosum, in quolibet puncto sui dirigit unam lineam radiosam in centrum, & quantò una linea altera est vicinior, tanto est potentior ad suum effectum imprimendum in centrum: & hinc, quia terra est Cœli centrum, seu medium, & sit sicut punctum, comparata ad Cœlum, hinc tanta sit multiplicatio radiorum; quod cum sit elementum frigidum, & siccum, & sic generationi non aptum, sit tamen summè fœcundum virtute cœlestium radiorum: sic in Dei nostri Matre, tantus concursus factus est gratiarum, ut supra naturam facta sit fœcundissima; & Dei simul Mater, & filia: Hinc meritò dicitur terra, scilicet centrum, in quo factus est concursus omnium radiorum gratiarum divinarum, *sermon. primo, de Beat. Virgine.*

31. *Misericordia, & veritas per Mariam obviaverunt sibi; & justitia, & pax osculatæ sunt.*

Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt. Et quando facta est hæc reconciliatio misericordiæ, & veritatis, justitiæ, & pacis? quando scilicet Verbum caro factum est in utero Beatæ Virginis; nam per ipsam ejus fructus est utilis ad expiationem culpæ ad pacificationem inimicitiæ capitalis, ad sanationem culpæ originalis, ad relevationem inediæ mentalis, ad evitationem iræ judicialis, ad elongationem pœnæ æternalis, & ad acquisitionem gloriæ cœlestis. *opuscul. spec. Beat. Virg. lec. 18.*

32. Per Mariam veritas de terra dicitur orta: scilicet Christus qui de seipso dixit. *Ego sum via, veritas, & vita fer. 4. in vigil. Nativ. & opusc. spec. B. Virg. lec. 18.*

PSALMUS

PSALMUS LXXXV.

Titulus : Oratio ipſi David.

1. PRIMÒ Nota, Pſalmum antecedentem fuiſſe de Chriſti incarnatione : iſte autem conſequenter eſt de Chriſti oratione facta in paupertate, & paſſionis tribulatione : unde titulus habet hunc ſenſum : oratio iſta attribuitur David, ſcilicet verò nempè Chriſto toti, qui hic loquitur, & in perſona capitis, & membrorum.

2. *Oranti Deum in humilitate, & ſanctificatione, Deus ſe inclinat.*

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops, & pauper ſum ego; cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum, ſalvum fac ſervum tuum. Nota, quod hic proponuntur conditiones bonæ orationis, & ejus effectus : dicit ergo : *Inclina, quoniam inops, & pauper ſum ego,* quid eſt inops, & pauper? nempè, qui vult audiri in oratione à Deo, debet ſe humiliare, & circumcidere carnem ſuam : ſcilicet oculos pudicitiâ: auditum caſtimonia; olfactum modeſtia: guſtum temperantiâ: tactum caſtitate, & hæc eſt vera paupertas, per quam Deus inclinat ſe, & pervenit ad ægrotum, ut Medicus naturam depravatam ſanet. *Pſal.* 85.

3. *Sanctitas Chriſti expenditur.*

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum ego. Quis eſt, qui hic loquitur? quis eſt iſte ſanctus? certũ eſt, nulli poſſe convenire, niſi Chriſto, qui eſt ſanctus ſanctorum, & fons omnis ſanctitatis : ſanctus, inquam in corde, in animâ, quia præ omnibus deteſtatur, quicquid ſanctitati contrarium: ſanctus in divinitate : ſanctus tandem in omnibus operibus ſuis. *ſerm. 1. Dom. Trinit.* Et ideò Angelus de Chriſto loquens cum Maria, dixit : *quod ex te naſcetur, ſanctum vocabitur,* dicitur ſanctum indefinitè, & abſolutè, quod nulli alii competit. *in Lucam c. 1. v. 35. v. 3. & 4.*

4. *Qui vult triſtitiam in jucunditatem convertere, confugiat ad Orationem.*

Sic Propheta faciebat, dicens: *miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die.* Nota quod dicit, *quoniam ad te clamavi tota die*, ſcilicet ad orationem continuatam confugi, & quid ex hac oratione prætendis? *lætifica* (ait) *animam ſervi tui, quoniam tu Domine ſuavis, & mitis, & multa miſericordia omnibus invocantibus te:* ut videas, quod ſi qua anima ſentiat ſe triſtitia cordis, vel aliqua plaga oppreſſam, confugiat ad orationem, petens conſolationem, quia hæc ab oratione ſola oritur. *ſer. 4. de dedicat. Eccleſ.*

5. *Recordatio miſerationum, & beneficiorum Dei ſuadetur contra ingratitudinem.*

Quoniam tu Domine, ſuavis, & mitis, & multa miſericordia. Vide qua arte ſe Propheta excitabat ad gratitudinem cum Deo, ſcilicet memoria frequenti multiplicis miſericordiæ Dei; ſcilicet exhibitæ in multis beneficiis temporalibus, ſpiritualibus, & æternalibus, quæ ex ſua multa miſericordia contulit nobis, & conferre non ceſſat : O utinam tantis miſericordiis Domini non ſimus ingrati! O utinam Domino tam miſericordi ſimus valdè grati! *Op. ſpec. B. Virg. lec. 9.*

6. *Divinæ voluntati omnis virtus famulatur, & omnia reſultant in gloriam Dei.*

Non eſt ſimilis tui in fortibus Domine, & non eſt ſecundùm opera tua : omnes gentes quaſcunque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine: Mirum eſt, quod hic à Propheta dicitur, nam ut probet Deum eſſe fortem ſuper omnes, notat quod omnes gentes veniunt ad Deum adorandum : quomodò hoc poteſt eſſe verum, cum tot homines potius inhonorent Deum, blaſphemant, & offendunt? ſed nota ſublimitatem verborum ſcripturæ : nam per hoc exprimitur virtuoſitas inſuperabilis potentiæ in prævalendo cuicunque virtuti contrariæ creaturarum; quia ſic divinæ voluntati omnis virtus famulatur, ut ex his, quæ ſibi videntur contraria, divinus honor eliciatur, quamvis à malis, & peccatoribus hoc non intendatur: unde omnia in gloriam divinæ potentiæ, ſapientiæ, & miſericordiæ redundant, vel puniendo vel parcendo : ô qualis, & quanta eſt divina majeſtas. *ſer. 2. Dom. 20 poſt Pentec.*

7. *Repulſis Hebræis, ex omnibus gentibus; Deus convocat homines ad unitatem Eccleſiæ.*

Omnes gentes quaſcunque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum; quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia. Vide quomodo prædicit Propheta vocationem gentium ex omnibus partibus mundi : dicit enim: omnes gentes, (repulſis Hebræis) ex omnibus gentibus tam diſtantibus, ſcilicet ab oriente, occidente, Aquilone, & meridie Chriſtus per miniſterium Apoſtolorum oves congregavit, & congregat : in quo mira apparet potentia, & ſapientia Dei, in convocando gentes tam diſtantes, & loco, & moribus ad unitatem charitatis, & felicitatis Eccleſiæ. *In Lucam c. 13. v. 27.*

8. *Pœnitentia eſt via per quam Deus venit ad lætificandam animam.*

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Quænam eſt hæc via, quam petit, & cupit Propheta, & per quam ingreſſus habetur in veritatem divinam, & obtinetur lætitia cordis, cauſans timorem Dei? ſciendum eſt, quod hæc via eſt pœnitentia, & obſervãtia mandatorum Dei: unde dicit Domino : *deduc me,* ut Medicus infirmum : In pœnitentia autem ſunt tria, ſcilicet compunctio confeſſio, & ſatisfactio : prima turbat : 2. accuſat : 3 confortat : compunctio apoſtema, vulnuſque invenit, & apoſtema pungit : confeſſio aperit, & ſaniem expellit, & ſatisfactio cataplaſma apponit, confortat, & ſanitatem confert, ad compunctionem requiritur ſpes, & timor : timor inchoat numerum culparum examinando, & rigorem judicij atten-

dens,& hinc compunctio ſuſcitatur per ſpem optatæ reconciliationis,gratiam prometendo, & cor confortando,& hinc lætitia ſpiritualis in animam redundat.*Pſal.*85.clamat igitur peccator ad Deum pro devils hujus vitæ, ne erret in ipſa, *Palm.* 76. Clamat item, ut deducatur per viam perfectionis, & illuminetur ad cognoſcendum divinæ ſcenſionis gradus,*op.itin.ment.c.*1.

9. *Quam magna miſericordia Dei in condonatione,& remiſſione peccatorum,quæ meritò nomine inferni ſignificantur.*

*Confitebor tibi Domine Deus quia miſericordia tua magna eſt ſuper me:eruiſti animam meam ex inferno inferiori.*Vide quomodo Propheta ad exaltandam divinam miſericordiam, quam magnam appellat, ex eo quod Deus ipſum liberaverat ex inferno inferiori;ſcilicet ex culpa multiplici, quam meritò appellat infernum inferiorem,quia verè peccatum eſt pejus inferno. *ſalm.*1.8.*c.*6.*v.*8. *& cap.*4. *v.*15. *in Lucam cap.*1.*v* 58. *& comp.Theol.l.*3. *cap.*7. *& in ſap.cap* 1.

Peccatum mortale infernus.

10. *Infernus eſt locus ſub terra poſitus, maximè proportionatus pœnæ peccati.*

Et eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Cur appellat infernum inferiorem? quis eſt iſte infernus inferior? Infernus inferior eſt locus damnatorum poſitus in centro, vel circa centrum terræ; meritòque iſte locus paratus eſt ad punitionem peccati, quod cum ſit viliſſimum, trahit etiam animam deorſum, ſecundùm ordinem juſtitiæ; & ob id diſponens hominem ad locum viliſſimum, & infimum. *l.*4.*d.*44.*part.*2. *articul.*1. *quaſt.*2.

11. *Magna miſericordia Dei expenditur in liberatione animarum SS. Patrum è Lymbo, & animarum purgantium ex Purgatorio.*

Quia miſericordia tua magna eſt, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Nota etiam hæc dicta eſſe in perſona ſanctorum Patrum, qui à Chriſto liberati ſunt è Lymbo: item & animæ evolantis ad Cœlum poſt purgationem factam in Purgatorio: verè enim maximè eſt, & fuit hæc Jeſu Chriſti miſericordia,dum virtute ſua tot animas liberavit à Lymbo,& continuè evolare facit è Purgatorio tot alias juſtorum. *ſermon.*3. *Dom.*6. *poſt Pentec.*

12. *Proximum, & præcipuè juſtos offendens,maximè in Deum peccat: & hoc ob defectum præſentiæ divinæ excogitata.*

Deus iniqui inſurrexerunt in me: & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo. Vide quomodo poſt enarratas perſecutiones ab iniquis juſto illatas, concludit,quòd non propoſuerunt Deum in conſpectu ſuo,ſcilicet potiſſimum in Deum ſunt peccantes; quia proximo mala illata, Deus contra ſe facta recognoſcit, & graviſſimè punit.*Pſal.*85. Nota etiam quod origo omnium peccatorum eſt oblivio præſentiæ divinæ, unde dicit: *& non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.*

13. *Spes de Dei miſericordia ſublevat maximè animam in tribulationibus.*

Et tu Domine Deus miſerator,& miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ & verax;reſpice in me, & miſerere mei.. Vide quomodo hic juſtus in tot perſecutionibus, & tribulationibus poſitus ad Deum per ſpem in Dei miſericordia conſurgit: ſic & tu confidenter, & humiliter roga, ut qui ſua morte te redemit, & redemptum tot beneficiis ad ſe vocatum immaculatum finaliter te conſervet in ſanctorum Collegio. *Opuſcul. regulæ Novit.cap.*2.

14. *Gratia præveniente Deus reſpicit ſuos, & operante impertitur ſuam miſericordiam; ex qua ratio ſuperior fit ſenſualitati.*

Reſpice in me,& miſerere mei, da imperium puero tuo, Nota hunc ordinem: 1.petit ut Deus reſpiciat ſe, ſcilicet gratiæ prævenientis oculo,& ſubdit: miſerere mei,ſcilicet gratia cooperante;& talem reſpectum debet petere anima; ſic enim ratio imperabit ſenſualitati. *Pſalm* 18.*c.*2.*v.*13. *in ſap. c.*3.*In Lucam c.*15.*v.*20.

15. *Signum adventus Chriſti, aliud viſibile,aliud audibile.*

Fac mecum ſignum in bonum; ut videant, qui oderunt me, & confundantur. Quodnam eſt hoc ſignum, quod eſt medium inducendi incredulos ad fidem? Hoc ſignum eſt in bonum, ſcilicet adventus Chriſti: nempe aliud eſt datum oculis, & viſibile, quod fuit humanitas Chriſti viſibilis, aliud eſt datum auditui, ſcilicet propoſitio verbi Dei;per hæc inducitur confuſio incredulis ,& ad fidem redemptoris inducuntur. *in Lucam cap.*2. *verſ* 12.

16. *Per gratuitam condonationem peccatorum confunduntur dæmones.*

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt. Nota,hoc ſignum eſt pietatis,& clementiæ divinæ in bonum ſalutis æternæ, per quod confunduntur dæmones, videntes, quod Deus cum peccatoribus non utitur rigore ſuæ juſtitiæ; ſed conferendo gratiam corroborantem, eos ſalvat. *ſer.*1.*Dom.*4.*Quadrag.*

17. *Chriſti ſignum, quod eſſet filius Dei, fuit reſurrectio.*

Sic dicit in Perſona Chriſti Propheta: *fac mecum ſignum in bonum*, ſcilicet reſurrectionis ſignum; ſignum inquam, divinitatis, & immortalitatis: Dic & tu ô Peccator: fac mecum ſignum in bonum ſcilicet, ut reſurgendo, inter electos colloces *ſer.*1.*Dom.infra oct. Nativ.* Nota tamen, quod reſurrectio dicitur ſignum Chriſti, ſignum ſcilicet gloriæ ejus in cœlo, & noſtræ per ipſum; & ideò dicitur ſignum miſericordiæ ejus in nos quia per ejus reſurrectionem,ſpes credentium confirmatur:ſignum item victoriæ in inferno & ſignum poteſtatis ejus in Judicio à Patre datæ. *ſer.*3.*&* 4.*in die reſurrectionis.*

18. *Signum, quo confunduntur Dæmones, & perversi homines est charitas, & dilectio.*

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur. Nota, quod hæc dicuntur à justo; petit enim signum, quo confundi possint dæmones, & perversi persecutores: & hoc est charitas: quia si benedicis ei, qui tibi maledicit, utique confunditur; si pro signis sui rancoris accipit signa tui amoris, utique confunditur. *ser.2 in Pentec.*

19. *Signum Sanctæ Crucis est signum Christianorum, quo muniuntur ipsi; & dæmones, & hostes confunduntur.*

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur; quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me. Quodnam est hoc signum? signum est, quod in rei signatæ cognitionem inducit; & hoc est signum Sanctæ Crucis, quod inducit in cognitionem passionis, & crucifixionis Christi: hoc signum non est merè signum, sed simul res: & ideò dicit: *fac mecum signum in bonum*; Quia continet multa bona: per hoc enim signantur, & discernuntur filij Dei, & filii diaboli, sequentes Christum, & diabolum: hoc signo confunduntur, & fugiunt dæmones, & hostes: hoc signo muniuntur contra pericula fideles: hoc signum ab æterna morte liberat: ô benedictum signum, & felix, qui ipso frequenter utitor contra pericula. *sermon. 1. in dedicat. Templi.*

20. *Ad Mariam Virginem oratio hujus Psalmi dirigitur, ut ab ipsa extrahantur auxilia, & suffragia in tribulationibus hujus vitæ: ubi magnalia expenduntur intercessionis Mariæ.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Inclina Domina aurem tuam, & exaudi me: converte vultum tuum, & miserere mei: distillatio dulcoris tui oblectat animas sanctorum, & infusio claritatis tuæ super mel dulcissimum: irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum, & lux miserationis tuarum perducit ad salutem: fons bonitatis tuæ inebriat sitientes, & aspectus faciei tuæ retrahit à peccato: scire, & cognoscere te est radix immortalitatis, & enarrare virtutes tuas est via salutis. *Op. Psal. B.Virg. psalm.85.*

21. *Sanctus dicitur Christus, quia per assumptionem carnis in utero B.Virginis, nos sanctificat.*

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Nota hæc verba sunt Christi, qui multipliciter dicitur Sanctus, scilicet in se, & quoad nos: Sanctus igitur, quia sanctificat nos, & regit ejus assumptio in utero Virginis, per quam Sanctus Sanctorum ad nos venit. *sermon. 1. Dominica prima Trinit.*

22. *Christus dicitur misericors quoad nos quia solium in Maria præparavit misericordia.*

Quoniam tu Domine suavis, & mitis, & multæ misericordiæ. Quomodò dicitur tam suavis Deus, qui in statu legis scriptæ erat Deus ignis consumens? quia præparavit solium suæ misericordiæ in Maria, & quia in ipsam ingrediens, factus est misericors quoad nos. *Op. spec. B.Virg. l.9.*

23. *Aspectus Mariæ in nos, omnem dulcedinem, & misericordiam distillat.*

Respice in me & miserere mei. Hoc dicebat Propheta Deo, desiderans aspectum Dei: hoc dicamus nos & Mariæ: respice in me, & converte vultum tuum in nos, ô Maria: quia ex hoc distillatio dulcoris Mariæ oblectat animam & infusio charitatis suæ gloria illuminat intellectum. *Opusc. Psalt. B.Virg. psal.85.*

24. *B. Virgo Maria est signum Dei in bonum omne bonum continens, & nobis influens.*

Fac mecum signum in bonum. Quodnam hoc signum, nisi illud, quod vidit Joannes Evangelista, scilicet B.Virgo Maria, verè signum magnum in bonum, signum scilicet repletum omni genere gratiæ, & nobis distillans omnes gratias, & felicitates. *Op. Laus B.Virg. sig.19.*



PSALMUS LXXXVI.

Titulus: filiis Chore: Psalmus Cantici.

1. PRimò Nota, quod in hoc Psalmo agitur de divitiis, & gloria Christi in Cœlo & in terra, cum egerit in præcedenti de ejus paupertate: agitur autem de spirituali Civitate Hierusalem, idest de Ecclesia: dirigitur filiis Chore, idest Christianis; & dicitur Psalmus Cantici scilicet prædicans laudes Ecclesiæ, militantis, quatenus vivit operando, & militando, quod significatur per psalmum, & dicitur Canticum, quia dirigitur ad triumphantem etiam, quatenus delectatur canticis, & laudibus Dei: estque intentio in hoc Psalmo, ut filii Chore excitentur ad affectum utriusque Ecclesiæ.

2. *Ecclesiæ militantis, & Triumphantis magnalia innuuntur in hoc Psalmo.*

Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula. Nota: (*fundamenta ejus*:) ejus, cujusnam? videtur hic modus loquendi improprius, dum primò ponit relationem absque antecedente: sed tamen per figuram prolepsim cum maximo mysterio præponit, quod sequi deberet, ponens primò, *ejus*, postea, *Dominum*, & Civitatem: & hoc facit, quia Propheta tanquam Civis illius civitatis supernæ, multa de ipsa meditans, erumpit apud semetipsum in

in hæc verba : in quibus advertendum, quod figuratè proponit varia epitheta Ecclesiæ, tum militantis, tum triumphantis : appellat enim Ecclesiam fundamentum à stabilitate, sanctam à virtute; montem ab altitudine, portam propter securitatem : Sion propter speculationem; Civitatem propter collectionem. *In Psalm. 86. & ser. 1. in dedicat. & in Lucam capite 22. versicul. 12. & Psalm 30.*

3. *Angeli sunt montes Ecclesiam munientes.*

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Nota per istos montes intelliguntur Angeli, qui veloti Montes muniunt, & stabilem reddunt, defendentes Ecclesiam : Unde portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *ser. 4. Dom. 1. post octa. Paschæ, & Psal. 120.*

4. *Congregatio fidelium, & maximè Religio est Civitas sancta, fundamentum, mons.*

Fundamenta ejus &c. Scilicet Civitatis spiritualis, quæ est Congregatio fidelium, maximéque Religio in montibus sanctis. Nota ista nomina : fundamentum est, quia ibi inchoatur status perfectionis : mons ratione status perfectionis : sancta ob operum multiplicitatem : dicitur Civitas pro multitudine unionis, & pro unione multitudinis : dicitur Sion ob speculationem, & contemplationem, quæ ibi exercetur : & porta regni Cœlestis, *Psal. 86.*

5. *Anima Sancta est mystica Civitas, & quomodo?*

Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei. Nota : hæc mysticè dicuntur de anima sancta : ad civitatem enim perfectam quatuor concurrunt : primò, quod sit in alto fundata, ut ad eam difficillime ascendatur propter hostium exercitium : 2. ut sit muris, & fossis circumdata, ne subitò ab hostibus intteriut : 3. ut sit fortis, & firma, non super arenam, sed super saxum fundata, ut non facilè diruatur. 4. ut sit gubernata fideli, & prudenti consilio; sic anima sit alta per contemptum temporalium : clausa per murum pudicitiæ : fortis per constantiam virtutis; & per dictamen sapientiæ gubernata. *serm. 1. de SS. Apostol.*

6. *Anima hic invitatur à Deo ad contemplandum mirabilia Civitatis cælestis Hierusalem; ut ibi ascendere conetur.*

Unde dicit Propheta : *gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Quasi dicat : ô anima contemplare quàm gloriosa dicta sunt de hac superna civitate : quàm alta : quàm spaciosa, quàm pulchra, & speciosa; qoam decora, & formosa : igitur relinque hæc infima, & ad illam supernam civitatem adspira. *Op. soliloq. c. 4. & op. de dono Consil. c. 2.*

7. *Solus Christus dicitur homo; & homo; scilicet homo per Antonomasiam.*

Numquid Sion dicet: homo, & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus. Homo, & homo? quis est iste homo, & homo? solus Christus est, qui semper se intitulabat filium hominis; scilicet homo per Antonomasiam : homo dupliciter; nempè quantum ad perfectionem, fuit enim perfectissimus omnium, & quantum ad infirmitatem. *in Lucam c. 13. v. 19. & in Joan. collat. 54.* diciturque homo natus in ea, scilicet in Maria purissima purissimus, & immunis ab omni peccato, & sine Matris dolore. *In Lucam c. 14. versic. 16.*

8. *Nativitas Christi secundùm carnem, invitat Prædicatores ad prædicandum ipsius mysteria.*

Homo natus est in ea: Dominus narrabit in scripturis Populorum. Ecce quomodò Nativitas Christi ex Virgine facta est materia prædicandi de ea; nam de nativitate ejus æterna non erat locus loquendi sed potius tacendi : unde Pastores, post nativitatem, loquebantur ad invicem de ea : & ideò dicit : *Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum* : scripturæ principum sunt eloquia, & prædicationes prædicatorum : scripturæ Populorum sunt eadem eloquia à Populis recepta. *ser. 1. in Epiph. & Psal. 18.*

9. *In Cælo gaudium unius est gaudium alterius ob unitatem.*

Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Scilicet sicut gaudium omnibus commune. *serm. 1. infra oct. omn. sanct. & sermon. 1. de dedicat. & Psalm. 125.*

10. *Varia Epitheta B. Virginis Mariæ in hoc Psalmo enodantur.*

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Nota, quod sicut varia Epitheta hic enumerantur de sancta Ecclesia; sic & eadem dici possunt de Beata Virgine Maria : Dicitur enim fundamentum, Mons, Sion, Sancta, Porta, Civitas : est fundamentum à stabilitate suæ sanctitatis : est sancta sanctorum ob virtutes : est mons ab altitudine suæ sanctitatis : est porta Cœli : est Sion ob speculationem, & contemplationem cœlestium mysteriorum : est Civitas ob unionem charitatis. *Psal. 86. & ep. Psalmin. & ser. 1. de B. Virg.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

11. *Maria fundamenta in montibus sanctis, scilicet supereminens omnibus sanctis.*

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Hic mysticè est sermo de Maria Virgine : sed quomodò dicitur habere fundamenta in montibus sanctis? quia per montes intelliguntur sancti, & Angeli, eorumque virtutes : daturque intelligi, quod fundamenta sanctitatis Mariæ excedunt sanctitatem, & virtutem omnium sanctorum, & Angelorum : quòd enim gratiæ cæteris per partes datum est, in Maria totam se infudit gratiæ plenitudo, ideò ipsa inter puras creaturas est in summo creaturæ perfecta. *serm. 1. de Beat. Virg.*

12. *Immaculata conceptio B. V. hic adstruitur.*

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Quænam sunt fundamenta Mariæ? ejus conceptio, & nativitas : hæc fundata fuit in montibus sanctis: scilicet

in

in sanctitate,& innocentiâ, cum præservatione à peccato, cum infusione virtutum eminentissimarum. *Ser.2.de B.Virgine.*

13. *Beata Virgo Maria civitas munda, & gloriosa, & præsidium nostrum.*

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Nota, quod hæc merito Beatæ Virgini applicantur,quia fuit civitas verè spiritualis: hæc enim, ut sit perfecta,exigit, quod sit alta, & in alto fundata: ut sit clausa, & munita aquis; fossis,& muris: ut sit fortis,& firma; quia super saxum fundata,non super arenam: & ut sit fideli, & prudenti consilio gubernata: mysticè vero talis civitas spiritualis in summis, & æternis montibus collocata est per contemptum mundi; & omnis temporalis substantiæ: est clausa muro, valloque præcincta virginalis pudicitiæ: fortis,& firma per donum constantiæ & perseverantiæ: & sapientiâ divinâ gubernata: item & pulchra,& decora per munditiam, & decorem spiritualem: Et quis ex puris creaturis habuit hæc dona in sublimissimo gradu, nisi Beata Virgo Maria? unde verè dicitur esse civitas illa, quam vidit Joannes in *Apocal.21.* quæ erat aurum mundum simile vitro mundo: aurum mundum, scilicet per charitatem ferventissimam, & vitrum mundum per castitatem; quia per ipsam transiit filius Dei,ab ea recipiens colorem, & calorem,scilicet carnem purissimam,pulcherrimam, & sanctissimam. *Ser.1.de S.Agnete.ser.1.de Nativit.Domini & opuscul.in salve Regina, & in Lucam c 1..v.17.*

14. *Christus natus est homo sanctissimus, & à culpa immunis; Quia natus ex Virgine purissima,& immunis ab omni culpa: Sic ab ipso Christo fundata.*

Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus. Cur Christus dicitur homo, & homo natus in Maria? Homo, & homo, scilicet homo singulariter, & mirabiliter perfectus; & homo etiam defectibus humanitatis subjectus, ut supra dictum est: sed attende, quod dicitur homo natus in Maria: nempè conceptus singulari modo, sine virili semine, natus sine matris dolore, & immunis ab omni peccato: & homo iterum, scilicet mortuus pro hominum peccato: quia natus cum singulari privilegio ex Maria purissima Virgine, quam ipse Christus altissimus sic fundavit. *In Lucam cap.13. verf. 19. & cap.14. verf.* 6. Ave igitur Virgo, quæ decorem induisti, Creatorem præcinxisti pulchre Deum, earne munda velans eum. *Opuscul. Psalt. min. quinquag.2.* Nota huc revocanda sunt ea,quæ traduntur à pluribus DD. apud Vegam in sua Theologia Mariana: & Savedram, quod Beatæ Virginis immunitas à peccato redundat in filii puritatem: & è contra infectio contaminasset ipsum Christum.

15. *Beneficia quanta Ecclesia, & animabus ex Maria Virgine.*

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Cur Mariæ fundamenta prædicantur collocata in montibus sanctis? quia ex montibus altis splendores, & influentiæ descendunt in valles: sic omnia beneficia Ecclesiæ, & animabus ex Maria Virgine: nempè fundamenta vitæ redundantia in animas justi; item & perseverantia in charitate usque in finem: Gratia ejus relevat pauperem in adversitate: & invocatio sui nominis immittit ei confidentiam bonam: miserationibus suis repletur Paradisus (sicut lætantium enim omnium habitatio est in Maria) & à terrore ejus hostis confunditur infernalis: qui sperat in Maria inveniet thesaurum pacis, & qui Mariam non invocant in hac vitâ, non pervenient ad regnum Dei. Ergo Beatissima Virgo Maria, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis, fac ut vivamus in gratia Spiritus sancti; & perduc animas nostras ad sanctum finem. *Op.Psalt.b.Virg.Psal.86.*

PSALMUS LXXXVII.

Titulus: Canticum Psalmi filiis Chore In finem pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

1. PRIMÒ Nota, quod in titulis, ubi ponitur Psalmus,ibi agitur de operatione: ubi ponitur canticum, ibi agitur de spirituali lætitiâ: ubi ponitur utrumque, sicut hic, insinuatur, quod agitur de utroque: & ideò cum supra egerit de civitate cœlesti, in isto agitur de præparatione viæ,qua itur ad illam, scilicet de passionibus Christi, & sanctorum: invitatque ad imitationem dominicæ passionis in hilaritate, & concordi unitate: quare sensus tituli est: Psalmus hic dirigit nos in finem,scilicet in illam cælestem Hierusalem de qua supra actum est; & est canticum Psalmi,quia monet nos ad operandum in lætitia spirituali: & cantatur filiis Chore, idest imitatoribus passionis Christi, qui debent esse quasi chorus per lætam imitationem passionis respondens præceptori Christo,qui primus incæpit voluntariè pati,& cum lætitia, ut nos ei responderemus cum imitatione: & hoc est quod additur hic (pro Maheleth) idest pro choro ad respondendum per imitationem,& hic est intellectus Eman quod interpretatur frater ejus idest ut cohæreamus fratri nostro Christo & additur Ezrahitæ,idest advenæ; scilicet, nos tamquam veri Israëlitæ solum Christum considerantes, ut ipsum imitemur, & vivamus tamquam advenæ in hoc mundo.

2. *Verus servus Dei non cessat clamare ad Deum in prosperitate,& adversitate ad imitationem Christi in horto orantis.*

*Domine Deus salutis meæ in die clamavi, & nocte corâ te.*Nota,quod hic datur intelligi perseverantia, quam justus debet exercere in oratione, tum in adversitate,tum in prosperitate: *Domine Deus*: (ait)Dominus potestatem, Deus bonitatem sonat, ut sæpe dictum est: sic orans præfigit ante se Deum,ut metuendum,& amandum; & fontem salutis:dicit:*clamavi*,non dicit clamo, nempè notatur clamoris, & orationis continuatio, non inchoatio; scilicet perseverantia in die, & nocte scilicet per importunam pulsationem, non solum in die,tempore prosperitatum,sed in nocte, scilicet quantò magis vexatur, tantò magis accendi-

tur, quia servi Dei in persecutionibus non minuuntur; & hæc est vis veræ fidei. per quam sentiens se gravari fantasmare priorum visionum, & vocem orationis suæ impediri, ne pro se exorare possit ardentius clamat, & instantius. *Ps. 118. cap. 10. v. 1. & in Lucam c. 18 vers. 39.* Et nota, quod hæc oratio est quam Christus fudit in hortu pro Ecclesiâ, & pro nobis, ut ad similem imitationem excitaret: orabat enim mirabilibus suspiriis, & clamoribus cordis, & anxiis desideriis clamans ad Deum. *In Lucam c. 22. v. 44.*

3. *Oratio ut exaudiatur quid exigit.*

Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam. Cur prætendit justus, ut intret in conspectu Dei oratio ejus, & exaudiatur? quia sciebat habere conditiones perfectæ orationis: nempè devotionem, & simplicitatem quæ continet innocentiam, & rectitudinem in ordine ad Deum, ad proximum, & ad se ipsum: & hæc est oratio, quæ à Deo auditur. *Psalm. 87. & 118. cap. 11. vers. 0.*

4. *Anima repleta malo culpa, proxima est Inferno.*

Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit, æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Nota quod hic ad litteram loquitur Christus, qui in passione sua repletus est malis pœnæ, non culpæ, & descendit postea ad inferos factus inter mortuos liber: Mysticè hoc potest dici à peccatore existente in peccato, qui habet animam peccato infectam, & ob id repletam malis omnibus, & propinquus vivit inferno. *In Ioan. c. 15. v. 0 & collat. 43. & op. comp. Theol. l. 3. c. 7. Psal. 118. c. 4. v. 13.*

5. *Christus in descensu ad inferos, alios liberavit, alios damnavit.*

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Nota, quod in his verbis innuit descensum Christi ad inferos, in quo claustra confregit, tyrannum baculavit, & suos liberavit; nempè dæmones, quorum non est memor amplius, sicut vulneratos reliquit, & spoliatos omni potestate; & sanctos liberavit. *Psal. 87.*

6. *Infælicitas qualis eorum, qui de manu divina misericordia repelluntur: & in manum peccati, & damnationis cadunt.*

Et ipsi de manu tua repulsi sunt. Quid est repelli de manu Domini? idest de manu misericordiæ salvantis, non de manu justitiæ damnantis uti sunt qui peccato vulnerati, dormiunt in peccato, qui tandem sub manu justitiæ Dei vindicantis cadunt. *in sap. c. 13.*

7. *Quomodò omnes pœnas hujus mortalis vitæ Christus passus est.*

Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Nota: hæc sunt verba Christi in passione positi: sed quomodò dicitur, quod omnes fluctus pœnarum induxerit super ipsum Pater? ergone omnes pœnas Christus passus est hujus vitæ? certum enim est, quod multa genera tormentorum martyrum non est passus ut trucidatio, jugulatio, & similia? sed respondetur, quod dicit omnes fluctus pœnarum non quantum ad varietatem, seu multitudinem, sed quantum ad æquivalentiam; intensionem, & acerbitatem: & hinc comparantur baptismo ob universalitatem. Vide ergo, ô anima quomodò Christus omnes pœnas pro te sustinuit. *l. 3. d. 16. a. 1. q. 1. & in Thren. c. 3 & in Lucam c. 12. v. 50.*

8. *Ubi est amor in Deum ibi unio cum Deo: ubi tepiditas amoris, ibi alienatio.*

Longè fecisti à me notos meos, posuerunt me abominationem sibi. Ecce quid fecerunt discipuli in passione Christi, qui omnes fugerunt, & Petrus à longe sequebatur eum, & de hoc conqueritur Christus: sed cur hæc querimonia? quia sciebat, quod ubi est amor, ibi est unio, ubi tepor amoris, ibi alienatio. videbat autem hunc teporem in discipulis, & ideò de hoc conqueritur. *In Lucam cap. 12. vers. 14.*

9. *Sicut Christus traditus est in manus inimicorum, sic anima spiritualiter.*

Traditus sum, & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia. Nota; hæc sunt verba Christi exprimentia quomodò antequam occideretur corporaliter, traditus est à Juda Discipulo, & ipse non est egressus scilicet non ostendit suam potentiam, & divinitatem, & post traditionem, oculi ejus, scilicet Apostoli languerant præ inopia, scilicet fidei: sed moraliter hoc potest dici ab animâ, quæ non egreditur, scilicet non contradicit illusionibus diaboli: traditur enim anima suggestionibus malis per amorem temporalium concupiscentiarum, proximorum displicentiam, & propriam complacentiam; & ideò Christus ut pro his satisfaceret, voluit à Juda tradi. *ser. 2. Dom. quinquag. In Lucam c. 18. v. 32.*

10. *Infirmi spiritualiter, non mortui à Deo sanantur.*

Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt tibi? Quasi diceret non: sed quomodò Deus non suscitat mortuos? nonne plures mortui suscitati sunt? sed notâ, quod per mortuos intelligit obstinatos, istos Deus non suscitat: sed benè infirmos, qui recurrunt ad medicum: nempè curvos, languidos, cæcos, surdos, & claudos, dum ad medicum Christum recurrunt pro sanitate. *Psal. 87.*

11. *In sepulchro culpa putrescentes non suscitantur à Deo; sed de sepulchris surgentes.*

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nota illud: *in sepulchro*; non dicit de sepulchro: In sepulchro sunt, qui putrescentes jacent obstinati in sepulchro peccati: isti non suscitantur à Deo; sed tantùm de sepulchro surgentes, & gratiam, & inspirationem divinam amplexantes. *ser. 3. Dom. 6. post Pentecost.*

12. *Christus*

12. *Christus à puero paupertatis angustias, & labores, & pœnas incœpit pati.*

Pauper sum ego & in laboribus à juventute mea; exaltatus autem & humiliatus sum, & conturbatus. Nota, quod Christus dicit à juventute, seu ut textus hebræus legit *a puero*; quia penurias magnas, labores arduos, & afflictiones corporis constantissimè à pueritiâ assumpsit: exercuit enim paupertatem extremam, laboravit, passus est & interius, & exterius à prima die nativitatis usque ad mortem: & puer egregie, ac delicate, rex cœli, & terræ quantum laborasti pro nobis, & quàm cito cœpisti! *Op. meditat. vita Christi c. 13. & op. de perfec. vita c. 6. & op. comp. Theolo. l. 4. c. 21. In Lucam c. 1. v. 7. & c. 13. c. 22.* Nota etiam, quod dicitur exaltatus, & humiliatus, scilicet exaltatus quia humiliatus. *in Lucam c. 3. c. 22. & c. 14. v. 9.* Et hinc suo exemplo laudabilem, & desiderabilem reddidit paupertatem, labores, & pœnas. *in Lucam cap. 16. vers. 3.*

13. *Excessus misericordiæ Christi in nos expenditur.*

In me transierunt ira tua, & terrores tui. Vide quomodo Christus nullum modum habuit in patiendo, ut nos sanaret, & justificaret: nam in hac justificatione fuit opus sine exemplo: humilitas sine modo, gratia sine merito nostro, bonum sine principio; ostendit autem potentiam in opere, charitatem in humilitate, & pœna, benignitatem in gratiâ, & largitatem in munere. *Psalm 87.*

14 *Homo in mari hujus Mundi, si non vult submergi maximè in morte debet manere in navi pœnitentiæ.*

Circundederunt me sicut aqua tota die, circundederunt me simul. Et quinam sunt isti obsidentes, & circundantes justum? Nota quod non exprimit hoc, ut intelligas, quod homo dum in mari hujus vitæ manet, circundatur continuè aquis miseriæ, & fluctibus tentationum, quandiu durat dies hujus vitæ: repetit denuò: *circundederunt me simul:* quia hoc dæmones continue id faciunt, maximè in morte, ut prosternant in inferno: Tu ergo ne submergaris, maneas in navi pœnitentiæ quotidie: sic evades & salvaberis. *ser. 3. Dom. 9. post Pentec.*

15. *Amici ficti deserunt alium amicum in tribulatione positum, sicut factum est cum Christo tempore passionis.*

Elongasti à me amicum, & proximum meum, & notos meos à miseria. Vide quomodò omnes amici Christi videntes ipsum pauperrimum, & despectum, elongaverunt se ab ipso, solâ Mariâ exceptâ. sic facit mundus, sic & amici ficti deserunt despectum, & pauperem in necessitate, & tribulatione positum. *in Lucam c. 23. v. 49.*

16. *Conqueritur Christus continuè de Christianis ipsum deserentibus, & recusantibus pati cum eo.*

Elongasti à me amicum, & proximum meum, & notos meos à miseriâ. Nota, quod hæc Christi querimonia non solum fit pro tempore passionis, sed continuè, quia hoc patitur à notis suis, scilicet à multis Christianis, qui fugientes Christum imitari in Passione elongant se ab ipso Christo: Nolite itaque ô fideles, nolite fugere, nolite Christum crucifixum in medio latronum relinquere; redite ergo, obsecro, & eamus, & moriamur cum eo. *Op. stim. p. 1. c. 15.*

17. *Psalmus iste dirigitur ad Mariam Virginem ut in tribulationibus hujus vitæ nobis præbeat suum auxilium.*

Domina auxiliatrix salutis meæ, in die clamavi, & nocte coram te: in die prosperitatis, in nocte adversitatis: ingrediatur oratio mea in conspectu tuo, consolare cum facie tua mæstitiam meam: multiplicata sunt mala in animâ meâ expurga eam de sordibus, & peccatis: Virtus tua persequatur inimicos nostros, ne nos impediant ad salutem: confer gratiam animæ ad resistendum eis: conforta cor nostrum contra concupiscentiam carnis. *Opusc. Psalt. Beat. Virgin. Psal. 87.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

18. *Paupertas, & pœnitentia Mariæ Virginis qualis.*

Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. Nota, quod hæc dicta sunt à Christo; & etiam à Mariâ Virgine: ipsa enim fuit inter omnes pauperrima: nam in toto cursu vitæ suæ fuit amatrix paupertatis; & tamquam paupercula in necessitatibus omnium, quæ vitæ humanæ sunt necessaria, & simul in laboribus, vixit Regina Cœlorum: Videat hoc quicunque pauper, & tribulatus, & libenter ad exemplum Mariæ, patienter eam toleret. *Op. specul. B. Virg. lec. 4. & op. medit. cap. 5. 6. 7. & 12.*

19. *Tempore passionis, & crucifixionis Christi, omnes dereliquerunt Christum, solâ Mariâ excepta.*

Elongasti à me amicum, & proximum meum, & omnes notos à miseria. Vide quomodo Christus fuit ab omnibus notis: sed numquid etiam à B. Virgine Matre? minime: legitur, quod stabat juxta crucem Iesu Mater ejus: ergo sola Maria verè remansit cum eo, & cum Mariâ Virgine cæteræ Mariæ: associemus ergo & nos Mariam, & stemus cum ea juxta crucem. *Op. stim. p. 1. cap. 15. & in Lucam c. 23 v. 4?.*

PSALMUS LXXXVIII.

Titulus: Intellectus Ethan Ezrahelita.

1. PRIMÒ Nota, quod cum præcedens Psalmus egerit de tribulationibus Ecclesiæ, & terminet per miseriam: Iste, ut erigat animam per spem in Deum, incipit à Dei misericordia: Ethan interpretatur robustus: & datur intelligi, quod solus robustus spiritualiter confidit verè in misericordia

 Dei,

Dei, erectus per spem : & quis est iste robustus ? qui non est pravus, malevolus, malignus, & pessimus : Pravi sunt, qui modò flent commissa, modò flenda committunt, quia in tempore tentationis recedunt : malevoli sunt, qui cum opportunitatem peccati non habeant, voluntatem tamen malam habent : maligni sunt, qui non solùm peccant, sed alios etiam ad peccatum trahunt : pessimi sunt, qui credunt se sanctos esse, & tamen sunt pessimi : in primis Sathanas hospitium habet, quia more hospitis aliquando recedit, si tamen pulsat invenit ingressum : In secundis habet tabernaculum, licet non semper ; idest licet non perducat ad effectum, habet tamen semper voluntatem eorum : In tertiis habet Castrum, quod difficile expugnatur, quia tales difficile corriguntur : in quartis Templum, quia seipsos penitus Diabolo dederunt, ejicientes Arcam Dei. *Psal.* 85.

2. *Spes vera in Deum excitat animam ad cognitionem divina misericordia. & ad eam laudandam in cantico.*

Misericordias Domini in æternum cantabo. Cur nunc excitatur ad cantandas laudes Dei misericordiæ ? Hic est effectus spei in Deum: hæc enim proponitur in hoc Psalmo, & ideò qui spem in Deum habet, etiam misericordiæ Domini laudes decantat : & hoc canticum est in laudem gloriæ Christi, cujus sanguine liberati sumus, & ideò in hac, & in futurâ vitâ hoc cantico nihil jucundius, & simul efficacius ad expugnandum tentationes, & pericula hujus vitæ. *In Psal.* 118. *c.* 6. *v.* 13. *& op. soliloq. c.* 4.

3. *In hac vita per contemplationem, & in Cælo per gloriam misericordia Dei dicitur ædificari in Cælis.*

Quoniam dixisti : in æternum misericordia ædificabitur in Cælis : præparabitur veritas tua in eis. Quomodo in cœlis dicitur misericordia Dei ædificari ? nonne est attributum Dei æternum, & infinitum ? Nota, quod dicitur de viris contemplativis, qui se exercentes in contemplatione æternorum, ædificant pro se misericordiam in cœlis : quia ruinæ Angelorum factæ per superbiam, reædificantur in Cœlis per misericordiam Dei : & ad hoc ædificium debent in hac vitâ lapides vivi secari, & poliri per adversitates & pœnitentiam ? quare justus dicit : Hic ure, hic seca, ut in æstate futuræ vitæ in ædificio cœlesti lapis ponatur. *ser.* 3. *Dom.* 6. *post Pentec. & Psalm.* 118. *cap.* 6. *v.* 13. Hincque subditur: *præparabitur veritas tua in eis, disposui testamentum electis meis.* Quia tali ædificatione verificantur veritates à Deo expressæ, & promissa suis electis facta.

4. *Dei promissiones factæ David de Christo, ordinata ad salvandum hominem.*

Disposui testamentum electis meis. Quodnam testamentum ? *Iuravi* (ait) *David servo meo : usque in æternum præparabo semen tuum* : quasi dicat Pater : ego promisi, quod semen filii mei, quod sunt Christiani, manebit in æternum in regnum, scilicet quod fulgebunt sicut sol in regno meo : sicut è contra, quod impios puniet in inferno sævissimè. *ser.* 1. *Dom. Trinit.*

5. *Prædicatores sunt Cæli enarrantes mirabilia Dei, & veritatem fidei.*

Confitebuntur Cæli mirabilia tua, & veritatem tuam in Ecclesiâ seniorum. Qui sunt isti Cœli, nisi Prædicatores. & Doctores Sacri : & dicuntur cœli, quia cœlesti more alios rore cœlestis gratiæ infundunt, & humore devotionis ad compunctionis gratiam ipsos provocant, & invitant : & veritatem fidei exponunt, confitentes, non abscondentes mirabilia Dei : nempè potestatem Dei, gloriam, & magnitudinem. *Op. Eccles. Hierar. p.* 4. *c.* 5. Et hinc addit : *quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei Deus qui glorificatur &c.*

6. *Viri contemplativi cælestes homines sunt, qui mirabilia fidei in se sentiunt, & fiunt per experientiam horum mirabilium robusti, & firmi in fide.*

Confitebuntur Cæli mirabilia tua. Qui Cœli ? nisi cœlestes viri, nempè contemplativi, qui meditantes cœlestia, & in se experimento sentientes, mirabilia Dei fiunt Ethan, scilicet robusti, & firmissimi in unitate fidei, sentientes de Deo altissimè, pijssimè, & verissimè. *sermon.* 9. *Hexaem. in fine.*

7. *Confessio rectè facta peccatorum transfert hominem in cælestem virum.*

Confitebuntur cæli mirabilia tua. Confessio est actus intellectus, & voluntatis, quomodò hic attribuitur Cœlis, qui sunt rationis expertes ? sed loquitur sacer textus metaphoricè : scilicet de homine confitente rectè peccata sua : confessio enim transfert homines in viros cœlestes : requiriturque, quod sit voluntaria nuda, & munda : voluntaria secundùm originem, scilicet quod à voluntate oriatur, nuda secundùm qualitatem, scilicet cum omnibus circumstantiis : & munda secundùm finem, ut propter Deum sit facta. *Psalm.* 18.

8. *Potentia Dei dignoscitur ex veritate rerum à Deo creatarum.*

Domine Deus virtutum, quis similis tui? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Nota seriem horum verborum, quæ continent maxima mysteria : Intendit autem Propheta exaltare potentiam Dei infinitam, ex hoc, quod veritas Dei est in circuitu ejus : quid est hæc veritas ? veritas hæc est ipsa entitas Dei verissima, quæ est causa rerum, & causa cur res sint menti divinæ conformes, & ideò quia à Deo creatæ, cū hac conformitate ad veritatem divinam, sunt veræ in se. *Ps.* 118. *c.* 10 *v.* 50. Nota etiam, quod addit : *Tu dominaris potestati maris : motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Per hoc sequitur Propheta enarrationem potentiæ Dei in omnes creaturas, quam præcipuè ostendit in mari, mitigando, quando vult, motum fluctuum ejus: Ex quo patet, quod Deus, licet sinat suos concuti fluctibus tentationum, & persecutionum, non tamen sinit supra posse, sed mitigat hos fluctus, ut ad pœnitentiam, & salutem perveniant per istas adversitates. *In Lucam c.* 8. *v.* 24.

9. Deus

9. *Deus per adversitates superbum ad humilitatem veram inducere conatur.*

Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. Nota hic,quod ad litteram dat intelligere, quod Christus sua humilitate vulneravit, & confudit diabolum: Mystice docet,quod per tribulationes,& adversitates Deus vulnerat superbum, & ipsum ad humiliationem convertit, vera autem humilitas quatuor exigit: scilicet lachrymarum effusionem, quæ vulnera peccati lavat; carnis mortificationem quæ vulnera Dei corrigit,& siccat,& eleemosynarum largitionem, quæ alligat vulnera, contrita consolidat,& sanat; & orationis devotionem, quæ sanitatem conservat.*Psal.*88.

10. *Via purgativa est fundamentum vitæ spiritualis.*

Iustitia,& judicium præparatio sedis tuæ. Cur justitia, & judicium dicitur præparatio sedis Dei, & non potius misericordia? Nota, quòd hoc judicium,& justitia proponitur respectu Deo servientium; datque intelligere, quod qui vult ad statum perfectionis ascendere, debet prætermittere pro fundamento actus justitiæ, & judicii: & quinam sunt? sunt actus pœnitentiales, actus inquam spectantes ad viam purgativam animæ: in qua exercetur judicium, & justitia: Judicium nempè,ut sicut à Creatore suo,se avertendo, (sicut fit in omni peccato mortali) ipsum contempsit, Creatorem pro creatura lamentabiliter relinquendo, sic ipsa humilietur totaliter, ut humiliatio ipsius incipientis, in tantum ipsius clementiam provocet,in quantum ipsius contemptus divinam contra se sententiam in peccatis anterioribus provocavit, oportet etiam, ut ibi sit justitia, nempè ut anima satisfaciat quantum potest divinæ injuriæ per opera pœnitentiæ: & hoc est fundamentum totius fabricæ spiritualis, nam per talem viam purgativam sit præparatio sedis Dei, per quam Deus postea in anima dedita contemplationi, & unioni per vitam contemplativam, & amorosam,& per unitivam, permanenter habitet in ea. *Opusc. myst. Theol. in prol. & cap.*1. *p.*1.

11. *Peccatum aufert sedem Deo, pænitentia eam restituit.*

Iustitia,& judicium præparatio sedis tuæ. Quæ est hæc sedes Dei? hæc est anima, quæ per peccatum Deo aufertur,sed per pœnitentiam perfectam restituitur, nempè per judicium quoad seipsum, & per justitiam,quoad proximum. *fer.* 2. & 4. *in die cinerum.*

12. *Misericordia,& veritas præcedunt faciem & adventum Dei.*

Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam. Nota quòd dicit misericordiam,& veritatem,ut intelligamus, quod ista duo inseparabiliter sunt necessaria ad adventum Domini in animam: nam consideratæ ex parte Dei, misericordiâ Deus protegit peccatores: veritate justos:primâ parcit:2. corrigit: prima non repellit pœnitentes ab indulgentia:2.puniens, causam nostram,non personam respicit.*Psal.*16.& 26.& 50.& 56.

13. *Quomodo beatus est Populus qui scit jubilationem.*

Nota, quòd hæc jubilatio est ineffabile gaudium mente conceptum, quod nec abscondi, nec sermonibus aperiri potest, & tamen motibus quibusdam proditur: sciri potest, sed non explicari: Beatus igitur ille, qui scit jubilationem. *Opusc. solilog.c.*1.& *op. de prof relig.p.*2.*c.*72.

14. *Judices, ut justitiam rectam exequantur, indigent lumine Dei.*

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in justitia tua exaltabuntur. Nota. quòd primò iste Rex proponit lumen Dei, ad hoc ut ipso præcedente in justitia exaltetur, quid sibi vult in tali ordine? dat intelligere, quod Judices, & Principes debent pro viribus divinam justitiam imitari, & ne errent per ignorantiam, indigent divino lumine illustrari, nam qui hoc lumine illustrantur,sine offendiculo ipsius justitiam exequuntur, unde hanc petere debent illustrationem à Deo,ad hanc inhiare & respicere,ut possint cum istu sancto rege dicere: *Domine in lumine &c. op. Eccles. Hierarch.p.*2.*c.*2.

15. *Christus est lumen, & lucerna nostra nos dirigens in opera justitia.*

Domine in lumine vultus tui. Quodnam est hoc lumen vultus Dei? Nota, quòd hic est Christus: est enim lucerna habens lumen divinitatis in vase humanitatis, præcedit Christus tenens lucernam: sequitur Christianus tenens exempli semitam: proposuit Christus humanitatem lucentem ex divinitate, extulit lucernam, ut videamus in fide,ambulemus in operatione, & dirigamur imitatione: hoc lumen viam ostendit, à scandalis,& fovea nos custodit.*Psal.* 118. *v.*105.

16. *Quænam virtutes ad perceptionem gloriæ Dei in hac vita conducunt.*

Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Nota, quod tres sunt præcipuè virtutes, quas in præsenti attingere possumus, & quæ nos conducunt ad gloriam Dei: prima est querimonia tribulationis, scilicet conversio perfecta ad Deum: 2. insufficientia laudis,scilicet pudor de confessione, & simul timor de injuncta satisfactione: 3. hilaritas mentis, scilicet fervens desiderium regni Dei: prima est alliciens ad se: secunda convertens in se: tertia informat in se secundum se. *Psalm.*83.

17. *Humanitas Christi sanctissima, quia à Verbo assumpta.*

Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israel regis nostri. Vide quomodò sanctitas Verbi, quod assumpsit carnem nostram fecit hanc sanctam: quia à sancto sanctorum assumpta est: Unde solum Christus dicitur absolutè sanctus.*fer.*1.*Dom. Trinit.& in Lucam c.*17.*&*.34.

18. *Incarnatio Verbi opus purum divina misericardia.*

Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Nota mysterium horum verborum exprimentium opus incarnationis : dicit igitur ; *inveni*; ut innuat gratuitam dilectionem; scilicet quod hoc opus fuit puræ misericordiæ Dei : addit, *David*: scilicet electi fortitudinem : addit, *servum meum*, scilicet ejus humilitatem : addit, *unxi eum*; scilicet regiam dignitatem : addit, *oleo sancto meo*; scilicet per gratiæ pulchritudinem : hæc omnia in Incarnatione Christi concurrerunt. *Psal.* 88.

19 *Deus alios invenit per gratiam, ut repleat eos donis alios per justitiam, ut puniat.*

Inveni David servum meum, oleo sancto unxi eum. Nota hoc verbum, *inveni*: invenire est opus studij, & dat intelligere, quod inventio per gratiam est merè studium Christi, scilicet per gratuitam dilectionem absque meritis nostris, & tali pacto aliquos invenit per gratiam, ut oleo donorum eos repleat, quos vero invenit in cloaca peccatorum, in eos exercet justitiam, ut puniat ob eorum demerita. *ser.* 1. *Dom.* 3. *post Pentecost.* & *in Lucam c.* 15 *v.* 14.

20. *Christus manus, & brachium nostrum.*

Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Quæ est manus, quod brachium Dei? Hic est Christus, qui dicitur manus Dei Patris in operando, quia per ipsum facta sunt omnia, dicitur & brachium, quia protegit nos in omni tribulatione, & adversitate, & dextera est in præmiando. *Sap. c.* 5.

21. *Christi dignitas agnita à regibus, & fidelibus super omnes reges terra.*

Et ego primogenitum ponam illum, excelsum pra Regibus terra Ecce qualiter positus fuit Christus à Patre in mundo : excelsus præ regibus terræ, & ut talis cognitus, & adoratus fuit à regibus, & fidelibus. *ser.* 2. *in Epiphan.*

22. In æternum servatur, & ostenditur misericordia Dei per Christum: unde dicitur hic à Patre. *in aternum servabo illi misericordiam meam. Ps.* 118. *c.* 6. *v.* 13.

23. *Qui justitias Dei prophanant, à Deo puniuntur, ut convertantur.*

Si justitias meas prophanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Vide quales effectus peccatum gignit in nobis : nam prophanantes mandata Dei, à Deo corripiuntur multiplici flagello, ut resipiscant, & convertantur, & nota, quod dicit, *visitabo in virga*: cur in virga? quia allusio fit ad percussionem virgæ, qua Moyses extraxit de lapide aquas multas : sic Deus immittit flagella, ut per ipsa tanquam per virgam percutiat cor durum peccatoria, & hinc extrahat aquas contritionis, & conversionis, quia hic est finis percussionum Domini. *Psal.* 118 *c.* 8 *v.* 6. & *in thren c.* 1. & *ser.* 4. *Dom.* 2 *post octa. Pascha* & *in Luc. c.* 1. *v.* 79.

24. *Deus cum immittit flagella, tunc ut Princeps visitat Provinciam suorum.*

Visitabo in virga iniquitates eorum. Cur in virga? quia est instrumentum, & signum auctoritatis Principis in malos : sic Christus immittens flagella, tunc dicitur exercere munus legati visitantis Provinciam, ut corrigat, & puniat malos, & bonos præmiet. *In Lucam c.* 1. *v* 79.

25. *Veritas, & promissiones sacra scriptura sola sunt perpetua, & firma; qua rebus creatis innituntur infirma, & instabiles.*

Neque prophanabo testamentum meum, & qua procedunt de labiis meis non faciam irrita. Vide quomodo Deus munit suas promissiones, dum se protestatur, quod istæ sunt firmæ, & stabiles in æternum ut intelligas, quod solæ illæ innixæ divinis promissionibus factis in Sacra scriptura sunt firmæ, quæ providentiæ humanæ innituntur, vanæ sunt, & inutiles. *Op. de Eccl. Hier p.* 4. *c.* 4. & *Psal.* 49.

26. *In justis, & fidelibus collocat Deus suum thronum, suntque semen Dei.*

Et ponam in saculum saculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli; semen ejus in aternum manebit. Jam supra dictum est, quod semen Filij Dei sunt fideles, & justi : hoc semen manebit in æternum, quia in mentibus eorum, maximè contemplativorum specialiter, requiescit, sicut in throno nobilissimo. *Op. de Eccle. Hierar. p* 4. *c.* 4. & *ser.* 1. *Dom. Trinis* Et nota, quod dicit : *Thronus ejus erit sicut dies cœli*: quid est sicut dies cœli? quia dies cœli sunt longi, clari, & rotundi: dies mundi sunt tædiosi, breves, & noctes habent periculosas : sic dies justorum sunt dies cœli; dies mundanorum sunt dies mundi.

27. *Sol, & luna repræsentatur in Pralatura.*

Thronus eius sicut sol in conspectu meo semper. & sicut Luna perfecta. Cur justitia assimilatur soli, & lunæ? quia Prælatus exercens justitiam est sicut sol quantum ad documenta virtutis, vel quantum ad scientiam: item ut sol quantum ad judicandum, luna quantum ad miserendum: Ideò in his verbis repræsentatur spiritualis cathedra, sive doctrinæ sive prælaturæ, sive judiciaria. *ser.* 13. *Hexaem.*

28. *Justus camparatur Soli, & Luna ab humilitatem, per quam sunt thronus Dei.*

Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta. Nota, quod rectè justi comparantur soli, & Lunæ : nam sicut sol & luna, licet sint corporali dimensione, & virtuali effectu, & operatione maxima sydera secundum sensus aspectuum, tamen reputantur minima : sic justi quantò minùs reputantur, tantò sunt majores, & uti dicuntur Thronus Dei; quia sic se indignos reputantes ad cœlestia obtinenda se disponunt, & ad Deum suscipiendum magis habilitantur, per quod ad tranquillitatem supernaturalem perveniunt. *Op. Eccles. Hier. p.* 1. *c.* 4.

29. *Ecclesia*

29. *Ecclesia militans, & triumphans, & fidelis anima dicuntur thronus.*

Et thronus ejus. Mysticè hic thronus est Ecclesia militans, & triumphans, & fidelis anima, in quibus, ut in throno residet Deus. *Psal* 88.

30. *Deus permittit aliquando, ut mali saviant in bonos, & exaltentur per potentiam super eos, & hoc ad majus ipsorum meritum, & exaltationem.*

Unde dicit hic Propheta. *Exaltasti dexteram deprimentium eum*: quod intelligitur ad litteram de depressione Christi facta à Judæis; & mysticè dicitur de depressione bonorum facta per potentiam, & superbiam malorum, hocque ad majus ipsorum meritum, & exaltationem. *Psalm.* 36.

31. *Maximum signum iræ Dei, cum homo desertus remanet sepe Angelorum, Doctorum, & lege divina.*

Destruxisti omnes sepes ejus. Nota hic ad litteram loquitur Deus de Populo hebræo, qui privatus est à Deo sepibus; nempè munitione Angelorum, doctrinâ Prophetarum, & lege & sanctuario, scilicet sacrificiis. Cum ergo Populi remanent privati his sepibus, signum est maximum iræ Dei. *Psal.* 88.

32. *Infelix anima, qua privatur gladio spirituali.*

Avertisti adjutorium gladij ejus. Quisnam est iste gladius cujus adjutorio populus Hebræus est privatus? Nota, quod hoc dicitur de eodem Populo; & etiam de pluribus perversis, qui permittente judicio Dei, privantur adjutorio gladii Dei. Hic gladius est verbum Dei; est & meditatio judicii Dei, pœnarum inferni; est & interna persecutio, & tribulatio temporalis, hæc enim adjuvant nostram prædestinationem. *Psal.* 88.

33. *Homo liberatur à morte peccati per gratiam pœnitentialem.*

Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? Nota, quod hic dat intelligere, quod ille vivet vitâ gratiæ, & non videbit mortem culpæ, qui eruet animam suam de manu inferi, exercendo se in operibus pœnitentiæ *fer.* 3. *Dom. Pentec.*

34. *Contra multiplicem miseriam hominis, Deus opposuit multiplicem misericordiam.*

Ubi sunt misericordia tua antiqua Domine? Quomodo dicit misericordiæ in plurali? Nonne est unica Dei misericordia, cum sit unus in se? Nota, quod dicit in plurali, quia multiplex est Dei misericordia quoad effectus, quos opposuit multiplici miseriæ hominis: per quod patet quàm pius, & bonus est Deus in homines. *fer.* 2. *in Epipha.*

35. *Commutatio Christi ad nostram salutem multiplex.*

Quod exprobraverunt commutationem Christi tui. Quaenam fuit hæc Christi commutatio? Hæc fuit multiplex, scilicet in consecratione corporis, & sanguinis; in passione; in resurrectione, & in transfiguratione, quæ omnes ordinatæ sunt ad nostram instructionem, & salutem. *Psal.* 38.

36. *Maria est laudanda à nobis & ad ipsam recurrendum confidenter: & ad hoc sensus hujus Psalmi convertitur.*

Misericordias tuas Domina in sempiternum decantabo, unguento pietatis tuæ medere contritis corde, & oleo misericordiæ tuæ refove dolores nostros: gratiosus tuus vultus mihi appareat in extremis: formositas faciei tuæ lætificet spiritum meum egredientem: excita spiritum meum ad amandum bonitatem tuam: excita mentem meam ad extollendam nobilitatem, & pretiositatem tuam: & libera me ab omni tribulatione mala & ab omni peccato custodi animam meam. *Op. Psal. B Virg. Psal* 88. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

37. *Maria Virgo Mater misericordiæ, quia in ea genita est, & ædificata.*

Quoniam dixisti: in æternum misericordia ædificabitur in Cœlis, præparabitur veritas tua in eis. Quomodò dicitur misericordia ædificari in Cœlis, & veritas præparata, & exposita in eis: nonne æterna est misericordia Dei, & ante creationem cœlorum subsistens? sed nota, quod hic loquitur de Incarnatione facta in utero B.V. hæc enim est Cœlum Cœlorum, & ideò, quia in ejus utero genitus est salvator, & Redemptor, & fons misericordiæ: hinc dicitur misericordia in ea ædificata, & veritas Dei exposita: Et ideò rectè ab Ecclesia dicitur Mater, & Regina misericordiæ; quia in ea non reperitur nisi misericordia: nam pro miseriis facta est Mater Dei, & misericordiam insuper genuit; & demum officium miserendi ipsi commissum est. Undique ergo solicita est de miseris, undique misericordia vallata est; & solum misereri videtur appetere: Salve ergo Maria regina, & Mater misericordiæ: fac ut de cætero sub solo tuo regimine militemus, & miserere nostri. *Op. stim. div. am. p.* 3. *c.* 19.

38. *Beatus qui Mariam dignè glorificat, & laudat.*

Beatus populus, qui scit jubilationem. Quænam est hæc jubilatio per quam dicitur homo beatus? Jubilatio est laus Dei: est & laus Beatæ Virginis: dicit enim ipsa. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad postes ostii mei.* Beatus igitur est Populus habitatorum Cœli, qui laudant incessanter, & laudabunt in æternum Mariam: beatus item viator, quia impendens Mariæ sacrificium laudis, inebriatur ab uberibus dulcoris ejus, eique dat sponsum suum filium, & coronam de liliis Paradisi. *Op. Psalt. B.V. Psal.* 46. & 18. & 32. & *op. spec. B.V. lec.* 4.

39. *Maria Virgo est lucerna nos multipliciter illuminans.*

Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Hoc etiam de Maria dici potest, in cujus lumine ambulant fideles: quia illuminat per exempla lucidissimæ suæ vitæ, per beneficia lucidissimæ suæ misericordiæ, & per lucidissimam suam gloriam: unde sine isto lumine totus mundus esset involutus in tenebris. *Op. spec. B. Virg lec.* 3.

40. *Gloria*

40. *Gloria virtutis nostra est Christus, quia assumpsit carnem ex utero Beata Virginis.*

Quoniam gloria virtutis eorum tu es: quia Domini est assumptio nostra. Nota, quòd hic alludit ad Incarnationem factam à Verbo in utero B. Virginis, ex qua processit sanctificatio nostra. *Serm. 1. Dom. Trinit.*

41. *Thronus Christi aternus est B. Virgo per quem & ipse, & Maria permanet in æternum nobiscum.*

Thronus ejus sicut sol, & sicut luna in æternum, & testis in Cælo fidelis. Nota, quod dicitur thronus Dei sicut Sol, & si u Luna perfecta in æternum. Quis est iste thronus sicut Sol, nisi Beata Virgo Maria: verè thronus adorandus sicut Sol, & sicut Luna in æternum: quia in ipsa Deus æternus permanet in æternum, ut nobis in æternum beneficia conferat: thronus, in quo Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum. *op. spec. B. Virg lec. 2. & 8. & Psalm. 88.* Ergo Beata Virgo Maria est thronus, Sol, Luna, & testis: Thronus, quia continet Deum judicem: Sol, quia producit non terræ nascentia, sed gratiam in nobis, & bonas operationes: Luna, quia repellit tenebras noctis, & ut restis causas absoluit, & liberat à dæmonibus: si igitur ô peccator judicem times, Maria tenet judicem: si pœnitens de terrenis curis cupis exire, Maria calorem solis producit: si nox adversitatum te præmit, Maria Luna est: si causis vexaris à desideriis immundis, & à spiritibus malignis, vel in morte times, Maria tibi erit testis, si eam invocasti ad videndum opera tua, & vitam: unde in confiteor dicimus: confiteor Deo omnipotenti, & Beatæ Virgini, ut & ipsa sit testis pœnitentiæ nostræ. *Ibidem specul. B. Virg.*

42. *Maria resuscitat mortuos spiritualiter.*

Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? Sed respondetur, quod vivet, qui ad vitam recurret, scilicet ad Mariam Virginem, quæ est vita, & dulcedo nostra: per eam enim datur regressus à privatione ad habitum, quia est vita mortem non timens, & mortales immortales reddens: ô vita desiderabilis, vita delectabilis, vita non senescens, imò senes ad juventutem reddens: vita, quæ nutris cœlestibus alimentis tuos alumnos. *op. sim. p. 3. c. 19.*



PSALMUS LXXXIX.

Oratio Moysi hominis Dei.

1. PRimò nota, quod hic Psalmus intitulatur oratio Moysis, non quia ipse hunc Psalmum composuerit; sed quia cum supra egerit propheta de promissis, quæ per Christum impletura erant, & quia adhuc multa non sunt completa; hic ad exemplum Moysis, qui petebat in oratione, ut complerentur promissa Dei, petitur per hanc orationem eadem impletio, & magis etiam, quia in hoc Psalmo tanguntur ea, quæ facta sunt, & promissa temporaliter filiis Israël de ingressu in terram promissionis, qui significabat ingressum in vitam æternam, ideò de hoc ingressu hic agitur.

Et hinc notandum etiam, quòd in lege Moysi promittebantur temporalia, tamquam figura promissorum æternorum, quæ postea facta sunt in lege Evangelica: & ideò, cum in divinis officiis leguntur, & cantantur cadem scripta in lege Moysi, terminantur cum cantus inclinatione, sed scripta Evangelii cum cantus elevatione quia illa ad temporalia, ista ad æterna ordinabantur. *Psalm. 19.* *Ritus Ecclesiasticus.*

2. *Christus sponsus Ecclesiæ ab ipsa multipliciter commendatur.*

Domine refugium factus es nobis. Nota: hæc sunt verba Ecclesiæ, quæ commendat Christum suum sponsum, primò à protectione, quam habet de nobis, unde dicit. *Domine refugium factus es nobis,* Secundò ab æternitate, unde dicit. *priusquam montes fierent, aut formaretur &c.* Et quia æternitas complectitur omne tempus, scilicet præteritum, sic dicit: *a sæculo:* præsens, sic dicit: *tu es,* & futurum, sic dicit: *in sæculum*, scilicet futurum. *Psalm. 89.*

3. *Vita nostra mortalis indiget protectione speciali Dei, ne in mortem cadat.*

Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem. Nota, quod ad hoc refugit Ecclesia ad Christum, quia indiget ejus protectione: sed cur addit: *A generatione in generationem?* Respondetur, quia per hoc indicatur qualitas vitæ nostræ, quæ dicitur mortalis, & simul vitalis, scilicet moralis malorum, quam ducunt in morte peccati; & physica, quæ est vita mortalis, quia est mixta cum vita, & morte, habens aliquod commune cum utroque extremorum, scilicet cum vita, & morte, & ad utramque potest flecti: & hinc, ut ab hac vita temporali fiat transitus ad veram vitam, & evitetur vita mortalis; scilicet mors peccati & æterna: ad Christum confugit, ut nos conducat ad æternam. *Psal. 89.*

4. Montes sunt Angeli ob altitudinem suæ naturæ: & quia defendunt Ecclesiam: hinc dicitur. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra. Psal. 35.*

5. *Creatoris potentia, æternitas, & excellentia expenditur: & impotentia, fragilitasque creaturarum, à quibus Deus nos abstrahere intendit.*

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a sæculo, & usque in sæculum, tu es Deus. Notanda sunt diligenter hæc verba, in quibus excellentia creatoris, & caducitas creaturæ innuitur; nam cum creatio creaturarum notatur, attribuitur eis tempus præteritum, & Deo tempus præsens, ut dignoscas, quod Deus non novit præteritionem, quia ei nihil præterit cum non subjaceat mutabilitati; & ideò omnia fecit facillimè, & sine labore: Et è contra creaturæ propria est fragilitas, caducitas, mutabilitas, vicissitudo in essentia, in forma, in loco, in tempore; quia tum est,

eſt, tum non eſt, tum unius modi, tum alterius: tum creſcit, tum decreſcit: Et hinc orat Eccleſia, ne permittat nos averti ab ipſius amore, ob amorem temporalium, dicens: ne avertas, ſcilicet ne permittas hominem reſurmatum ad tuam imaginem in humilitatem, & viliratem horum temporalium, ex hoc quod Deus vult, ut convertamur ab his temporalibus ad æterna. *Pſal.89.*

6. *Vita hominis quam caduca, & miſerabilis, & ideò deſpicienda.*

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna quæ præteriit: & cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt. Nota, quod continuat Propheta collationem æternitatis divinæ cum caducitate vitæ temporalis: & ideò dicit: quod mille anni hujus vitæ in comparatione ad æternam ſunt tamquam dies heſterna, quæ præteriit: quomodò ſi eſt præſens, dicitur quæ præteriit? quia eſt in continuo curſu ad præteritum, quia eſt ſubjecta continuæ mutationi, & viciſſitudini, & ideò anni hominis pro nihilo habentur, tamquam tempus præteritum, hocque ſæpe Spiritus ſanctus inculcat, ut abſtrahamur ab his terrenis. *Pſalmo 89. & lib.4. diſt. 44. art.1. quæſt.4.*

7. *Idem confirmatur.*

Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat. Ecce quod propheta proſequitur in exprimendo caducitatem vitæ noſtræ, eam comparando herbæ, quæ mane florens vireſcit, ſed adveniente ſole, induratur, & areſcit. Sic vita noſtra in juventute videtur florere, ſed cum ſit in continuo tranſitu; citò tranſit, & perit in morte: nempè decidit in morte, dureſcit in cadavere, & areſcit in pulvere: Et hinc patet, quam facile multi decipiantur credentes mane eſſe, vel meridiem in ſua vita, quibus jam veſpera eſt: Unde cave, ô homo ne decipiat te flos juventutis, qui tam citò tranſit, & areſcit in veſpere: & ſi Deum dereliquiſti in mane, ſaltem in veſpere ad ipſum confuge. *ſer.1. fer.1. Paſcha, ſermon.4. Domin.4. poſt oct. Epiph. Pſalm. 29. opuſcul. ſpecul. Beatæ Virgin. lec. 2. & ſerm.2. de S. Bartholom. & in Lucam cap.21. verſ.13.*

8. *Homo in hac vitâ eſt in continua morte, & continuè moritur.*

Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Quomodò poteſt dicere, quod dies noſtri defecerunt omnes, ſi adhuc vivimus? Sed attende, quod optimè dicit; nam homo, dum vivit, vivit in continuo curſu ad mortem, imò & in continua morte, dum continuè ad non eſſe tendit, & ideò continuè poteſt dici mortuus: unde Apoſtolus dicit *ad Rom.8. corpus quidem mortuum eſt*: ubi illud nomen mortuum non ſumitur pro participio, ſed pro anomalo ſignificante mortem ineſſe in homine adhuc vivente. *l.2.d.19 dub.3.& ſer 4. Dom.15. poſt Pentec.& op. ſoliloq. c.3.*

9. *Cur ante diluvium homines diu vivebant: nunc autem minus.*

Quoniam omnes dies noſtri defecerunt. Quaſi dicat: Jam antiquitus vita hominum erat longiſſima, nunc autem breviſſima: & ob id infeliciſſima. Sed cur Deus antiquis ante diluvium concedebat hanc longitudinem, poſt verò nequaquam? quia tunc ſuaviora erant cibaria, & ut comprehenderent cauſas rerum, & ſyderum curſus, quæ brevi tempore perpendi non poſſunt, & quia primi parentes comederunt de ligno vitæ, ideò diu vixerunt; & quia quantò magis ab eis elongantur filii, tantò minus vivunt, quia tantò minus habent de alimentis eorum in quo elucet divina providentia; quia ſi diutius viveremus, diutius peccaremus: ergo Deus ſæpè obtruncat vitam hominibus, ne diutius peccent. *Pſal.89.*

Nota: Deus ſæpe obtruncat vitam hominũ ne diutius peccet.

10. *Vita multorum eſt veluti tempus araneæ ordinatum ad capiendas muſcas.*

Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur. Cur ſicut aranea dicuntur anni noſtri, ſcilicet ſicut dies araneæ? Reſpondetur, quod hic loquitur in Perſona male viventium, quorum anni reputabuntur ut anni araneæ: Annus enim quatuor partes habet; ſcilicet hyemem, æſtatem, autumnum, & ver: ſic impii degunt vitam in hyeme torporis, & acediæ; in vere humiditatis corporalis laſciviæ; in æſtate caliditatis indignationis, & iracundiæ, & in autumno ſiccitatis cupiditatis, & avaritiæ; iſtaque tempora comparantur annis araneæ meritò, quia aranea facit telam ſubtilem, & inutilem, ſolumque aptam ad capiendum muſcas: ſeſe eviſcerat, multumque laborat, & cito diſſipatur, texit telam in angulis, non in plano, in horiſque veſpertinis, in domibus deſertis, & tela citò rumpitur, & rupta non poteſt reſui: ſic impii per aſtutiam mundi, & fraudes telam texunt ſeſe eviſcerando in locis deſertis, & horis veſpertinis, ſcilicet in tenebris, & deſertis à Deo: & ideò ſolum muſcas capiunt delectationum immundarum, ob id ſine fructu. *op. diat. ſalut. tit.2. c.2. & in Eccleſ. cap.12.*

Nota quatuor tempora anni moralizorquanam ſint in impiis.

11. *Myſterium ſeptuaginta, & octoginta annorum enodatur.*

Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor. Ad litteram docet, quod communis vita eſt ad ſeptuaginta annos, & ſi ad octoginta pervenit in potentatibus, ſcilicet bonæ complexionis, eorum vita eſt in labore, & dolore; quia ſenectus eſt prolixus languor: Myſticè ponit numerum ſeptenarium, & octonarium, quæ copulata conſtituunt numerum quindecimum; ſicut ſeptuageſimus, & octuageſimus conſtituit numerum centum quinquaginta; & per iſtos numeros, ſcilicet per ſeptem vetus teſtamentum, & per octo novum ſignificatur, vetus propter Sabbati obſervantiam, novum propter reſurrectionem: & hinc in templo canebantur Pſalmi quindecim graduum in aſcenſu quindecim graduum templi Salomonis: & dũ aſcendebat ſacerdos primum gradũ, cantabat primũ pſalmum, & ſic deinceps, ut indicaretur, quod per obſervantiã mandatorũ legis, homo debet pervenire

Myſterium quindecim Pſalmorum gradualium enodatur.

ad reſurrectionem. Dicit ergo, quod vita noſtra eſt ſeptuaginta annorum, ſcilicet in temporalibus; & ſic eſt vita & tempus araneæ & veluti amiſſum: per ſeptuaginta enim ſignificantur temporalia, quia eſt tempus ſignificans legis ſtatum ſcriptæ, in qua temporalia promittebantur. Si autem in potentatibus ideſt in ſpiritualibus erit vita ſignificata in octoginta annis, erit tunc præmium ſpirituale in tempore reſurrectionis. Addit: *et it eorum amplius labor, & dolor:* quia ultra hanc vitam ſpiritualem non invenitur niſi labor, & dolor. *Pſal. 29. & Gloſſ. hic.*

12. *Prælatorum munus eſt corripere ſubditos in omni potentiâ, & doctrinâ.*

Quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur. Ergonè ex manſuetudine, & non potius ex rigore provenit correptio? ſed optime dicit; qui hic inſtruit Prælatos ad exemplum Chriſti qui in omni patientiâ, & manſuetudine debent ſubditos corripere, & abſque indignatione, quia generoſus eſt animus hominis, & facilius ducitur mititate, quam trahatur violentiâ. *In Lucam c. 9. v. 57. & in Ecclen. c. 12. & op. de ſex alis ſeraph. c. 5.*

13. *Poteſtas Dei, non hominum timenda.*

Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram dinumerare? Quaſi dicat: ex quo tam brevis vita eſt homini, quomodò poteſt dignoſcere poteſtatem iræ Dei? curandum eſt ergo cognoſcere hanc poteſtatem, quam habet ſuper corpus, & animam, & vitam noſtram: poteſtatem inquam ejus, & ipſum timere; non verò poteſtatem hominis, quæ tantùm ſuper corpus poteſt extendi, & non amplius. *ſer. 2. Dom. 18. poſt Pentec.*

14. *Oratio noſtra debet tendere ad dignoſcendam potentiam dexteræ Dei, & ad hoc ut nobis infundatur ſapientia divina.*

Dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientiâ: convertere, &c. Vide quod vir juſtus poſtquam propoſuit poteſtatem Dei, orat, ut ejus notitia, cum ſapientia infundatur in corde, & ut ſic à nobis timeatur, quia initium ſapientiæ eſt timor Domini. *Pſal. 118. c. 2. v. 36.*

15. Angeli cuſtodes pro nobis quotidie orant, dicentes: *Convertere Domine uſquequo: & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos. Op. medit. vitæ Chriſti c. 37.*

16. *Repletio qualis in gloria erit animæ poſt reſurrectionem.*

Repleti ſumus mane miſericordia tua, exultavimus, & delectati ſumus nimis. Nota: hæc dicuntur in Perſona beatorum: & dicitur repleti ſumus mane, ideſt in gloria, ſcilicet omni bono: per quod denotat ſtolam Corporis, & animæ, aliter non eſſet perfecta, niſi eſſet in utroque beatitudo: denotat item æternitatem; item & ſatietatē. *Pſ. 89.*

17. *Splendor Dei in homine explicatur.*

Reſpice in ſervos tuos & ſit ſplendor Domini Dei ſuper nos. Quis eſt iſte ſplendor, qui petitur à Propheta? Nota, quòd per ſplendorem Dei intelligitur lumen divinum gratiæ reformantis animam: nam in homine eſt imago Trinitatis, quæ per ſimilitudinem gratiæ reformatur, dum peccatum aufertur ab anima: & ideò peccatum trinitatem miſeram inducit in animam, ſcilicet cogitatione, locutione, & opere. *Pſal. 89.* Nota etiam quod poſt primam quolibet die ab Eccleſia fit hæc oratio, quæ in his duobus verſibus continetur: & continet ſex petitiones pro diverſis gradibus Eccleſiæ: & primo pro Prælatis, & prædicatoribus dicitur: *reſpice in ſervos tuos:* ipſi enim ſunt ſpecialiter poſiti in ſerviendo, & miniſtrando pro Chriſto: ſecundo pro pace conſervanda in Eccleſia, dicitur: *& in opera tua:* pax enim, & concordia ſunt opera Chriſti: tertio pro ſubditis clericis, dicitur: *& dirige filios eorum:* quartò pro Regibus & Principibus, dicitur: *& ſit ſplendor Domini ſuper nos;* quintò pro laborantibus in Eccleſia dicitur: *opera manuum noſtrarum dirige.* Sextò pro contemplativis, dicitur: *& opus manuum noſtrarum: ſu. Ugo Cardin.*

18. *Convertitur iſte Pſalmus ad Mariam Virginem, quæ eſt noſtrum refugium, & refrigerium.*

Domina refugium, & refrigerium facta es nobis in cunctis neceſſitatibus noſtris: diffuſio gratiæ tuæ producit operationes tuas, & ſtillicidium dulcoris tui affectiones facit ſanctiſſimas: miſerationum tuarum Domina recordabor: ſacrificium laudis, & carmen lætitiæ pſallam tibi: qui honorant te, coronam perennem pro cinere obtinebunt: & pallium laudis pro ſpiritu mœroris: qui ſperant in te, amicti lumine induentur, gaudium, & perpetuam lætitiam ſortientur. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 89.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

19. *Privilegium ſpeciale fuit in B. Virgine reſurrectio ſui Corporis in die aſſumptionis.*

Mane floreat, & tranſeat, veſpere induret, & areſcat. Nota hoc dici de omnibus hominibus, ut ſupra tactum eſt, ſed tamen ab hac corruptione B. Virgo præſervata fuit: Nam flos ipſius corporis non exaruit, nec fuit ſubjectum corruptioni; ſed ſtatim ac anima aſſumpta eſt in Cœlum, Corpus ejus reſurrexit, & ſimul animæ unitum, aſſumptum eſt in Cœlo. *Op. ſpecul. B. Virg. lec. 12.*

PSALMUS LXXXX.

Titulus: Laus Cantici David.

1. PRIMÒ Nota, quòd cum ſupra egerit Propheta de miſeria temporis ex qua conſurgit miſeria tentationum: de hac agit in hoc pſalmo: unde de iſto Pſalmo ſumpſit diabolus auctoritatem ad tentandum Chriſtum: & quia laudabitur, qui benè pugnabit, ideò à laude intitulatur: dicitur igitur laus (non humana) ſed cantici David, ideſt Chriſti, qui primò pugnavit, & vicit, & indè laudandus, quia ejus tentatio, & victoria nobis in exemplum proponitur, & laus vincentibus promittitur: & hæc eſt intentio Pſalmi: ut ſcilicet exemplo Chriſti tentationes diſcamus vincere.

2. *Qui*

2. *Qui totam spem non in se, sed in Deo semper constituit, omnibus modis, & totus à capite usque ad pedes protegitur à Deo.*

Unde dicitur hic: *qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur: dicet Domino susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus in eum sperabo.* Unde qui semper habitat in adjutorio Dei, semper in ejus protectione commorabitur, nec declinabit ad dexteram vel sinistram, & expertus hanc protectionem potest verè dicere: susceptor meus es tu, & refugium: meritò igitur hos effectus attribuit Propheta spei in Deum; quia spes est sicut columna solida, totum ædificium spirituale sustentans: est sicut galea totum hominem, & præcipuè caput, scilicet intentionem armans: est sicut anchora servans Naveni contra tentationis impulsum. *Opusc. Diat. tit. 3, cap 4.*

3. *Diabolus venator multis artibus, & præcipuè laqueis capiens animas in malum: Christus verò venator, & piscator animarum in bonum.*

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium & a verbo aspero. Qui sunt isti venatores ponentes laqueos, & verbum asperum? isti sunt dæmones quærentes variis artibus capere animas, & eas illaqueare peccato. Nota autem, quòd per verbum asperum intelligitur multiplex modus, quo diabolus ultra laqueos decipit animas: qui à sanctis Patribus reducuntur ad hæc capita: ars, cornu, virus, equus, arcus, pallida vestis: decipulæ, laqueos, retia, tela, canes: Ars igitur, scilicet dolositatibus, cornu, scilicet susurronibus, lenonibus, & consiliariis malis: virus, quo sagittas intoxicat, est suggestio: Equus sunt carnales homines: Arcus sunt legistæ, & Advocati: Pallida vestis est mutatio diversa, qua se transfigurat Diabolus in varias formas, ut decipiat: decipula sunt sophismata mercatorum: laqueus est superbia: retia sunt malæ Mulieres, & divitiæ: tela sunt variæ tentationes: canes sunt detractores: ab istisque Deus suis artibus liberat eos, qui vivunt sub protectione ipsius, tanquam venator facet animatum. *Psal. 90. Et Vgo Card. hic.*

4. *Idem confirmatur.*

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium. Nota, quòd Diabolus dicitur venator præcipuè propter tria: primò quia insidias ponit, quia ad hoc circuit quærens quem devoret: secundò quia laqueos ponit tentationum: tertiò quia sanguinem animarum fundit, eas vulnerans, & occidens. *Psal 90.*

5. *Qui verba aspera à proximo patienter tolerat, verbum asperum Christi in iudicio non audiet.*

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. Quodnam est hoc verbum asperum? Nota: est verbum asperum hominum, quod si homo patienter tolerat in hac vitâ, verbum asperum Christi in judicio non audiet: nempè illam sententiam terribilem. *Ite maledicti in ignem æternum. ser. 4. Dom. 4 Advent.*

6. *Qui confidit in Domino in præsenti liberabitur à periculo tentationum, & in futuro à verbo Christi aspero.*

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. Scilicet, quia spem totam in Domino collocavit, ideò in præsenti liberavit me de laqueo tentationum, & in futuro à verbo aspero Christi in Judicio. *Psal. 90. & 118 ca. 7. v. 11.*

7. *Christus suos protegit abscondens, & liberans eos à persecutionibus dæmonum.*

Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Ergone Deus habet scapulas? sed id dicitur metaphoricè, ut det intelligere, quod in se ipsum confidentes, licet in se sint fragiles, tamen sub protectione sua absconduntur, & defenduntur, & veluti portantur, ne Diabolus venator eos decipiat, & capiat. *Op. de invisibilitate Dei.*

8. *Ecclesia quatuor persecutiones passa est, & patitur pro quibus orat.*

Scuto circumdabit te veritas ejus. Nota quòd in his, & sequentibus verbis Ecclesia conqueritur de quatuor persecutionibus sævissimis: & prima est violentia persecutorum, per quam occisi sunt martyres, quæ præcipuè fuit in nocte infidelitatis totius mundi: unde dicitur: *non timebis à timore nocturno*: secunda est in aperta fraude hæreticorum per diversa dogmata; unde dicitur: *à sagitta volante in die*. idest qua se in altum extulerunt hæretici gloriæ cupidi: Tertia est in malis moribus domesticorum, & falsorum fratrum; unde dicitur: *a negotio perambulante in tenebris*; quia hypocritæ mentiuntur quod non est: quarta est elatio principum; unde dicitur: *Scuto circumdabit te veritas ejus, ab incursu, & dæmonio meridiano. Psal. 90.*

9. *Arma quibus Deus munit animam sunt veritas, veritatis divinæ cognitio, & bona voluntas.*

Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno. Quodnam scutum est hoc, quo Deus sua virtute animam munit, ne à tentationibus diaboli superetur? Nota quod hoc scutum, seu arma, quibus Deus munit animam contra ictus tentationum diaboli, sunt divinorum mysteriorum cognitio, & bona voluntas, quæ Deus infundit in ea, & tunc vivit tuta contra omnes impetus diaboli. *Op. Brevil. in proœm. ad finem, & serm. 18. Hexaem.*

10. *Quatuor sunt genera tentationum periculosissimarum, à quibus anima debet totum conatum ponere, ut liberetur.*

Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano. Nota, quod hic quatuor specialiter exprimit facet textus, à quibus qui à Deo annatur, liberatur; & sunt quatuor periculosissimæ tentationes; quarum prima dicitur timor nocturnus, nempè timor de laboribus inconsuetis, quæ in principio conversionis assumi debet à pœnitente: & hanc dubietatem & tentationē appellat

 etiam

etiam aſpidem. Secunda eſt ſagitta volans in die, eſtque proſperitas ſpiritualis, ut cum quis de virtutum ſuceeſſibus vane gloriatur, & appellat etiam Baſiliſcum: Tertia eſt negotium perambulans in tenebris; eſtque dubietas, quæ oceupat animam in actibus, quos arripere debet in via pœnitentiæ, ex qua dubietate redditur anima lentior ad bonum, & pronior ad malum, & appellat etiam Leonem: quarta eſt dæmonium meridianum eſtque fraudulentia, quaodo ſcilicet diabolus ſe transfigurat in Angelum lucis, ſcilicet ſub ſpecie virtutis, inducens malum: v. g ſnadendo honeſtatem, inducit ſuperbiam; & ſic ſub ſpecie virtutis inducit aliquod malum; & hanc appellat etiam Draconem. *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem*: & quia in talibus periculis periculoſiſſimum eſt non videre periculum; hinc Propheta notat quòd in Deo, non in ſeipſo confidens, armabitur veritatis ſcuto, ut poſſit videre, quæ agenda, & quæ cavenda. *Op. Comp. Theol. l. 2. cap. 66. & Pſal 9*.

Timor nocturnus, ſagitta volans in die negotium perambulans in tenebris. & dæmonium meridianum quid ſit.

11. *Facilius eſt vinci à diabolo in proſperitatibus, quàm in adverſitatibus.*

Cadent à latere tuo ſcilicet ſiniſtro, mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem &c. Cur à latere ſiniſtro ponit caſum mille hominum, & à dextro decem millium? Nota, quòd per latus ſiniſtrum Dei ſignificantur adverſitates, & per dexterum proſperitates: dat igitur hic intelligere Spiritus Sanctus, quod periculoſiores ſunt proſperitates, quàm adverſitates, quia plures vincuntur in proſperitatibus hujus vitæ, quam in teotationibus, & adverſitatibus: benedictæ igitur ſint tentationes, quibus Deus probat ſuos. *Opuſ. Diat. tit. 10. c. 5.*

12. *Infelix eſt qui à Deo cadit.*

Cadent à latere tuo mille. Cur à latere, & non ſub latere? Nota; dieit à latere, quia illa præpoſitio (A) importat elongationem, & ſeparationem non verò præpoſitio (ſub) Ideò qui peccant mortaliter, cadunt à latere Dei, quia ab eo recedunt, & ſeparantur: qui peccant venialiter, cadunt ſob Deo, quia non amittunt Dei gratiam. *Pſal. 71.* Hæc autem ruina noo tangit illum, qui in Domino ſpem ſuam collocat; unde dicit. *Ad te autem non appropinquabit.*

13. *Spes in Deum firma altiſſimum, & tutiſſimum refugium in Deo obtinet.*

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: quoniam tu es ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Quid eſt hoc altiſſimum refugium? in qua parte ſitum eſt Reſpondetur, quod hoc refugium dicitur altiſſimum, quia in Deo eſt, & apud Deum; quia habet hæc ſpes, & expectatio pro objecto Deum altiſſimum; hæc enim Deo appropinquare facit: & ideò pacatam, & ſecuram animam reddit, quia eam collocat veluti in turri fortiſſima. *ſer. 23. Hexaem. in Lucam c. 16. v. 15.*

14. *Altiſſimum refugium noſtrum ſunt vulnera Chriſti.*

Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Si altiſſimum, in quo ſitu? in ſeipſo Chriſtus hoc refugium collocavit, nempè in vulneribus ſui Corporis: hæc ſunt loca tutiſſima contra diabolum, & tentationes, ut in ipſis intremus, & ſecuri, & tuti vivamus. *ſer. 1. Dom. 2. poſt oct. Paſcha. opuſc. ſtim. p. 1. cap. 1. & ſeq.*

15. *Qui in Deo innititur ſtabilis fit contra omne malum.*

Non accedet ad te malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo. Nota, quòd Propheta poſtquam locutus eſt cum Deo, vertit ſe ad hominem in Deo confidentem dicens: quod non accedet ad ipſum malum, neque flagellum, quodque verè admirationem magnam reddit; nam ſcriptum eſt, quod qui volunt pie vivere in Chriſto, perſecutiones patientur: quomodò ergo hic dicitur; *non accedet ad te malum?* Sed nota, quod dicit: non accedet ad te: ideſt non accedet tibi, nec in te intus intrabit, imò nec appropinquabit; ſed tantùm malum extra te, & longe erit: quia in te habitabit Deus, qui cum in te ſit ſtabilis, & firmus, ſic & te reddet ſtabilem, & firmum in bono contra omne malum culpæ & pœnæ *Sap. c. 7.*

16. *Chriſto non fuit deputatus Angelus cuſtos, ſed cuicumque homini præter Chriſtum.*

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Nota, quòd hæc à diabolo uſurpata ſunt, dum Chriſtum tentavit: & ſi hoc: ergo Chriſto deputatus fuit Angelus cuſtos? eſt ergo quæſtio hæc, quæ controvertitur in ſacra Theologia: cui communiter reſpondent DD. quod nequaquam Chriſto fuit facta hæc deputatio, quia cuſtodiâ tali non egebat, nec ei competebat. Adverſarius enim nec poterat opprimere per violentiam Corpus unitum divinitati, nec poterat ſeducere per aſtutias intellectum à verbo plenariè inſtructum, nec poterat allicere per blanditias affectum plenitudine gratiæ confirmatum: nec competebat, quia cuſtodia in cuſtodiente dicit præſidentiam in cuſtoditum, & Chriſto ſuberant, non præerant Angeli; ideò ipſi non fuit deputatus Angelus cuſtos: unde ſupradicta verba debent intelligi de capite ratione membrorum, quibus omnibus ob dictas rationes aſſignatur à Deo Angelus cuſtos; ſicque male uſurpata fuerunt à diabolo, attribuendo capiti, quod competit membris. *l. 2. d. 11. a. 1. qu. 5. & op. Comp. Theol. l. 3. c. 66. & op. de Eccleſ. Hierar. p. 4. c. 1.*

17. *Quanta pietas Dei in nos in deputatione Angelorum ad noſtram cuſtodiam.*

Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te: in manibus portabunt. Nota, quod hæc verba exaltant poteſtatem Dei in nos, commendant charitatem Angelorum, & ſimul excitant nos ad eorum dilectionem: Deus enim deputavit Angelos ad miniſterium noſtrum, ad ſublevamen, & adjutorium noſtrum, ut dictum eſt ſupra: qui ut Deo obediant, & in nos exerceant ſuam ipſorum charitatem, obſiſtunt nobis in malis, & peccatis ponentes ſæpe impedimenta: reſiſtunt adverſariis, & repellunt hoſtilia tentamenta: illuminant peccatores, & excitant ad pœnitentiam; interpellant pro nobis ad Deum, & impetrant gratias, & corroborant, & promovent ad exercitia virtutum,

virtutum, exhibent salutaria documenta, & revelant mysteria: mentem elevant, & inflammant, & lætificant; perferunt omnia bona nostra coram Deo, & introducunt electos ad gloriam. *serm. de S. Michaele & ser. de Angelis, & ser. 1. & 4. de Angelis, & in Lucam c. 10. v. 9.*

18. *Idem de Angelorum custodia.*

Altissimum posuisti refugium. Non accedet ad te malum quoniam Angelis suis &c. Nota quod primo Propheta præmittit altissimum refugium à Deo homini paratum, deinde promittitur ei liberari à malo; & hinc subdit rationem, nempè, quia Angelis suis mandavit de homine. Per quod innuitur convenientia custodiæ Angelicæ homini post lapsum à Deo assignatæ: hæc enim decens est tum ob altitudinem divinæ potentiæ, tum ob ordinem divinæ sapientiæ, tum ob dulcedinem divinæ misericordiæ: & primo ob altitudinem divinæ potentiæ, quia Deus vult non solùm honorari in se sed etiam in suis servis: exigit enim altitudo divinæ sapientiæ, quod Angeli, non solùm ministrent sibi, sed etiam ut ministrent creaturæ suæ: tum etiam, quia decens est ut vincat adversarios per suos ministros, ut eluceat ejus potentia in se, & in suis servis: Secundò sapientia divina regere habet postrema per media, & ideo regit, & custodit hominem per Angelos, qui sunt medii inter Deum, & hominem: Tertiò per custodiam Angelorum eluceat divina bonitas, ut nulla ex parte miseria humana remaneret sine divinæ misericordiæ subsidio. *lib. 2. dist. 11. art. 1. quæst. 1. & sequent.*

19. *Quomodò Angeli dicuntur portare custoditos in manibus.*

In manibus portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum. Quomodo dicuntur Angeli portare in manibus homines? videtur hoc falsum; nam homines seipsis gradiuntur pedibus propriis. Sed nota quod manus Angelorum sunt opera officii sui, & ministeria: & ista ad duo capita reducuntur quæ dicuntur vel manus, vel alæ: una quarum est ministerium defensionis à malo: altera est promotionis ad bonum: his alis tamquam manibus nos portant in via ambulantes. *ser. 3. Dom. 24. post Pentec.*

20. *Adjutorio Angelorum utitur Deus, ut nos vincamus omnes tentationes.*

Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Cur in medium ponit sacer textus has quatuor bestias, & non alias? quia per istas significantur omnia genera tentationum, quibus concuti potest homo, de quibus supra dictum est: nam aspis nocet morsu, Basiliscus visu, leo rugitu, & draco flatu: aspis significat initium suggestionis: Basiliscus hypocrisim, per quam homo inhiat ad prospera, & refugit adversa: leo significat diabolum sævientem manifestè, & draco eumdem occultè tentantem: contra istas, vel alias Christus adhibet ministerium Angelorum, ut superemus & triumphemus absque læsione animæ. *Psal. 90. op. comp. Theol l. 2, c. 60 sap. c. 11. & Psal. 118. v. 105.*

21. *Deus gratiâ suâ liberat hominem à capite usque ad pedes.*

Quoniam in me speravit liberabo eum A quo malo? & in quaiam parte? liberabo eum gratiâ meâ totum, scilicet ab omni defectu, nempè caput, quod significat liberum arbitrium, illuminando, & excitando cor per donum consilii, dirigendo ipsum in via salutis, & pedem, scilicet affectum à carnali concupiscentia. Hæc omnia facit divina gratia, *Psalm. 90.*

22. *Clamans ad Deum toto corde positus in tribulatione ipsum Ducem experitur.*

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum. Vide qualem pietatem suam Deus ostendit in confidentes sibi, & ad ipsum in tribulatione confugientes: dum repromittit homini, non solùm exauditionem suæ petitionis, sed in sua tentatione, tanquam felix dux, & comes sua jucunda præsentia, ipsum totaliter liberabit, & pro victoria, & fidelitate ipsius, pugnando, ipsum corona gloriæ præmiabit. *Op. Myst. Theol. c. 2. p. 2. ad 6. petitionem.*

23. *Omnes tribulationes, quas fideles Christi sustinent, Christi sunt, & Christo inferuntur.*

Cum ipso sum in tribulatione. Quid est cum ipso? Nota, quod hæc præpositio (*cum*) importat associationem, & mutuam conformitatem voluntatis. *l. 1. d. 37 p. 1. dub. 2.* vult ergo dicere, quod tribulationes, & persecutiones, quas sustinent fideles Christi, Christi sunt, & Christo illatæ: unde dicebat; *Saule quid me persequeris?* dum persequebatur fideles Christi: sed adverte, quod si vis Christum tecum in tribulatione, debes cum ipso perseverare in tribulatione, & valde vigilans esse, ne tibi dicatur: *sic non potuisti una hora vigilare mecum. ser. 3. infra Oct. Ascens. & Op. de sept. itin. aetern. itin. 4. d. 5. a. 2.* Et ideò subdit: *eripiam eum* ut nemo de divino auxilio dubitet. *ser. 3. de plur. mart. & in Lucam c. 14. v. 10. & op medit. vita Christi c. 36.*

24. *Tribulationes toleratæ pro Christo, quàm pretiosæ.*

Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum. Nota ordinem verborum: primò enim supponit Deus justum in tribulatione: secundò se protestatur esse cum ipso. Tertiò promittit liberationem: quartò glorificationem: Ecce quàm pretiosa est tribulatio pro Christo tolerata: Nam Deum veluti socium attrahit, liberationem, & glorificationem promeretur: agamos igitur gratias Patri misericordiarum, qui nobiscum est in tribulatione, & in omni tribulatione nos consolatur. Ergo res necessaria est tribulatio, quæ in gloriam vertitur quæ in gaudium mutatur, gaudium sanè longum quod nemo tollet à nobis, gaudium multum, gaudium plenum, res necessaria est, quia parit coronam. Non contemnamus igitur fratres semen modicum quod magnos exinde fructus producit. *Op. medit. vita Christi, c. 36.* Vide ergo quam mendaces sunt qui decepti, & victi à tentatione, dicunt se peccasse ob defectum auxilij Dei: hoc enim est falsissimum: nam Deus promptus est semper, & præstò ad nostrum auxilium, maximè in tribulationibus: unde ad Deum clamandum est fiducialiter,

quia Deus cum tentatione faciet proventum. *Op. de dono confitendi c.5.*

25. *Præmium quale præparatum tolerantibus tribulationes pro Christo.*

Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Cur Deus promittit longitudinem dierum tolerantibus pro Christo tribulationes, & non potius exprimit gloriam, beatitudinemque? Nota, quod dicit longitudinem dierum, ut benè opponat diebus hujus vitæ, & laboribus in ipsa perpessis: nempè ut det intelligere, quod in hac vita breves dies hominis sunt, & quod hæc vita finitur brevi, ait Job 1. & hinc opponit æternam vitam, in qua exhibetur visio Christi, quæ est tota merces, & terminus, ad quem debemus inhiare. *Psalm. 118. c. 11. v. 4. & in Lucam c. 2. v. 15.* Ecce igitur congruus finis Psalmi, ubi psallenti finis promittitur tam beatus, bonus finis est qui finem non habet & sanè cujus finis bonus, ipsum quoque bonum: unde ait: *& ostendam illi salutare meum*; scilicet Jesum meum, ut in æternum jam videat, in quem credidit, quem semper speravit: quem nobis ostendat ipse, qui promittit Pater verax, & bonus: Amen: *Hæc S. Bernardus.* Nota etiam ex Glossa, quod Ecclesia hunc Psalmum frequentat quotidie in completorio, & in quadragesima: quia cum Christus jejunasset diabolus eum tentavit de hoc Psalmo, & ejus tentationibus superatis, abscessit: ut & nos cum diabolus magis nititur ad decipiendum, eo tempore laboremus ad resistendum, in Deo fidentes, quod nos similiter liberabit, & coronabit.

26. *Maria Virgo est adjutorium altissimi, in quo qui habitat, securus est ab omni malo diaboli.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Qui habitat in adjutorio altissimi in protectione Dei Cœli commorabitur. Quodnam est hoc adjutorium altissimi? indigetne Deus adjutorio? Sed transfer mentem ad illud, *Genesis cap. 1. faciamus adjutorium simile sibi.* Quæ verba plenè non possunt intelligi de Eva; quia hæc fuit non adjutorium, sed scandalum viro, & infidelissima mediatrix perditionis: ergo de Maria Virgine verè dici possunt, quæ fuit fidelissima mediatrix inter Deum, & hominem, adjutoriumque Dei colligens malos à culpa, & impinguans bonos gratiâ. *Opuscul. specul. Beatæ Virginis lec. 9. & 5.* Qui igitur habitat in adjutorio Matris Dei, in protectione ipsius commorabitur, & concursus hostis ei non nocebit, sagitta volans eum non tanget; & Deus liberabit eum de laqueo insidiantis, & sub pennis ejus proteget eum. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. .o.*

27. *Maria posita est venatrix animarum contra venationem diaboli.*

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium. Si Deus te ô homo liberavit de laqueo dæmonum venantium, quo medio? & qua arte? Sed nota, quod mediante Maria Virgine hoc facit Deus: cum enim dæmones sint venatores animarum, quærentes rapere animas variis artibus: & Deus Mariam in Ecclesia collocavit, ut esset venatrix animarum, retia; laqueosque beneficiorum nobis expandens: accipe igitur ô Maria venatrix animarum corda nostra, & refove in sinu gratiæ tuæ: Ecce quomodo undique nos tuis beneficijs irretisti, & semper, & ubique tuæ benignitatis laqueos extendisti; ut à te Matre dulcissima fugere rationabiliter nequeamus; sed semper in tuæ dulcedinis gremio quiescamus. *Opusc. stim. div. am. p. 3. c. 16.*

28. *Altissimum refugium nostrum est B. Virgo Maria.*

Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum. Quodnam est hoc altissimum refugium? in quo situ est positum? sed nota, quod hoc est Beata Virgo Maria, verè sedes Dei altissima, & sublimissimum Cœlum, immittens suos influxus in omnes creaturas: curramus igitur ad hoc tutissimum, ac refugium nostrum: solamen sæculi, refugium gregis Christi, & nos in hac vitâ vacillante consolabit. *Op. specul. B. Virg. lec. 5. & op. laus B. Virg.*

29. *Per Mariæ patrocinium liberatur homo ab insidiis diaboli.*

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: à sagitta volante Nota, quod posito hoc adjutorio Dei, quòd habemus in Maria Virgine, rectè infertur liberatio ab omnibus insidiis diaboli, quia ad evadenda omnia pericula, Mariæ adjutorium est nobis à Deo paratum. *Op. spec. B. V. lec. 11. & in Psal.*

30. *Mariam exercitus Angelorum custodiunt, non ut superiores, sed ut Ministri, & subditi ipsi ut Reginæ obtemperantes.*

Quoniam Angelis suis mandavit de te; ut custodiant te in omnibus viis tuis. Jam dictum est Deum mittere Angelum custodem cuicumque in hac vitâ degenti: sed quæritur an Maria habuerit deputatum Angelum custodem ad modum aliorum hominum? & respondetur, quòd sicut Christus non habuit Angelum custodem deputatum à Deo, eo quod non indigebat, nec Angeli habebant ullam præsidentiam in eum, imò ipsi subjecti erant. *l. 2. d. 11. a. 1. q. 3.* idem & dicendum de Beata Virgine: & ideò Angeli subsunt Mariæ ut Reginæ, eique obediunt, & obtemperant in omnibus, unde ipsam, ut famuli sequebantur, & comitabantur, tanquam lectum Dei electissimum. *l. 3. d. 31. a. 1. qu. 4. in fund. & in Lucam c. 1. v. 38. & opusc. Psal. B. V. in hymno Te Dei Matrem. & Psalm. 84. & op. specul. B. Virg. lec. 3.*

31. *Qui ad Mariam Virginem clamabit toto corde; ab omni malo liberabitur, & ad gloriam perveniet.*

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione. Hoc dixit Christus: hoc & Maria Virgo: qui enim clamaverit toto corde ad illam in periculis, flagellum non appropinquabit tabernaculo suo: fructus gratiæ inveniet, qui speraverit in illa: & porta Paradisi reserabitur ei. *Op. Psalt. B. Virg. Psal 90.*

PSALMVS

PSALMUS XCI.

Titulus: Psalmus Cantici: in die Sabbati.

1.  PRIMÒ, Nota quod quia in præcedenti Psalmo egit Propheta de victoria tentationum; in hoc agitur de quiete mentis consequente talem victoriam, quæ figurata est in Sabbato requiei Domini, per quod repræsentatur sabbatum æternitatis, in quo anima requiescit ab omni pœna, & miseria æternaliter: est ergo sensus tituli: Psalmus iste, per quem notatur spiritualis operatio, laudans Deum in cantico, est cantici in die sabbati; quia debet fieri in die festo, & in quiete mentis pro æterna requie obtinenda: prætenditque spiritus sanctus nos excitare ad laborandum pro æternis, agentes sabbatum mentis. *Psalm.91.*

2. *Confessio, & laus Dei parit quietem, & sabbatum menti; & pugnam exigit.*

Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime: in decachordo Psalterio, cum cantico in Cithara. Bonum est, ait, confiteri Domino. Quale est hoc bonum? & qualis est ista confessio? sed nota, quod duplex confessio est; alia peccatorum, alia laudis: prima est conversio in detestatione mali: secunda est glorificatio Creatoris in exaltatione boni: primam parit timor: secundam amor: ad utrumque concurrit exultatio mentis; unde dicitur: *cum cantico*: mortificatio carnis, unde *cithara*: Spiritus vivificationis, unde *in Psalterio*: observantia legis, unde *in decachordo*: & qui hæc quatuor habet Deo confitetur, & hoc bonum est: quodnam bonum? scilicet sabbatum habet, scilicet sicut Deus per sex dies operatus est in sabbato dicitur requievisse: Et Christus per totum tempus vitæ laboravit, & in Sabbato requievit, quod figuratur in hebdomada sancta pœnosaque: sic & homo psallens, & Deum laudans, operansque rectè in hac vitâ, & sabbatum per quietem conscientiæ ex hac vita, & in alia habebit. *Psalm.91.*

3. *Per pœnitentiæ opera, & observantiam mandatorum pervenitur ad requiem.*

In decachordo, & psalterio, cum cantico in cithara. Nota, quod decachordum significat observantiam decem mandatorum: cithara mortificationem carnis, psalterium spiritum erectum in Deum: hæc sunt, quæ ducunt hominem ad quietem conscientiæ, & ad perspicuam gloriam. *Psal.91. & in Psal. præfatio.*

4. Psallere in choro est officium maximæ dignitatis in Ecclesiâ, & in quo maximè delectantur Angeli, & Deus, quia est officium ipsorum Angelorum: & hinc hic dicit Psaltes. *Bonum est psallere Domino*, verè bonum & maximè utile *ser. in dedicat. & ser.4. Dom.8. post pentec. & serm.1. in fest. omn. sanct.* Sed nota quod dicit: *cum cantico, in cithara* scilicet non sufficit cantus exterior absque opere, scilicet cum carnis mortificatione: dicit: *cum psalterio*: Psalterium autem est instrumentum decem chordarum, reddens sonum à superiori, & cithara ab inferiori: vult ergo, ut cum cithara, scilicet cum carnis mortificatione, & bonorum multiplicatione, & cum psalterio, scilicet cum observantia decem mandatorum Deo canamus, & serviamus; non pro temporalibus, sed pro æternis, quæ sursum sunt: ô quàm bonum est confiteri Domino, & psallere hoc modo. *in Psal. præfat.*

5. *Delectatio in creaturâ alia est naturalis, alia meritoria, alia demeritoria.*

Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo: quam magnificata sunt opera tua Domine; nimis profunda factæ sunt cogitationes tuæ. Ecce quare justus exurgit in laudem Dei, scilicet quia delectationem de Deo sumit in factura sua. Et nota, quod delectatio in creaturis, alia est purè naturalis; & hæc est indifferens: alia demeritoria, quæ vel est præter Deum, scilicet cum aliqua deviatione à Deo; estque peccatum veniale, vel est contra Deum; quando scilicet recedit à Deo propter amorem creaturæ, & hæc est peccatum mortale: alia est meritoria quando scilicet est propter Deum, nempè quando ex cognitione creaturæ exurgit in cognitionem, & amorem Dei: & hoc est quod sancti, præcipueque S. Pater Franciscus, faciebant; exurgentes per creaturas tanquam per scalam ad laudandum Creatorem ejusque attributa & perfectiones: & hoc est quod dicit hic Propheta. *Op. Comp. Theol. l.3. c.2. & c.11. & op. itiner men. c.1 & de 7. itiner. ætern. itin. 6. c.5. & ser. 11. Hexaem. & in Ioan. c.1. v.3. & op. de tribus ternar. peccat. c.7.* Et Nota, quod dicit: *delectasti me Domine in facturâ tuâ*; non dicit factura tua me delectavit, sed tu me in ea: facturæ enim delectant malos: Deus autem delectat bonos in facturis suis: in primis factura Dei facit recedere a Deo, in secundis facit ascendere in Deum. *Ibid.*

6. *In Christi operibus justi maximè delectantur, & præcipue in Sacramento Eucharistiæ.*

Delectasti me in factura tua & in operibus manuum tuarum. Nota, quod hoc mysticè verè potest dici in ordine ad Christum qui est principalis inter facturas Dei, nam cum Deus esset invisibilis, ipse factus est visibilis, ut hinc manifestaretur Deus in operibus suis, & sic cognosceretur, & diligeretur à nobis: unde dicit ipse. *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur, & pascua inveniet:* Est verè ostium sensui corporali per signa sensibilia monstratum: item intellectui per fidem perfectam reseratum: item & voluntati per charitatem fervidam opertum, gustatum, & habitatum; quod verissimum est; & verè talis fuit Christus in omnibus suis operibus sed præcipuè in Eucharistiæ sacramento, in quo per species sensibiles panis, & vini indicat, & ostendit plenam refectionem: & per ipsas elevatur intellectus ad fidem habendam de ipso, & voluntas ad ipsum degustandum. *Op. de septem. itin. ætern. itin. 6. d.5. & op. itin. ment. in prolog. & c.6. & 7.*

7. Creatura

7. *Creaturæ sunt veluti scala inducens animam fidelem ad mirabilium Dei cognitionem, & amorem.*

Delectasti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo. Vide quomodo universitas tot creaturarum est veluti scala elevans animam in cognitionem divinorum mirabilium, & eorumdem delectationem, & quia facta ita Dei septiformem conditionem habet considerabilem: hinc & septem illuminationes exhibet animæ, per quas ascendere potest in Dei potentiam, sapientiam, & bonitatem dignoscendam. Et primò origo rerum secundùm creationem, distinctionem, & ornatum quantum ad opera sex dierum divinam prædicat potentiam, cuncta de nihilo producentem; sapientiam, cuncta lucide distinguentem, & bonitatem cuncta largiter adunantem: secundò magnitudo rerum secundùm molem longitudinis, latitudinis, & profunditatis manifestè indicat immensitatem potentiæ, sapientiæ, & bonitatis trini Dei, qui in cunctis creaturis per potentiam, præsentiam, & essentiam incircumscriptus existit: Tertiò multitudo rerum secundum diversitatem generalem, specialem, & individualem in substantiâ, formâ & efficacia ultrà omnem humanam æstimationem, manifestè trium prædictarum conditionum in Deo immensitatem ostendit. Quartò pulchritudo rerum secundum varietatem hominum, figurarum, & colorum in omnibus corporibus tria prædicta evidenter proclamat. Quintò plenitudo rerum secundùm quod materia plena est formis, secundùm rationes seminales idipsum manifestè declarat. Sextò operatio multiplex secundùm quòd est naturalis, artificialis, & moralis sua multiplici varietate ostendit immensitatem virtutis, artis, & bonitatis divinæ, quæ omnibus est causa essendi, ratio intelligendi, & ordo vivendi: septimo ordo secuodum durationem situationis, & influentiæ, secundùm prius, & posterius, superius, & inferius, nobilius, & ignobilius in libro creaturæ insinuat manifeste primi principii primitatem qoantum ad infinitatem potentiæ: ordo divinarum legum, & præceptorum, & judiciorum in libro scripturæ immensitatem sapientiæ: ordo divinorum sacramentorum beneficiorum, & retributionum in corpore Ecclesiæ, immeositatem bonitatis. Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus noo illustratur, cæcus est: qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est: qui ex omnibus his effectibus Deum nõ laudat, mutus est: qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est. Aperi ergo, ô homo oculos, aures spirituales admove, labia tua solve, & cor tuum appone, ut in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas, & colas, magnifices, & honores, ne contra te universus orbis terrarum consurgat, & ut possis dicere Deo. *Delectasti me Domine in factura tua. op. itin. mentis c. 1.*

8. *Stultitia qualis Deo exosa.*

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Vide quinam sunt, qui per notitiam creaturarum non asceodunt io Deum: oempè stulti, & iosipientes: nota igitur, quod dicit primò (*insipiens*) scilicet, qui non sapit in se beneficiom creatioois & postea (*stultus.*) qui noo legit in se per meditationem divina beneficia; & ideò homo ob impotentiam, ignorantiam, concupiscentiam dicitur insipieos, & stultus, quia relictis æternis ad temporalia inhiat, iste est maxime insipiens, & stultus, & insensatus. *Psal. 91. & op. Itiner. ment. c. 1. in fine.*

9. *Fructus impiorum est sicut fœnum; & ut fructus hyemis: fructus Justorum est fructus æstatis, & autumni.*

Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi. Nota illud verbum: *& apparuerint qui operantur iniquitatem*, ut videas, quod fructus impiorum est durationis brevis, & veluti in hyeme productus: fructus justorum in æternum est duraturus, & veluti fructus æstatis, & autumni, qui in horreis Cœli colligetur. *Psal. 91.* Nota etiam, quod mysticè hyems significat tempus ante legem, quod est sterile: Ver tempus legis, scilicet floridum: quia promittebat, sed non dabat fructum: æstas, & autumnus tempus gratiæ, scilicet tempus fructiferum. *Psal. ibid. 91.*

10. *Peccatum causa omnium malorum.*

Quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem. Hæc est conclusio, in quam terminat peccatum, & incidunt peccatores: peccatum autem habet tres species: suggestionem, voluntatem, & consuetudinem; & peccatum committitur in verbo, opere, & consuetudine: unde iniquitas ad animam refertur, peccatum ad Corpus: ista enim ruinam, & dispersionem corporis, & animæ afferunt: est enim origo omnium malorum: affert debilitatem potentiæ, cæcitatem ignorantiæ, & pœnalitatem miseriæ; ecce qualis dispersio ex peccato. *Psal. 91. & ser. 1. Dom. 4. post oct. Epiph. & ser. 4. Dom. 12. & 18. post Pentec.*

11. *Justi quo annosiores sunt, eo fiunt virtuosiores.*

Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia uberi. Nota, quòd per cornu unicornis intelligitur fortitudo animæ, & ideò justus dicit, quod ejus senectus redigetur ad fortitudinem juventutis in misericordia uberi, scilicet cum multitudine operum virtuosorum: datque intelligere, quod sicut Angeli virtutem semper permanentem, & indefessam habeot, ideò quia nunquam in ipsis senescit, depinguntur in formâ hominis juveois, sic justi à bono proposito non deficiunt nec unquam torpescunt ab exercitio operum virtutis, imò tantò plus proficiunt in virtutibus, quantò procedunt amplius io diebus hujus vitæ, ita ut quilibet potest dicere verè: *& senectus mea in misericordia uberi. op. Eccles. Hierar. p. 3. cap. 3.*

12. *Senectus in schola Christi qualis: ubi de Seraphico S. Patre Francisco.*

Et senectus mea in misericordia uberi. Nota, quod non loquitur hic de senectute materiali, sed virtuali, quæ conjuncta est virtuti in quacunque ætate justorum, nam in schola Christi senectus talis est in pretio: nempè in illis, qui alieni sunt à voluptatibus carnis, quorum vita

vita est immaculata, & innocens talisque eluxit mirabiliter in S. P. Francisco, qui semper ad incrementum virtutis tetendit, & quem Christus cinxit cingulo regularis disciplinæ, & sanctitatis, & perfectionis. *In Ioan. collat.91.*

13. *Iusti, & palmæ similitudo expenditur.*

Iustus ut palma florebit. Cur potissimum palmæ comparatur iustus? Nota quod palma habet pulchras proprietates: primò habet asperam radicem: secundò extenditur in altum: Tertiò pulchrum corticem: quartò quantò plus inferius præmitur, tantò magis fructificat. Quintò quo annosior eo fructuosior, & ideò plantata noviter non fructificat; & in centesimo anno magis est fructuosa: Sic iusti primò asperam radicem habent; scilicet fundant cursum vitæ in mortificationibus. Secundò suis operibus convertuntur in altum, scilicet relictis terrenis ad cœlestia inhiant: Tertiò pulchrum corticem, scilicet sanctæ conversationis habent: quartò quantò plus in parte inferiori præmuntur tribulationibus, & pressuris, tantò plus fructificant: quintò quo magis crescunt in tempore, & longitudine vitæ, & quo annosiores, eo fructuosiores: & hinc ad centesimum annum scilicet in gloria post judicium coronantur. *Psal.91.*

14. *Iusti in hac vita florent, & in alia fructificant ad aspectum solis: impii verò sole absente sunt absque fructu.*

Iustus ut palma florebit. Cur dicit florebit, & non potius fructificat? ad quid flores sine fructibus? ut intelligas, quod iusti in hac vita debent florere, scilicet floribus virtutum, & sanctarum operationum, ut possint frui in alia vita fructibus præmiorum; & hinc addit. *Sicut cedrus libani multiplicabitur.* Quia inter omnes arbores cedrus plus multiplicat, & in altum se extollit: ut videas, quod qui plantatus est in domo Domini, debet florere sicut palma, & sicut cedrus libani, & non arescere, sicut fænum, sole cadente, ut in die resurrectionis gloriam percipiat fructuum cœlestium. Non sic impii, qui videntur florere ad modum fæni, sole absente, sed verè non florent, quia non flores, sed stercus, seu potius serpentes abominabiles emittunt peccatorum. *Psalm 91. & ser.4. Dom.palm.& ser.3. in die Pasche.*

15. *Christus in suo horto Paradisi solùm arbores fructuosas plantat.*

Iustus ut palma florebit, & sicut Cedrus. Cur has duas arbores plantatas in domo Domini specialiter nominat? ut videas, quod sicut Agricola generosas arbores eligit, ut eas possit in suo virgulto plantare; sic Christus elegit arbores nobilissimas in virgulto Paradisi plantandas: & ideò hoc exprimit sub metaphora palmæ fructuosæ, & speciosæ, sicut & Cedri: indicatque in his verbis tria mirabilia iustorum, & maximè martyrum: dicit enim primò, (*iustus*,) scilicet in opere: secundò dicit (*ut palma*) quia iusti fortes sunt in tribulatione: Tertiò dicit: (*florebit*,) ut indicet pulchritudinem conversationis sanctæ: nempè iusti debent habere iustitiæ rectitudinem, patientiæ fortitudinem, & misericordiæ pulchritudinem: talesque dicuntur plantati in domo Domini, quia ibi æternam mansionem habebunt. *Opusc. diat. sal. in append. pro concion. de uno Martyr. & Psalm.43. & in Ioan. collat.53.*

16. *Prædicatores Deum diligentes de nulla corporis injuria franguntur, sicut Cæli, ut benè annuntient Verbum Dei.*

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & benè patientes erunt, ut annuntient: quoniam Deus rectus est. Nota, quod hæc, & supradicta verificantur quidem de quolibet iusto, sed peculiari modo de prædicatoribus verbi Dei, Deum diligentibus, qui veluti Cœli mystici, qui ita fortes, & firmi sunt, ut de nullius contrarii motus impetu possint dissolvi; sic iusti de nullius ictus, vel injuriæ, vel persecutionis impetu franguntur, sed semper quo provectiores fiunt in hoc exercitio, eo fructuosiores, & fortiores fiunt, ut benè enuntient verbum Dei, & fructum afferant in patientia. *Opusc. de Eccles. Hier. p.4.c.5.*

17. *Quale bonum est laudare Mariam Virginem.*

Bonum est confiteri Domino. Hæc verba rectè possunt ad laudem Beatæ Virginis, quia Deus vult, ut post ipsum laudetur, & glorificetur, ut ipsius mater. Et nota, quod dicitur. *Bonum est*, nec exprimit quale bonum: an sit honestum, an conferens, & delectabile, utileque: ut videas, quod lauda e B. Virginem bonum est ad percipienda omnia bona: Bonum inquam est, nempè ex laudibus Mariæ oritur prosperitas spiritualis mentis, lætificatio animæ: exhilaratio Angelorum: medium est acquirendi gratiam ejus, & agnoscendi à civibus Paradisi; quia hoc discernit inter electos, & reprobos: hoc est medium etiam acquirendi characterem Mariæ, per quod homo annotatur in libro vitæ. *Op. Psalt. B. Virg. Psal 91.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

18. *Mariam laudare debemus ob multiplicem rationem.*

Bonum est confiteri Virgini Mariæ, & psallere illi gloriam: est etiam bonum, quia Maria est commendabilis, & amabilis à bonitatis plenitudine: venerabilis à dignitatis altitudine, & prædicabilis à laudis amplitudine. *In Lucam cap.1. vers.48.* & ideò, qui dignè laudat Mariam se receptionem maximorum Dei beneficiorum se disponit. *Op. stim p.3.c.16.*

19. *Per Mariam magnificata sunt mirabili modo opera Dei.*

Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Per quid magnificata sunt opera Dei? ergone magnificationem acceperunt? Sed transfer mentem ad verba Cantici Mariæ, in quo Maria dixit: *Magnificat anima mea Dominum.* Hoc meritò dicebat Maria, quia per ipsam maximè magnificata sunt opera Dei: Per Mariam enim Trinitas exaltata est, & Deus agnitus est. *In Lucam c.1.v.46.& ser.2.in Nativ.*

20. *Maria omnium creaturarum Pulcherrima, induit pulchritudine Creatorem.*

Delectasti me Domine in facturâ tuâ. Qualis est hæc factura? ergone unica est? unica quidem, & multiplex. Hæc est Maria Virgo, compendium perfectionum omnium creaturarum; & quia est omnium creaturarum pulcherrima, ideò rectè dicit: *delectasti me Domine in factura tua*; quia fuit specialis facturæ Dei, similis pulchritudini filii, imò tam pulchra quod præcinxit pulchrè Deum Creatorem, carne munda velans eum. *Op. Psalt. min. quinquag* 3.*ser.* 5. *Dom.* 14. *post Pentec. & op. lytan. & in Psal.* 118. Verè specialis factura Dei, quia per eam elementa renovantur, infirma remediantur, homines salvantur, & Angeli reintegrantur. *ser.* 2. *in Nativ.*

21. *Ad Mariam recurrendum; & nostram causam in ea ponere debemus, ne Deus nos ut inimicos dispergat.*

Quoniam ecce inimici tui peribunt. Audi ô Peccator quid tibi intimat Propheta, nempè dispersionem inimicorum Dei. Vis ergo hoc tantum malum evadere? ad Mariam recurre; quia qui habuerit characterem nominis ejus, annotabitur in libro vitæ: dic ergo fideliter Mariæ: exorge Domina, & judica causam nostram, & ab insurgentibus in nos libera nos: ne retrahas à peccatore dexteram tuam; & excipe gladio tuo jacula tentatoris. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 91.

22. *Maria Palma Mystica, & cedrus Libani.*

Iustus ut palma florebit sicut cedrus libani multiplicabitur, plantatus in domo Domini in senecta, &c. Si quilibet justus dicitur Palma, & cedrus: hoc melius dici potest de Beata Virgine, quæ ab Ecclesiâ dicitur: *quasi palma exaltata & quasi cedrus*: verè enim Cedrus exaltata, & Palmæ coæquata præmens aree dignitatis cuncta ligna voluptatis. *Op. Psalt. min. B. Virg quinquag.* 2. Sed hic notandum est, quod magis competunt supraposita proprietates Palmæ, & Cedri Mariæ, quam cæteris sanctis, tum propter asperitatem suæ vitæ, tum quia semper in altum, scilicet in Cœlo erat ejus intentio, tum quia quantò plus proficiebat in cursu dierum, eo magis fructificabat, quia semper operabatur cum toto conatu gratiæ, quam habebat: Unde ejus merita excreverunt in immensum super omnes sanctos, & Angelos.



PSALMUS LXXXXII.

Titulus: Laus Cantici ipsi David ante Sabbatum, quando fundata est terra.

1. PRimò Nota, quod cum in præcedentibus actum sit de victoria vitiorum, & de quiete mentis, quæ obtinetur per ipsam victoriam. In hoc ostenditur, quod omnia sunt in Christo; & ob id agitur de ejus regno quod in sex diebus creavit in Mundo, & de regno spirituali, quod obtinuit in sex diebus suæ vitæ laboriosæ, quam in sexta die terminavit in Cruce, per quod fundata est Ecclesia; & ideò hic psalmus canitur in laudem David, scilicet Christi pro hac victoriâ, & regno fundato, & acquisito in sexta die: post quem sequitur septima, quæ est resurrectionis: & hinc cum in sex diebus creationis ponitur vespera: in septima tacetur; quia septima ætas non est habitura finem: sic etiam in festo defunctorum non cantamus vesperas secundas, ad significandum, quod vita eorum non est habitura finem, qui dicitur vespera. *Psal.* 91.

2. *Regnum Christi in Ecclesia quale.*

Dominus regnavit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Et quando regnavit? nonne ab æterno fuit Rex? fuit quidem ab æterno, sed quoad innotescentiam fuit in tempore: scilicet ostendit se Regem super Ecclesiam quando indutus carne se ostendit, & quando conjunctus est cum Ecclesiâ per fidem, & dilectionem: dicitur autem, decore indutus & fortitudine præcinctus; scilicet decore divinitatis, humanitatis, & gloriosæ resurrectionis per quas dicitur firmatus orbis terrarum, scilicet Ecclesia. *Op. de invisibilitate Dei. & in Psalm.* 92. *& in Lucam c.* 12. *v.* 37. *& ser.* 23. *Hexaem.*

3. *Deus regnans in homine virtutibus ornato, dicitur decorem indutus.*

Dominus regnavit decorem indutus est &c. Quandonam se induit Deus novo decore, cum talis fuerit ab æterno: sed respondetur, quod cum homo apparet non solùm imagine, sed & similitudine, scilicet virtutibus ornatus; tunc dicitur Deus regnare, & indutus decore, non quidem in se, sed in animâ: ut videas, quàm æstimet Deus virtutes, & gratiam in nobis. *Op. Amatorium.*

4. *Christus judex ab æterno secundùm divinitatem, & in tempore à Cruce secundùm humanitatem; stat que sedens ad dexteram Patris, & in animâ justorum.*

Parata sedes tua ex tunc, à sæculo tu es. Quid est ex tunc, & postea à sæculo? Ex tunc, scilicet ex sexta die, quando crucifixus est, qui habebat potestatem judiciariam ab æterno secundum divinitatem, eandem habuit secundùm humanitatem ex tunc, quia factus est judex vivorum, & mortuorum. Et nota, quod sedes Dei secundùm divinitatem dicitur dupliciter, scilicet secundùm æqualitatem qua sedet à dextris Patris: & spiritualiter in anima fideli, quæ est sedes Dei: item secundùm humanitatem, nam ut homo sedet à dextris Patris, scilicet in potioribus bonis: & secundùm judiciariam potestatem, quia in formâ hominis judicabit. *Psal.* 92. *& Psal.* 118. *c.* 4. *v.* 4.

5. *Christus per prædicatores, & Apostolos elevavit flumina irrigantia Ecclesiam.*

Elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum: mirabiles elationes maris. Nota, quod posito adventu Christi in mundum, subdit elevationem multiplicem fluminum, & aquarum nempe prædicationem Apostolorum, & ministrorum, qui missi sunt à Christo per Mundum, ut verbo suo irrigarent homines, & effluerent dona Spiritus sancti per totum Mundum:

dum : & notandum , quod prædicatio verbi Dei exponitur nomine fluminum, quia ex ipso procedunt variæ intelligentiæ mysteriorum cælestium, per quas elevatur anima ad Dei visionem , & cognitionem. *Psal.92.& ser.14. Hexaem* Unde subdit:*mirabilis in altis Dominus*;quia verè fuit Christus mirabilis in sapientiâ doctrinæ suæ diffusæ per Mundum. *In Lucam c.1.v.34.*

6. *Flumina persequutionum,& malorum in Christum inundaverunt.*

Elevaverunt flumina fluctus suos mirabiles elationes maris. Vide,quod statim ac Christus se indutum humanitate ostendit,dicitur , quod elevaverunt flumina fluctus suos:scilicet persequutionum, pœnarum,dolorum,& malorum in ipsum, quia in tota suâ vitâ pœnalitatibus se subjecit. *Psal. 92. & 37.& 64.& sapi. 15.*

7. *Dicta Christi multipliciter commendantur, & credibilia facta nimis.*

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Vide qualiter commendantur dicta sponsi Ecclesiæ : nempè à fidelitate;unde dicit : (*testimonia,*) à dicentis auctoritate:unde dicit:(*tua*) & à certitudine : unde dicit : *credibilia facta sunt nimis* , verè magna magnorum,& multa multorum testimonia habuit Christus:crede ergo ipsis : habet enim testimonium , non solùm magnatum personarum , scilicet Patris,filij,Spiritus sancti,Angelorum , & Apostolorum,sed etiam magnorum operum : sed heu peccator miser,adhuc vix ei credit , dum neque ipsius terretur comminationibus,nec attrahitur promissionibus,nec præceptis obtemperat nec consiliis acquiescit:iste fatetur se Deum nosse,sed factis negat. *ser.2.Dom.pass. & Psalm.92.& Psalm. 118.c.1.v.2.& c.6.v.14.& c.21.v.13.*

8. *In domo Dei, Ecclesiâque Deus vult sanctitudinem.*

Domum tuam Dominè decet sanctitudo Hæc verba sunt per se clarissima,in quibus ostenditur qualis sanctitudo,& sanctificatio , & sanctitas exigatur in Ecclesia : nempè munditia castitatis , & continentiæ in sacris ministris principaliter, & in omnibus eam frequentantibus ; & inde cultus Dei cum omni diligentiâ & devotione,ob idque, & abesse omnem contentionem, discordiam , vanitatem,avaritiam , & irreverentiam. *ser. in dedicat.Templi. in Lucam c.19.v.46. in Ioan. collat. 14. & in Eccles.c.2.*

9. *Anima justi est domus Dei , in qua ipse exigit sanctitudinem : anima impij domus diaboli , & diabolo dicata.*

Domum Dei decet sanctitudo in longitudinem dierum. Nota, quod mysticè hæc domus Dei est anima;& ideò ut habitetur ab ipso Deo , est sanctificanda,& dedicanda ad similitudinem sanctificationis domus materialis : nempè aspersione aquæ benedictæ compunctionis , & lachrymarum : Item signis crucis : nempè pœnitentiæ , & mortificationis carnis:item inunctione olei devotionis : item illuminatione honestæ conversationis : E contra diabolus habet suas domos sibi dicatas,aquâ carnalium voluptatum,in quibus computrescit sanctitas:signis non crucis,sed superbiæ, voluptatis,& lasciviæ inunctione vitiorum,& obscuritate peccatorum. *ser.1. in dedicat. Templi. & ser.2.de B.Virgine.*

10. *Nomen Iesus est domus Dei sanctissima.*

Domum Dei decet sanctitudo. Nota etiam, quod mysticè hæc domus Dei,dicitur nomen Jesus , de quo dixit B.Virgo : *& sanctum nomen ejus.* Domus,inquam,Dei,quia in ipso continetur , & per ipsum magnum pietatis sacramentum manifestatum est in carne justificatum in spiritu , apparuit Angelis,prædicatum gentibus, creditum Mundo, assumptum in gloriâ. *in Lucam c.1. v. 49.* Nomen hoc igitur est veluti domus sacra : in ipso continentur omnia bona homini necessaria.

11. *Fides purgat animam.*

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo. Nota connexionem horum verborum:primò dicit, quod testimonia Dei facta sunt credibilia nimis;postea transit ad considerationem sanctitatis , quæ convenit domui Dei : ut hinc intelligas, quod præmisso exercitio fidei in verbo Dei ; sequitur sanctitudo , & purgatio in animâ : fides enim habet hoc , quod expurgat animam ab omni scoria. *Psalm. 118. cap. primo vers. 14*

12. *Christus secundùm humanitatem Rex , & decorus,quia ex Mariâ Virgine natus.*

Dominus regnavit,decorem indutus est,indutus est fortitudinē,& præcinxit se. Nota,quod hic loquitur de regno,& decore, quo ditatus est ut homo : sed quando,& quomodò istas dotes obtinuit? quando factus est homo : scilicet quando carnem ex Virgine Mariâ sumpsit , & ideò quia natus est ex Mariâ Virgine , ideo rex secundùm humanitatem præcinxit & indutus est decorem , simulque præcinctus fortitudine *Op. Psalt. min. B. Virg. quinquag. 2. & ser.3.Dom 14.post Pentec.*Ergo Rex Christus , quia natus ex Virgine Maria : & pulcher , quia ex pulcherrima natus, totum enim recepit ut homo per carnem , & in carne assumpta ex ipsa Maria. *Vid. Ps.91. n. 20.*

13. *Quia Christus regnum , & decorem à Matre recipit ; ideò ipse eam ornavit omnibus virtutibus.*

Dominus regnavit decorem indutus est. Et si hoc à Maria Virgine habuit, quid ei & ipse contulit ? contulit ornamentum virtutum : & coronavit ipsam ut Reginam gratiæ , & fecit ipsam propitiatorium nostrum , ut suam pietatem exerceret in nos , ut Mater pacis adimpleret propitiationem suam in nobis , & viam æquitatis doceret servos suos.*Op. Psalt. B. Virg. Ps. 92.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

14. *Maria sedes sapientiæ increatæ ab æterno praelecta,& in instanti conceptionis consecrata à SS Trinitate.*

Parata sedes tua Deus ex tunc à sæculo. Quænam est hæc sedes Dei , & quando parata ? ex tunc : quid est ex tunc ? nota quod hic mysticè loquitur de Maria quæ ut nobilior Cælo,

parata fuit sedes Dei ex tunc, scilicet ab æterno præelecta, & prædestinata in Dei scientia, ut ad tantam gloriam assumeretur, & in tempore, scilicet præventa à Spiritu sanctificante, & consecrata, ut in tempore à Patre luminum præfixo, Mater Dei acta fieri meteretur: Hanc sedem igitur sibi paravit omnium artifex, & sapientia Christus in virginali consecratione, ipsam sedem subintravit, & in ipsa requievit, in ipsius Virginis fœcundatione: sedes ideò est, & fuit B. Virgo pura in utero, purior in Mundo, & purissima hæc rutilat nunc in Cœlo. *Op. Eccles. Hier. p. 4. c. 7.*

15. *Maria sedes sapientiæ cælestis, à qua Discipuli addiscunt mysteria Cælorum.*

Parata sedes tua ex tunc. Nota, quod hæc sedes est Maria Virgo, sedes scilicet sapientiæ increatæ: ergo qui desiderat sapientiam Christi, serviat Matri ejus animo reverenti. *Op. Psalt. B. V. Psalm. 92.* Sedes fuit sapientiæ Maria, quia in ejus corde Spiritus Sanctus scripserat totum Evangelium, omnesque scientias. *l. 4. d. 30. a. 1 q. 1. ad ult & op. specul. B. Virg. lec. 7. & 8. & opusc. Phar. l. 1. c. 5.*

16. *Maria opera ineffabilia, thesauri Misericordiæ ejus profundissimi.*

Elevaverunt flumina vocem. Jam dictum est per hæc flumina fluctus, & mare intelligi mirabilia opera Domini Jesu; quæ verba applicata Mariæ Virgini indicant per talem elevationem fluminum, & maris, quod opera Mariæ superant captum hominis, suntque inenarrabilia, & quod thesauri misericordiæ ejus sunt investigabiles. Dicamus ergo, elevantes oculos ad Mariam Virginem: sustine ô Maria tuâ misericordiâ & intercessione deficientes, & libera nos à tentationibus, & destina nos in sortem veritatis, ut ex thesauris tuæ misericordiæ ditemur in Cœlis. *Op. Psalt. B. Virg. Psal 92.*

17. *Maria Virgo, ejusque uterus domus est Dei sanctissima.*

Domum tuam Domine decet sanctitudo. Quænam est domus Dei: qualis est quæ possit capere incomprehensibilem Deum? nulla alia creatura, præter Mariam, quæ veluti Cœlo capacior, potuit capere in suo utero Deum infinitum, & immensum: verè Domus Dei sanctissima, ab omni labe culpæ præservata, & omnibus donis, & gratiis ornata, & sanctificata, tam corpore, quam anima: cujus uterus fuit aula, in qua Rex regum, & Dominus dominantium à regalibus sedibus veniens, primam sibi inter filios mansionem elegit. *Op. specul. B. Virg. lec. 10. & ser. 2. de B. Virg. & in Lucam c. 19. v. 7.*

PSALMUS XCIII.

Titulus: Psalmus ipsi David: quarta sabbati.

1. RIMÒ Nota, quod cum 5. capta egerit de regimine Christi, quia multi insipientes murmurant de hoc regimine, videntes, quod mali in hoc mundo videntur florere, boni autem tribulantur; ideò in hoc psalmo reprimit illud murmur: & hoc innuitur in titulo supraposito: unde sensus est tituli: Psalmos iste est David Prophetæ, habitus pro his, quæ significata sunt, per ea, quæ facta sunt quarta feria, in qua facta sunt luminaria Sol, & Luna, quæ quantum in se est non obscurantur, & peragunt cursus suos, non curantes de his, quæ inferius fiunt. Sic sancti imbuti splendore sapientiæ cœlestis, ob idque scientes, quod Deus non sine causa permittit sic florere malos, & affligi bonos, ideò cum patientia, & sine murmure agenda peragunt, temporalia ista non curantes, nisi ad compassionem proximi, & vitæ sustentationem. Nota etiam, quòd quarta feria creata sunt sol, & luna, per quod indicatur illuminatio Ecclesiæ, & hinc incipimus in jejuniis quatuor temporum, & quadragesimæ à quarta feria quæ est decima, quam damus Deo; quia decimus chorus Angelorum cecidit, & debet ex hominibus restaurari. Nota etiam, quòd à quarta luna incipimus computare ordinem septimanæ, scilicet à Dominica die, quæ respondet creationi solis, & lunæ. *Psalm. 93.*

2. *Sancti sunt Sol, & Luna in Ecclesia.*

Quarta sabbati. Nota, quod ut dictum est iste Psalmus factus est pro iis, quæ facta sunt feria quarta in creatione solis, & lunæ, per quam significati sunt sancti, quos Deus posuit in Ecclesia ut Sol, & Luna; scilicet quia illuminant ipsam, tam ratione ordinis, quia cum ordine faciunt quicquid faciunt, sicut Sol: tum ratione habitationis, quia eorum conversatio in Cœlis est; & ideò iste psalmus ordinatur ad sublevandam infirmitatem multiplicem nostræ humanitatis, scilicet pœnæ, culpæ, & impatientiæ. *Psal. 93.*

3. *Deus quomodò dicitur Deus ultionum.*

Deus ultionum Dominus, Deus ultionum. Nota, quod repetit ultionum Dominum: quia multipliciter Deus ulciscitur: nempè in præsenti in temporalibus, & spiritualibus, & in corpore, & in anima æternaliter, ideò est timendus: & hinc subdit Propheta: *exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis: usquequò peccatores gloriabuntur*, ut pateat, quod istas ultiones Deus præparavit superbis, oppressoribus viduarum, & pauperum, & aliis iniquis. *Psalm. 93. & 122. In sapien. c. 2. & c. 5.*

4. Omissio

4. *Omissio exercitii præsentia divinæ causa omnium peccatorum.*

Et dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Qui sunt isti tam vecordes qui ad tantam cæcitatem devenerunt, dicentes: quod Deus non videt sua ipsorum scelera? nonne notum est Deum ubique, & omnia comprehendere? Sed nota, quod hoc potest intelligi de infidelibus, qui Deum omniscientem non cognoscunt: & de istis non currit dubitatio. Secundò potest intelligi de Christianis, qui licet habitu fidei sciant Deum omnia scientem, tamen non attendentes ad hoc, & è contra, videntes, quod Deus non statim punit sua ipsorum peccata, vivunt, ac si Deus esset cæcus, & ideò præcipitant in omnia scelera: ut videas, quod qui amittit considerationem præsentiæ divinæ, non potest non erumpere in varia delicta: & hinc Propheta subdit: *intelligite insipientes, & stulti sapite: qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat: Deus scit cogitationes hominum.* Quasi dicat: væ, væ illis, qui occultas nequitias suas credunt celari posse Domino: væ, væ illis, qui non attendunt Deum videre mala omnia, quia statim non judicat. Attendite igitur stulti, quod Deus sapientissimus videt omnia, sed non statim omnia vindicat patientissimus: quia conditor noster mirâ dispensatione consilii, & culpas respicit, & vivendi tempora impendit, ut longiora vitæ temporalis spatia, aut converso fiant in adjutorium muneris, aut non converso, ad augmentum damnationis. *Serm. 1. Domin. 2. post octav. Pascha, & in Lucam cap. 7. vers. 40.*

5. *Christus per prædicatores fidei docet omnem veritatem: Diabolus per iniquos docet omnem falsitatem, & iniquitatem.*

Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam. Si Deus docet hominem scientiam, ubi eam docet? & quomodo? & qualem scientiam? Nota, quod hoc est, quod facit Christus, qui docet prædicatores doctrinam fidei, quæ est omnis scientia, ut per eos alios doceat: ad differentiam doctrinæ, quam per malos diabolus docet: nam Christus docet veritatem doctrinæ, veritatem vitæ, scilicet exercitium virtutum, & veritatem justitiæ: E contra diabolus per suos sequaces ad injustitiam erudit malos ad lasciviam, libidinem, & iniquitatem: primi erunt quasi stellæ lucentes in Cœlo: secundi quasi faculæ ardentes in inferno. *Sermon. 4. Dom. 3. post octa. Pascha in Ioan. collat. 72.*

6. *Iterum inculcatur exercitium præsentia Dei.*

Intelligite insipientes. Dominus scit cogitationes hominum. Vide ergo, quod Propheta iterum refricat, & repetit, quod Deus videt omnia, & omnibus præsens est: & si novit cogitationes internas, novit & operationes omnes nostras: quasi dicat: noli, ò homo, novit te Dominus tuus, & sic te novit, ut capillos tuos habeat numeratos: novit adversa, quæ sustinemus, merita quæ habemus, opera quæ facimus, tempora, quæ vivimus, & stipendia quæ recipiemus: ut ex hoc pateat, quàm necessaria, & utilis sit meditatio præsentiæ Dei. *Ser. 1. Dom. 4. post oct. Pascha, & in Lucam cap. 6. vers. 8. & cap. 21. vers. 14.*

7. *Vanitas in homine multiplex.*

Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Ergone omnes cogitationes hominum vanæ? nonne multæ sunt bonæ? Sed attende, quod loquitur de malis, & impiis; ut ostendat, quod eorum cogitationes malæ sunt vanæ, & sine fructu: & à fortiori, si cogitationes, ergo & locutiones, & operationes sunt vanæ, quia homo, peccando, ultra vanitatem naturæ, incidit in vanitatem culpæ. *In Eccles. c. 1. & in sapi. c. 13.*

8. *Quomodò dicatur Beatus, qui à Deo eruditur, & infelix, qui à mundo eruditur.*

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum: ut mitiges ei à diebus malis. Quomodò dicitur beatus ille, qui à Deo eruditur? nonne multi sciunt doctrinam fidei, & tamen mali sunt, & damnantur? Respondetur quod hoc verum est de scientiâ sine operatione: sed non de sapientibus à Deo eruditis, qui cum scientiâ connectunt operationes bonas: sed quomodo id sit verum attende. Beatus igitur dicitur solus sapiens, cujus mentem erudierit Dominus: & ideò subdit: *& de lege tua docueris eum.* Lex enim Domini sola est immaculata, sola irreprehensibilis, sola convertens animas: hujus autem legis eruditio, non remanet foris, sed intus in corde, per devotæ mentis affectum intrat; quia docet quid agendum, quid fugiendum, quid credendum, quid orandum, quid desiderandum, quid timendum; docet immaculatum esse & irreprehensibilem: docet servare promissa, deflere commissa; docet mundana contemnere, carnalia respuere: docet cor totum, animam totam, mentem totam in solum convertere Dominum Jesum Christum ad cujus comparationem omnis mundana sapientia est stulta, & fatua: Beatus igitur est sapiens hujus doctrinæ Christi studiosus, & non solùm auditor, sed factor. *Op. de perfect. vita in prol. & ser. 1. Dom. 12. post Pentec. & in Ioan. collat. 72. & Psalm. 118. c. 11. v. 11.*

9. *Justitia convertitur in judicium suave, & dulce bonis, & rectis corde: in pœnam malis.*

Quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet: quoadusque justitia convertatur in judicium, & qui juxta illam omnes qui recti sunt corde. Quomodò justitia convertitur in judicium his, qui recto sunt corde? Nota, quod est judicium bonum, & dulce, & est asperum, & pœnale: bonis justitia convertitur in judicium suave: malis in pœnam: Nota etiam, quod Christus convertit in seipso justitiam in judicium, scilicet assumpsit in se pœnam, & infirmitatem nostram, infirmorum pœnam gerens: & hoc ostendit, quando in horto dicebat: *transeat à me Calix iste*: onde habuit in se infirmitatem moventem angustias, non moventem illecebras: cum qua infirmitate erat necessitas non coactionis, quia non coactè patiebatur, sed opportunitatis, & conditionis. *Psal. 93. & op. Apol. paup. resp. 1. c. 1.*

10. *Beati corde coram Deo ſunt, qui habent conformitatem perfectam voluntatis cum Deo: impii habent difformitatem.*

Et qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde. Quid eſt quod juxta juſtitiam ſunt recti corde? juxta illam, ideſt juſtitiam poſſunt ſecurè expectare abſque timore qui recti erunt corde: recti corde autem ſunt, qui perfectam conformitatem cum divinâ voluntate habent: ad quam tria concurrere debent: nempè pie velle quod Deus vult: piè nolle, quod ipſe non vult: & piè velle quod Deus non vult: ut v.g. Juſtus vult ſuum Patrem mori, ſi Deus vult talem mortem, & tamen Deus tunc non vult quod moriatur, quæ omnia fiunt per perfectam conformitatem cum divina voluntate & abſolutè & cum conditione: Impii autem volunt impiè, ſcilicet malo fine, quod Deus piè vult; & nolunt impii, quod Deus vult. *Pſal.93.*

11. *Miſericordia Dei efficaciter adjuvat, quia liberat ſuos quando commoventur turbationibus, & perſecutionibus.*

Quis conſurget mihi adverſus malignantes: niſi quia Dominus adjuvit me? ſi dicebam motus eſt pes meus: miſericordia tua adjuvabat me. Ecce quod dum juſti quatiuntur tribulationibus, & malorum perſecutionibus, Deus præſto eſt ſuâ miſericordiâ in eos, adjuvans ipſos in progreſſu virtutis. *Pſalm.1.8.cap.5.verſ.11.& c.6. v.6.& Pſal.135.& ſap.cap.16.* Hoc igitur debet nos excitare ad confidendum in divinâ miſericordiâ: nam Chriſtus miſſus eſt, ut pius paſtor, ut quod erat confractum ſolidaret, & quod erat debile confortaret. *Pſalm.93.*

12. *Deus dum hominem juſtum affligit exterius, conſolatur interius.*

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Nota hoc dicebat Chriſtus: ſed etiam idem verè dicunt juſti patientes pro Chriſto; nam dum exterius, ſcilicet in parte inferiori torquentur, interius in ſuperiori animæ à Deo conſolantur: ut videas, quod Deus non deſerit ſuos in tribulationibus. *Serm.3. de plur. Martyr.*

13. *Unctio Spiritus ſancti datur patientibus pro Chriſto, ut pateat, quod ſub cruce pœnitentiæ latet conſolatio, quæ abſconditur abhorrentibus Crucem.*

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam. Vide artem, qua utitur Deus in conſecratione animæ: nam ſicut in conſecratione Eccleſiæ materialis pinguntur cruces, & oleo benedicto inunguntur; ſic facit Deus amplexantibus crucem pœnitentiæ, & tribulationum pro Chriſto: nam ſub tali cruce Deus communicat unctionem conſolationum ſpiritualium, & eo majores dat, quo acriores tribulationes pro ipſo amplectitur anima. Hanc unctionem Deus denegat recuſantibus portare crucem pœnitentiæ. *Ser.1.de dedicatione templi.* Nota etiam, quod hoc verificatur de illis, quos Deus ſolet, poſtquam eos probaverit aliqua tentatione ſpeciali, v.g. ſubtractionis conſolationum ſpiritualium, vel tentationis graviſſimæ contra pudicitiam, dum ad Deum toto conatu recurrunt, ſolet, inquam, eos amplius conſolari, & aliquam perfectionis gratiam inſolitam eis conferre: ut evenit S.P.Franciſco, quando ſe projecit inter ſpinas: & S.Benedicto, & B.Thomæ, cui Deus conſtrinxit lumbos, ne amplius tali tentatione vexarentur. *Op.de profec.relig.l.2.c.6.*

14. *Lætitia vera eſt propria ſervorum Dei ſe exercentium in patientiâ.*

Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificaverunt animam Vide quomodò anima, quæ Deo toto corde ſervit in patientia, & tolerantia, ab ipſo Deo repletur lætitia, & conſolatione poſt tribulationes, imò in ipſis tentationibus Hæc enim lætitia eſt propria Deo ſervientium *Op. incendium amo.c.3. & op. de profec.relig. l.2.c.6.& 36.*

15. *Dei ſchola docet tolerantiam paſſionum ab impiis illatarum.*

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, ideſt iniquus homo? *qui fingis laborem in præcepto: captabunt in animam juſti.* Datur per hæc intelligi, quod cum Deo non morantur impii, ſed tantùm illi, qui ſub Dei diſciplina vivunt: iſtos enim Deus fingit, & format per labores, & tribulationes; unde dicit: *qui fingis laborem in præcepto*, ideſt, qui formas tuos per tribulationes in præcepto charitatis: ſic enim formati non timebunt captiones, & inſidias malorum. *Pſalm.70. & 103.*

16. *Divinæ juſtitiæ Deus oppoſuit miſericordiam Mariæ Virginis.*

Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Si Deus noſter eſt Deus ultionum, quomodò eripiemur nos miſeri peccatores, ne ſub manu iræ Dei cadamus, ne in foveam inferni præcipitemur? Sed ne timeas, ô peccator; nam divina providentia accurrit, dum Matrem miſericordiæ Mariam in mundo collocavit, ut ipſa inflecteret Deum ultionum ad miſerendum, & ipſum ad miſericordiam excitaret. Ergo qui colunt Mariam, viam pacis, & miſericordiæ invenient: ſervite igitur, ô fideles illi reverenter, & ſanabit vos benedictus fructus caſtiſſimi ventris illius: Et tu beatiſſima Virgo reſpice humilitatem ſervorum tuorum, & laudabunt te in generationibus ſæculorum; magnifica nomen tuum in multiplicatione gratiarum tuarum, & ne ſinas ſervos tuos ſubjacere periculis. *Opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſal.93.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

17. *Dolor maximus B. Virginis ob amiſſionem filii, converſus eſt in conſolationem in ipſius inventione.*

Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Ut percipias, in quo ſenſu B.Virgo hæc repetebat, loquens cum filio ſuo, transfer menté ad amiſſionem filii, & perpende dolorem vehementiſſimum cordis Mariæ, dum ipſum amiſit in illo triduo: & deinde lætitiam

quam

quam percepit in ipsius inventione: quasi diceter: secundùm multitudinem dolorum meorum, quos habui de amissione tuæ præsentiæ corporalis, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam in visione faciei tuæ divinis splendoribus irradiatæ: & quid jucundius, quàm videre hominem hominis conditorem, qui est delectabilis ad videndum: suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum: ipse per se placet; ipse per se sufficit. *ser. 1. Dom. infra oct. Epiphan.*



PSALMUS XCIV.

Titulus: Laus Cantici ipsi David.

1\. PRimò Nota, quòd cum suprà egerit de damnatione malorum in secundo adventu Christi: nunc transit ad primum adventum, & agit de beneficiis ab ipso collatis, ut quos non attrahunt commiñationes, attrahant saltem beneficia, & promissiones: & sensus est: laus ista Cantici, id est exultationis, & devotionis sit David, scilicet Christo; per quod invitat nos ad laudem, & exultationem.

2\. *Deus trinus trino sacrificio honorandus.*

Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. Nota in his paucis verbis proponitur Deus trinus: scilicet Dominus Deus Pater: salutare, scilicet Filius, & noster, scilicet Spiritus Sanctus: innuiturque honorandum esse trino sacrificio, scilicet fide unde dicitur: *venite*: opere, unde dicitur: *exultemus*: & mentis jubilatione, unde dicit. *Iubilemus Deo salutari nostro. Psalm. 94.*

3\. *Invitantur specialiter Clerici ad canendum Deo laudes in psalmorum recitatione.*

Venite exultemus Deo. Nota, quòd licet invitentur omnes fideles ad Deum laudandum, tamen specialiter iste psalmus dirigitur ad Clericos, quorum munus speciale est decantandi Psalmos in Ecclesia; innuiturque, quod id debent facere cum jucunditate, ut torpor, & pigritia ab eis abscedat, & omnis iniquitas. *ser. in dedicat.*

4\. *Cur hic Psalmus cantatur in principio matutini in toto anno, excepta die Epiphaniæ?*

Venite exultemus Deo. Nota, quòd hic Psalmus totus est de vocatione Judæorum: sed quia nondum conversi sunt, ideò singulis noctibus repetitur in invitatorio, quia vocamus Judæos, ut convertantur: sed quia Epiphania tota est de vocatione gentium, scilicet quomodo Reges vocati sunt; & non de vocatione Judæorum, ideò iste psalmus tacetur in invitatorio: & quia Judæi in sexta ætate convertentur, scilicet in fine mundi, quando scilicet manus Moysi ad sinum conversa est; ideò in sexto loco in matutinis illius festi cantatur: vel etiam ideò hic psalmus tacetur in illius festi invitatorio; quia illud festum est de vocatione gentium, quæ non sunt vocatæ ad fidem cum tot prodigiis, & laboribus, sicut evenit in vocatione Judæorum: ideò in illo festo tacetur. *Psal. 94.*

5\. *Ecclesia habet sua invitatoria: Synagoga peccatorum habet sua.*

Venite exultemus Domino. Nota quod in hoc invitatorio Ecclesia invitat suos fideles ad Deum laudandum: sic etiam Synagoga peccatorum habet sua propria invitatoria, quibus invitat ad peccata. *in sap. c. 2.*

6\. *Per confessionem peccatorum invitamur ad præoccupandam faciem Christi Iudicis, ne in judicio pereamus.*

Præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei. Nota hæc verba, & ipsorum ordinem: Nos enim invitat Spiritus Sanctus ad quærendam faciem Christi; sed quia aliis ipsam ostendit iratam, aliis placatam: vult, ut ejus faciem iratam præoccupemus confessione peccatorum: ut hinc ipsam placatam inveniamus & inde portam Cœli reseratam inveniamus, ut ibi laudemus, & jubilemus ei in psalmis. *sermon. 5. rogat.*

7\. *Perfecta oratio exigit in orante humiliationem, & Dei exaltationem.*

Venite exultemus, præoccupemus faciem ejus in confessione: quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus. Ecce quòd nobis traditur modus efformandi efficacissimam orationem: primò dicit: *præoccupemus faciem*: per quod proponit humiliationem personæ orantis coram Deo: & hinc subdit: *quoniam Deus magnus*: ut hinc ad Dei magnificentiam erigatur anima, scilicet ad cognoscendum ejus nomen summæ Majestatis, summæ unitatis, & summæ pietatis, ut hinc colatur Deus, & venia peccatorum obtineatur: & hinc subdit: *quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, quoniam ipsius est mare: Venite adoremus, in Lucam c. 18. v. 13. & in sap. c. 16. & in Ioan. c. 4. v. 24.* Ex quibus addiscere debes, quod nulla est oratio, vel opus bonum coram Deo, nisi præcedat cognitio divinæ majestatis, & humiliatio nostra coram ipso. *ser. 2. de decem precept.*

8\. *Idem confirmatur.*

Venite adoremus, & procidamus ei, ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ ejus: & oves manus ejus. Ecce quomodò traditur denuo modos exhibendi Deo orationem perfectam; nam invitamur hic ad divinam adorationem, & reverentiam, & orationem devotam: *venite*, inquit Propheta, *adoremus Dominum*; quia si ipse est qui nos redemit: si ipse est qui gubernat, & regit; & si nos populus ejus, si oves pascuæ ejus: ergo venite corpore: adoremus mente, procidamus ante eum corpore, & mente, & ploremus coram eo ex peccatorum recordatione, ex bonorum omissione, ex præceptorum ejus transgressione, & ex omnium vitium inferiorum correptione. *ser. 2. de SS. Phill. & Iacob. in Lucam c. 5. v. 8. & 12. & c. 8. v. 41.*

9\. Populus

9. *Populus fidelis cur dicitur ovis Dei.*

Nos: & oves pascuæ ejus Cur affimilatur Populus Chriftianus ovi? quia fpecialiter tria relucent in fideli populo: fcilicet fœcunditas operum, patientia in adverfis, & innocentia cordis. *Pfal.94.& fer 1 & 2. Dom.1. poft oct Pafcha.* Et quia ovis audit,& fequitur vocem paftoris, ideò fubdit Propheta: *Hodie fi vocem ejus audieritis. fer.2.Dom 1 poft oct. Pafcha.* Et nota quod in his verbis videtur prævertio ordinis; quia debebat dicere: Populus, manus,& oves, & non populus pafcuæ ejus, & oves manus ejus: fed tamen fignatè loquitur per tranfpofitionem, ut innuat, quod idem intelligitur per populum, & per oves. *Pfal.35.& 17.*

10. *Obduratio qualiter à nobis, à Deo,& à diabolo proveniat.*

Hodie fi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veftra. Vide ex hoc verbo quomodò obduratio venit à nobis: & fi hoc, quomodo alibi dicitur à Deo: *ego indurabo cor Pharaonis?* Sed attende, quod obduratio eft pœna acta,fcilicet proveniens ex actione mala ab homine facta, & ideò prout pœna eft, eft à Deo permittente, vel fubtrahente gratiam juftè; & à diabolo per inftigationem. *Pfalm.94. & l.1. d.40.a.4.q.1. & 2.*

11. *Mali quomodo dicuntur tentare Deum.*

Tentaverunt me Patres veftri. Quomodo? hoc fit per incredulitatem in promiffis divinis, & etiam per impugnationem veritatis. *Pfal.34. & in Lucam c 11.v.16.*

12. *Via Dei,& via diaboli quænam.*

Et ifti non cognoverunt vias meas. Vide, quod ifti rebelles non cognoverunt vias Domini: inde fignum maximum eft iræ Dei ignorare vias iftas Dei, & nota,quod via Dei eft multiplex: nempè Chriftus, ejus humanitas & divinitas; via item fpiritualis aditus cordis,iter rectitudinis, fanctitas converfationis:per has venit Deus ad nos,& diabolus è contra habet fuas vias;nempè latitudinem profperitatis, & voluptatum per quas ducit ad perditionem. *Pfal.94.*

13. *Convertitur ifte Pfalmus ad invitandum fideles ad laudandam Mariam Virginem.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Venite exultemus Dominæ noftræ jubilemus falutiferæ Mariæ Reginæ noftræ: præoccupemus faciem ejus in jubilatione,& in canticis collaudemus eam:Venite adoremus, & procidamus ante eam, confiteamur illi cum fletibus peccata noftra. Impetra ergo, ô Maria nobis indulgentiam plenam,affifte pro nobis ante tribunal Dei:fufcipe in fine animas noftras, & introduc nos in requiem æternam.*Op.Pfalt.B Virg.Pfalm.94.*

PSALMUS XCV.

Titulus: Canticum ipfi David: quando Domus ædificabatur poft captivitatem. ex 1. Par. c. 15.

1. Ritè nota, quòd ad litteram alluditur ad reædificationem Templi factam fub Zorobabel,& Jefu Sacerdote poft captivitatem feptuaginta annorum, quando deftructum fuit à Babiloniis, ob quam reædificationem invitat Judæos ad cantandum Domino canticum novum: Myfticè agitur de reædificatione fpirituali animæ per converfionem, & pœnitentiam, ob quam gaudium redundat in anima, & hinc invitatur ad laudandum Deum.

2. *Omnia creata invitantur ad Deum laudandum.*

Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Quomodo terra, & non potius homines, vel Angeli invitantur ad cantandum Domino? fed nota, quod nomine omnis terræ veniunt omnia creata,quæ invitantur ad cantandum Domino laudes ejus, nam venit nomine omnis terræ, aliquando cœleftis patria, quæ eft terra viventium:aliquando Ecclefia militans, aliquando fynagoga, aliquando gentilitas,aliquando anima jufta, & etiam peccatrix, vel caro hominis, vel Chrifti humanitas, & ideò hic invitantur omnes creaturæ ad cantandum canticum novum in honorem Domini Dei: novum inquam, non vetus, nam cupiditas cantat canticum vetus, charitas novum, ut dicit,*Gloffa hic*: cantate igitur Domino omnes creaturæ canticum novum. *Pfalm.95.*

3. *Invitatur anima ad laudandum Chriftum per multiplicem rationem.*

Quoniam magnus Dominus. Hic autem commendatur Chriftus, primò à potentia, unde dicitur: *quoniam magnus Dominus*, à bonitate, unde dicit: *laudabilis nimis*:ab admiratione, unde: *terribilis*: & ideo à nobis laudandus *Pfal.95.* Item ab unitate divinitatis unde addit: *quoniam omnes dii gentium dæmonia,Dominus autem Cœlos fecit*: unde Idololatræ non cantant hoc canticum novum, quia dividunt, & multiplicant divinitatem in plures Deos. *Opufcul. comp. Theol. l. 1. capit.2.*

4. *Confeffionis mirabiles effectus enarrantur.*

Confeffio, & pulchritudo in confpectu ejus, fanctimonia, & magnificentia. Nota, quod confeffioni attribuit pulchritudinem, fanctimoniam, & magnificentiam: nam per confeffionem acquiritur pulchritudo animæ, fanctimonia vitæ, & magnificentia gloriæ: fi vis ergo effe pulcher, ô homo, fanctus, & gloriofus, ad confeffionem peccatorum frequenter accede. *fermon. quinto, in rogat.*

5. Ad

5. *Ad Christum debet tendere omnis nostra intentio, à quo attrahimur suis inspirationibus.*

Afferte Domino patria gentium; afferte Domino gloriam, tollite hostias, & introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus. Nota, quod ad litteram, videns Judæos rebelles esse Christo, invitat gentiles, ut Domino uno & trino accedant, & offerant suas hostias: & ideò ad ingressum in atrium Christi, scilicet in Ecclesiam, & unitatem fidelium vocat; ut qui attrahimur ab ipso, ad ipsum dirigamus omnes nostras intentiones, & opera: illa enim præpositio *in* scilicet *introite, & in atria ejus*, hæc significat. *Psal.95.*

6. *Christus Rex declaratus in Cruce, & per crucem, ut patet in titulo crucis.*

Commoveatur à facie ejus omnis terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnavit. Ex Hebræo legitur: (*Dominus regnavit à ligno:*) *etenim correxit orbem terræ, judicabit populos in æquitate.* Quasi dicat S. Propheta: commoveatur homo per pœnitentiam à facie ejus. scilicet. ad visionem Christi judicis: & ut sequatur hæc commotio, dicite ô Prædicatores gentibus, quia Dominus regnavit à ligno: quomodo à ligno? quia per crucem non perdidit, sed corroboravit imperium suum: & ideò Deus disposuit, ut talis Titulus collocaretur super ipsius caput: Titulus inquam, Triumphalis, quia continet causam, & ordinem triumphi: ut ab omnibus posset legi, & credere volentibus pateat, & hic fuit scriptus tribus linguis principalibus, Hebræa, Græca & Latina, ut omne regnum mundi, omnis sapientia mundana, omnia divinæ legis sacramenta testarentur quod Dominus Jesus regnavit à ligno, quod ipse est Imperator credentium, & confitentium. *In Luc. c.23.v.38. & Psalm.44.*

7. *In Adam continentur omnes homines judicandi à Christo.*

Iudicabit orbem terræ. Nota orbis terræ non sumitur materialiter, sed pro hominibus omnibus filiis Adam, qui in eo fuerunt inclusi; & ideò Adam componitur ex quatuor litteris Græcis, scilicet, *alpha, delta, alpha, & mi*: in prima significatur oriens: in secunda occidens: in tertia Aquilo, & in quarta meridies; per quas efformatur crux; ideo opponitur oriens occidenti, & Aquilo meridiei; ut pateat, quod per crucem ascendit ad imperium totius mundi; & quem ipse judicabit, scilicet filios Adæ. *Psalm. 95. & Glossa hic.*

8. *Ad Mariam Virginem, ejusque laudem, & gloriam vertitur hic Psalmus.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Cantate Domino canticum novum.* Si in honorem filij cantare debemus canticum novum, ergo, & in honorem Matris: Cantate igitur plenæ gratia canticum novum, cantate Mariæ omnes terrigenæ orbis: quoniam omnes Angelos sanctitate præcellit, & natos mulierum virtutibus mirabilibus, & signis: formositas, & gloria in vultu illius, & gratiam oculis ejus: afferte illi gloriam patriæ gentium: exultate in ea omnes creaturæ Dei: admirabile commercium habuistis per eam: ex qua vocati estis Filij Dei excelsi. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.95.* Ecce igitur, quare debemus cantare canticum novũ in honorem B. Virginis: nempe, quia ipsa est plena omni gratia quia formosissima, quia in ea, & per eam omnis lætitia venit mundo, & quia commercium acquirit homo cum Deo per Mariam.

PSALMUS XCVI.

Titulus: Huic David, quando terra ejus restituta est.

1. PRIMÒ nota, quod ad litteram canitur iste psalmus in memoriam restitutionis regni factæ Regi David post rebellionem Absalom: mysticè prosequitur sacer textus laudes Christi ob suam resurrectionem, quando novus Rex trabea carnis se induit, & humanitate gloriosa se coronavit.

2. Christus post resurrectionem constitutus est Rex, & judex vivorum, & mortuorum. Quod exprimitur in principio hujus Psalmi, ut supra dictum est in titulo.

2. *Pœnitentia formata gratia Dei, prævenit, & corrigit rigorem judicis.*

Nubes, & caligo in circuitu ejus. Ecce quòd hic proponitur Christus venturus judicare omnes homines; subdit: *Iustitia, & judicium correctio sedis ejus*: Vide mirabilem pietatem Dei: nam postquam proposuit Christum severissimum judicem, porrigit remedium necessarium evadendi talem rigorem, dicens: *justitia, & judicium*: Quid est justitia, & judicium? justitia est gratiæ justificantis, judicium est pœnitentiæ satisfacientis, corrigens animam, quæ est sedes Dei: In hac justitia est salus animæ. Quare ergo ad hoc remedium non curris ô homo? *serm.3. Dom.2. Adv.*

3. *Ignis effectus ante judicium, & post quales.*

Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Nota, quod hic innuit effectus terribiles ignis tempore judicii universalis: Hic enim præcedet faciem judicis, ignis, inquam, non solum qui est in sphærâ suâ, sed & omnes ignes, qui in mundo sunt virtute divina concurrent ad mundi conflagrationem. Iste ignis habebit quatuor officia, scilicet ignis infernalis reprobos puniendo, & ignis Purgatorij bonos à venialibus purgando, ignis terrestris ista mixta consumendo, & corpora omnium hominum incinerando, & ignis elementaris elementa subtilizando, & ad innovationem disponendo: Per illum igitur igneum ita facies terræ exuretur, quod figura hujus mundi peribit: cujus actio erit successiva, habebit enim initium, medium, & finem: primò enim præveniet faciem judicis, & fiet purgatio justorum, punitio malorum viventium, & incineratio corporum: quo facto, statim erit resurrectio mortuorum cum adventu judicis, & tunc inflammabitur totus mundus per circuitum: terminato autem judicio, tota caliditas hujus ignis exequetur

Pp sententiam

sententiam judicis, involuetque peccatores, & trahet peccatores in infernum: sieque ignis præcedet, comitabitur, & sequetur judicis faciem.

Et si quæras cur utetur judex igne in fine mundi, & non potius diluvio? respondetur, quod primum judicium fuit per aquam, ut absorberet luxuriam; sed senescente mundo, refrigescet charitas, ideò igne purgabit mundum. *Op. Comp. Theol. l.7.c.15.& in Psal.96.& in sap.c.5.*

5. *Miracula in Ecclesia mirabiles effectus efficiunt.*

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota est terra. Nota hic, quod per fulgura intelliguntur miracula à Christo in Ecclesia facta: & dicuntur fulgura, quia illuminant, & terrent, & monent. *Psal.96.*

6. *Qui in hac vita humilitatem abhorrent, in judicio ad nihilum superbi humiliabuntur.*

Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini omnis terra. Quomodò montes sicut cera fluxerunt, & quando sed nota, quod utitur hic tempore præterito pro futuro, quia in conspectu Dei omnia sunt præsentia, & dat intelligere, quod qui humilitatem in vita mortali abhorrent, qui ut superbi super alios volunt præesse, in judicio humiliabuntur, & eorum superbia, sicut cera fluet. *Psal.35.& 96.*

7. *Invitantur homines ad venerationem divinæ Majestatis, exemplo Angelorum.*

Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata est Sion. Nota, quod prius invitantur Angeli ad adorationem, quam debent Deo exhibere & postea subdit, quod ex hoc lætata est Sion; idest Ecclesia, quænam lætitia est hæc? Respondetur, quod primò proponitur exemplum Angelorum, quorum munus est venerari divinam omnipotentiam, & majestatem, ut hinc edisсant fideles ex divinæ majestatis, & omnipotentiæ consideratione seipsos dejicere, & resilire in propriam parvitatem, & hinc assurgere in venerationem, & adorationem tantæ omnipotentiæ, quam pro nobis manifestavit in creatione tam mirabili tot rerum, & hinc subdit rationem, *quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus super omnes Deos. ser.3.de Angelis.& in Lucam c.1.v.2.*

8. *Primus gradus devotionis est sentire de Deo altissimè, piissimè, & sanctissimè.*

Adorate eum omnes Angeli, quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram. Nota, quod hic invitantur Angeli, & ex consequenti homines ad adorationem, & venerationem divinæ majestatis, & ut id recto ordine fiat, subdit: *quoniam tu Dominus altissimus, & nimis exaltatus*, ut videas, quod primus gradus veræ devotionis, est sentire de Deo altissimè, piissimè, & sanctissimè, quod fiet, si considerabit anima Deum cuncta de nihilo creantem, & disponentem secundùm divinam omnipotentiam, sapientiam, & justitiam, si ejusdem misericordiam infinitam admirabitur, amplexabitur, & benedicat. *Op. de regimine animæ.*

9. *Ad mensuram amoris in Deum, crescit odium peccati.*

Qui diligitis Dominum odite malum. Nota hanc connexionem verborum, ut videas, quòd secundùm mensuram amoris Dei, crescit odium peccati, & præcipuè superbiæ: si multum diliges Deum, multum oderis peccatum, & tibi multum dimittetur, & è contra, si per illicita desideria destues, profectò Deum non amas. *ser.3. Dom. 17. post Pentec.& ser.1.de S.Mar. Magdal.& ser.de S.Martino, & ser.1.Dom.Trinit.& Psalm.118.c.7.v.8.*

10. *Amore Dei ejicitur peccatum, & illius virtute custodit Dominus animas sanctorum.*

Qui diligitis Dominum, odite malum, custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos. Ecce quid facit amor Dei: primò enim exulare facit peccatum ab anima, quia incutit timorem Dei: secundò sequitur custodia peculiaris animæ, quam habet Deus, quæ consistit in collatione beneficiorum ad quam custodiam Angeli ministrant, Cœlum dat & lucem in die, ut homo operetur, tenebras in nocte, ut quiescat, & ipsorum utilem vicissitudinem, aërem, aquam, terram, & tot creaturas ordinando ad custodiam hominis: ratione ergo tot beneficiorum diligite Deum, & declinate omne malum per exhibitionem bonarum operationum. *ser.4.Dom.17.post Pentec.& ser. 2. de S.Maria Magdal & ser.1.Dom.Trinit.*

11. *Justitia opus lux est illuminans animam, & lætificans corda.*

Lux orta est justo, & rectis corde lætitia: lætamini in Domino. Vide quibusnam oritur lux cœlestis, nempe justo, & rectis corde lætitia, ut videas, quod justitia est lux illuminans animam, & eam rectificando lætificans, *In sap.cap.5.* Recti autem corde sunt, qui volunt solùm quod Deus vult, & eodem modo. *Psal.93.*

12. *Dominium Mariæ Virginis exaltatur in hoc Psalmo ei collatum in assumptione.*

Dominus regnavit exultet terra. Nota, quod dominium datum à Patre Christo, in hoc Psalmo exaltatur, & quia cum Christo exaltata est ejus Mater Virgo ad dominium omnium creaturarum, hinc meritò invitantur omnes creaturæ ad adorandam, & collaudandam hanc magnam Dominam: hinc dicamus omnes: Dominus regnavit, & Maria regnat: exulter ergo & ipsa in omni imperio dominationis suæ: adorate hanc Dominam omnes cives curiæ Paradisi, exaltate eam Virginea speciosæ Filiæ ejus: quoniam elevata est super principatus, & dominationes, exaltata est super Angelorum, & Arcangelorum legiones: Patriarchæ & Prophetæ concrepate illi laudem: concentum illi facite Apostoli, Martyresque Christi: Confessores cum Virginibus de canticis Sion dicite canticum ei, & gratias ei agite Monachi sancti de acceptis triumphis. *Op. Psalt.B.Virg.Psal.96.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

PSALMUS

PSALMUS XCVII.

Titulus: Psalmus ipsi David.

1. PRimò nota, quod in præcedenti Psalmo egit Propheta de primo adventu: hic agit de utroque: invitatque ad laudem Dei propter gratiam, quam largitus est in primo adventu, & propter gloriam, quam largietur in secundo.

2. *Consideratio mirabilium operum Christi, invitat & excitat nos ad laudandum Deum in cantico.*

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Quæ mirabilia? mirabilia beneficia, quæ nobis fecit Deus Pater per dexteram suam, scilicet per Christum; unde subdit: *salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus*: nam visio, & consideratio mirabilium operum Christi, inducit, & movet ad laudandum Deum & ideò dicitur dextera, quia per Christum Pater nos protegit, impugnat hostes nostros, & omnia opera sua in nostram utilitatem facit. *Psalm. 97. & Psalm. 118 cap. 1. v. 11. & in Lucam c. 19. v. 37.*

3. *Salus nostra tota reposita est à Patre in Christo, ut in brachio fortissimo.*

Salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus. Nota, quod Christus dicitur dextera Patris propter operationem; dicitur & brachium propter fortitudinem, quia omnis nostra salus ab ipso reposita est in Christo, & ab ipso dependet. *in Lucam c. 15. v. 10.*

4. *Notificatio Nominis Iesu est unum ex præcipuis prodigiis.*

Notum fecit Dominus salutare suum. Quid est notum fecit salutare suum; quodnam est hoc salutare Dei? Hoc est Iesus, ejusque nomen: cujus notificatio reponenda est inter præcipua mirabilia facta à Deo, quia per ipsum salus nobis advenit. *in Lucam capit. 2. verf. 31. & fer. 4. in circumcisione.* Et hic adit: *in conspectu gentium revelavit justitiam suam*: scilicet per hoc nomen; & in hoc nomine revelata est justitia, quam in se exercuit pro nostra salute.

5. *Idem confirmatur.*

Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ: viderunt omnes fines terræ, salutare Dei nostri. Ecce quod præcipuus effectus misericordiæ Dei nostri est notificatio salutaris Dei, scilicet nominis Jesu, & ideò in virtute hujus nominis viderunt omnes fines terræ, scilicet viderunt ex omnibus gentibus hoc salutare, nempè cognoverunt Christum cum gaudio. *Psal. 118. c. 6. v. 1. & in Lucam c. 3. v. 6.*

6. *Laus quomodo Deo offerenda.*

Iubilate Deo omnis terra, cantate, exultate, & psallite. Nota quod hic invitat omnes ad Deum laudandum, & tradit modum offerendi hanc laudem nempè mente unde dicit: *exultate*: verbo, unde dicit: *cantate*, & opere: unde: *psallite. Psal. 96.*

7. *Traditur modus psallendi in cithara mysticè & moraliter.*

Psallite Domino in cithara. Cur in cithara vult ut Deum laudemus? & ut id faciamus, reperit in cithara, & voce Psalmi. Nota quod in cithara est inferius concavum, & superius solidum, super quod extenduntur chordæ quibus clavi deorsum tenduntur, & quibusdam sursum trahentibus ad superiores clavos plectrum torquet, ad inferius clavos chordæ digitis percussæ resonant: moraliter, duo ligna sunt duæ Cruces: inferius est crux carnis; superius crux mentis, scilicet compassio mentis: inferius lignum solidum non est, quia omne, quod in carne doler si conscientiæ bonæ gaudium tollitur, foris speciem doloris habet, sed intus veritatem non habet, & ideò concavum est: superius lignum solidum est, quia dolor ment is ad intima perveniens, mostrari potest, fingi non potest: chorda est corpus, quod tenditur, & maceratur: inter pœnam carnis, & mentis inferior clavus est timor, superior amor, quia timore caro fingitur, amore animus vulneratur: ille ne ad mala moveatur; iste ut ad bona excitetur. Plectrum est ergo, quod affectum chordis appendens ad se trahit, & ad superiora ire facit: chorda siccatur, & tenditur, ut sonum reddat: caro hominis à malo mundatur, post in bono excitatur, ibi est siccata, hic tensa: siccatur per abstinentiam, tensa est per patientiam: inferiores clavi rotundi sunt, superiores solidi, quia timor circumspectus debet esse perfectus. *Psalm. 97.* Vult igitur Deus, ut in cithara psallamus Deo, scilicet pœnitentiam ex timore, & bonum opus ex amore offeramus Deo: unde rectè assimilatur confessio citharæ sono septem chordarum reddentium dulcem armoniam auribus Dei. *Diat. titulo 2. c. 3.*

8. *Laus cantanda Deo in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ scilicet in pressuris, & tribulationibus.*

In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Cur in tubis ductilibus? sed attende mysterium: tubæ ductiles sub mallei persecutionibus subjacent, & perficiuntur. Malleus significat diabolum; quia anima debet in hac vitâ subjacere tentationibus diaboli, & pressuris: & hoc est proprium sanctorum. Isti verò perfectè laudant Deum, qui patienter tolerantes has passiones, Deo serviunt, & exeundo in sonum prædicationis, alios trahunt ad Deum; sicque Deum perfectè laudant *Psalm. 97. & Glossa.* Igitur per tubas ductiles possunt intelligi Martyres: per tubas corneas verò sancti Confessores, & prædicatores, qui in Ecclesia sonum prædicationis emittunt in spiritus fortitudine; & ideò omnes sancti hic invitantur ad laudandum Dominum. *ibidem.*

9. *Invitantur item pœnitentes, peccatores, & omnes ad Deum laudandum.*

Iubilate in conspectu Regis Domini: moveatur mare orbis terrarum flumina, &c. Vide, quod Propheta nò solùm

ſolùm tubas ductiles, ſcilicet Martyres, & corneas, ſcilicet Confeſſores invitat ad laudandum Deum, ſed & totum mundum; oempè & peccatores, & pœnitentes, & ſæculares, & Religioſos, & Prædicatores, qui omnes ſignificantur per mare, & flumina; & non ſine myſterio nomine maris eos invitat, & appellat, quia mare etiam ſignificat legem Dei; & ideò eos vocat ad obſervantiam legis, ut dignè laudare Deum queant. *Pſalm. 97. & Gloſſa.*

10. *Beatæ Virgini cantandum eſt canticum novum, ob mirabilia, quæ fecit.*

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Hoc dicitur de Christo, quia mirabilia pro nobis fecit: ergo & de Beata Virgine idem dicendum eſt, fecit enim mirabilia: & quæoam? Audi Mariam dicentem: *fecit mihi magna, qui potens eſt*: magna inquam & inſcrutabilia, & mirabilia, in quibus tota ratio facti, eſt potentia facientis, quæ in Virgine Maria exequuta eſt: verè magna, & mirabilia: nam nulla eſt creatura pura, in qua tanta divinæ gloriæ materia reluceat, ſicut in Maria: Gloriam enim de reſtaurationе facta in Cœlo, de redemptione facta in mundo, de liberatione facta in inferno habet Dominus per plenitudinem operum Mariæ: cantemus igitur Dominæ noſtræ canticum novum, quia mirabilia fecit, quia in conſpectu gentium revelavit ſuam miſericordiam, & in extremis terræ auditum eſt nomen ejus. *Opuſcul. Pſalt. Beatæ Virg. Pſal. 97. & opuſcul ſpecul. B. Virg. lec. 7. & in Lucam cap. 1. verſ. 49.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

11. *Per Mariam notus eſt nobis factus* JESUS.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum. Per quod medium? Per Mariam Virginem: unde de ſeipſa dicit: *Magnificat anima mea Dominum*; nempè per ipſam magnificatus eſt quoad notificationem Dominus Jeſus. *In Lucam c. 1. & op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 62.*

12. *Salutatio Angelica eſt Cithara ſeptem chordarum.*

Pſallite Domino in cithara. Hæc vertantur ad laudandam Mariam & dicamus: laudate Mariam in cithara: quænam eſt hæc cithara? Hæc eſt ſalutatio Angelica, quæ eſt cithara quinque chordarum: Nam in hac dulciſſima ſalutatione dulciſſimæ ſententiæ ordinantur, in quibus dulciſſimæ commendationes, ſive laudes Virginis inſinuantur. Inſinuatur namque quàm puriſſima ab culpæ carentiam: quàm pleniſſima gratiarum: quàm tutiſſima propter divinam præſentiam, digniſſima propter perſonæ ſuæ reverentiam; & utiliſſima propter ſuæ prolis excellentiam. *Op. ſpec. B. Virg. lec. 1.*

13. *Ad conſpectum Mariæ recordatus eſt Jeſus miſericordiæ ſuæ in nos, quia ipſa recordata eſt miſeriæ, & indigentiæ noſtræ.*

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraël: viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Nota, quod hic dicit Deum recordatum eſſe miſericordiæ ſuæ in nos, & ex hoc viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri, ſcilicet effectus miſericordiæ ſuæ: ſed quando advenit hæc recordatio in Deo? eſtne Deus capax oblivionis? minimè: hic autem intendit Propheta innuere aliquem effectum ſpecialem divinæ miſericordiæ in nos, & motivum peculiare; ob quod Deus in nos tam benignè reſpexit: & hoc facit per Mariam: Nam adveniente Mariâ in mundum, ille, qui erat prius Deus ultionum, factus eſt Pater miſericordiarum, quia ipſa Mater miſericordiæ ad miſerandum generi humano inflexit Deum: & ideò dicitur recordatus tunc miſericordiæ ſuæ: & hine, quod viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri, quia ipſa recordata eſt pauperum, & miſerorum: ergo quia Mater eſt miſericordiæ, nos lavat à fæcibus peccatorum; nos conſolatur in incunabulis vagientes, parvulos eſurientes lactat; cujus brachiis ſuſtentamur deficientes; ipſa conſolidat vulneratos, ad ſalutem perducit ægrotos: viderunt ergo omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri; quia mater, & medicina facta eſt miſerorum: dicamus ergo devoto corde Mariæ: Recordare Domina pauperum, & miſerorum; & ſuſtenta eos ope miſericordiæ tuæ, quia tu Domina ſuavis, & mitis, patiens nimis, & miſeratione plena: conculca hoſtes animarum noſtrarum, & contumaciam illorum elide brachio ſancto tuo. *Op. Pſal. B. Virg. Pſal. 97. & 97. op. ſtim. div. am. p. 3. c. 19.*

PSALMUS XCVIII.

Titulus: Pſalmus ipſi David.

1. PRimò nota, quod ſicut in Pſalmo 92. qui incipit. *Dominus regnavit,* egit de regni Chriſti confirmatione: & in Pſalm. 96. de regni Chriſti dilatatione, hic agit de regni Chriſti auctoritate, & poteſtate, & ideò invitat omnes, ut Chriſtum tamquam Deum adorent, & tamquam regem exaltent: quod tamen facit ſub figura, vel velamine, ſicut faciebant omnes Prophetæ: & hoc ob triplicem cauſam; ſcilicet ob rei immenſitatem, quia magna, & inviſibilia promittebant: tum propter audientium indignitatem: tum propter exercitationem, ut ſcilicet in labore veſcantur homines pane, ſcilicet intelligentiæ ſacræ Scripturæ. *Pſal. 98.*

2. *Malorum perſecutio in bonos deſiderabilis propter fructum inde conſequentem.*

Dominus regnavit, iraſcantur Populi. Ergone optat Eccleſia, ut contra Chriſtum tegnantem, iraſcantur populi? Sed nota, quod licet videatur optare perſecutionem malorum, id tamen non optat directè, ſed indirectè, ſcilicet propter fructum inde conſequentem: quia ex perſecutione tyrannorum ſecuta eſt paſſio martyrum, quod fuit maximum bonum, ſicque ponit antecedens pro conſequente, & optat antecedens gratia conſequentis. *Pſ. 98.*

3. *Deus gubernat mundum per Angelos; ideò dicitur ſedere ſuper Cherubim.*

Dominus regnavit, qui ſedet ſuper Cherubim, moveatur terra. Quomodò dicitur Deus ſedere ſuper Cherubim? eſtne capax ſeſſionis? Nota, quod dicitur

dicitur sedere super Cherubim, quia gubernat per Angelos, qui sunt administratorii spiritus; ideò gubernans mundum sedere dicitur super ipsos, ad ipsorum ministerium referens suum regimen, *sap. c.* 18.

4. *Nomen Iesus magnum est, terribile, & sanctum.*

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, & sanctum est. Vide rationes, quare magnum nomen debet laudari, & exaltari; scilicet quia terribile est, & sanctum: sed quodnam est nomen magnum Domini? nonne pluribus nominibus Deus nominatur? Nota, quod pluribus nominibus nominatur à nobis: sed tamen nomen magnum est, quod est super omne nomen. Hoc est nomen Jesus: nomen terribile malis, & hostibus, & sanctum bonis, quia superat hostes, congregat cives, reparat vires, revocat mentes. *Op. de quinque festivit. pueri iesu* 3 *solem.*

5. Reges veri seipsos regentes, & judices justi diligunt judicium, scilicet æquitatem, & veritatem, & vanitatem abhorrent. Unde hic dicitur à Propheta, quod, *honor regis judicium diligit. Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 4. *& fer.* 2. *Dom.* 18. *post Pentecost.* Notet ergo Prælatus in quonam consistit ejus honor, & exaltatio; nempè in judicio punitionis; debet enim corrigere delinquentes, eosque punire, ut resipiscant ab operibus malis. *ferm.* 3. *fer.* 3. *Pentec. & Psal.* 58.

6. *Deus in suis exigit directionem cordis ad mortificationem sensualitatis.*

Tu parasti directiones cordis, judicium, & justitiam in Iacob tu fecisti. Ecce quid exigit, & imperat Deus nobis, nempè directionem cordis, per quam voluntas imperat sensualitati, eamque subjicit. *Psal* 118. *c.* 1. *v.* 1.

7. *Qui se coram Deo humiliat, exaltare dicitur Deum, & adorare scabellum pedum ejus.*

Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus. Quis est, qui possit exaltare Deum? estne capax Deus exaltationis? maximè in hoc sensu: nempè quando anima coram Deo se humiliat, dicitur exaltare Deum; scilicet ipsum qualis est recognoscere; & sic dicitur adorare scabellum pedum ejus: sic faciebat Magdalena, quæ stabat secus pedes ejus; sic & Moyses, & Aaron, & Samuël. *in Lucam c.* 7 *v.* 39. *& in Psalm.* 56.

8. *Deus quomodo dicitur loqui ad nos, & nos loqui cum Deo.*

In Columna nubis loquebatur ad eos. Quomodo loquebatur? sed nota, quod Deus dicitur loqui ad nos, quando aperit nobis sua secreta: item interrogare nos dicitur, quando nos nescientes facit cognoscere: & homo dicitur loqui Deo, quando inhiat ad Deum promptis desideriis: item & interrogare dicitur Deum, quando se nescientem, & ignorantem, manifestat. *Psal.* 98.

9. *Christus Rex magnificus, & Maria Regina sedens super Cherubim.*

Dominus regnavit, Si Christus est Rex, sedens super Cherubim: & Maria Regina, sedens à dextris Dei, super Cherubin, & ideò magna est gloria ejus in Sion, & in Hierusalem magnificentia ejus. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 98. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

10. *Sicut invitantur fideles ad laudem Christi; sic & ad laudandam Virginem.*

Confiteantur nomini tuo magno, exaltate Dominum, & adorate scabellum pedum eius. Nota, quod idem dicitur ad incitandum fideles ad laudandum non solùm Christum, sed & Mariam Virginem. Cantate igitur ante eam chori virginales, & adorate thronum ejus, quia sanctus est: in dextera ejus ignea Lex; & in circuitu ejus sanctorum millia: mandata ejus ante oculos ejus, & justitiæ regula in corde ejus. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psalm.* 98.



PSALMUS XCIX.

Titulus: Psalmus in confessione.

1. PRIMÒ Nota, quod cum supra egerit de regno Christi, quia vertitur ad hoc regnum per confessionem, scilicet laudis, & peccatorum, hinc invitantur fideles ad utramque. *Psal.* 99.

2. *Confessio laudis suadetur.*

Iubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia: introite portas eius in confessione. Nota, quod hic continuè invitamur ad confessionem laudis; & ad Deum laudandum in lætitiâ cordis, quæ laus ei debetur tum ob bona æternalia, quæ nobis promisit; tum ob bona spiritualia, quæ nobis confert: tum ob bona temporalia, quibus nos ditat: & hic est modus, quo homo Deo gratum se exhibet. *Psal.* 99.

3. *Consideratio beneficii creationis excitat animam ad humiliter se subjiciendum Deo.*

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quis est inter fideles, qui hoc ignoret? Cur frustratoriè repetit hoc Propheta? Non frustratoriè, sed necessariò hæc sententia insonatur quotidie auribus nostris: quia prima semita perveniendi ad perfectam humilitatem est considera.io Dei: unde primò dicitur: *scitote, quod Dominus est Deus,* scilicet est summæ majestatis, & subdit: *ipse fecit.* Quia ipse auctor omnium bonorum, & ideò ipsi, non nobis debemus attribuere omnia bona, & nihil nobis, repetendo frequenter hæc verba *Ipse fecit nos, & non ipsi nos. opusc. de perfec. vita c.* 2. *& opusc. diat. tit.* 7. *cap.* 2. *in Lucam c.* 18. *v.* 13. *& in Ioan. cap.* 17. *versic.* 8.

4. *Consideratio creationis nos erigit in cognitionem divinæ omnipotentiæ: Et omnes Creaturæ nobis clamant, quod Dominus ipse est Deus.*

Scitote quod Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos & non ipsi nos. Nota quod in his verbis Propheta dat nobis intelligere, quod omnes creaturæ nobis prædicant divinam omnipotentiam, & nostram vilitatem; quia ipse Deus est vox naturæ: & omnia pulchra testantur ipsum pulcherrimum, dulcia dulcissimum, sublimia altissimum, pura purissimum, fortia fortissimum; & sic de aliis; quia sicut in Patria Deus est speculum, in quo relucent creaturæ; sic è converso in via creaturæ sunt speculum, in quo Creator videtur, & auditur. Et è contra, prædicant nostram vilitatem; quia nulla creatura potest creare unum vermiculum. *Op. Comp. Theol. l. 1. c. 1. & ser. 4. Dom. 4. post oct. Pascha.*

5. *Confessio peccatorum est dulcis musica auribus Dei: qua in curiam regis æterni intrare debet omnis pœnitens.*

Introite portas ejus in confessione, atria in hymnis confitemini illi. Quomodò præcipit hic ut cantando confiteamur peccata? nonne secretò soli sacerdoti revelanda? sed nota, quod confessio peccatorum est musica non auribus hominum, sed Dei dulcissima; unde qui tali musica intrat in atria Dei, statim reportat salarium, scilicet veniam peccatorum. *Op. Diæt. tit. 2. c. 3.*

6. *Porta Cœli est confessio peccatorum; item clavis, qua aperitur porta Cœli, & clauditur porta inferni.*

Introite portas ejus in confessione. Quas portas? portas Cœli; nam per confessionem aperitur os cordis, & simul porta Cœli: item & clavis ipsam portam Cœli aperiens, & claudens portas inferni: aperi ergo ostium ad confessionem, & claude ad excusationem. *ser. 5. in regat. & Psal 28.*

7. *Oratione aperiuntur Porta Cœli.*

Introite portas ejus in confessione. Scilicet in confessione, vel laudis, vel peccatorum: Confessio autem laudis est oratio: hæc enim aperit portas Cœli, & penetrat Cœlos, & ad tribunal divinum se exhibet. *Psal. 118. v. 145.*

8. *Per multiplicem portam intratur in Cœlum, & in infernum.*

Introite portas ejus in confessione. Nota, quod dicit (*portas ejus*) quia sunt etiam aliæ portæ, quæ non sunt Cœli, sed inferni: Porta Cœli est Christus: est & bonis dies judicii; est & exitus ab hac vità; est & bona operatio. Porta inferni è contra sunt mali Doctores, sunt operationes malæ: item dies judicii, & mortis malis: Boni autem intrant per confessionem portam Cœli, ut laudent Deum in sæcula sæculorum. *Psal. 99.*

9. *Invitantur fideles ad laudandam Mariam Virginem: traditurque modus captandi gratiam ejus, & prosequendi veram devotionem.*

Jubilate Dominæ nostræ homines terræ: servite illi in lætitiâ, & jucunditate in toto animo vestro: accedite ad illam, & in omni virtute vestra conservate vias ejus: Investigate illam; & manifestabitur vobis; estote mundi corde, & apprehendite illam. *Op. Psalt. B. Virg. sal. 99.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

10. *Qui devotionem veram Mariæ habebit, inveniet portas Cœli apertas.*

Introite portas ejus in confessione. Quas portas? Portas Cœli: & quomodo? in confessione, scilicet laudis: sed attende, quod porta Cœli est Maria Virgo, per quam quicunque intrat, ingressum obtinet; quia quibus Maria auxiliata fuerit, erit refrigerium pacis; & à quibus averterit vultum, non erit spes ad salutem. Recordare ergo nostri Domina Virgo, & non apprehendent nos mala: succurre nobis in fine, scilicet in porta mortis, & inveniemus vitam æternâ. *op. Psalt. B. V. Ps. 99. & in Luc. c. 1. v. 38.*

PSALMUS C.

Titulus: Psalmus ipsi David.

1. PRimò Nota, quod hic psalmus est centesimus, qui numerus perfectionem significat, & continet, & ideò cum supra dixerit esse lætandum, & cantandum, & jubilandū: hic dicit: quid cantandum, & cum quibus sociis: nempè, quia omnis perfectio est in Christo, & à Christo, ideò in titulo dicitur Psalmus ipsi David, scilicet Christo, qui hic loquitur pro se, & pro membris; ac si dicat per titulum omnia opera bona, & perfecta Christo debemus attribuere: & hinc agens de misericordia, & judicio, describitur vir perfectus, & excitatur ad appetendum bonum, & malum respuendum. *Psal. 100.*

2. *Quænam exigat perfectio hominis spiritualis.*

Misericordiam, & judicium. Jam dictum est, in hoc Psalmo centesimo contineri perfectionem spiritualem hominis: ad quam quatuor requiruntur: & primò ad Deum conversio, unde dicitur: *quando venies ad me*: nam per conversionem ad Deum, Deus ipse attrahitur ad animam: secundò progressus ad virtutē, unde subdit: *perambulabam in innocentia.* Tertiò mali vitationem, unde ait: *non proponebam ante oculos meos rem injustam.* Quartò delectationis motuum mortificationem, unde ait: *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Qui hæc quatuor tenet, perfectus est. *Psal. 100.*

3. *Servi Dei misericordiam Dei non separant à justitia.*

Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine: psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Vide quomodò Propheta suo exemplo excitat nos, ut non separemus misericordiam à justitia: nempè vult, ut Deum cognoscamus misericordem in pœnitentes; sed etiam justum judicem malorum. *sap. c. 12. & l. 4. d. 46. a. 2. q. 3.*

4. *Qui vult, ut Spiritus Sanctus veniat ad se praparet ei viam mundam.*

Psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Ecce quid tibi faciendum est, ut Spiritus sanctus ad te veniat: nempe laudes Deo decantare in canonicis laudibus, & viam mundam ei præparare; nam per hanc solam Deus ad animam descendit: sicut ob immunditiam recedit. *Psal. 118. c. 10. v. 3. & 7.*

5. *Innocentia perfecta quanam, & qualis praparet viam Domino.*

Perambulabam in innocentiâ cordis mei in medio domus mea. Quid est perambulare, nisi ire, & redire per eamdem viam? quomodo igitur fit ista perambulatio in innocentia cordis, & in medio domus. Nota, quod consistit in hoc, quod homo servat innocentiam in ingressu, in progressu, & in egressu: in ingressu, quando quis potest velle peccare, & non vult: in progressu, quando quis habet omnem occasionem, & aptitudinem ad peccatum, & ei non vult dare affectum: in egressu, scilicet in consummatione, quando provocatur ad peccatum, & non peccat. *Psalm. 100.*

6. *Domus mentis quomodo à nobis tractanda, & custodienda, ut ibi quiescatur.*

In medio domus tua. Nota, quod prius dicit se perambulasse in innocentiâ cordis, postea addit in medio domus: ergone solùm in medio domus perambulat innocens? Sed respondetur, quod hæc domus est ipsum cor, & mens animæ: dicit autem in medio domus, ut patefiat quænam exigantur ad hoc, ut quiescat anima in corde: exigitur autem, quod domus sit munda: quod ostium sit clausum, & quod intus habeat omnia necessaria: requiritur ergo, ut mens mundetur ab omni immunditiâ, ut claudatur sensualitati, ut ibi ratio perambulet, & quod habeat charitatem Dei: Hæc autem munditia tres partes habet: prima est consortium non habere cum malis: secunda non consentire malis: tertia cum justis partem habere. *Psal. 100.*

7. *Domus cordis à quibusnam emundanda, & quinam expelluntur à domo hac.*

In medio domus mea. Ergo habitabat, & quiescebat in hac domo mentis, quia habebat omnia necessaria, scilicet Deum, ejusque charitatem: è contra tria expellunt hominem è domicilio domus suæ, scilicet stillicidium, mala uxor, & fumus: stillicidium est prava suggestio aliena: mala uxor, scilicet sensualitas, & fumus, scilicet suggestio proveniens ex propria voluntate carnali. *Psal. 100.*

8. *Qui vult mundam animam servare, custodiat oculos mentis ab omni vanitate, & evitet consortium malorum, imò & ipsorum notitiam.*

Non proponebam ante oculos meos rem injustam, facientes prævaricationes odivi: Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem à me malignum non cognoscebam. Nota gradus, quibus ad innocentiam conservandam gradiebatur vir justus: primò dicit: *non proponebam ante oculos meos rem injustam*; idest non diligebam rem injustam; deinde addit: *facientes prævaricationes odivi*; scilicet oderam malorum nequitiam, & tertiò addit: *declinantem à me malignum non cognoscebam: detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar, superbo oculo; cum hoc non edebam.* Vide, quod præcipua ratio conservandi innocentiam est evitatio consortij malorum: cave ergo, & tu familiaritatem malorum. *Psalm. 118. capit. 8. vers. 3. & Glossa hic.*

9. *Cor pravum est quod non vult, quod Deus vult.*

Non adhæsit mihi cor pravum. Quid est cor pravum, nisi distortum? & hoc est, quod à Dei voluntate recedit, quod vult, quod Deus non vult, & non vult, quod Deus vult: felix ille, qui potest verè dicere: *non adhæsit mihi cor pravum. l. 1. d. 48. art. 1. quæst. 2.*

10. *Via immaculata, per quam anima purà ambulat, qualiter praparatur.*

Ambulans in viâ immaculata, hic mihi ministrabat. Sic dicit Christus, ut videas, quod solùm dignè Christo ministratur ab eo, qui ambulat sic: sed quomodò præparatur, & fabricatur hæc via immaculata? & quomodo per eam ambulatur? Via hæc est spiritualis, & præparatur per floridæ castitatis supererogationem in purâ mentis, & corporis conservatione: ille igitur ambulat in via immaculata castitatis, qui Christo flores virginitatis, & castitatis ministrat, qui non solùm habet munditiam carnis exteriùs, sed etiam perfectam cordis ordinationem interiùs per affectiones bonas: sicut enim in humano corpore, cum in eo abundant mali humores, generant scabiem, vel lepram, vel impruriginem, & tollunt munditiam corporis: sic immundæ cogitationes generant motus corruptos in carne, quæ generant scabiem incontinentiæ, & lepram luxuriæ, & tollunt munditiam castitatis, & castimoniæ. *Serm. 1. Dominica 4. Advent.*

11. *Ministri Ecclesiastici Christi, qualem munditiam debent habere, & cur tonsurantur cum corona.*

Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Vide, quod hanc puritatem exigit peculiari modo Christus in suis Ministris Ecclesiæ: unde dicit: *hic mihi ministrabat*, scilicet ambulans in via immaculata, & hinc tonsurantur cum corona in capite: ut indicetur, quod per tonsurationem capillorum debent vitare superfluitatem terrenorum, & cupiditatum: per summitatis capitis denudationem debent ad bona superna inhiare, & per figuram orbicularem, debent simplicitatem cordis habere, & hoc est ambulare in via immaculata, *l. 4. d. 24. p. 1. a. 1. qu. 1. & op. Eccl. Hier. p. 5. c. 2. & in Lucam c. 1. v. 74.*

12. Servi

12. *Servi Christi ambulant in via immaculata : servi diaboli in via immunda.*

Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Ecce discrimen inter servos Christi, & diaboli : nam illi ambulant in via immaculata, scilicet puri corde, & corpore ; & floribus castitatis ornantes viam suam : servi diaboli in via immunditiæ, veluti canes & equi, ad carnis lasciviam currentes ; ideò oratio illorum est Deo cara : orationes istorum Deo exosæ. *Serm. 1. de S. Marco Evang.*

13. *Servi Christi humiles : Servi diaboli arrogantes, loquaces, iniqui.*

Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, qui loquitur iniqua. Ecce denuo discrimen inter servos Dei, & diaboli : illi enim sunt humiles, isti arrogantes, loquaces, iniqui ore, corde, & opere, & ideò exclusi à domo Dei : Deus enim maxime odit superbiam, tum in ornatu externo, tum in actu : tum in ore, tum in loco. *Ser. 2. Dom. infra oct. Nativit. & in Lucam c. 16. v. 15.* Et hinc superbus non habitabit cum Christo, sed cum dæmonibus, ab illa æterna habitatione separatus. *Ser. 1. in fest. omn. Sanctor.*

14. *Ministri Ecclesiastici habitant in domo Dei immaculati : Ministri diaboli habitant in domo diaboli polluti, & immundi.*

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Nota, quod hic ponitur discrimen inter ministros Ecclesiasticos bonos, & malos: nam boni habitant in domo Domini concordes in moribus bonis, perambulant in via immaculata cum munditiâ, & sanctitate, ferentes, & contrectantes res sacras cum puritate : E contra mali in discordia vivunt, immundi corde & corpore, irreverentes rerum sacrarum, & provocantes iram Dei. *Ser. in dedicat templi.*

15. *In principio tentationis, & pravorum motuum debet vir justus eis resistere qui vult animam mundam conservare.*

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem &c. Quomodò in matutino interficiebat rex iste omnes peccatores terræ? erantne omnes sub ejus potestate? minimè: sed per matutinum intelligit principium tentationis ; per peccatores terræ intelligit omnes primos pravos motus ; ut ergo animam immaculatam conservaret coram Deo, sedulus se opponebat istis pravis motibus in principio tentationis ; quia enim parvuli sunt, tunc facilè alliduntur & disperduntur, & expurgatur civitas animæ à malis civibus, & habitatoribus. *Psal 100. ℣ 30.*

16. *Prædicatores in matutino diei spiritualis interimunt peccatores terræ.*

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate. Nota, quod mysticè exprimit munus prædicatoris : ejus enim obligatio est in ortu spiritualis diei; nempe in sua prædicatione interimere amatores terræ gladio verbi Dei, eosque ad gratiæ vitam reducere. *Psal. 118. cap. 8. vers. 7.*

17. *Convertitur hic Psalmus ad Mariam, in quo ejus laudes, & praconia cantantur, & ad ipsam confugit anima devota.*

Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domina: psallam tibi in exultatione cordis, cum lætificaberis animam meam: Laudabo nomen tuum, & gloriam; & præstabis refrigerium animæ meæ: zelatus sum amorem tuum, & honorem, ideò defendas causam meam ante judicem sæculorum : allectus sum bonitate, & gratia tua : oro ne frauder à spe, & confidentia bona : conforta animam meam in novissimis; & in carne ista : fac me conspicere salvatorem. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 100.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

18. *Qui laudes, & puritatem Mariæ celebrat, psallit, & perambulat in via immaculata.*

Psallam, & intelligam in via immaculata. Et quomodò? nempe laudando Mariam, & zelando suum honorem, amorem, puritatem, qui sic facit, ipsa ei præstat refrigerium animæ suæ. *Op. Psalt. ibid.*

PSALMUS CI.

Titulus : cum anxius fuerit : & in conspectu Domini effuderit precem suam : Alii textus sic habent : *oratio pauperis cum anxiaretur.*

1. PRIMÒ nota, quod supra invitavit ad jubilandum in Domino; ut autem perfecta sit lætitia, requiritur rejectio peccatorum per pœnitentiam : unde in hoc Psalmo ad hanc invitat: & dicitur oratio pauperis, scilicet Christi, qui pro nobis egenus factus est, ut nos ditaret ; oratque in persona membrorum pro miseriis hujus sæculi, in quo propter peccata dejectus est.

2. *Clamor qualis in oratione Deo placeat.*

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Nota, quod Propheta prætendit, ut oratio sua exaudiatur ; & ut hoc obtineat, addit pro motivo clamorem suum, petens, ut ad Deum perveniat : cur addit orationi clamorem? ergone Deus indiget hoc clamore, ut exaudiat orationem nostram? maximè: sed attende, quod hic non loquitur de clamore corporali ; sed de interno : nempè de desideriis cordis : hæc sunt valentiora verba, & clamores, quæ Deum movent ad exaudiendam orationem nostram, istaque sunt optimus nuntius ad aures Dei. *Ser. 2. Dom. 1. quadrag.*

3. *Cur ad Deum clamare debeamus.*

Non avertas faciem tuam à me (scilicet à clamore meo) *in quacumque die tribulor inclina aurem tuam ad me.* Ecce quare clamat Propheta ad Deum : in quacumque die tribulor, quænam tribulatio est ista, quam ipse non explicat? Sed nota, quod quatuor sunt, quæ faciunt hominem clamare ; scilicet aqua, ignis, gladius, & bestia : aqua, tempestasque spiritualis, ignis æternæ damnationis, gladius judicii divini, & bestia infernalis : ob ista enim tribu-

latur homo; & ideò clamare debet ad Deum, ut liberetur. *fer. Dom. 2. quadrag.*

4. *Christus multipliciter clamavit ad Patrem pro nobis.*

Domine exaudi orationem: in quacumque &c. Nota hæc dicta esse à Christo in persona membrorum, quibus unitus fuit ut caput: onde nostras infirmitates, anxietates, dolores, pœnas, peccata in se assumpsit, & pro nobis orabat, *Psal.* 101.

5. *Oratio quot modis dicitur exaudita.*

Exaudi orationem meam. Nota, quod exauditur oratio, primò quando merita orantis approbantur: secundò cælesti curiæ esse exaudita manifestatur: Tertiò quando effectui mancipantur. Hanc multiplicem exauditionem petebat vir justus à Deo in dictis verbis. *Psal.* 101.

6. *In oratione quomodò captatur benevolentia iudicis.*

Exaudi orationem meam. Sed nota, ut exaudiatur, & captet benevolentiam judicis, quænam proponit: subdit enim multiplicem miseriam postulantis, quæ consistit in quinque, scilicet in detrimento naturalium, unde dicit: *defecerunt dies mei*: in defectu gratuitorum, unde dicit: *ossa mea sicut cremium aruerunt*: in mortalitate unde dicit; *percussus sum*: in sterilitate operum, unde dicit: *aruit cor meum*: in faciendorum oblivione, unde dicit: *oblitus sum comedere panem meum*: Hæc igitur Christus in persona membrorum proponebat in oratione Patri; ut ipsum moveret ad exauditionem, & nos instrueret. *Psal.* 101.

7. *Deus ad nostram utilitatem dicitur habere aures, & alia membra.*

Inclina aurem tuam. Ergone Deus habet aures? Nota, quod licet Deus non habeat membra corporalia, tamen metaphoricè ipsi attribuuntur, ut patet quàm propensus sit ad nostrum auxilium: dicitur autem habere aures, ut ostendatur perfectè audire orationem nostram: oculos ad perfectè videndum nostras necessitates: manus ad perfectè operandum, & cor, ut ostendatur perfectè velle. *Psal.* 101.

8. *Homo ob peccatum non fuit totaliter expoliatus donis naturalibus; sed tamen vulneratus.*

Defecerunt sicut fumus dies mei. Quænam defectio est ista? forsan mors ei tunc accidit? sed nota, quod hic deficere stat pro diminuere, & nomine dierum hic sumuntur dona naturalia, & dicuntur diminuta; quia homo propter superbiam Adæ non fuit expoliatus ipsis, sed vulneratus, & diminutus. *Psal.* 101. & *Psal.* 118. v. 81. & 15.

9. *Luxuria arefacit animam ipsam privans humore gratiæ.*

Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Quid est hoc, quod hic dicit Propheta, quod ossa ejus sicut cremium, scilicet caro frixa in patella, aruerunt? sed nota, quod hic loquitur de peccato luxuriæ, quæ arefacit ita animam humore gratiæ, ut ossa, scilicet virtutes videntur in luxurioso arefactæ, & veluti frixæ, & deperditæ. *in Lucam c. 6 v.* 11.

10. *Contritio peccatorum arefacit omnem humorem malum in anima.*

Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Nota, quod hæc etiam in bonum possunt intelligi: quia contritio destruit omnem noxium humorem; & hoc primò ob dolorem peccatorum: secundò ob timorem pœnarum; tertiò ob dilectionem proximi. *Psal.* 101.

11. *Caro floruit in Adam, & defloruit ob peccatum, quod in quolibet arefacit omne bonum in anima.*

Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum Nota, quod hæc dicuntur in Persona Adæ, cujus caro innocentia floruit, sed defloruit ob peccatum, quia voluit comedere non cibum vitæ, sed cibum doloris: ob quod peccatum arefit anima, & privatur omni humore gratiæ. *Psal* 21. & 30. & 126.

12. *Ex devota manducatione Eucharistiæ habetur vita: ex contrario mors.*

Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quem panem? Nota, quod hic allusio fit ad panem Eucharistiæ, cujus manducatio devota affert vitam; ex opposito ea defectu hujus manducationis deficit vita, & ad mortem reducitur anima. *in Ioan. collat.* 34.

13. *Christus rectè assimilatur Pellicano.*

Similis factus sum Pellicano solitudinis. Nota, hic, quod pellicanus est avis habitans in solitudine, qui videns pullos suos occisos à serpente, triduo eos plorat, & postea rostro suo sanguinem suum fundens, eos vivificat: sic Christus, videns hominem mortuum opera serpentis, nos revivificavit sanguine suo. *ferm.* 1. *Dom. pass.* & *ferm.* 1. *in Ascens.*

14. *Christus cur comparatur hic pellicano, nycticoraci, & passeri.*

Factus sum similis pellicano solitudinis, sicut nycticorax in domicilio, & sicut passer solitarius. Nota, quod Christus præcipuè his tribus avibus comparatur; scilicet Pellicano propter spontaneam passionem, ut dictum est: nycticoraci nidificanti in domibus propter fugam mundanæ vanitatis: & passeri propter humilitatem conversationis, quoniam minima sunt volatilium. *in Thren, c.* 3. dicitur autem passer solitarius, tum propter partus novitatem, tum propter peccati immunitatem, tum propter auctoritatem, quia iste passer in altum nidificat super alias volucres. *Psal.* 101.

15. *Felix qui est veluti passer solitarius.*

Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Nota, quod passer est sagax volucer, qui volat in altum, ut tutus à laqueis esse possit: felix est qui vigilat ad cognitionem beneficiorum, &

donorum Dei;& ob id à curis sæcularibus sequestratus ad alia virtutum volat, levando se supra se ad divina; & mentis præsentiam dilecto suo ingerit ut aliis patrocinium miserationis imploret. *serm.de SS.Simone & Iuda & Psal.*101.

16. *Mali Christiani, & perversi hæretici exprobrando Christo falsam doctrinam seminant.*

Tota die exprobrabant mihi inimici mei. Nota hæc dicta esse à Christo,& Ecclesiâ contra malos Christianos,& hæreticos,qui dolos,& falsam doctrinam seminant contra bonos.*Psal.*101.

17. *Pœnitentia panis sustentat animam.*

Quia cinerem tanquam panem manducabam; & potum meum cum fletu miscebam. Quomodo potest dici,quod cinis esset cibus loco panis? sed nota, quod per hanc metaphoram dat intelligere qualitatem pœnitentiæ, quæ per cinerem cum fletu significatur & dicit: *tanquam panem manducabam*; quia pœnitentia,& lachrymæ sunt panis, & vinum animæ,& animam refocillantes; & per hæc reparantur defectus ex peccato homini provenientes. *Psal.*101.*&* 54.*&* 65.

18. *Panis Eucharistia cum memoria passionis Christi, & cum lachrymis debet condiri.*

Quia cinerem tanquam panem manducabam. Cur panem cum cinere connectit?quia panis subcineritius admixtus est cum cinere: hic autem est sacramentum Eucharistiæ, quod debet condiri cum cinere, scilicet sub cinere amaræ passionis Christi per memoriam ipsius,& cum fletu, & lachrymis.*ser.*3.*Dom.*4.*quadrag.& Gloss.*

19. *Incarnationis ascensus & descensus consideratur.*

Quia elevans allisisti me. Nota hæc duo opposita,*elevans,allisisti*,scilicet cadere, vel descendere me fecisti: quomodò possunt simul subsistere? quia in incarnatione verbi concurrit ascensus, & descensus:ascensus scilicet humanitatis assumptæ, & descensus,scilicet divinitatis unitæ humanitati. *Psal.*101.

20. *Christi æternitas interminabilis, quoad divinitatem expenditur.*

Tu autem permanes in æternum, & memoriale. Nota quod licet Deus in incarnatione videatur descendisse,& mutationem subijsse, tamen secundùm divinitatem datur intelligi,quod est æternus & immutabilis sine principio, & fine. *l.*1. *d.* 19. *p.*1.*dub.*4 *&* 5.*& Psal.* 118. *c.*6. *v.* 9. *& in Ecclesi. c.*1 *& op.spec.B Virg.lec.*8.*& in Lucam c.*18.*v.*40.

21. *Sacramentum Corporis,& sanguinis memoriale est passionis Christi duraturum usque ad finem Mundi.*

Et memoriale tuum in generatione, & generationem. Nota, quòd exposita incarnatione Verbi ejus humanitate, & divinitate, transit Prophèta ad memoriale Christi: quodnam est hoc memoriale, nisi sacramentum Eucharistiæ? & benè dicitur memoriale,quia est repræsentatio, & renovatio passionis Christi,continua,duratura usquè ad finem Mundi:signum inquam rememorativum passionis Christi propitiationis, & charitatis divinæ in nos. *Op.de præpar.ad Missam c.* 6. *& l.* 4. *d.*11.*p.*1.*a.*3.*qu.*1.*ad arg.ser.*4 *in cœnâ Dom.*

22. *Per Christum animæ nostræ inserviunt ad ædificationem cælestis Hierusalem; & ad ipsius reparationem.*

Tu exurgens misereberis Sion. Nota, quod hæc verba sunt Pij Patris ad Christum, vel divinæ naturæ ad humanam, quibus fructus passionis ejus exprimitur,sic autem dicit: *tu exurgens*, scilicet per humanitatem subjectam passioni, & ad resurrectionem misereberis Sion;ut sic reædificetur Ecclesia triumphans de lapidibus, scilicet fidelibus, tanquam de lapidibus per bonam vitam aptatis, & per tribulationes excisis, & politis, quæ placebunt Angelis: vide ergo, ô homo, & noli negligere tempus ædificandi: Nunc est tempus, ut ædificetur Sion: nunc intrant lapides in structuram: fac ut poliaris, & in hac structura intres: nam perfecto ædificio, & dedicata domo, frustra curres, frustra pulsabis, foris remanebis: felices igitur lapides, qui placebunt servis, scilicet Angelis Dei. væ lapidibus, qui non placent ipsis, quia descendent in profundum inferni. *ser.* 2. *in die Pascha.*

23. *Oratio humiliantis se nubes penetrat.*

Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum: scribantur hæc in generatione altera. Vide quomodò humilitas est necessaria ad hoc ut oratio nostra nubes penetret, & ad Deum perveniat: humilitate enim in oratione quæritur gratia Dei, & invenitur, & eædem conservantur virtutes: nec alio modo potest hoc obtineri: & ideò vult Deus, ut hæc enarrentur de generatione in generationem omnibus hominibus. *ser.* 3. *Dom.* 16.*post Pentec. & ser.* 5. *de uno Confess. in Lucam c.* 9.*v.* 38. *& c.* 11. *v.* 1.

24. *Qui humilitate ad Deum adspicit in oratione;ab ipso Deo,oculo pietatis, & gratia adspicitur.*

Respexit in orationem humilium, Dominus de Cœlo prospexit in terram ut audiret. Ecce quid facit humilitas orantis: nam ista à Deo oculo suæ pietatis,& gratiæ adspicitur,& ad ipsum condescendit, ut audiat gemitus orantis, & solvat eum ab omni vinculo. *in Lucam c.*13.*v.*12.*& c.*14.*v.*1.*& c.*19.*v.*41.*& c.*21.*v.*61.*& in Thren.c.*3.

25. *Finis præcipuus in operibus Christi est unio,& unitas hominum in Ecclesiâ.*

In conveniendo populos in unum, & Reges, ut serviant Domino. Vide quid intendit Christus in tot suis operibus:nempè ut Populi conveniant in unum: Nota illud(*in unum*:)nam hæc est una ovis in montibus inventa: una mysterialiter, multæ personaliter: multæ per carnem naturaliter, una per gratiam spiritualiter:nam unica est, & cæteræ ad unum tendentes ad unitatem Ecclesiæ; non ad divisionem. *in Psal.*101.

26. *Æternitas*

26. *Æternitas nomine anni in scriptura significatur.*

Ne revoces me in dimidio dierum meorum in generationem, & generationem anni tui. Quis est annus Dei?estne subjectus cursui temporis? minimè, ponitur hic annus, non ratione successionis, sed completionis,per quam significatur æternitas Dei, quæ est completa duratio, siue principio, & fine, & cum vir justus perat, ut ei concedatur talis annus completus, & non dimidium, intendit, ut ei participetur hæc æternitas cum principio quidem, sed sine fine.*l.p.d.19.p.1.dub.4.& 5.*

27. *Via, virtus, & vita Ecclesiæ, est in Christo.*

*Respondit ei in via virtutis suæ.*Quis est qui respondit?Hæc est Sion,scilicet Ecclesia ædificata à Christo: respondit tot beneficiis innixa viæ virtutis Christi,recognoscens Christum suam viam errantibus, vitam mortuis, & veritatem illusis: ad hoc enim missus est Christus, ut esset fatuis sapientia, errantibus via,infirmis medicina; & ut repararat mala,ex peccato contracta. Et hoc subdit: *ne revoces me in dimidio dierum meorum*, quia scit, quod Christus numquam deseret ipsam Ecclesiam, & quod ei omne bonum conferet usque ad consummationem sæculi.*Psalm.*101.

28. Nomine terræ in principio fundatæ veniunt quatuor elementa, unde dicitur: *initio tu Domine terram fundasti.Psal.*101.

29. *Creatura omnes in comparatione ad Deum sunt quasi non sint.*

Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent: & sicut opertorium mutabis eos. Tu autem idem ipse es. Nota, quod in his verbis exprimitur essentia Dei immutabilis, & vanitas creaturæ:nam Deus,qui solus exordium non habet veræ essentiæ nomen tenuit, quia in ejus comparatione, qui verè est, quia incommutabilis, quasi non sunt,quæ mutabilia sunt, ut sunt omnes creaturæ.*in sap.c.*13. Solus Deus ex tempore alterationem non habet,nec in substantia alteritatem: è converso omnes creaturæ sunt subjectæ vanitati, alterationi, mutabilitati, *op.comp. Theol. l.1.c.2. & in Ioan.c.18.v.9.*Item Deus iratus aliquos punit, sed in puniendo irascentis passionem non sentit; ideò dicit: *mutabis eos:tu autem idem ipse es.* Nota, etiam, quod in his, & sequentibus verbis proponuntur varia Dei attributa: nempe potentia, unde dicit, *Domine:*æternitas,unde *permanet in æternum*; item misericordia,unde dicit,*misereberis*, item virtutis manifestatio,unde *tu exurgens* item immutabilitas; unde,*tu autem permanes*,*Psal.*101.

30. *Impij in fine frustrabuntur in suis intentionibus.*

Ipsi peribunt, tu autem permanes. Idest impij in fine frustrabuntur sua vana spe. *in Lucam cap.16. vers.*17.

31. *Qualis mutatio post diem judicij erit in corporibus cælestibus.*

Ipsi peribunt. Ergone etiam Cœli? nonne sunt incorruptibilia? sed nota, quod hic terminus pereundi modificatur per id, quod sequitur. *Et velut amictum mutabis eos*: nempe immutatio post diem judicii in ipsis erit in melius, quia copiosius lucebunt, & hoc ad majus gaudium corporum beatorum.*l.4 d.48.a.1.q.1.*

32. *Deprecatio fit ad Mariam in hoc Psalmo.*

Domina exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat: non avertas factum aspectum tuum à me, neque abominetis me propter immunditiam meam: non derelioquas me io cogitatu, & consilio inimicorum meorum, & ne sinas me cadere in exprobrationem illorum pessimam qoi confidunt in te, non timebant colubrum tortuosum, & qui exaltant te, evadunt manus Achærontis: per virginalem conceptum tuum da mihi in te confidentiam bonam, & per admirabilem partum tuum lætifica animam meam, *Opusc. Psalt.B.Virg Psal.*101. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

33. *Maria Virgo Auditrix, & Judex dirimens coram Deo lites nostras.*

Inclina ad me aurem tuam. Ergone Deus habet autem? & autem unam? maximè Nota quod sicut princeps habet suum auditorem, qui veluti auris principis audit recurrentes pro litibus, & causis ad Principem, easque dirimit: sic & Deus, & quis est? Hæc est B. Virgo Maria (*ait Ricardus à S.Laur.*) quæ est veluti auris supremi Principis, audiens omnes confugientes ad ipsum, & dirimit causas, & lites nostras, & flectens ipsum Deum ad misericordiam.Hinc rectè B.Virgo Maria appellatur Coneistorium & domus causarum summi imperatoris,*Opusc.specul. B.Virg.lec.7.* Dicamus ergo Deo: inclina Domine aurem tuaoi dicamus item B Virgini: judica me Domina,quoniam ab innocentia mea digressus sum; sed quia spero in te non infirmabor,nec condemnabor. *Op. Psalt.B.Virg.Psal.*25.

34. *Maria Thronus Dei, in quo permanet indeficienter.*

*Tu autem Domine in æternum permanes.*Ubi permanet in æternum? in seipso, respondet D. August. scilicet ab intra, sed ab extra ubi permanet? permanet in Throno: nempe in Maria Virgine, quæ est thronus Dei indeficiens,& æternus.io hoc permanet indeficientissime Deus, ergo & ipsa Maria permanet in æternum cum filio. *Opuscul. specul.B.Virg.lect.*8.

35. *In utero B.Virginis Mariæ Christus nidificavit suum nidum.*

Similis factus sum pellicano solitudinis;sicut passer solitarius. Cur in solitudine ot solitarius? quia Christus nidum suum fabricavit in utero B.Virginis, & ideò dicitur solitarius propter partus novitatem,quia sine opere virili genitus est.*Psal.*101.



PSALMUS CII.

Titulus : Pſalmus ipſi David.

1. PRIMÒ nota, quod in praecedenti Pſalmo egit Propheta de remiſſione peccatorum : & ſicut Moyſes poſt ſubmerſionem Ægyptiorum cantavit ſimul cum populo canticum Domino : ſic poſt evaſionem maris rubri peccati, & ſubmerſionem diaboli ſpiritualem, hortatur in hoc Pſalmo ad gratiarum actionem, & monet omnes creaturas ad laudem Dei, & ideò ſenſus tituli eſt, Pſalmus ipſi David; ſcilicet laudes, quæ in hoc Pſalmo continentur, attribuuntur ipſi David, ſcilicet Chriſto, cui noſtras operationes omnes debemus attribuere.

2. *Toti Deum laudare debemus, non ſecundùm partem.*

Benedic anima mea Dominum & omnia, quæ intra me ſunt nomini ejus. Vide quomodò Propheta, volens Deum benedicere, invitat animam, & cum anima omnem portionem ſuperiorem, & inferiorem & omnes ſuas vires : ſciebat enim, quod homo debet laudare Deum non ſecundùm partem, ſed ſecundùm ſe totum, & præcipuè cum potentiis animæ, ſcilicet rationalitate per prudentiam, iraſcibilitate per odium vitiorum, & concupiſcibilitate per virtutum deſiderium. *Pſalm. 101. & in Lucam c. 2. v. 28.*

3. *Servi Dei in laudibus divinis ſe aſſociant Angelis, eoſque ſimul invitant ad Deum laudandum.*

Benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me ſunt. Cur cum anima invitat alia, quæ intra ſe ſunt? Nonne anima comprehendit omnia interiora? Sed nota, quod ultra animam, invitat etiam alias ſubſtantias ſpirituales, quæ ſunt Angeli Dei, qui non ſolùm circa nos ſunt, ſed etiam intra, quia juvant opera noſtra interiora : & hinc Eccleſia in miſſa Angelorum, in introitu cantat hunc verſum, ut pateat, quod veri ſervi Dei ſe interius aſſociant Angelis Dei, ipſoſque ſecum ad Deum laudandum vocant. *Pſalm. 102.*

4. *Memoria beneficiorum Dei excitat animam ad Deum laudandum.*

Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Vide quomodò, ut excitet ſe ipſum ad Deum benedicendum, ſcilicet Propheta advertit ſeipſum ne obliviſcatur retributionum Dei : quænam ſunt iſtæ retributiones? ergone Deus nobis retribuit, & non potius tribuit? ergone prius expectat, ut ei tribuamus? Sed nota, quod Deus piiſſimus tribuit, ut ei reſpondendo bonis operibus, nobis retribuat nova beneficia : retribuit namque miſericordiam cum tribuit ſe tenendum, retribuit veritatem cum tribuit ſe videndum : retribuit bonitatem, cum tribuit ſe fruendum : prætendit etiam, ut memoriam divinorum beneficiorum frequenter habeamus, quia hoc pacto excitamur ad Deum ferventius laudandum. *Pſalm. 118. cap. 2. verſ. 3. & opuſcul faſcicul. cap. 6.*

5. *Beneficia ſpiritualia nobis à Deo collata enumerantur.*

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus. Ecce quomodò Deus perimit pœnam, & culpam : item ſanitatem confert : unde ait : *qui ſanat omnes infirmitates tuas*, ſcilicet ſpirituales : item promittit gloriam : unde ait : *qui coronat te.* Item & gloriæ plenitudinem, onde ait : *qui replet in bonis deſiderium tuum, Pſal. 102. & Pſal. 118. c. 10 v. 10.*

6. *Miſericordia Dei multiplex in nos expenditur.*

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Nota, quod dicit, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus*, ſcilicet dando veniam quoad culpam : addit, *qui ſanat omnes infirmitates tuas*, quia dat veniam quoad reatum, & ſequelas peccati; addit, *qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*, ſcilicet dando juſtis gratiam, virtutis habitum, & motum, & meritum : addit tandem, *qui replet in bonis deſiderium tuum*, dando gloriam nunc in ſpe: *& renovabitur ut aquila juventus tua*, dando gloriam in re in Cœlo. *Op. Comp. Theol. l. 1. c. 34. & in Lucam c. 6. v. 19.*

7. *Chriſtus ut medicus nobis ſanans infirmitates, quale ſalarium à nobis expectat.*

Qui ſanat omnes infirmitates. Ecce quod proponitur Chriſtus noſter medicus, qui ut nos ſanaret ex tot infirmitatibus tantum laboravit, & dedit animam ſuam : ergo remunerandus eſt : ſed quo ſalario, cum ipſe non indigeat? debet remunerari non in ſe, ſed in pauperibus, quod enim amore ipſius iſtis fit, ſibimet factum reputat. *Op. diat. tit. 2. c. 4.*

8. *Chriſtus non partem, ſed totum hominem ſanat.*

Qui ſanat omnes infirmitates tuas. Nota, quod dicit, (*omnes*,) non unam tantùm : quia Chriſtus perfectus medicus, non partem ſolùm, ſed totum hominem ſanat : Corpus à languore, & animam ab omni contagione peccati; per quod iodicatur, quod pœnitens, ſi vult ſanitatem perfectam animæ, debet ab omni crimine ſimul dolere. *Ser. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph. & in Lucam c. 6. v. 10. & in Ioan. c. 11. v. 2. & collat. 8. & 26. & ſer. 1. Dom. 10. poſt Pentec.*

9. *Chriſtus eſt corona noſtra, faciens nos Reges.*

Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. Per hæc verba datur intelligi, quod Chriſtus eſt corona juſtorum. Dicitur autem corona, quia idem eſt, quod Diadema quod à demendo, ſcilicet principium, & finem; utrumque enim caret, & quia demit, & perimit pœnam, & culpam, quod erit in futuro. *Pſal. 102.* Nota autem, quod dicit; *qui coronat te in miſericordia*, ut diſcas, quòd miſericordia nos facit reges cœleſtes : per quam coronam poſſumus acquirere pretioſiorem omnibus

bus coroois totius mundi. *ſermon.2. Dom. 1. poſt Pentec.*

10. *Fructus gloriæ cœleſtis multiplex.*

Qui ſanat omnes infirmitates, qui coronat te &c. qui replet &c. renovabitur. Ecce multiplex fructus gloriæ cœleſtis: nempè ſanitas ſine infirmitate, ſatietas ſine faſtidio, renovatio juventutis ſine ſenectute. *Op. Diat. tit. 10. c. 4. & Pſalm. 70. in Luc. c. 6. v. 38.*

11. *In gloria homo renovabitur ad ſimilitudinem Aquilæ ſcilicet Chriſti.*

Renovabitur, ut Aquilæ juventus tua. Cur ut Aquilæ? qoia hæc dum ſeneſcit, habet roſtrum durum, ob quod non poteſt comedere, item & ponderoſitatem corporis, ſed hanc duritiem ad petram deponit, & renovatur etiam in pennis: Aquila hæc fuit Chriſtus, qui in reſurrectione eſt, & ad cujus ſimilitudinem homo in gloria plumas antiquas miſeriarum projiciet, & celerior omni Aquila per dotem agilitatis erit. *ſermon. 1. in Aſcenſ.*

12. *Qui vult cibum Eucharistiæ dignè ſumere, debet renovari prius, ut Aquila.*

Renovabitur ut Aquila. Nota, quòd homo debet prius renovari ut Aquila ad petram, ſcilicet per Chriſtum, vel ad petram per pœnitentiam deponere peccata, novaſque plumas virtutum ſumere; ſicque admittetur ad cibum Euchariſtiæ. *ſer. 3. Dom. 24. poſt Pentec. & l. 4. d. 16. p. 1. dub. 10. in Lucam c. 17. in fine & op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 3.*

13. *Triplex miſericordia exercenda à nobis ad ſimilitudinem Dei.*

Faciens miſericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Ecce quod hic iterum refricatur miſericordia Dei in hominem, ſcilicet miſericordia, quam exercet in inimicos, in amicos & in eos, qui ſibi faciunt judicium per pœnitentiam: ſic & triplex miſericordia nobis proponitur exercenda, in inimicos, in amicos, & in nos ipſos. *Pſalm. 102.*

14. *Miſericordia iterum Dei expenditur.*

Miſerator, & miſericors Dominus, & longanimis, & multum miſericors. Nota, quod per hos terminos diverſos extollitur multiplex Dei miſericordia in nos: dicitur miſerator, ſcilicet in parcendo faciliter, ut non timeamus ſeveritatem ejus, dicitur miſericors, ſcilicet in obliviſcendo totaliter, ne timeamus immenſitatem ſapientiæ aggravantis culpam: dicitur longanimis, in expectando patienter, ut ſi diu fuiſti in peccando, ne timeas ad ipſum aliquando reverti ob ſeveritatem inferentis pœnam: & ideò dicitur multum miſericors, ſcilicet in ſuſcipiendo clementer: Ne timeas ergo, ô peccator altitudinem majeſtatis ad Deum recurre per pœnitentiam, confidendo in ejus infinita miſericordia. *ſer. 2. Dom. 10 poſt Pentec.*

15. *Miſericordia Dei protectio ſuper timentes eum qualis.*

Secundum altitudinem cœli à terra corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes eum. Nota comparationem hanc, quæ mirabiliter extollit divinam pietatem: ſicut enim Cœlum ex omni parte ambit terram, & nutrit fructus ejus, dando pluviam, & res ſuas diſponit, & regit motu ſuo, & tenet in eſſe: ſic Dei miſericordia in nos. Nota autem, quod nomine Cœli venit Deus Pater, & Chriſtus, & Spiritus Sanctus, qui continuè protegit, & regit, & fovet ſuos, eoſque conſervat in gratia. *Pſal. 102.*

16. *Miſericordia Dei extenditur ad omnes partes terræ.*

Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt. Nota, quòd non poteſt expreſſius explicari miſericordia Dei ſuper creaturam rationalem, quàm ſimilitudine miſericordiæ Patris ad filios, quæ extenditur undequaque ad omnem neceſſitatem, & utilitatem, & ideò Deus, ut Pater miſericordiam ſuam extendit ad viatores hujus vitæ in ordine ad præcavenda pericula ad collationem bonorum temporalium, & ſpiritualium: item ad exiſtentes in purgatorio, & ad fruentes gloria in Cœlo. *ſer. 3. Dom. 6. poſt Pentec.*

17. *Deus ut Pater miſeretur filiorum ad ipſum revertentium.*

Quomodo miſeretur pater filiorum. Quaſi diceret: tunc Pater maximè oſtendit ſuam miſericordiam in filium, quando abſceſſit à Patre, ipſumque læſit: deinde pœnitentia ductus, ad Patrem revertitur, ut in filio prodigo evenit: ſic Deus Pater agit cum Peccatore, poſt conſumptam ſubſtantiam in peccatis, ſi per veram pœnitentiam revertitur, ipſum recipiens in oſculo reconciliationis: revertere igitur fidenter Peccator ad Deum Patrem. *ſer. 2. Dom. 14. poſt Pentec. & ſer. de S. Eliſab. & in Luc. c. 15. v. 11.*

18. *Dies exteriores proſperitatis mundanæ, tanquam fœnum, & flos agri tranſeunt; non ſic dies interiores animæ.*

Homo ſicut fœnum dies eius, & tanquam flos agri pertranſibit. Vide quomodo Propheta explicat fragilitatem hominis, comparando ejus dies, ſcilicet proſperitates fœno, & floribus agri, qui citò tranſeunt; onde in his non eſt fidendum, ſed in bono interiori: unde contra hanc fragilitatem homo debet ſe munire fortitudine, patientia, & humilitate. *Pſal. 102. & Pſal. 27. & op. de dono timor. c. 4. & in ſap. c. 1.*

19. *Timor Dei, & obſervantia mandatorum ejus facit invenire miſericordiam.*

Miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum, & juſtitia illius in filios filiorum his, qui ſervant teſtamentum ejus. Quomodò miſericordia promittitur timentibus Deum, & juſtitia ſervantibus mandata ejus? nonne qui obſervat ejus præcepta, timet Deum? ſed nota, quòd totum eſt miſericordiæ effectus, quod promittitur à Deo: indigemus enim divina miſericor-

dia condonante offenſas,& divina juſtitia recompenſante merita noſtra: timor autem Domini facit invenire miſericordiam, & obſervantia mandatorum juſtitiam, ſcilicet recompenſationem meritorum noſtrorum: ad primum conſideratio divinæ majeſtatis inducit, & ad ſecundum conſideratio divinæ legis. *ſer.4. in op. de decem pracep. & in Lucam,c.1.v.65.*

21. *Miſericordia Dei conſervans nos communis eſt omnibus, ſalvans verò ſolùm ad timentes Deum extenditur.*

Miſericordia autem Domini ſuper timentes eum. Quomodo ſolùm ſuper timentes, & non etiam ſuper alios? ſed nota, quod alia eſt miſericordia Dei conſervans, alia ſalvans per gratiam, & gloriam: prima eſt omnibus communis: ſecunda ſolùm exhibetur timentibus eum. *In Lucam cap.1. verſ.50.*

22. *Deus,ut in Cœlo requieſcit in voluntate ſibi conformi, & ordinata, ſicut patet in Angelis.*

Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam. Quænam eſt hæc ſedes? ergone Deus ſedere dicitur? maximè: ſcilicet requieſcit in ſede in Cœlis collocata: Hæc ſedes eſt voluntas ordinata, & conformis divinæ voluntati: quod maxime: evenit in Angelis qui cœlorum nomine veniunt. *Op. de Eccleſ. Hier. p.4 c.1.& op.in Pater noſter.*

23. *Deus collocat ſedem ſuam in Cœlo, ſcilicet in anima caſta, & munda.*

Dominus paravit ſedem ſuam in Cœlo. Ideſt in corde caſto,& mundo;unde caſti, & mundi ſedes ſunt Dei.*Op.de Eccleſ. Hier.p.4.c.4.*

24. *Regnum mundi imbecille, & breve: regnum Dei æternum, & immenſum.*

Et regnum ipſius omnibus dominabitur. Nota, quòd hoc dicitur de regno Dei: nempè quod eſt latiſſimum,ampliſſimum,& æternum,ad differentiam regni mundi, quod eſt imbecille, & breviſſimum.*In Ioan,collat.81.*

25. *Angelorum protectio potentiſſima contra tentationes adverſarias.*

*Benedicite Angeli Dominum,potentes virtute facientes verbum ejus.*Nota illam particulam (*potentes virtute*) ad quid in medium proponitur potentia virtutis Angelorum? ſed datur per hoc intelligi qualis ſit divina miſericordia in nos: dum Angelos deputavit in noſtram cuſtodiam potentes virtute, quorum ditioni virtutes adverſas ſubjecit, ut ab ipſis refrenentur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt, quid igitur formidat imbecillis animus Chriſtianus,cui tot Deus contulit præſidia poteſtatis?Non paveas igitur repentino terrore irruentes contra te impiorum poteſtates,eum talium militum præſidio ſis munitus.*ſerm.de Angelis.*

26. *Angeli Domini ſunt, qui Dei voluntatem adimplent.*

Benedicite Angeli Dominum potentes virtute,facientes verbum ejus, ad audiendam vocem ſermonum ejus,benedicite Domino miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus Nota,quod ratio cur invitantur Angeli ad benedicendum Dominum, eſt quia digni ſunt,quia faciunt, & adimplent voluntatem Domini: ergo cum hoc ſit munus non ſolùm Angelorum, ſed & hominum, rectè Angeli poſſunt appellari, iſtique verè benedicere Deum dicuntur, quia imperiis Dei ſunt obedientes. *ſermon. Dom.8.poſt Pentec.*

27. *Angeli Dei dicuntur facere verbum Dei,dum homines excitant ad obediendum Deo: Id etiam dicitur, quia in ſine mundi congregabunt bonos in unum.*

Benedicite Angeli Dominum, facientes verbum ejus. Quomodò dicuntur Angeli facere verbum Dei? ſed nota, quod non ſolùm ipſi ſunt Domino obedientes; ſed etiam excitant hominem ad Deo obediendum: ideò dicuntur perfectè facere verbum ejus. *Opuſc. Diat. ſal. tit.10.c.6.* Nota etiam quod dicuntur potentes virtute facientes verbum Dei: quia in fine mundi utetur Deus eorum miniſterio in reſurrectione mortuorum, & in congregando bonos, & electos.*In Lucam c.19. verſ.15.*

28. *Benedicenda, eſt poſt Deum Maria Virgo, ob miſericordiam, quam in nos continue exercet.*

Benedic anima mea Dominum. Nota, quod invitatur anima ad benedicendum Dominum, ob ejus multiplicem miſericordiam, quam in nos exercet: ſed quia inter effectus divinæ miſericordiæ maximus eſt, quod nobis providerit, & collocaverit in Eccleſia protectionem Mariæ Virginis,& quia laus B. Virginis maximè redundat in laudem Dei,hinc ad Mariam, ejuſque laudem verti poſſunt verba hujus Pſalmi:dicat ergo quiſque. Benedic anima mea Matri Jeſu Chriſti, & omnia præcordia mea glorificate nomen ejus: ne obliviſcaris beneficia ejus, ob gratiam, & conſolatus illius,quia gratia ejus relaxantur peccata, & miſericordia ejus ægritudines reparantur. *Opuſc. Pſalt. B.Virg. Pſalm.102.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

29. *Deus paravit ſedem ſuam in B. Virgine,ut in Cœlo nobiliſſimo.*

Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam. Ad quid ponitur à Propheta, quod Deus paravit ſedem ſuam in Cœlo? ſi hic Pſalmus totus eſt ad exaltandam Dei miſericordiam in nos; ad quid hic adnumeratur poſitio ſedis divinæ in Cœlo? ſed nota, quod hic eſt præcipuus effectus divinæ miſericordiæ in nos: Nam hoc Cœlum myſticè eſt B. Virgo Maria, quam ut Cœlum ab æterno ordinavit, ſcilicet decrevit eam perficere ut novum Cœlum,& omni Cœlo nobilius, & quam in tempore præſervavit mundam, & puriorem omni cœlo, paravitque omnium Artifex, & ſapientia, ut ſuam ſedem, & in ipſam intravit ut

ibi


ibi resideret, & quiesceret, & redemptionem humanam operaretur: Ecce qualis misericordia Dei io nos per Mariam exhibita *Opus. de Eccles. Hier. p.4.c.7.*

30. *Maria constituta Regina omnium Creaturarum.*

Et regnum ipsius dominabitur. Cujusnam est hoc regnum? Sed nota, quod collocata Maria ut Cœlo, & Dei sede, subdit: *quod regnum ipsius*, scilicet Mariæ. *omnibus dominabitur*; ut scias, quod cum Deus omnium Dominus sit specialissimo modo cum Maria, ipsam etiam universalem omnium dominam fecit, dominam inquam potentissimam, sapientissimam, opulentissimam, & indeficientissimam; ergo verum est, quod regnum Christi, & Mariæ omnibus dominatur. *Op. specu. B. Virg. lec. 8.*

31. *Invitantur omnes Angeli, & sancti, & creaturæ omnes ad benedicendam, & laudandam Mariam.*

Benedicite Domino omnes Angeli ejus. Dicamus & nos: benedicite Matri Dei omnes virtutes Cœlorum glorificate eam chori Apostolorum, & Prophetarum: benedicite ei mare, & insulæ gentium: hymnum dicite ei Cœli, & habitatores eorum. *Op. Psal. B. Virg. Psal. 102.*



PSALMUS CIII.

Titulus: Ipsi David.

1. PRimò nota, quod in hoc Psalmo prosequitur Propheta benedictionem Dei, invitatque nos ad ipsum benedicendum ex suis creaturis, in quibus relucet bonitas creatoris.

2. *Homo invitatur ad Deum benedicendum, quia homo benedicitur à Deo.*

Benedic anima mea Domino. Cur denuò invitatur anima ad benedicendum Deum? quia creatura à solo Deo benedicitur infusione gratiæ, & collatione bonorum, ideò invitatur ad Deum benedicendum per gratiarum actionem. *Psal. 103.*

3. *Attributa Dei considerata excitant animam ad Deum benedicendum.*

Benedic anima mea Domino: Domine Deus magnificatus es vehementer, confessionem, & decorem induisti, Nota, quod Propheta, ut excitet se ad Deum benedicendum, ante oculos suos sibi proponit attributa Dei, per quæ noscitur dignus omni laude: nempè magnificentiam, pulchritudinem, & dispositionem: prima relucet in Patre, secunda in Filio, & tertia in Spiritu sancto; dispositio, inquam in rerum creatione, & collatione donorum. *Psalm. 103. & Psalm. 118. cap. 11. vers. 7.*

4. *Per Incarnationem, confessio, & decus superna majestatis innotuit.*

Confessionem, & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento. Quomodò dicitur, Deus indutus confessione, & decore? Nota, quod hic alluditur ad Incarnationem Verbi, per quam verbum indutum est vestimento carnis, & per quam innotuit speciosum deitate, & humanitate, & hoc propter peccati immunitatem, & carnis glorificationem, & per quam homines confessi sunt, & ipsum cognoverunt. *Psalm. 103. & Glossa hic.*

5. *Confessio peccatorum, & laudis divinæ animam decorat, & Deum laudat.*

Confessionem, & decorem induisti. Nota, quod etiam hæc possunt dici de anima Deum confitente: confitendo enim peccata, induit decorem, & simul Deum laudat. *Psal. 104.*

6. *Christi vestimentum multiplex expenditur.*

Amictus lumine, sicut vestimento. Nota hæc dicuntur de verbo incarnato, cujus vestimentum lumiosum est caro assumpta ex Virgine & simul etiam Ecclesia, quæ per fidem, & dilectionem ei est conjuncta; item etiam divinitas, bona opera, fideles, & virtutes: his omnibus indutus Christus apparuit in mundo. *Psalm. 103. & op. de invisib. Dei.*

7. *Charitas vestis lucida: peccatum vestis diaboli, & tenebrosa.*

Amictus lumine sicut vestimento. Quid est amicta lumine? ergone linnen potest cooperire corpus? Nota, quod charitas est vestis nuptialis, defendens animam à frigore vitiorum, & ipsam illuminans: felix, qui hoc vestimento induitur: qui verò peccato indutus est, veste tenebrosa amictus est. *Psal. 103.*

8. *Cœli Syderei, & Christallini creatio hic innuitur.*

Extendens Cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus. Nota, quod his verbis innuitur creatio Cœli syderei, & christallini: dicit autem, *extendens Cœlum*, scilicet sydereum, tam facile, ac si extenderetur pellis: & subdens, *qui tegis aquis*: innuit Cœlum chrystallinum, quod ob diaphaneitatem comparatur est aquis. *l. 2. d. 14. p. 1. a. 1. qu. 1. & 4. 2. qu. 1.* Nota etiam, quod dicitur Cœlum extensum sicut pellis, quia nulla est particula, quin æqualiter expansa, & extensa inveniatur. *Op. Eccles. Hier. p. 4. c. 5.*

9. *Doctores, Sacerdotes, & Prædicatores exercentes suum munus dignè, dicuntur Cœli extensi: vel sicut Cœlum extensum à Deo.*

Extendens Cœlum sicut pellem. Nota, quod etiam mysticè dicitur de mirabilibus, quæ Deus operatus est in Ecclesia, in qua extendit Cœlum sicut pellem: Per Cœlum autem intelliguntur Doctores, Sacerdotes

ſacerdotes,& Prædicatores, qui ad ſimilitudinem Cœli, nihil retinent non extenſum: extendunt eoim linguam, Cor,& maoum; linguam ad Deum in oratione, & continua gratiarum actione, ad proximum in doctrinà, & prædicatione. Cur extendunt ad Deum per devotionem, ad proximum per compaſſionem: manus ad Deum per ſupplicationem, ad proximum per ſuppunctionem: Ecce quomodo Deut providit Eecleſiam ſuam Cœlis myſticis *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5.*

10. *Chriſtus eſt Myſticum Cœlum, cujus pellis extenſa fuit in Cruce.*

Extendens Cœlum ſicut pellem. Cur aſſimilat Cœlum pelli carneæ, & non potius tentorio, vel tecto? ſed nota, quod myſticè hoc Cœlum eſt Chriſtus qui unitus pelli humanitatis, eam extenſam voluit in cruce, ut veluti Cœlum immitteret influentias per totum orbem. Nota etiam, quod dicitur extenſum hoc Cœlum ſicut pellis, ut in ipſa pelle, veluti in libro ſeriberentur à Spiritu Sancto, & notificarentur omnia myſteria fidei noſtræ. *ſer. 3. & in ord. ſer 4. Dom. 2. Advent.*

11. *Charitas facit animam myſticum Cœlum extenſum undequaque.*

Extendens Cœlum ſicut pellem. Quomodo eſt extenſum? vide maximam latitudinem, longitudinem, & profunditatem Cœli: & ideò, quia charitas eſt virtus extendens animam undequaque; hine anima ad menſutam charitatis dicitur Cœlum extenſum, unde ſi nihil charitatis habet, nihil eſt, & velnti complicata, non apparens coram Deo: ſi aliquid charitatis habet, erit aliquid Cœli: ſi ad Deum, ad proximum, & ſeipſam ſe extenderit, tune erit Cœlum undequaque extenſum; habens miram latitudinem altitudinis, & pulchritudinis, longitudinem, & profunditatem, in qua veluti in Cœlo Deus habitat libenter, igitur toto corde, tota mente, totaque virtute ſtudeas ô anima habere charitatem. *Op. meditat. vitæ Chriſti. c. 18.*

12. *Deus collocavit ſuper orbem Saturni Cœlum aqueum quo frigiditatem participat: ubi de ſocietate malorum pernicioſa.*

Qui tegis aquis ſuperiora ejus. Nota, quòd ſuper Cœlos planetarum ſunt aquæ, ſcilicet Cœlum Chryſtallinum, quod eſt virtualiter frigidum; & hinc Saturnus, qui ob majorem circulum deberet eſſe calidus, ob vicinitatem illius Cœli eſt frigidus: ut videas, quod malorum ſocietas infrigidat, & prævertit hominem quantumcunque calidum in Dei ſervitio. *Pſal. 103.*

13. *Prædicitur à S. Propheta aſcenſio Chriſti in Cœlum.*

Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum. Quænam ſunt iſtæ pennæ ventotum? Nota, quod pennæ ventorum ſunt ſommitates, & partes illæ, quæ ventum præcedunt, & ſunt velociores: datque intelligere hoc modo loquendi, quod Chriſtus in aſcenſu in Cœlum, uſus eſt nube, & ejus aſcenſus fuit velocior ipſis ventis. *Op. medit. vitæ Chriſti. c. 98.*

14. *Deus de ſe eſt incomprehenſibilis.*

Qui ambulas ſuper pennas ventorum. Myſticè dat intelligere, quod Dei natura eſt ſuperior quocunque intellectu, etiam angelico. *Opuſc. Comp. Theol. l. 1. c. 16.*

15. *Creationis modus exaltatur hic à S. Propheta.*

Qui ambulas ſuper pennas. Nota, quod conditio mundi hic commendatur, & primò à conditoris agilitate & facilitate unde dicit: *qui ambulas ſuper pennas ventorum*: ab operis ſtabilitate, unde ait: *qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam*: à perſeverantia unde dicit: *non inclinabitur in ſæculum ſæculi*: à profunditate, unde *abyſſus ſicut veſtimentum ejus*: & alibi: *abyſſus abyſſum invocat. Pſal. 103.*

16. *Ordo Seraphim ſupereminet aliis in igne charitatis; inferioreſque accendit.*

Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem urentem. Quid eſt quod facit Deus Angelos Spiritus? Spiritus, ideſt elevatos ab omni fœditate, & carnalitate: unde hic præcipuè agit de Seraphim: licet enim omnes Angeli ardeant amore Dei, Seraphim tamen ſupereminent cæteris in hoc dono ſuperiori charitatis: unde appellantur rectè ignis, & flamma urens, quia non ſolùm in ſeipſis ardent amore Dei, ſed & inferiores Angelos, & homines conantur accendere in amore Dei. *Op. de Eccleſ. Hier. p. 3. c. 2. & ſer. de Angelis, & ſer. de S. Michaële.*

Nota autem, quod dicuntur Angeli, quia ſunt nuntij miſſi à Deo, ut alios accendant amore Dei, & iſti alios mittunt ad nos. *l. 2. d. 10. dub. 2.*

17. *Juſti debent eſſe Angeli, & ignis urens.*

Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem. Nota, quod in prima particula hujus textus ponitur prædicatum pro ſubjecto; ſenſuſque eſt, quod Deus facit ſpiritus ſuos, ſcilicet viros ſpirituales, Angelos, ſcilicet ſejunctos ab omni carnalitate, & miniſtros verbi Dei; ut intelligamus, quod munus miniſtrorum Dei eſt ad modum Angelorum, ſeparari ab his terrenis rebus, ſolúmque Deum amare alioſque accendere in Dei amore. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. & p. 3. c. 2 & in Ioan. c. 10. v. 13. & collat. 10. & 58.*

18. *Angeli ſunt qui nuntiant, & prædicant verbum Dei, & quinam ſunt, qui fructus producunt ex tali prædicatione.*

Qui facis Angelos tuos ſpiritus. Ideſt, ut dictum eſt Spiritus tuos facis Angelos nempè nuntios verbi Dei, ſuntque prædicatores, qui verbum Dei nuntiant, ut auditores igne divino calefaciant: ſed nota, quod ex auditoribus alij ſunt, qui ipſum reſpuunt, alij qui ipſum recipiunt, ſed ſtatim expellunt: alij ſunt, qui recipiunt, ſed ſuffocant ipſum inter ſpinas vitiorum; alij recipiunt, & fructificant; primi non concipiunt: ſecundi concipiunt, ſed abortivum faciunt: tertij fœtum vivum opprimunt: quarti cum pietate, & materna diligentia enutriunt, & ſolùm iſti accenduntur igne divini amoris. *Pſal. 103.*

19. *Miraculum*

19. *Miraculum maximum divinæ potentiæ eſt ſtabilitas terræ.*

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Quomodò fundata eſt terra ſuper ſtabilitatem ſuam? cum de ſe ſit inſtabilis, & pulvis? Imò ex hoc patet divina omnipotentia, & ſapientia; nam ſtabilire infirmitatem eſt maximæ potentiæ, & ſapientiæ: & maximè quia terra circumdatur ab abyſſo aquæ, tanquam veſtimento; unde addit: *abyſſus ſicut veſtimentum ejus. Pſal.118. cap.6. verſ.10. & in Eccleſ.c.1.*

20. *Per Prædicatores, tanquam emittentes voces tonitrui incutit Deus timorem in peccatoribus, & eos ad ſe trahit.*

Ab increpatione tua fugient; ſcilicet peccatores, à voce tonitrui formidabunt; quia per prædicatores incutitur timor divinorum ſuppliciorum, per quem multi trahuntur, & reducuntur ad Deum. *ſer.7. in Pentec. & Pſal.118.c.11.v.1. In Lucam c.4.v.41.*

21. Maximum Dei beneficium eſt punire peccatores, ne ſinantur peccare ex ſententiâ, & voluntate ipſorum; unde hic ait: *ab increpatione tua fugient*; ſcilicet evitabunt peccata. *In Lucam c.4. verſ.41.*

22. *Contemplativi aſcendunt: activi deſcendunt.*

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi. Nota, quod myſticè agit de contemplativis ſub metaphora montium, & de activis ſub metaphora camporum: nam apex montis competit contemplativis per orationem, lectionem, contuitionem divinorum, & revelationem ſecretorum: campeſtria plana laborantibus, & activis. *In Lucam capit.9. verſ.37.*

23. *Servientes Deo aſcendunt; ſervientes diabolo deſcendunt.*

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi. Nota, quod myſticè per montes ſignificantur Deo ſervientes, qui aſcendunt de virtute in virtutem; per campos illi, qui per viam planam, & vitiorum ambulant; ſerviuntque diabolo, deſcendunt de vitio in vitium uſque ad infernum. *ſer.1. Dom.14. poſt Pentec.*

24. *Deus immittit fontes gratiarum, & lachrymarum in convalle contemplationis.*

Qui emittis fontes in convallibus. Myſticè datur intelligi, quòd Deus immittit fontes gratiarum, & lachrymarum in convallibus, ſcilicet contemplativis. *In Lucam.c.10.v.39.*

25. *Quicquid non eſt conforme, vel deſumptum ex ſacra ſcriptura, vanum eſt.*

Inter medium montium pertranſibunt aquæ. Ergone omnes aquæ ex medio montium pertranſire debent? nonne alibi etiam proveniunt aquæ? minimè, loquendo de aquis myſticis veritatis doctrinalis, quia mons eſt ſacra ſcriptura, duo montes ſunt duo teſtamenta: daturque intelligi, quod quæcunque veritas doctrinalis, quæ non deſumitur, vel conformatur doctrinæ ſacræ ſcripturæ vana eſt, & ſuſpecta. *ſer.2. de Nativ. & op. Princip. S. Script.*

26. *Heretici ob ſuam ſuperbiam nihil boni recipiunt, vel retinent ex ſacra ſcriptura.*

Inter medium montium pertranſibunt aquæ. Nota illud verbum (*pertranſibunt*) idest non remanebunt, ſed alibi decurrent: unde per montes hic poſſunt etiam intelligi hæretici ob ſuperbiam ipſorum, per quos ſacra ſcriptura tranſit, quia eorum ſtudium præcipuum eſt circa ſacram ſcripturam, ſed non in eis remanet, nec eos fœcundat, nam per canales lapideos tranſit aqua ad areolas: infelices igitur, qui in medio tot ciborum ſpiritualium, & theſaurorum remanent ipſi jejuni, & miſeri. *Pſal.35.*

27. *Chriſtus pertranſiit montes plures, ut nos irrigaret aqua cœleſti.*

Inter medium montium pertranſibunt aquæ. Quænam aquæ? Aquæ ſcilicet gratiarum Chriſti: nam ipſe Chriſtus ſex montes tranſiliit, ut nos irrigaret. Primus fuit umbroſus, ſcilicet altitudo Incarnationis: ſecundus caliginoſus in circumciſione: tertius luminoſus, ſcilicet propriæ oblationis in templo: quartus aquoſus, ſcilicet in receptione baptiſmi: quintus nemoroſus, quando intravit in deſertum: ſextus ſpinoſus in paſſione. *Pſal.103.*

28. *Solùm volucres Cœli habitant in montibus, non volucres terræ.*

Super ea volucres Cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces: ſuper ea. Idest ſuper ſupradicta, nempè ſuper dictos montes ſacræ ſcripturæ volucres cœli, nempè veri ſpirituales habitabunt, ut ſacra doctrina repleti, Deo in ſacrificium gratum offerantur: volucres verò terræ, ſcilicet animalia immunda ab hac oblatione erunt immunes. *Pſalm.103.*

29. *Chriſtus ſolus ſatiare valet animam.*

Rigans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. Ecce quod Deus emittens aquas gratiarum in terram, ſcilicet in homines, eos ſatiat de fructibus Chriſti: quia ſolus Chriſtus, ejuſque doctrina ſatiare poteſt Cor noſtrum. *Opuſc. ſpecul. B.Virg lect.16.*

30. *Chriſtus vult, ut ſui ſervi alantur, miniſtrantes in Eccleſiâ.*

Producens herbam jumentis, & herbam ſervituti hominum. Ad quid hic ponitur cura Dei circa jumenta, & homines ſervientes? & quomodò dicitur, quod providit jumenta fœno, & homines herba? eſtne herba talis cibus proprius hominis, communiſque cum jumentis? ſed nota, quod hic loquitur myſticè de laborantibus in vinea Eccleſiæ, quos voluit ut provideãtur alimentis neceſſariis, ſignificatis nomine herbæ: ſic etiam loculos Chriſtus habuit, ut cõdeſcẽderet imperfectis

Op. exposit. in regulam. FF. Min. c. 4. & 6. & op. de paupert. Christi. art. 1.

31. *Christus est nobis panis, vinum, & oleum.*

Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, ut exhilares faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Nota hic quod mysticè prædicit Propheta adventum Christi in carne, ipsumque nobis proponit sub metaphora panis, vini, & olei: panis, quia confortat animam: vinum, quia lætificat: oleum quia exhilarat. *Psal. 103. & ser. 1. de dedicat,*

32. *Effectus Eucharistiæ panduntur per panem, vinum, & oleum*

Vt educas panem de terra, & vinum in oleo, &c. panis cor hominis confirmet. Nota, quod hic bis repetit propositionem panis, & primò docet, quod finis tot operum Dei præcipuus est productio panis: cur panis, & non frumenti? & deinde addit, ut panis cor hominis confirmet: & hoc est ad præfigurandam Eucharistiam, cujus effectus panduntur nomine panis, vini, & olei: Nam dicitur panis, quia nutrit spiritualiter, corroborat, & confirmat hominem quantum ad augmentum fidei, ad sublevationem spei, & ad dilatationem charitatis dicitur vinum, quia ibi est sanguis Christi confortans, & delectans: dicitur oleum, quia exhilarat mirabiliter. *l. 4. d. 7. dub. 2. & d. 8. p. 1. dub. 1. & op. de perfec. religios. l. 2. c. 61. op. Comp. Theol. l. 6. c. 15. In Lucam c. 22. v. 19. in Ioan. collat. 31. ser. 6. in cœna Domini.*

33. *Christus exigit, ut excolamus terram animæ, si volumus fructus percipere.*

Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor, &c. Vide ad quid terra excolitur, & aqua irrigatur: ergo qui vult ut terra animæ educat panem bonæ operationis ad reficiendum, & vinum devotionis ad lætificandum, debet excolere eam, scilicet extirpare malas radices peccatorum, evellendo ex ea veptes vitiorum gladio acutæ compunctionis, extirpando spinas peccatorum, & amovendo urticas malorum desideriorum, exercitio disciplinæ, & mortificationis, debet & eam irrigare aquis pluvialibus lachrymabilium compunctionum; & simul inflammari incendiis divinorum desideriorum. *sermon. 1. in Dominic. sexagesim.*

34. *Fides animæ habet rationem panis, vini, & olei.*

Vt educas panem. Nota etiam, quod mysticè hoc fidei applicari potest; nam quia operatur remissionem peccatorum, ideo confortat, sicut panis; quia aufert morbum; oleum etiam, quia servit ad manifestationem bonorum operum; & vinum, quia lætificat animam; vel quia tamquam vitis emittit vinum æternæ jucunditatis. *Psalmo 103. & sermon. secundo Domin. Trinita.*

35. *Gratia, & charitas divina est panis, & vinum animæ.*

Vt educas panem: & vinum. Nota, quod hoc dicitur de gratiâ, & charitate divinâ, est enim animæ panis, mentem ab interiori inedia virtutum, & donorum alimento reficiens. Vinum item; sicut enim vinum quos inebriaverit reddit hilares, audaces, fortes, obliviosos, & quodammodò insensibiles: sic divina gratia, & amor charitasque mundando conscientiam, mentem exhilarat, audaciam sanctam, & fiduciam præstat, vires auget, oblivionem generat, faciens mentem ab his terrenis abstrahere, trahitque ad desiderium æternorum. *Op. de dono piet. c. 4. & Op. de profec. religios. l. 2. cap. 61. & in Lucam cap. 11. vers. 5.*

36. *Lachrymæ compunctionis sunt vinum lætificans animam.*

Et vinum lætificet cor hominis. Ergone vinum proponitur servientibus Deo, cum res luxuriosa appelletur à sacra Scriptura? sed nota, quòd hic loquitur de vino mystico, scilicet de lachrymis compunctionis, ad quas consequitur Spiritus sancti consolatio. *sermon. 1. Dominic. 1. post oct. Epiphan.*

37. *Verbum Dei est cibus spiritualis confortans animam, eamque corroborans.*

Vt educas panem. Nota etiam, quod iste panis, & vinum, & oleum est Verbum Dei, quod mirabiliter corroborat animam, exhilarat, & confortat. *Op de prof. religios. l. 2. c. 61. & op. de dono scien. c. 4. & op. comp. Theol l. 5. c. 56.*

38. *In die Iudicij Sol, & Luna obscurabuntur.*

Fecit Lunam in tempore, Sol cognovit occasum suum. Nota, quod hic prædicit obscurationem luminum cælestium futuram in judicio, quæ erit universo Mundo horribilis. *In Lucam c. 21. v. 25. & c. 17. v. 34 & c. 23. v. 45.*

39. *Operarij in vinea Domini debent exire de otio contemplationis ad laborandum actionis.*

Exivit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam. Ecce quomodò Deus prætendit à suis servis, scilicet, ut ab otio contemplationis exeant ad laborandum in vineâ Domini, & perseverent. *in Lucam c. 8. v. 5. & in Ioan. c. 10. vers. 9.* Nota autem, quod dicit, quod iste labor erit usque ad vesperam: quia sicut sole declinante, virtus debilitatur operantis, & tunc labor terminatur; sic in via Dei, quando labor actionis terminatur, tunc succedit quies, & somnus contemplationis: sicque à contemplativa ad activam, & ab activa ad contemplativam servi Dei transeunt; sicque perseverant in Dei obsequio. *Op. de dono intellec. capite sexto & in Psal. 29.*

40. *Omnia*

40. *Omnia Pater creavit per filium, & in filio.*

Omnia in sapientia fecisti. Ecce quod hic Propheta recognoscit verbum divinum, in quo, & per quod Pater condidit omnia tanquam in exemplari, & per causam efficientem. *lib. 2. d.1.dub. part.1. in sap. cap 8. & 9.* Dicitur autem omnia facere per sapientiam, idest per filium, scilicet cum filio, ita quod Patri attribuitur auctoritas; vel per filium, idest genuit filium opificem, & potius per filium, quàm per Spiritum sanctum; quia sapientia attribuitur filio: facit ergo per filium sapienter. *Psalm.103. & op comp. Theol. l.1. cap.5. & in Ioan. cap.1. vers.2.* Dicitur etiam in sapientia omnia fecisse, scilicet per filium omnia fecisse, & reformasse. *In sapient. prolog.*

41. *Dispositio mirabilis operum Dei medium est contemplativis se elevandi in Dei amorem.*

Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti. Ecce quomodò anima contemplando dispositionem mirabilem, qua Deus sapienter ordinavit omnia in mentis excessum,& Dei amorem admirando elevatur: sic enim consideratio creaturarum in Deo excitat,& sublevat animam in Deum. *Op. de 7.itin. aeternit.Itin.2. d.4.& in Lucam c.5.v.26.*

42. *In mari hujus mundi navem Ecclesiæ Christus regit.*

Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic naves pertransibunt. Nota, quod hic datur intelligi,quod mare est iste mundus, in quo collocavit naves, scilicet Ecclesias, seu potius unam navem cæteras continens; nempè Ecclesiam universalem: hujus Navis rector est Christus, temum hujus navis est lignum sanctæ Crucis,quo navigamus ad littus æternitatis Per hoc mare trahuntur retia Petri, qui multitudinem piscium per prædicationem trahit ad portum. *Psal.103.*

43. *In hoc mari mundi, piscis magnus devorat minorem.*

Hoc mare magnum: illic reptilia animalia pusilla cum magnis. Draco iste, quem formasti. Notandum, quod non sine mysterio exprimit multitudinem animalium existentium in mari, & postea in medium adducit draconem maximum: cur hoc? quia in hoc mari, magnus piscis devorat minorem. *Psal.39. in Ioan c.6.v.4.ser.2.& 3.Dom.3.post oct.Epiph.& ser.6. cinerum.*

44. *In hoc mari mundi Christus piscatus est, & cepit diabolum.*

Hoc mare magnum illic reptilia, quorum non est numerus. Cur in medium ponit hoc mare? ut videas,quod Christus, ut piscator ingressus est hoc mare, ut caperet homines pisces rete prædicationis;sed tamen linea, & hamo captus est diabolus, nempe humanitate, & divinitate: Nota etiam, quod retia trahuntur in hoc mari, in flumine, & in stagno:in mari,scilicet mundo, ubi sunt reptilia sine numero; in flumine, idest in Prælatis, & Ecclesiasticis, qui ut flumina rigant; alios rapiere e gratiæ: In stagnis, idest in claustralibus. *Psal.10,.& 138.*

45. *Mare est mundus, in quo naufragavit Adam, & in cujus naufragio liberatur homo per navem gratiæ,& pænitentiæ.*

Unde proponitur hoc à Sancto Propheta in his verbis. *Hoc mare magnum. l.4 d.14.p.1. dub.1. & in sap. c.14.*

46. *Christus mare magnum in Passione.*

Hoc mare magnum, & spaciosum Nota, quod hoc potest verè dici de Christo, qui in passione fuit mare magnum,& spaciosum nimis,& profundum, quia in eo facta est congregatio aquarum, imò diluvium passionum amaritudinum,& opprobriorum. *Op.stim. p.1.c.7.*

47. *Dei bonitas dum nobis communicat doctrinam suam, & benefacit, dicitur aperire manum suam.*

Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Nota. quod duobus modis dicitur Deus aperire manum suam: primò per expositionem suæ sacræ doctrinæ; secundò per collationem beneficiorum, per quæ impletur anima bonitate divina. *Psal.103.& 118. c.5.v.4.*

48. *Avertente Deo faciem suam ab homine, redigitur statim in pulverem agitatum à vento.*

Avertente autem faciem tuam, & in pulverem suum revertentur. Ecce quid facit conversio Dei, & aversio io homine: nam illa conservat hominem stabilem in sua gratia; ista redigit hominem in pulverem à ventis agitatum, & ob id subjectum omnibus miseriis. *In lib.2.prolog.*

49. *Peccatum tollit ab anima spiritum:gratia restituit.*

Auferes spiritum eorum,& deficient, emittet spiritum tuum, & creabuntur. Quomodò dicit, quod creabuntur illi, qui recipiunt Spiritum Dei? Nonne creatio est productio entis ex nihilo? Sed attende, quod in his verbis exprimit prius damna peccati, quæ ingerit in anima, in qua aufert spiritum, & tollit benè esse, ad mortemque, imò ad nihilum redigit; & hinc subdit prodigium quod operatur Spiritus sanctus sua gratia, quæ restituit spiritum, & ideò veluti per novam creationem reproducit hominem ad statum salutis. *In Lucam cap.15. vers.14. & Psalm.42.*

50. *Spiritus Sancti infusionis effectus quales.*

Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Nota, quod in his verbis innuuntur effectus adventus Spiritus sancti in animam: & quales? Quia Spiritus Sanctus procedendo prædestinat: inspirando vocat, quos prædestinavit:inhabitando justificat,quos vocavit; replendo accumulat meritis quos justificavit; &

glorificando ditat præmiis, quos accumulavit meritis: ecce qualis est creatio, & renovatio. *Op. de ſeptem donis Spiritus Sanc. c. 5.*

52. *Spiritus Sancti gratia parit contritionem, & lachrymas.*

Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant. Vide alium effectum adventus Spiritus Sancti in animam, quia per ſuam gratiam, eam tremere facit, ideſt commovet ad contritionem; & hinc eam tangendo, ad fletum provocat, & ad ſuperiora elevat. *In Lucam c. 5. verſ. 16. & c. 22. v. 61. & opuſcul. myſti. Theol. c. 3. p. 4.*

53. *Cum Deus nobis loquitur, & nos cum ipſo loqui debemus.*

Cantabo Domino. Iucundum ſit ei eloquium meum. Nota, quod Propheta totus eſt ad alloquendum cum Deo, quia Deus cum ipſo loquutus fuerat: ſermo autem Dei ad nos fit duobus modis, ſcilicet per aſpirationem, & prædicationem: homo verò loquitur cum Deo, conſulendo, orando, & benè operando: & hinc ſequitur laus in ore, dilectio in anima, & vis amoris in Deum. *Pſal. 103. & ſer. 18. Hexaem. & op. Inſtructio ſacerdotis.*

54. *Principium converſionis eſt deſpectus terrenorum.*

Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita ut non ſint: benedic anima mea Domino. Quomodo hic petit deſtructionem iniquorum? nonne hoc eſt proximo appetere malum? Imò maximum bonum optabat, nempè ut deficiat in malis amor terrenorum: hoc enim eſt principium converſionis? & ideò hæc eſt piiſſima oratio. *Pſal. 118. cap. 8. v. 7.*

55. *Benedicenda eſt à nobis Beata Virgo Maria.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Benedic anima mea Domino. Invitatur anima in hoc Pſalmo ad benedicendum Deum: ſed ab hac benedictione non eſt ſeparanda B. Virgo Maria, quæ à nobis eſt benedicenda ob ſuam magnificentiam, formoſitatem, & pulchritudinem. & quia de ipſa procedit peccatorum medela, pacis diſciplina, & fervor charitatis; impletque nos virtutibus ſanctis, & ejus interceſſione ita Dei non appropinquat nobis. *Opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 103.

56. *De ſolo fructu Mariæ poteſt ſatiari anima.*

De fructu operum ſuorum ſatiabitur terra. Quiſnam eſt iſte fructus tam copioſus, quod ſatiare valeat terram? ſed nota, quod terra hæc eſt anima, quæ eſurit, & ſitit bonum infinitum nec aliquod creatum poteſt illam replere, ſed ſolùm fructus operum Domini: & quis fructus? fructus ventris Mariæ & dicitur fructus operum Domini; quia opus Dei fuit tantæ Virginis præparatio, ut poſſet gignere hunc fructum: opus Dei fuit Gabrielis Archangeli miſſio: opus Dei fuit Spiritus Sancti ſupeventio: opus Dei fuit Verbi, & carnis unitio: de talibus igitur operibus, quaſi de quibuſdam floribus proceſſit fructus iſte: & hoc ſolo fructu ſatiari poteſt anima: ergo ex Maria recognoſcendum eſt hoc tantum bonum. *Op. ſpec. B. Virg. lec. 16.*

57. *Ex Maria habemus panem Eucharisticum.*

Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Quomodo de terra educitur panis, & non potius frumentum? quia de terra, de qua hic loquitur, eductus eſt panis, non frumentum, ſicut de alia terra: quia terra hæc eſt B. Virgo Maria, de qua Deus eduxit panem vitæ, qui coctus eſt in ejus utero, ut in clibano igneo Spiritus Sancti. *Pſalm. 53. & 138.*

58. *Mariæ Cor in paſſione fuit mare amarum.*

Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic reptilia. Nota, quod non ſolùm Cor Chriſti in paſſione fuit mare amarum, ſed & anima Beatæ Virginis: in quo mari reptilia, ſcilicet non ſolùm dolores, & pœnæ Chriſti ſui filii intraverunt, & congregatæ ſunt; ſed & noſtræ iniquitates, quæ immenſa triſtitia ipſam affecerunt: ad hoc mare invitamur, ut poſſimus cor Virginis intrare, & in ejus paſſione ipſi compati. *Op. ſtim. div. amor. p. 3. cap. 16.*

59. *Qui jucundum eloquium, ſcilicet laudem promit in honorem B. Virginis, jucunditatem ab ipſa reportat.*

Iucundum ſit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino. Vide quod qui in laudem Dei promit verba, & voces, delectationes ab ipſo reportant: idem & de Beatæ Mariæ laudatoribus dicendum, quia ipſa jucunditatem æternam dat eis, nec obliviſcitur eos in certamine mortis. *Op. Pſalt. B. V. Pſal. 103.*

PSALMUS CIV.

Titulus: Alleluia.

1. PRIMÒ Nota, quod iſte titulus appoſitus eſt huic Pſalmo in libro Paralipom. quem David compoſuit cum Arca reducta eſt è captivitate: Alleluia autem interpretatur laudare Deum, & eſt propriè laus Angelorum; ſicut gloria in Excelſis: quia Angeli propriè dicuntur laudare Deum: tum propter peccati immunitatem; tum propter aſſiduitatem; nam die, ac nocte non ceſſant laudare Deum: tum propter continuam Dei fruitionem: & per hoc invitatur homo ad laudes Dei exemplo Angelorum. *Pſal. 104.*

2. *Invitantur homines ad perfectam Dei laudationem.*

Confitemini Domino, & invocate nomen ejus. Nota, quod in his verbis exprimitur perfecta laus Dei, quæ fit mente, unde dicit *confitemini*: voce, unde dicit: *invocate*: jucunditate, unde dicit: *cantate*: in opere unde ait: *pſallite*: à rerum

rerum creatione, unde ait: *narrate omnia mirabilia ejus. Psal.* 104.

3. *Confessio perfecta alia est laudis, alia peccatorum, exigitque contritionem.*

Confitemini Domino. Nota, quod hic suadetur confessio, quæ alia est laudis Dei, alia peccati, & ad utramque requiritur contritio. *Psalm.* 104.

4. *Sine fine quærendus est Deus, qui sine fine est diligendus.*

Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper. Nota, quod Propheta invitat ad lætandum quærentes Dominum; sed quomodo lætandum, dum non potest Deus inveniri, qui incomprehensibilis est, & non potius tristandum? sed respondetur, quod Deus est incomprehensibilis, & hoc cognoscere, scilicet hanc immensam majestatem, eamque diligere, est invenire, & ideò subdit: *quærite faciem ejus semper*, quia qui sine fine diligendus est, sine fine quærendus, scilicet cognitione, & amore. *Opu. de 7. donis c.* 3.

5. *Quomodo quærendus Deus ab incipientibus, proficientibus & perfectis.*

Lætetur cor quærentium Dominum: quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper. Nota, quod ter repetit quæsitionem Domini, & hoc cum maximo mysterio, quia triplex quæsitio debet practicari: prima propter osculum reconciliationis, & lætificationis, quo lætificantur pœnitentes: secunda propter amplexum confirmationis, quo constringuntur proficientes: & tertia propter aspectum contemplationis, quo satiantur pervenientes: contra ista tria sunt primò os porcinum, vel serpentinum detractorum: secundò amplexus luxuriosus, avarus, & superbus: isti enim non perveniunt ad tertium gradum *ser. 6. Dom. infra octav. Epiphan. Psalm.* 118 *c.* 3. *v.* 1. *& in Lucam c.* 1. *v.* 36. *& c.* 5. *v.* 18. *& c.* 11. *v.* 9.

6. *Qui Deum quærit, semper aliquid boni præsens habet, & aliud desiderat.*

Quærite faciem ejus semper. Quomodo prætendit Prophera, ut quæratur à nobis Deus, si à nobis non comprehenditur? sed nota, quod licèt non comprehendatur, tamen quærendo eum, habemus aliquid boni præsens, in cujus virtute, semper de novo desideratur, & quæritur, *Op. de sept. itiner. ætern. itin.* 6. *d.* 6.

7. *Memoria beneficiorum Dei, & operum ejus frequentanda.*

Mementote mirabiliū ejus, quæ fecit. prodigia ejus, & judicia oris illius. Hæc ad litteram diriguntur ad Israelitas, ne in oblivionem beneficiorum divinorum inciderent: sed magis ad nos dicuntur ista, qui majora beneficia recepimus; unde sæpe memoriæ sunt à nobis mandanda tot beneficia nobis à Deo collata, & tot prodigia pro nobis à Christu patrata, ut excitemur ad ipsum laudandum, *in Lucam c.* 1. *v.* 65.

8. *Pueri esse debemus, si volumus percipere arcana divina.*

Memor fuit testamenti, quod habuit ad Abraham puerum suum. Cur ad Abraham; quia puer erat, sed quomodo puer, & non potius senex venerabilis? Nota, quod Abraham non dicitur puer ætate, sed moribus, scilicet ratione pietatis in carne, simplicitatis in intentione, docilitatis in cognitione, amicabilitatis, tractabilitatis in operatione, veracitatis in sermone, humilitatis in conversatione, & ratione talium, maxime humilitatis, Deus confert sua dona *in Lucam c.* 18. *v.* 16.

9. *Deo servientes sunt paucissimi in comparatione malorum.*

Cum essent numero brevi, paucissimi incolæ ejus. Hoc ad litteram dicitur de Israëlitis, qui servantes verum cultum Dei erant paucissimi in terra Chanaam, antequam moltiplicarentur. Per quod datur intelligi paucitas Deo servientium in comparatione servientium diabolo: nam servi Dei tendentes ad regionem longinquam Paradisi, paucissimos cives, & socios habent, nempe habentes fidem, spem, & charitatem: cum his sociis, scilicet cum exercitio harum virtutum paucissimi sunt virtutum Tyrones, & qui vitia perfectè subjugare conantur in hac valle peregrinationis. *Psalm.* 104. *&* 118. *c.* 2. *v.* 3.

10. *Felix, qui famem vocat super terram: infelix qui eam prævenit.*

Et vocavit famem super terram. Hic allusio fit ad famem, quæ afflixit mundum tempore Joseph: sed mysticè alludit ad servos Dei, qui famem vocant scilicet strenuè eam tolerant; istique felicissimi; qui verò eam præveniunt, infœlices sunt. *Psal.* 104.

11. *Christus missus est à Patre, ut cum eo nobis salutem, & Sacramenta ministraret.*

Misit ante eos virum. Cur voluit uti ministerio Joseph ad sublevendam inopiam Populi Israëlitici? Cur non immediatè ipse Deus id fecit? quia quædam sunt opera, quæ vult ipse immediatè ex seipso facere, ut creatio mundi: quædam vult facere, sed ministerio hominum; & quia Joseph fuit figura Christi: Pater misit filium, ut ejus opera institueret sacramenta, & nobis præpararet gratiam Dei suis meritis: ergo misit ante nos Christum, ut nos duceret per viam salutis. *Psal.* 104.

12. *Qui vult evadere vincula diaboli, debet habere virtutes Joseph.*

Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus. Nota: hic alluditur ad persecutionem Joseph, quando in vincula conjectus est in carcere, à quibus ob suam humilitatem, puritatem, & virtutem illæsus fuit: ut videas, quod Pharao, idest diabolos conatur ligare hominem, trahendo ipsum ad peccatum, & à quibus vinculis solùm, qui habet virtutes Joseph, liberari potest. *ser.* 3. *Dom.* 11. *post Pentec.*

13. *Verbum Dei est ferrum pertransiens animam, ipsamque ad salutem trahens.*

Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus. Nota, quod hoc ferrum pertransiit animam Joseph, donec venit verbum ejus: quodnam est verbum hoc? quænam copulatio est ista? ut videas, quod verbum Dei prædicatum est veluti ferrum, vel gladius, qui pertransit animam, & ad pœnitentiam cor pertrahit, simulque vulnerat diabolum. *Psal.* 104.

14. *Verbum Dei inflammat animam.*

Eloquium Domini inflammavit eum. Quomodo, & ad quid: quia verbum Dei est eloquium Spiritus Sancti, à quo inflammatur ad hoc, ut anima cognoscat Deum, ipsumque diligat: inflammat & verba in ore prædicatoris, ut animas auditorum accendat. *Psalm.* 104. Ideò ut ignis verbum Dei immutat animam, purgat, & innovat. *serm. 2. de S. Laurentio. Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 11.

15. *Eloquium, & verbum Dei notabile propter decorem, dulcorem, & fervorem.*

Eloquium Domini inflammavit eum. Inflammavit, scilicet ignivit eum, & sicut in igne est decor, fervor, & per ignem dulcescunt amara, sic verbum Dei est notabile propter decorem, dulcorem, & fervorem, quem in animam immittit. *Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 11. *& c.* 10. *v.* 34. *& op. Eccles. Hier. p.* 4. *cap* 4.

16. *Humiles in terra à Deo constituentur in Cælo inter Principes: & superbi in terra, imò in inferno inter vermes infernales.*

Constituit eum Dominum domus suæ; & Principem omnis possessionis suæ. Nota hoc dici de Joseph Patriarcha, qui post carceres, post labores, injurias, & persecutiones patienter toleratas, elevatus fuit ad Principatum. Mysticè datur intelligi, quod Deus nos vilissimos vermiculos de stercore elevabit, si ei fideliter serviamus, & collocabit in soliis Principum, & è contra Principes, & superbos terræ inter vermes infernales constituet, qui in injustiâ, violentiâ, fraudulentiâ caetcent sua munera, *ser.* 1. *Dom.* 16. *post Pentecost.*

17. *S. Joseph Sponsus B. Mariæ Virginis constitutus à Christo Princeps, & Dominus domus suæ, & possessionis suæ.*

Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. Quem eum? S. Joseph Proregem Ægypti, sed quia Joseph fuit figura S. Joseph Sponsi B. Mariæ Virginis, ideò verè possumus dicere, quod Christus constituendo Joseph suum Patrem putativum, etiam constituit Dominum domus suæ, scilicet Ecclesiæ, & Principem omnis possessionis suæ, nempe omnium bonorum cœlestium, & terrestrium: sic plures DD. apud Petrum Morales, & infertur etiam ex pluribus locis S. Bonaventuræ.

18. *S. Petrus Apostolus figuratus in Joseph Patriarcha, in Principatu supradicto.*

Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. Nota, quod hoc mysticè potest dici de S. Petro Apostolo, quem Christus constituit Dominum domus suæ, scilicet Ecclesiæ, & Principem omnis possessionis suæ. *sermon.* 1. *de Cathedra S. Petri.*

19. Moyses, & Aaron fuerunt servi, quos ante Christum Deus misit ad percipiendos fructus vineæ, scilicet Ecclesiæ, de quibus. *Luc.* 20. qui ab Israëlitis ejecti, & persequuti sunt *in Lucam, capit.* 10. *ve.* 10.

20. *Vera contritio convertit aquas in sanguinem.*

Convertit aquas eorum in sanguinem. Nota, hoc fuit unum ex prodigiis à Deo patratis in Ægypto, sed mysticè, quia aquæ istæ significant fluctus vitiorum, in quibus peccatores submerguntur, illæ convertuntur in sanguinem, dum anima perfectè contrita, cum rubore erubescentiæ de peccatis, ea confitetur, in quo sanguine est vita animæ. *serm.* 1. *in die cinerum.*

21. Deus dispensare potest in præceptis positivis, ut patet hic in asportatione vasorum auri, & aliarum pretiosarum rerum, quæ abstulerunt Judæi ab Ægyptiis: unde dicitur: *eduxit eos cum argento. l.* 1. *dis.* 47. *art.* 1. *q.* 2. *& in lib.* 4. *pluries. & in Exod. capit.* 12.

22. *Justi exeunt ex hoc mundo divitiis pretiosissimis onusti, impii pauperrimi, & nudi.*

Et eduxit eos cum auro & argento. Nota, quod mysticè datur intelligi copia divitiarum, cum quibus justi exeunt ex hac vitâ: aurum autem hoc significat charitatem, splendorem sanctitatis, censum bonarum operationum, cœlestem gloriam, & possessionem Christi, in quo est aurum divinitatis, & argentum humanitatis. *Psal.* 104. E contra impii exeunt nudi, & pauperrimi, solùmque onusti peccatis, & vitiis.

23. *Christus Dux noster ducit nos per desertum hujus mundi per columnam nubis.*

Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem. Hoc fuit maximum prodigiorum à Deo patratum, dum mediante columna ducebat Deus populum Israël per desertum, qui in die erat loco nubis defendentis ab æstu, & de nocte loco lucernæ: mysticè significatur, quod Christus ductor noster ducit hominem per desertum hujus vitæ media columna nubis, & ignis, scilicet fidei, & gratiæ divinæ protegens nos ab æstu vitiorum, & illuminans per tenebras hujus vitæ: væ igitur iis, qui deserunt hunc ducem. *ser.* 1. *in Epiph.*

24. *A Deo petenda sunt beneficia temporalia, spiritualia, & æternalia, non à creaturis.*

Petierunt, & venit Coturnix, & pane cœli saturavit eos. Nota illam particulam: (*petierunt:*) ut videas, quod Deus solùm post orationem, & petitiones

petitiones istis concessit temporalia, & spiritualia bona: Hæc igitur vult Deus dare, sed vult rogari, vult inquam, ut ea in oratione petamus. *Ser. 3. in rogat.*

25. *Panis Cœli est, qui cum justitia acquiritur, panis inferni, qui cum injustitia.*

Pane Cœli saturavit eos. Panc Cœli? cur pane Cœli, & non potius terræ? cum illud manna originaliter provenires à terra, quia ex rore coagulato componebatur? Sed attende: panis Cœli dicitur, quia mediante oratione impetratus fuerat: ut videas, quod panis, & bonum, quod acquiritur cum justitia, & observantia mandatorum Dei, dicitur panis Cœli: quod verò cum injustitia habetur, dicitur panis inferni. *Ser. 3. in rogat.*

26. *Qui fideliter certant in hac vita contra vitia, in exitu vita latantur.*

Eduxit populum suum in exultatione; & electos suos in lætitia. Eduxit quidem cum exultatione Israëlitas de Ægypto, & de deserto in terram promissam, qui fideliter certaverant: Sed cum majori exultatione educit suos fideles de hac vitâ, qui certantes strenue, vixerunt. *Psalm. 118. c. 7. v. 15.*

27. *Temporalia bona à Deo dantur, ut nos in spiritualia ordinent: illa sunt mobilia, & adjectiva, ista substantiva, & immobilia.*

Et dedit illi regiones gentium, ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant. Vide ad quid Deus impertitur temporalia bona; nempè, ut per ista manuducamur ad spiritualia: ut intelligamus, quod bona temporalia, sunt bona mobilia, & transeuntia, & veluti adjectiva; spiritualia sunt immobilia, & veluti substantivum bonum, & hoc maximè verificatur de amore Dei; & ideò bona temporalia ad spiritualia ordinantur à Deo, in quibus est vera justitia, & observantia legis. *Psal. 104.*

28. *Invitantur anima devota ad laudes B. Virginis; & ad invocationem sui Nominis.*

Confitemini Dominæ nostræ, & invocate nomen ejus, cantate ei gloriosè, narrantes virtutes ejus, laudate, & exaltate eam Virgines filiæ Sion, quia desponsabit vobis regem Cœlorum: Honorate Reginam plenam omni gratia, & contemplamini cum reverentiâ sanctissimum vultum ejus. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 104.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

29. *Qui devote quærit Mariam, invenit salutem.*

Quærite Dominum. Quærite eum Domino etiam dominam nostram, quærite faciem, & vultum ejus cum reverentia, quia salus sempiterna in manu Mariæ; & qui illam dignè honorificaverint, suscipient illam: clementia sua non deficiet à sæculis æternis, & misericordia à generatione in generationem. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 104.*

30. *Dolores B. Virginis in Passione filii quales.*

Ferrum pertransiit animam ejus. Hic loquitur de Joseph ad litteram, de quo non legitur, quod occisus fuerit gladio: quomodò ergo dicitur, *Ferrum pertransiit animam ejus?* Quia nomine ferri, vel gladii hic intelligitur vel mortalis passio, vel dolor vehementissimus; & hoc maxime verificatur de B. Virgine, de qua fuit prædictum: *& tuam ipsius animam pertransibit gladius*: Sic dicitur: *ferrum pertransiit animam ejus.* Nota illam particulam (*ejus, & ipsius*:) cujusnam? ipsius, & ejus, idest tui ipsius animam mors Christi pertransiit; vel ipsius Christi: quia Maria in genere amoris erat anima filii, & Christus anima Matris, ideò pertransiit ipsum Christum; & Mariam. *Psal. 104. & in Lucam c. 2. v. 35.* Et hinc dolores, quos Maria pariens effugit, tempore passionis sustinuit. *ibid.*

31. *Maria Virgo est nubes protegens à malis, & lucerna illuminans.*

Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem. Nota, quod hic ad litteram loquitur de miraculo columnæ, qua duxit Deus populum Israël per desertum: magnum quidem miraculum, & beneficium, sed tandem ad finem venit. Non tamen unquam cessavit aliud majus miraculum nobis, & pro nobis à Deo patratum, dum præparavit in Ecclesia Mariam Virginem, ad hoc, ut esset nubes protegens nos ab æstu vitiorum, & tentationibus dæmonum, & simul ignis, & lucerna illuminans nostram ignorantiam multis misericordiæ suæ beneficiis: & si hoc? quid nos miseri faceremus obtenebrati, quid in nocte hujus sæculi; si tam lucidam lucernam, si tam luminosam columnam non haberemus? quid enim totus mundus valeret, si hunc solem non haberet? *Op. specul. B. Virg. lec. 3.*



PSALMUS CV.

Titulus: Alleluia.

1. PRIMÒ Nota, quod ponitur in antiquis Bibliis duplex Alleluia, & hoc quia sicut in præcedenti Psalmo invitat Propheta ad laudandum Deum pro beneficiis collatis populo Israël; & ob id Ecclesiæ hic idem prosequitur, & proponitur duplex materia laudis; scilicet pro eo quod punivit malos, & persecutores Israëlitarum, & pro eo quod contulit tot beneficia Israëlitis.

2. *Proponuntur varia motiva nos inducentia ad laudandum Deum.*

Confitemini Domino, quoniam bonus. Nota, quod hic invitamur ad confitendum, idest simul laudandum Deum, & hoc propter bonitatem Dei: Unde dicitur: *quoniam bonus*: item propter æternitatem, & misericordiam æternam ejus; unde dicit: *quoniam in sæculum misericordia ejus*: item propter potentiam, unde subdit: *quis loquetur potentias*

tentiæ ejus; facit enim magna virtute, inscrutabilia ratione, innumerabilia multiplicitate. *Psal.* 105. *& in Lucam c.*10.*v.*11.

3. *Visitatio bonitatis divinæ facta ad nos est in Jesu adventu.*

Memento nostri Domine visita nos in salutari tuo. Ecce quod petebat Propheta, nempè Incarnationem dominicam, & simul visitationem Jesu-Christi, nempè influentiam, & effectus provenientes ex virtute nominis sui, ex quo omne bonum redundat nobis. *In Lucam cap.* 1. *vers.* 68. *& in Psa.m.*118.*cap.*5.*vers.*1. *& opusc.Eccles.Hier. p.*1.*c.*2.

4. *Peccans in se dicitur peccator: in proximum dicitur iniquus.*

Peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus. Nota hic hanc graduationem: primò enim proponit peccatum: secundò injustitiam: tertiò iniquitatem: quia peccans in se dicitur homo peccator; peccans in proximum dicitur injustus, & iniquus: ut videas quàm gravius sit peccatum in proximum. *Psal.* 05.

5. *Excæcatio quomodò obvenit ex peccato, & qualis.*

Peccavimus. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt; non fuerunt memores &c. Nota, quod primo loco ponit peccatum, postea subdit ignorantiam, excæcationem, & oblivionem mentis: ut videas, quod peccatum excæcat animam, ita ut non possit videre, quæ ad salutem suam spectant: & nota, quod super omnia peccatum inobedientiæ affert hanc cæcitatem mentis. *Psal.* 105.

6. *Redemptio Christi expenditur.*

Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est; & salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici. Nota, quod hic tria innuuntur, quæ concurrunt in redemptione per Christum facta: nam redemit nos quantum ad pretium, cum in cruce seipsum obtulit: redemit item nos quantum ad signum, scilicet in baptismo significato per transitum maris rubri: & redemit nos quantum ad effectum, quia per ista salutem nobis attulit. *Psalm.*105.

7. *Proprium est malignorum, & detractorum post laudationem proximi ipsi detrahere.*

Et crediderunt verbis ejus, & laudaverunt laudem ejus: Citò fecerunt, obliti sunt operum ejus. Vide qualis sit malignitas detractorum, qui licet aliquando in laudes proximi protumpant; statim tamen se conferunt ad detractiones, despiciendo proximum, quem prius laudabant. *In Lucam cap.* 4. *vers.* 22. Hic autem notatur levitas multorum, qui incipiunt facere pœnitentiam, sed citò redeunt ad vomitum; suntque similes istis ingratis Judæis.

8. *Peccator Deum offendens, omnes potentias contra ipsum Deum exercet.*

Citò fecerunt: obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt consilium ejus: & concupierunt concupiscentiam: & tentaverunt Deum. Nota, quod in his verbis indicitur malignitas peccati, quod prævertit omnes potentias in homine; nempe sensum, & affectum: in sensu sunt tria, nempe ingenium, ratio, & memoria, quibus tres cellulæ attribuuntur capitis, ingenium ancipiti, ratio sincipiti, & memoria occipiti: ingenium ad futura ordinatur, & ideò ad incognita, & ingerit timorem faciendorum: ratio ad præsentia, judicans inventa, ex quo oritur tædium factorum, & memoria ad præterita, quia recondit dijudicata, & memoriam præteritorum malorum ingerit: Hæc omnia subvertuntur per peccatum; sicut subversa sunt in istis Israëlitis. *Psal.*105.

9. *Ob peccatum idololatriæ multi absorpti sunt in inferno; ob quodlibet peccatum mortale, qualibet anima absorbetur in eodem.*

Aperta est terra, & deglutivit Datan. Vide quomodò ob peccatum Idololatriæ istis aperta est terra, & sepulti sunt in inferno: quod evenit cuilibet morienti in peccato mortali *Serm.* 10. *de rogat.*

10. *Justi suas potentias ad Deum conversas habent: impii mutant gloriam Dei in similitudinem vituli apostatantes à Deo.*

Et fecerunt vitulum, & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli. Ecce quid fecerunt isti impii, qui à Deo vero apostatantes, adoraverunt sculptile repræsentans vitulum; sic & faciunt omnes impii inhiantes voluptatibus, divitiis, & honoribus, qui suas ipsorum potentias subvertentes, & avertentes à Deo ad se ipsos, ad divitias, delicias, & honores se toti convertunt: & de istis dicitur, quod mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fænum: Nam avaritia, lascivia, concupiscentia comedit, & destruit fænum, idest carnem, & conscientiam: E contra justi potentias ad Deum conversas retinent. *Opuscul. de prof. religios. l.*1. *cap.*8. *& in sap. cap.*12. *&* 13. *&* 15. *&* 16.

11. *Peccatum avaritiæ, concupiscentiæ, & lascivia oblivionem inducit Dei; ejusque beneficiorum.*

Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto. Vide effectus avaritiæ, lasciviæ, & idololatriæ: ista enim peccata oblivionem inducunt Dei, & beneficiorum divinorum. *Psal.*118.*c.*9.*v.*11.

12. *Ex irritatione Dei à peccatis causata proveniunt ruinæ multiplices.*

Et irritaverunt eum in adinventionibus suis. Vide, quod ex multiplicatione peccatorum ira Dei accensa est, & Deus irritatus est: Sed quid ex hoc consequitur? multiplicatio ruinarum, &

& flagellorum, & quantum ad demeritum præmiorum *Psal.* 118. *c.* 5. *v.* 5. Vide igitur, quod ex solo peccato irritatur Deus. *Op. exposit. missæ c.* 4. Sed quænam sunt adinventiones, ob quas Deus irritatur peccatoribus? sunt variæ adinventiones, quibus peccator Deum offendit: superbia, avaritia & præcipuè in peccatis luxuriæ, quæ sunt visio, cogitatio, & affectio, quibus committitur peccatum luxuriæ in corde, etiam si non possit explicati corde: quot autem sunt corporis sensus, tot sunt spiracula, per quæ intrant aquæ concupiscentiarum ad animam, & nisi ab humore carnalitatis discedatur per mortificationem carnis, & omnis immunditiæ remotionem, Deus adeò in iram provocatur, ut eam propter fœtorem luxuriæ abominetur. *ser.* 2. *Dom.* 19. *post Pentec.*

Adinventiones luxuriæ Deum irritantes.

13. *Alii offerunt se ipsos diabolo, alii filios.*

Immolaverunt filios suos, & filias demoniis. Mirum est, quod viri fide divina imbuti, ad tantam perversitatem devenerint: sed nota, quod plures perversi inter Christianos sunt istorum imitatores: quidam enim seipsos diabolo offerunt, nempe filios, & filias, scilicet opera, & animas: quidam etiam ipsos filios veros, quos eis dedit Deus Diabolo offerunt per malam educationem, vel injustam hæreditatem eis relinquendo, ob quæ semper diaboli erunt. *sermon.* 2. *fer.* 2. *Pentec.* & *fer.* 2. *Dom.* 5. *post Pentec.* & *sermon.* 1. *Dom.* 24. *post Pentec.*

14. *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.* Unde Idololatræ justè puniti sunt à Deo. effusione sanguinis, & morte violenta, quia effuderunt sanguinem innocentem filiorum, eos Idolis sacrificando. *fer.* 7. *in op. de decem præcep.*

15. *Peccatum luxuriæ inficit animam, & Corpus.*

Infecta est terra in sanguinibus. Nota, quòd non solùm ad litteram verificata ipsa fuerunt de istis Idololatris: sed mysticè verificatur de luxuriosis, quia peccata luxuriæ inficiunt non solùm animam; sed & carnem. *In Thren. c.* 4.

16. *Peccatum reddit hominem Deo abominabilem.*

Et iratus est furore Dominus, & abominatus est hæreditatem suam. Ecce quid facit peccatum, reddit enim hominem Deo abominabilem, & meritò, nam peccatum hominem ab homine avertit, & in non hominem convertit. *Psal.* 118. *cap.* 11. *v.* 3.

17. *Ob peccatum adveniunt homini tribulationes ab aliis illatæ.*

Et tribulaverunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum. Ecce effectus iræ Dei, & peccatorum, meritò enim à Deo permittuntur peccatores incidere in manus inimicorum, eos tribulantium *Psal.* 118. *c.* 10. *v.* 13.

18. *Congregationes sacræ Deo valde charæ.* Unde dicit Psalmista: *Salvos nos fac Domine, & congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua*: ut videas, quòd congregationes sacræ hominum ad Deum laudandum ordinatæ, sunt Deo valde charæ. *In Lucam c.* 3. *v.* 17.

19. *Fiat, fiat*, quod ponitur in Psalmis est signum vel desiderij, vel assertionis, & conformitatis cum divina voluntate, ut hic dicitur, *& dicet omnis populus: fiat fiat. In Lucam cap.* 1. *versic.* 38.

20. *Sicut invitantur fideles ad laudandum Deum, sic & invitantur ad laudandam Mariam Virginem.*

Confitemini Domino quoniam bonus. Si hoc dicitur in ordine ad Deum laudandum, quia laus B. Virginis in honorem maximum Dei redundat, ideò dicatur: Confitemini Dominæ nostræ, quoniam bonum est: (ô quam bonum, bonum inquam honestum, utile, & delectabile) per cunctas tribus terræ enarrate misericordias ejus. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 105.

Applicatio ad Mariam Virginem.

21. *Beata Virgo pura ab omni vitiorum labe, etiam beatos facit sui imitatores.*

Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore; memento nostri Domine in beneplacito Populi tui; visita nos in salutari tuo ad videndum in bonitate electorum. Nota hanc orationem terminare in visitatione Dei, in salutari suo: hoc salutare est Jesus filius Mariæ: ergo in hoc consistit beatitudo animæ: sed adverte, quod ad hunc statum perveniunt solùm, qui faciunt judicium, & justitiam; scilicet qui observant mandata Dei, & ideò qui sunt imitatores puritatis Mariæ Virginis: Hos enim fovet sua protectione, & fons irrigantis gratiæ in ipsos procedit de ore illius, & emanatio virginalis sanctificat tales animas castas: quia longe est ab impiis conversatio ejus quia à via altissimi non declinavit pes ejus: Et hinc spes de gloria Paradisi in corde illius, qui devoto animo, & sancta imitatione honorificaverit illam. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 105.



PSALMUS CVI.

Titulus: Alleluia, Alleluia: Ex Judith cap. 13. vers. 21.

1. PRIMÒ Nota: Hic Psalmus agit de multiplici tentatione, à qua per gratiam Dei liberatur homo: præponitur pro titulo duplex Alleluia, ad denotandum, quod per gratiam Dei duo populi liberantur à malo, scilicet gentilis, & Judæus. & invitantur ad Deum laudandum: & hoc exercitio duplicis charitatis Dei, & proximi, per quam ad compunctionem interiorem, & ad exercitium sanctorum operum se confert. *Psal.* 106.

2. *Multiplex tentatio est, quæ nos affligit à qua petere debemus liberationem.*

Confitemini Domino quoniam bonus. In quonam est bonus? in omnibus: sed præcipuè in libe-

rando nos à tentationibus : Tentatio autem multiplex eſt, quæ nos in hac vita tribulat: alia enim eſt intus, & de noſtro; alia eſt foris, & tota de alieno; alia ex utroque: prima eſt, quæ inſurgit in nobis ex nobis, ignorante diabolo : ſecunda eſt diabolo ſuggerente : & tunc inſurgit. Tertia, ſcilicet partim ex noſtro, partim de alieno : diabolus enim cum intus aliquem ſcintillæ fomitem deprendit, plurimas paleas (ideſt parvas tentationes) cum magna feſtinatione colligit; & ſi prævalet, de ſcintilla flammam excutit, & domum pectoris noſtri, de noſtro ſimul, & ſuo exurit : Et hinc tentatio, alia eſt ab interiori per diabolum, alia à poſteriori per recordationem præteritorum malorum ; alia à ſuperiori per rationem ſe ſubijcientem ſenſualitati: alia ab inferiori per ſenſualitatem: alia à dextris, ſcilicet per proſpera : alia à ſiniſtris per adverſa : ſed tamen fidelis eſt Deus, qui non patitur nos tentari, ultra quod poſſumus. *Pſalm.* 106.

Peccata minima quàm diabolus aſtimat.

3. *Carnales errabundi vivunt in deſerto Mundi, nec poſſunt invenire Domum Dei, quam fideles inveniunt.*

Erraverunt in ſolitudine in inaquoſo; viam civitatis habitaculi non invenerunt. Nota, quod ad litteram agit de Iſraëlitis, qui in deſerto vixerunt errabundi: myſticè datur intelligi, quod carnales ſignificati in Judæis à Domino relinquuntur ſolitarij in inaquoſo, ſcilicet ſine gratiâ; & ideò non poſſunt domum cæleſtem invenire, & in eam intrare, & habitare; ſed perpetuò foris manebunt, niſi pœnitentiam veram agant. *ſer. 1 in feſto om. ſanct.*

4. *Alij viam civitatis ſuperna benè quærunt, & inveniunt : alij malè quærunt, & non inveniunt.*

Erraverunt, & viam civitatis habitaculi non invenerunt. Si non invenerunt, ergo ſignum eſt, quod eam quæſierunt, quomodò non invenerunt? Nonne dicit Chriſtus : *qui me quæſierit, inveniet?* Sed nota, quod alij benè quærunt, alij malè: benè quærunt, qui relinquunt peccata, & ad pœnitentiæ opera ſe transferunt; iſtique hanc viam feliciter inveniunt, nempe quærendo viam civitatis cæleſtis, non Mundi : malè quærunt, qui viam civitatis præſentis ſæculi quærunt ; ſcilicet qui in peccatis volunt vitam ducere, iſtique non inveniunt viam cæleſtis patriæ. *ſer. 1. in feſto om. ſanc. & in Pſal.* 118. *c.* 2. *v.* 11.

5. *Multi deſeruntur à Deo, & relinquuntur in neceſſitatibus, & miſeriis hujus vita ob peccata ipſorum, & diffidentiam in Deo.*

Eſurientes, & ſitientes: anima eorum in ipſis defecit. Cur Deus providentiſſimus reliquit iſtos in tantis miſeriis, ut deficerent, & fame, & ſiti perirent? quia ſic exigebat eorum diffidentia, & mala vita : hoc enim ſæpe pluribus accidit. *in Lucam c.* 4. *v.* 25. *&* 26.

6. *Alij benè clamant ad Dominum, alij malè : in quibus peccatum clamat ad Deum vindictam.*

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos. Nota, quòd hic pluries refertur iſte clamor filiorum Iſraël ad Dominum, & exauditio Dei ad talem clamorem. E contra aliis locis refertur clamor ſine exauditione, quia alij benè clamant ad Dominum, ſcilicet cum clamore laudis, vel devotionis, & orationis, vel neceſſitatis, & iſti à Deo exaudiuntur: alij malè clamant, ut fecerunt Sodomitæ, qui clamore iniquitatis Deum provocaverunt ad iram. *Pſ.* 140.

7. *Vir ſpiritualis poſitus in deſerto, ſcilicet conſolationibus privatus, ad Deum recurrat confidenter.*

Erraverunt in ſolitudine : anima eorum defecit : clamaverunt ad Dominum, dum tribularentur. Ecce typus eorum, quæ aliquando accidunt viris ſpiritualibus, cum à Deo videntur aliquoties derelicti, & conſolationibus privari : iſtis enim accidit tentatio maxima faſtidij, qua faſtidire videntur omne bonum : tædet enim orare, legere, meditari, audire bona, vel loqui, vel operari, intereſſe divinis, etiam quæ ſine graui labore facere poſſunt ; & ſic tentantur de diffidentiâ acquiſitionis virtutum, incitantur ad concupiſcendum carnes, & quiſquilias Ægypti: ſicque magno mœrore conficiuntur veluti degentes vitam in deſerto : Iſtis ergo reſtat ſolùm, ut exemplo Iſraëlitarum clament ad Dominum cum tribulantur, ut de neceſſitatibus ſuis liberentur, & ſacrificent ſacrificium laudis, & annuncient opera ejus in exultatione, ideſt recolant beneficia Dei, & ex illorum recordatione, & meditatione, ad laudem ejus in exultatione Spiritus provocentur. Caveantque, quod ſi ſtatim non ſucceſſerit liberatio, ne in impatientiam contra Deum veluti tam durum, & immiſericordem ferantur : ſed patienter tolerando, & humiliter expectando ſe Deo ſubmittant. *Op. de prof. relig. l.* 2. *c.* 2.

8. *Vir Iuſtus in deſerto huius vita clamore virtutum ad Deum clamat, ut liberetur à vitiorum fallacia.*

Et clamaverunt ad Dominum. Ad quid, & quomodò clamaverunt, ſicut quilibet vir à Deo illuminatus clamat ad Deum : nempè ut liberarentur ab ignorantiâ in ratione, à difficultate benè agendi in libero arbitrio, & à concupiſcentia in voluntate: clamaverunt clamore virtutum; nempe virtute prudentiæ, cujus munus eſt præcavere ab inſidiis, & currere ad arcem ſapientiæ, quaſi ad Dominam virtutum, quæ docet confugere ad regis ſuperni auxilium: item oratione, quæ penetrat ad Deum, & qua ad ipſum itur: item & exercitio charitatis reginæ Cœli qua intratur ad Dominum & obtinetur liberatio. *Pſal.* 106. *&* 118. *v.* 145.

9. *Deus praſto eſt iis, qui ſedent in tenebris, & ad malum incitantur, ſi ad ipſum confugiunt.*

Et de neceſſitatibus eorum liberavit eos. A quibuſnam? nempè deduxit eos in viam rectam, auferendo ignorantiam; ſedentes in tenebris illuminando; vinctos in mendicitate, & ferro liberando, ſcilicet à difficultate operis, & à concupiſcentia mala eripiendo. *Pſal.* 106.

10. *Anima*

10. *Animæ purgatorij sunt sedentes in tenebris, & vinctæ, petuntque liberari.*

Sedentes in tenebris, & umbria mortis, vinctos in mendicitate, & ferro. Quinam sunt isti vincti in mendicitate, & ferro, qui petunt liberari? Nota, quod hic loquitur mysticè de animabus existentibus in purgatorio: dicuntur autem in vinculis positæ propter quatuor: vincula enim durissimi carceris auferunt, facultatem operandi, libertatem ambulandi potestatem liberè agendi, & inferunt necessitatem tolerandi: sic animæ vinctæ in pœnis purgatorij habent impossibilitatem merendi; jugum ineffugabile; debitum insolubile; incendium intolerabile: tenebræ enim impediunt operationem; vincula evasionem, mendicitas solutionem, & ferrum inducit afflictionem: ideò de istis dicitur: sedentes in tenebris: & ideò petunt à nobis, qui possumus pro ipsis mereri, liberari. *ser. de anim. purgat.*

11. *Recedentes à Deo per viam vitiorum, debent ad Deum redire per oppositum.*

Quia exacerbaverunt eloquia Dei, & consilium altissimi irritaverunt, & humiliatum est in laboribus cor eorum. Vide quid isti ingrati fecerunt: exacerbaverunt eloquia Dei, scilicet quia verba Dei dulcia tamquam amara, & acerba respuerunt, & irritum facientes consilium Dei, noluerunt ei acqoiescere, ideo Deus eos humiliavit; ut cum per superbiam, aliaque vitia à Deo recesserint, per aliam viam oppositam, ad ipsum redirent: Homo enim cadens per superbiam, debet ad Deum redire per viam humilitatis: sic & Magi per aliam viam reversi sunt in regionem suam: & hoc est, quod significatur in processionibus, in quibus Christiani per aliam viam revertuntur ad Ecclesiam. *Ps. 106.*

12. Christus in resurrectione sua portas inferni confregit & liberavit animas; onde hic psalmista laudat ipsum dicens: *confiteantur Domino misericordia ejus, quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit. in Psal. 23. In Lucam c. 1. v. 21.*

13. *Peccator ad pœnitentiam transiens suscipitur à Deo.*

Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter injustitias enim suas humiliati sunt. Nota illud verbum (*suscepit eos*) & vide quanta sit Dei misericordia in hominem; quam pœnitentes suscipit ad remissionem peccatorum, proficientes ad gratiam provectivam, & perfectos ad perfectam. *Ps. 118. c. 8. v. 10.*

14. *Verbum Dei est omnis esca animæ, quod qui abominantur appropinquant ad portas mortis.*

Omnem escam abominata est anima eorum; & appropinquaverunt ad portas mortis. Quænam est hæc omnis esca? datur ne cibus continens virtutem omnium aliorum? maximè: & hoc est verbum Dei: sicut autem verbum Dei in animâ receptum devotè, affert saporem omnis suavitatis, & veram vitam: sic ille qui abominatur hanc escam, necessariò incurrit in necessitatem mortis spiritualis, & appropinquat ad mortis portas: ergo qui dulcedine cælesti vult refici, lumine divino dirigi, ad discernendum verum à falso, bonum à malo, & sanari spiritualiter ab infirmitatibus animæ, sumat hunc cibum *serm. 2. Dom. 20 post Pentec. & Psal. 91. & in sap. c. 9 in fine. in Ioan. c. 13. in fine & coll. 44.*

15. *Eucharistiæ indigna sumptio qualem mortem inferat.*

Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt ad portas mortis. Nota, quod litteraliter loquitur de manna, quod sumentes plures Israëlitæ cum nausea, in mortem inciderunt: mysticè loquitur de eucharistico pane; quem suscipientes indignè triplicem mortem incurrunt nempè mortem spiritualem animæ, mortem æternalem in inferno, & sæpe, sic permittente divina justitia, mortem corporalem. *serm. 6. in cœna Domini.*

16. *Eucharistia est omnis esca habens omnis saporis suavitatem.*

Omnem escam abominata est anima eorum. Cur manna appellatur omnis esca? quia habebat saporem, & virtutem cæterorum ciborum; quod verificatur maxime de Eucharistia, quæ habet mirabilem virtutem confortativam animæ in laboriosis hujus vitæ actionibus, & tentationibus: affert & animæ saporem mellis quoad divinam naturam, olei quoad animam, similæ quoad Corpus Christi: habet & virtutem confortativam sanativam, & corroborativam, habet & saporem cælestis gloriæ. *ser. 6. in cœna Domini.*

17. Christus missus est à Patre in Mundum ut medicus ad sanandum infirmitates hominum; & ideò dicitur hic: *misit Verbum suum, & sanavit eos; op. de invisibil. Dei: & in Ioan. collat. 26.*

18. *Contemplativi ad activam descendendo verè ascendunt ad Deum.*

Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ad quid ponitur iste descensus? Cur alibi appellatur ascensus? dicitur enim in Evangelio *ascendente Iesu in naviculam?* ut videas, quod illi qui Deo serviunt in statu contemplationis, aliquando descendunt in navibus ad faciendas operationes varias vitæ activæ: isti videntur descendere, sed verè ascendunt ad Deum; quatuor autem operationes præcipue sunt contemplationis, scilicet oratio, meditatio, lectio, & gratiarum actio: quatuor activæ, scilicet peregrinatio, prædicatio, sacramentorum administratio, eleemosynarum largitio: contemplativi igitur ad activam debent descendere, & ex actione ascendere ad contemplationem. *Psal. 106.*

19. *In statu perfectionis, & Religionis modò subijcitur homo gravibus tentationibus, & periculis, modò sublevatur, & liberatur.*

Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo: dixit, & stetit Spiritus procella, & siluerunt fluctus ejus: ascendunt usque ad Cælos, & descendunt usque ad abyssos. Nota, quod hic ad litteram agitur de tentatione, & periculis, quæ subierunt Israëlitæ in mari, à quibus liberati sunt à Deo: mysticè agit de tentationibus, quibus subijciuntur servi Dei in conflictu vitiorum; nam mare

est vitiorum profundum, Naves sunt Religiones, & Ecclesiæ, quibus enavigatur à sæculi vitiis: procellæ maris sunt tentationes vitiorum, ubi vident navigantes opera Domini, & mirabilia ejus in profundo, quando considerant quanta potentia, & pietate custodit certantes à fluctibus peccatorum, & quanta sapientiæ ratione permittit eos tribulari, & dat eis victoriam per varia consilia, & remedia vitiorum (nam per tentationes addiscit homo multa arcana divinæ sapientiæ) ascendunt usque ad Cœlos per fiduciam securitatem; & rursus descendunt usque ad abyssos per timorem succumbendi in tentatione: vel ascendunt usque ad Cœlos, aspiciendo divinæ pietatis auxilium, & descendunt usque ad abyssos intuendo propriæ fragilitatis defectum: ecce qualis enavigatio servorum Dei in hoc mari magno. *Op. de Prof. religio. l. 2. c. 4.*

20. *Qui ingreditur mare sacræ scripturæ, vel contemplationis sine navi S. Crucis, descendit in profundum, & submergitur.*

S. Crux est Navis ducens ad portum.

Qui descendunt mare in navibus, ascendunt usque ad Cœlos, & descendunt usque ad abyssos. Ergone simul ascendunt, & descendunt isti? sed attende, quod hic proponitur status expositorum sacræ scripturæ, & contemplativorum: nam si intrant hoc mare in navibus, scilicet manuductione S. Crucis, isti ascendunt usque ad Cœlos secure: si vero intrant absque navibus, ad interitum certissimum ruunt. *sermon. 13. Hexaem. Psalm. 106.*

21. *Christus habet suos piscatores ascendentes per naves obedientiæ, & patientiæ ad Cœlum, diabolus suos habet descendentes per navem inobedientiæ, & impatientiæ usque ad abyssos.*

Qui descendunt mare in navibus, ascendunt usque ad Cœlos. Nota, quod mysticè hic agit de piscatoribus Christi & diaboli, primi enavigant mare sæculi piscantes animas per navem obedientiæ, & patientiæ, facientes operationes per obedientiam in aquis tribulationis per patientiæ exercitium: isti ascendunt usque ad Cœlos: E contra piscatores diaboli enavigant per naves inobedientiæ, & impatientiæ, & ruunt in profundum. *in Lucam c. 5. v. 7.*

22. *Per navem baptismi, & pœnitentiæ enaviget homo securè.*

Qui descendunt mare. Quodnam? mare scilicet hujus vitæ, & statum peccati: & ideò Deus providit præcipuè duas naves, scilicet baptismum, & pœnitentiam, per quas naves enavigat homo securè mare hujus vitæ subjectum fluctuationibus & procellis. Item per Navem S. Crucis cum securitate enavigatur in hoc mari. *In Joan. c. 6. v. 21. & Psalm. 106.*

23. *Superbus subjicitur periculis, & tempestatibus continuis.*

Qui descendunt mare in navibus, ascendunt usque ad Cœlos, & descendunt usque ad abyssos. Ecce quid facit superbia, quæ est navis ducens ad interitum, facit enim ascendere in altum, ut securius in profundum ruere faciat hominem, & continuè undique procellis, mutationibus, tentationibus, & periculis. *Psalm. 106. & sermon. 4. in Ascensione.*

24. *Deo servientes in via perfectionis, quales conditiones habere debeant.*

Qui descendunt mare. Nota, quod in his, & sequentibus versibus adnotantur privilegia, & conditiones Deo servientium: commendantur enim ab altitudine status, scilicet contemplationis, dum dicitur: *qui descendunt in navibus*: à charitate, cum dicitur: *facientes operationem*: à labore dum dicitur *dixit, & stetit spiritus procellæ*: à discretione, & sapientia, cum dicitur: *ipsi viderunt opera Domini*: à perfecta oratione cum dicitur: *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*: quæ verba ter ponuntur in hoc psalmo: quia clamaverunt corde, ore, & opere, & clamori cordis Deus respondit, viam eis ostendendo, quæ ducit ad sanitatem, & salutem: ideò subditur: *deduxit eos per viam rectam*: clamori oris respondit, sanitatem conferendo, ideò dicitur: *misit verbum suum, & sanavit eos*: clamori operis, respondit Deus, eos non sinendo succumbere tentationibus: & ideò subditur: *Siluerunt fluctus ejus.* *Psalm. 106.*

Clamoris triplicis ad Deum in oratione fructus triplex.

25. *Deus facit miracula, & prodigia, ut nos elevet ad cognitionem suæ potentiæ.*

Ipsi viderunt opera Domini. Ecce quid prætendit Deus in patranda miracula in Ecclesia: nam per ea prætendit ducere nos in cognitionem suæ potentiæ, & sapientiæ, & elevemur per hæc ad laudem ejus. *in Lucam cap. 8. v. 22. & Psal. 106.*

26. Deus permittit suos aliquando tribulari; sed non supra id, quod possunt, quia eos opportunè liberat ab omni periculo: unde hic dicitur. *Dixit, & stetit spiritus procella, & siluerunt fluctus ejus. Psal. 106. In Lucam c. 8. v. 24. & cap. 21. vers. 27.*

27. Mali quantum ascendunt per ambitionem, tantum descendunt per damnationem in inferno: unde dicitur. *Ascendunt usque ad Cœlos, & descendunt usque ad abyssos. sermon. 4. in Ascensione & Psalm. 106.*

28. Justus ascendit ad Cœlum per desiderium patriæ cœlestis, & statim cedit ad ima per considerationem propriæ fragilitatis: sic de istis dicitur. *Ascendunt usque ad Cœlos, & descendunt usque ad abyssos. op. Diat. tit. 5. c. 5.*

29. *Turbatio alia est bonorum in bonum, alia malorum in malum.*

Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est. Nota hic, quod ex effectibus hujus turbationis, patet quod malè turbati sunt isti Israelitæ: nam turbatio alia est bona in bonum, estque per motionem contritionis, vel compassionis miserorum: alia est mala estque deordinationis, & confusionis: unde additur: *moti sunt sicut ebrius.* Nam ebrietas corporalis aufert usum rationis, & multò magis spiritualis. *in Joan. c. 14. v. 3. & collat. 22.*

30. *Silentium*

30. *Silentium religioſum affert lætitiam Spiritualem animæ.*

Et lætati ſunt, quia ſiluerunt. Cur hæc lætitia attribuitur ſilentio? quia ſilentium in religioſis evitare facit multa peccata, & animæ lætitiam cordis affert. *Op. regula Novitier. c.15.*

31. *Lachryma contritionis irrigant animam, eamque fœcundant ſanctis operibus.*

Poſuit deſertum in fontes aquarum: terram ſine aqua in exitus aquarum. Nota litteraliter, quod alluſio fit ad miraculum aquæ, qua in deſerto Deus potavit Iſraëlitas, myſticè datur intelligi, quod anima, quæ prius erat arida; & deſertum, vi lachrymarum irrigatur à Deo & gratia fœcundatur, veluti hortus amœniſſimus. *In Lucam c.7.v.44. & Pſal.118.c.9.v.8*

32. Propter peccata habitatorum venit ſterilitas terræ; ut hic notatur, dum dicitur. *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim: Terram fructiferam poſuit in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Sap.10.*

33. *Prædicatores, & rectores Eccleſiarum multiplicant prædicando filium Dei, ipſum facientes naſci in eorum cordibus.*

Et ſeminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis Quid eſt fecerunt fructum nativitatis? Nonne fructus producuntur à terra, & ab arboribus, & non ab hominibus? quomodò ergo dicitur, quod homines ſeminantes, fecerunt fructum nativitatis? ſed nota, quod tali modo loquendi, fit alluſio ad id quod faciunt Prædicatores, & rectores Eccleſiarum, prædicatores, & ſeminantes verbum Dei, nam dum hoc divinum ſemen in corda hominum imprimunt, faciunt fructum nativitatis, ſcilicet Chriſti; nempè faciunt Chriſtum naſci in eorum cordibus, & ſimul multiplicant filios Eccleſiæ; ideò meritò Verbum Dei dicitur fructus nativitatis, & multiplicationis. *Op. ſpecul. B. Virg. lec 18.*

34. *Fideles juſti ex benedictione gratiæ, multiplicantur & numero, & merito: mali verò in peccato, & demerito.*

Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis. Ecce quomodò ex divina benedictione orta eſt multiplicatio fidelium, & numero, & merito: & hoc per exercitium timoris, doloris, & pudoris, quem habent de peccatis commiſſis. E contra dicitur de malis, qui multiplicati ſunt nimis, ſcilicet ob peccata multa, magna, & turpia; multa in numero, magna in quantitate, & turpia in modo: ſunt enim aliquota, aliquanta, & aliqualia. *Pſal.106.*

35. *Bellum malorum in bonos minuit numerum electorum.*

Et pauci facti ſunt, & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore. Quomodo, ſi ſupra dixerat, quod filii Eccleſiæ multiplicati ſunt nimis, ideſt valde: nunc ſubdit, quod pauci facti ſunt? quare hoc? reſpondet, quia vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore: ſcilicet, quia eos perſequuntur mali, & iniqui minuentes numerum electorum. Iſti autem perſecutores ſunt, vel hæretici, vel gentiles, vel falſi fratres inter fideles viventes: & hæc eſt perſequutio maxima. Et hinc ut denotet cauſam tanti mali ſubdit: effuſa eſt contentio, ſcilicet vel diſcordia, vel contemptio, & contemptus ſuper eos: nam utrumque cauſat maxima mala in Eccleſia. *Pſal. 106.*

36. *Iuſti ambulant per viam rectam: Injuſti per viam obliquam.*

Errare fecit eos in invio, & non in via; Ideſt recta: nempè qui juſtitiam ſervant deducuntur à Deo per viam rectam: à juſtitia diſcedentes errabundi incedunt devium. *Opuſcul. Diatat. tit.5.cap.8.*

37. *In die judicii electi lætabuntur; maximè videntes quod omnis iniquitas oppilabit os ſuum; & non amplius erunt peccata in Mundo.*

Videbunt recti, & lætabuntur. Cur lætabuntur; & quando? In die judicii lætabuntur electi, videntes, quod omnis iniquitas opilabit os ſuum ſcilicet quod non amplius erunt peccata in mundo. *Pſal.11. & Pſal.115. & 118.c.1.v.10.* Quaſi dicat, quod tam malum eſt peccatum, tam Deo exoſum & beatis, quod eorum beatitudo non eſt perfecta, & completa, donec ceſſet, & deſtruatur peccatum in mundo.

38. *Sincera fides mundat animam ab errore, & à fœditate cogitationum malarum.*

Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini? Ergo ſolùm ſapientes hæc intelligent? Nonne & idiotæ, & ſimplices? ſapiens tantùm, ait Propheta: ſed nota, quod verus ſapiens eſt qui ſinceram fidem, & religionem ſervat: nam hæc mundat animam ab omni fœditate erroris, & immundæ cogitationis, & teducit eam ad locum ſpecioſitatis, & pulchritudinis, ſcilicet ad intelligendum miſericordias *ſer.1. Dom.2. Adv. & Pſalm.118.c.2.v.1.*

39. *Invitatur anima fidelis ad laudandum Deum, ſimul & Mariam Virginem.*

Confitemini Domino quoniam bonus. Cur & quomodò cognoſcitur bonus Deus? Hoe eſt per Mariam Virginem, quæ ipſum nobis peperit miſericordem: ergo confiteamur Mariæ Matri Chriſti, quoniam in ſæculum miſericordia ejus, quia innocentiam & viam prudentiæ nobis oſtendit, & viam intelligentiæ nobis indicavit, & timor Dei per Mariam illuſtrat intellectum. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.107.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

40. *Per Mariam filius Dei deſcendit in navi hujus vitæ, ut nos ad portum deduceret.*

Qui deſcendunt mare in navibus. Qui ſunt iſti deſcendentes mare in navibus? iſti ſunt Chriſti ſequaces, nam Chriſtus primum è cœlo deſcendit

ſo navem intus in uterum B. Virginis, ut nos duceret in portum ſalutis. *Pſalm* 106.

41. *Maria Virgo ſuis eloquiis irrigat, & fecundat animas prius deſertas.*

Poſuit deſertum in ſtagna aquarum. Nota, quod myſticè hoc dicitur de Maria Virgine, quæ ſuis eloquiis, & inſpirationibus animas plurimas, quæ ſunt veluti deſertum, impinguat gratia Dei, eaſque ſuſtentat, & refocillat. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſalm.* 106.

42. *Per Mariam multiplicantur fideles in Eccleſia.*

Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis. Quandonam nobis benedixit Deus, ex qua benedictione multiplicatio fidelium facta eſt in Eccleſiâ? benedixit nobis per Mariam, quando in uterum ejus venit: tunc enim ex generatione fructus benedicti Mariæ, facta eſt multiplicatio fidelium in Eccleſiâ; dicitur ergo meritò Mariæ: benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui, & ex hoc beata prædicatur. *Op. ſpec. B. Virg. lec.* 18.



PSALMUS CVII.

Titulus: Canticum Pſalmi ipſi David.

1. PRIMÒ nota, quod in iſto Pſalmo monemur, ut credamus in Chriſto duas naturas; & ideò dicitur, canticum Pſalmi, ideſt agens de jucunditate, quæ de bonis operibus ſequitur, ad quæ ipſe Chriſtus nos invitat: in hoc Pſalmo.

2. *Exemplo Chriſti invitatur anima ad conformandam voluntatem ſuam cum divinâ, ex qua proveniunt mirabiles fructus.*

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſallam in gloria mea. Nota hæc ſunt verba Chriſti ad Patrem, quibus ſuam voluntatem conformatam voluntati Patris oſtendebat, & nobis proponuntur, ut ipſum imitemur: unde ponderandum eſt, quod poſt expreſſionem talis conformitatis, ſubdit: *cantabo, & pſallam in gloriâ meâ*, ut denotet effectus provenientes animæ ex tali conformitate. Nam conformitas perfecta voluntatis humanæ cum divina & omnia ad nutum Dei accipere, & nihil ipſi repugnare, eſt major dilectio, & majus gaudium, quod poſſit haberi in hac, & in alia vitâ. Imò etiam ignis inferni facilis eſſet, ſi voluntas illum acceptaret; ergo qui ſunt voluntati divinæ conformes, iſti ſunt veluti dii, & beati. *Op. diat. ſalut. tit.* 8. *c.* 1.

3. *Confeſſio perfecta laudis, & peccatorum, debet fieri corde, & ore: ubi de annulo, & baculo Epiſcopi.*

Ritus Eccleſiaſticus annuli, & baculi Epiſcopalis.

Confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in nationibus; quia eſt ſuper cœlos miſericordia tua. Sic dicebat Chriſtus; ſic & nos debemus dicere: Sed nota, quod confeſſio dicitur, quaſi ſimul faſſio; ſcilicet ſimul cordis, & oris; utrumque enim debet concurrere ad confeſſionem laudis, & peccatorum: & quia ſunt verba Chriſti ideò propriè talis confeſſio competit Epiſcopis; nempe confeſſionem laudis habere in corde, & ore, in populis, & nationibus: & ideò in conſecratione Epiſcopi datur ei annulus in digito cordis, & baculus paſtoralis argenteus; quia ſonorum eſt argentum, per quod notatur confeſſio oris; & per utrumque ſignificatur, quod in Dei ſervitio debet eſſe conſenſus animorum, & verborum. *Pſal.* 107.

4. *Pater per filium nos protegit, & defendit.*

Salvum fac dextera tua, & exaudi me. Quænam eſt dextera Dei? eſt filius Dei: unde juſtus petit à patre ſalutem per dexteram, ſcilicet filium ejus, in cujus meritis totaliter confidit. *Pſalm.* 97. *& op. de inviſib. Dei.*

5. *Juſtus petit ſpiritualia, contemnit temporalia.*

Salvum fac dextera tua. Cur dextera; & non etiam ſiniſtra? quia per dexteram ſignificantur bona ſpiritualia, per ſiniſtram temporalia, illa petit à Deo inſtanter. *Op de inviſib. Dei.*

6. *Chriſtus maximè extendit ſuam incarnationem ad gentiles, relictis judæis.*

In Idumæam extendam calceamentum meum. Quodnam aſt hoc calceamentum Chriſti, ſi nudis pedibus incedebat? & cur in Idumæam à gentilibus habitatam? Nota, quod per calceamentum intelligitur humanitas à verbo aſſumpta; dicitur autem, quod ipſam extendit in Idumæam, ſcilicet notam fecit, & extendit notitiam ſuæ incarnationis ad gentiles, relictis Judæis. *Op. de inviſib. Dei.*

7. *Pœnitentia ex alienigena reddit hominem Deo amicum.*

Mihi alienigenæ amici facti ſunt. Qui ſunt iſti alienigenæ, niſi peccatores, qui aſſumendo pœnitentiam, fiunt amici Dei: ô beata pœnitentia, quanta, & qualis eſt ejus virtus, quia ex inimico facit amicum Dei. *Ser.* 1. *de SS. Phil. & Iacob.*

8. *Eccleſia militans à Chriſto eſt facta civitas perfectè munita.*

Quis deducet me in civitatem munitam. Quænam eſt hæc civitas munita Chriſti? Hæc eſt Eccleſia militans: Civitas verè omnibus conditionibus dives, & munita; nam eſt ſuper montem fundata, ſcilicet ſuper Chriſtum: Turris eam defendens eſt etiam ipſe Chriſtus: aliæ turres ſunt Prælati Eccleſiæ: murus eſt munimentum fidei: Antemurale ſunt Prophetæ, qui fidem prædicaverunt, & præceſſerunt: undique foſſata, ſcilicet humilitatis valle: circumdata flumine, ſcilicet ſpiritu ſancto, cujus rivuli ſunt ipſius dona ipſam irrigantia: oſtium, & cuſtos civitatis eſt ipſe Chriſtus, qui item eſt Rex hujus civitatis. *Pſal.* 107.

9. *Deus de centro tribulationis eruit auxilium, & conſolationem ſuis ſervis.*

Da nobis auxilium de tribulatione. Quid eſt auxilium de tribulatione? ergone à centro tribulationis eruendum eſt auxiliū, & conſolatio? maximè: Nota autem, quod hæc præpoſitio (*de*) poteſt ſumi materialiter,

rialiter,ut de ferro fit gladius:itē ſubſtantialiter,ut de Patre filius: itē ordinaliter, ut de mane fit meridies;item & originaliter,ut de ſole radius: dicitur igitur auxilium provenire de tribulatione,ſcilicet vel materialiter,vel ſubſtantialiter,vel ordinaliter, vel originaliter;quia tribulationes à Deo ſuis ſervis immiſſæ ſunt veluti ſeminarium, centrum, fons, & origo gratiarum, & bonorum omnium ſpiritualium. Diſce ergo ô homo,quod Deus ſuis amicis infert tribulationes in ſignum ſui amoris, & ut ad progreſſum virtutum procedant. *Op. medit.vita Chriſti c.6. & 12. in Ioan. c.9. v.3. & c.11. v.3.& 4. op de 7. itin.ætern. itin.4.d.4.a.1.& ſer.1. de Apoſt.& ſer.2.de S.Mar.*

10. *Ex notitia charitatis Mariæ in nos, elevatur anima ad ipſius laudes.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Paratum cor meum Deus, cantabo, & pſallam tibi in gloria mea.* Nota,quod hæc verba ad Deum diriguntur à Propheta; ſed nos ea poſſumus vertere ad Mariam: nam quia noſtra gloria,& omne bonum ex Mariæ charitate provenit, poſſumus verè dicere: Paratum cor meum Domina, paratum cor meum laudes tibi pſallere, & cantare: major enim eſt charitas tua, cunctis divitiis; & gratia tua ſuper aurum, & lapidem pretioſum: Beatitudo, & juſtitia donantur à Deo, qui autem de peccatis converſi fuerint ad te, pœnitentiæ remedium conſequentur. *Opuſc. Pſalt. B.Virg. Pſal.107.*

11. *Ex Maria umbraculo deſcendit in nos auxilium Dei.*

Da nobis Domine auxilium de tribulatione. Sed unde tale auxilium prætendis, ô tu qui in tribulatione exiſtis? Nota, quod Deus omne auxilium, & conſolationem per Mariam influit: & ideò emiſſiones Mariæ ſunt pax, & gratia, & qui ipſi placuerint, procul fiunt à perditione; ipſa enim eſt umbraculum protectionis in tentationibus noſtris: expanſio alarum ſuarum defendit nos ab hoſte devorante: cantemus igitur,& pſallamus Beatæ Virgini; & ipſi nos ipſos tota devotione committamus, & noſtras neceſſitates. *Op. Pſalt. B.Virg. Pſalm.107.*

PSALMUS CVIII.

Titulus: in finem: Pſalmus David.

1. PRIMÒ Nota, quod iſte Pſalmus ordinatur in Chriſtum, de cujus, paſſione, & patientiâ agitur, ſimulque de peccato Judæ: intentioque eſt nos monere, ut Judæ malitiam declinemus, & ab ejus ruina, & perditione diſcamus ſequi humilitatem Chriſti.

2. *Ad imitationem Chriſti juſti debent reddere bona pro malis; quia proprium eſt malorum reddere malum pro bono.*

¶ *Os peccatoris, ſuper me apertum eſt, & poſuerunt adverſum me mala pro bonis.* Vide, quod Chriſtus malis, & perſecutoribus impiorum oppoſuit bona, orationemque fundebat pro ipſis; ut ex ipſius exemplo diſcamus, quid nobis agendum. *Op. medit.vit. Chriſti c.7. Pſalm.108. c.7. v.14. & in Lucam c.12. verſ.21.*

3. *Chriſtus diverſimode oravit.*

Ego autem orabam. Nota hæc ſunt verba Chriſti, qui oravit pro amicis, & inimicis; & aliquando exauditus eſt, aliquando non. *Pſalm.108.*
4. Certant inter ſe divina bonitas, & humana malitia, illa tota intenta ad exhibenda remedia contra mala, & ſigna dilectionis, iſta ad mala; & peccata multiplicanda: unde hic dicitur. *Pro eo ut me diligerent &c. poſuerunt adverſum me odium pro dilectione. Pſal 108.*

5. *Diabolus varie à Deo conſtituitur ſuper hominem.*

Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris ejus. Quis eſt iſte peccator, qui conſtituitur veluti poſſeſſor Judæ, vel hominis peccatoris? Hic eſt diabolus verè peccator, & primus inter peccatores: Iſte à Deo conſtituitur variè ſuper hominem: nam vel id fit ad auferenda bona temporalia, ut in Job: vel ad confringenda naturalia, ut in energumenis, vel ad ferenda ſupplicia æterna: vel ad tentandum: ſed tamen à Deo mittitur Angelus bonus ad auxilium hominis. *Pſal.* 108. Nota tamen,quod poſtquam propoſuit diabolum peccatorem ſuper hominem impium,ſubdit: *& diabolus ſtet à dextris ejus*,ut videas quod exiſtenti perverſo animo in peccato mortali,hæc pœna infligitur; nempe quia datur in poſſeſſionem diaboli; unde miſeria eſt hæc deplorabilis. Hic etiam loquitur de Juda, qui per malitiam factus eſt diabolus. *In Ioan.c.17.v.12.*

6. *Oratio alia eſt in bonum orantis, alia in malam omen,quia fit in peccatum.*

Cum judicatur exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Quomodo oratio fit in peccatum? Nota, quod id evenit multipliciter: primò oratio fit in peccatum, quando quis permanens in odio, advertenter dicit in oratione dominica; *& dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus.* Item quando quis orat Deum, ut in peccato ipſum adjuvet ad peccandum: item quando orat purè pro temporalibus, item quando quis malè orat, vel ex inani gloriâ, orans verò ad bonum finem,tunc oratio eſt in bonum. *Pſal.108. & Pſ.74. in Lucam c.22.v.32.*

7. *Mendicitas alia eſt voluntaria cum merito, eſtque pauperum Chriſti in hac vitâ, alia eſt cum demerito,& ex pœna peccati: eſtque divitum in inferno.*

Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent. Nota, quod hæc imprecatio eſt ad pœnam iniqui peccatoris,& conſiſtit in mendicitate cum impatientia, & murmure, & ſuſtinetur ab homine coactè, & violenter; & ideò de iſtis pauperibus dicitur. *Paupertas nequam. Op de paup. Chriſti a.2. & op. Apol paup reſp.3.* Nota hic,quod mendicitas coacta eſt propria divitum in alia vita, qui in inferno,ut Epulo, mendicabunt in æternum abſque

fructu

fructu: meritoria eſt juſtorum in hac vitâ, qui in alia epulabuntur. *Ita Vgo Card.*

8. *Diabolus uſurarius proponitur, & exactor noſtrorum bonorum.*

Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus, & alieni diripiant labores ejus. Nota, quod hoc eſt proprium uſurariorum auferre & fructum, & ſubſtantiam eorum, quibus fœnerati ſunt: myſticè hic eſt diabolus verè peſſimus fœnerator, dans peccatum, & voluptates momentaneas ad uſuram, & poſtea exigit pœnam æternam; in qua fœneratione diripit omnem ſubſtantiam bonorum operum, & meritorum: ſic alieni, ſcilicet dæmones diripiunt labores omnes, & bona peccatoris morientis in peccato. *Pſal.* 118 *c.*8.*v.*3.

9. *Peccator in morte remanet ſine adjutore, quia eſt ſine bonis operibus.*

Non ſit illi adjutor, nec miſereatur pupillis ejus. Ecce fructus malæ anteactæ vitæ peccatoris, qui in morte ſubjicitur perfido exactori, ſcilicet diabolo, qui ei abſtulit omnem ſubſtantiam operum bonorum, & quia hæc ſola remanent homini in adjutorium poſt mortem, ideò & ipſe remanet ſine adjutore *Pſal.* 118.*c.*8.*v.*4. Et ideò ſubdit *Nec ſit qui miſereatur pupillis ejus, ſ. u orphanis*, ſcilicet operibus, quæ ſine Deo dicuntur orphana, ſcilicet peccata, licet etiam ad litteram verificetur de pupillis malorum divitum, qui deſtituti remanent poſt mortem Patrum, ſic exigente juſtitia Dei. *Sic etiam Vgo Card.*

10. *Vſura alia bona, & deſiderabilis, alia mala, & deteſtabilis.*

Scrutetur fœnerator, &c. non ſit illi adjutor. Nota, quod eſt uſura bona, & deſiderabilis, eſtque gratiæ collatæ in tempore, quia qui eam rectè exercet, centuplum accipiet in hoc ſæculo, & in futuro vitam æternam: uſura mala eſt vel pecuniæ, & hac uſus eſt Iudas qui ob compenſationem unguenti effuſi a Magdalena quod valebat trecentorum argentorum, ſumpſit triginta argenteos in venditione Chriſti: vel eſt uſura ſuppliciorum, quia quod commiſſum eſt in peccatis, repetitur in ſuppliciis: vel eſt uſura præmiorum, quia ſecundùm menſuram bonorum meritorum, dabitur in vita æterna præmium. *Pſal.* 108.

11. *Qui pauperibus non miſerebitur in hac vitâ, eorumque non recordabitur utiliter, in alia, imò & in hac vita miſericordiam non conſequetur.*

Diſpereat de terra memoria eorum, pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam. Patet ex hoc, quod Deus hanc legem fecit, ſcilicet, qui in hac vita miſerebitur pauperum, in hac, & in alia miſericordiam obtinebit: & ſi non vis recordari pauperum ſalubriter in terra morientium, tunc peribit recordatio tui in terra viventium, recordaberiſque eorum inutiliter in inferno. *ſerm.* 3. *Dom.* 5. *poſt Pentec. & in Ioan.c.*4.*v.*8.

12. *Miſericordiæ opus eſt lectio, quam docuit Chriſtus ſuis Diſcipulis: crudelitas in pauperes eſt lectio, quam ſuis diabolus docet.*

Quia non eſt recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt hominem inopem. Ecce quod facit Chriſtus magiſter noſter, & quod diabolus, docuit hanc lectionem, ſcilicet miſericordiæ, quam vult, ut recordentur ſæpè, & eam exerceant: E contra diabolus docet crudelitatem, in qua exercuit Judæos contra Chriſtum inopem, & mendicum perſequentes: *in Ioan.c.*4 *v.*8. *& Vgo Card.* Ex quo patet, quod Chriſtus fuit in hac vita inops, & pauper, & ideò etiam in hac vita mendicitatem exercuit. *Op. de paup. Chriſti.a.*1.*qu.*1.

13. *Homo medius à Deo conſtitutus inter benedictionem, & maledictionem, ut eligat quod ſibi placuerit.*

Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Vide quomodo Judas incurrit maledictionem Dei, quia eam voluit liberè: Nam homo conſtitutus eſt medius inter benedictionem, & maledictionem Dei, ut eligat eam, quam voluerit: cum benedictione Dei ſtat obſervantia mandatorum Dei, qua veluti veſte nobiliſſima induitur juſtus, cum maledictione autem ſtat inobſervantia, & tranſgreſſio mandatorum Dei, qua maledictione, veluti veſte ſordida induitur peccator: elige ergo cum Mathia benedictionem Dei, & dimitte Iudæ maledictionem. *ſer.* 1. *in op. de decem præcep. & ſer.* 3. *Dom.* 19. *poſt Pentec.* Nota etiam, quod hæc benedictio Dei ſolùm intrat in animam, quæ eſt Paradiſus Dei per gratiam; & maledictio in animam peccato fœdatam, tanquam in ſentinam diaboli. *Op. ſpecul. B.Virg. lec.* 14.

14. *Alii præcinguntur cingulo ſanctitatis, alii iniquitatis.*

Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur, & ſicut zona, qua ſemper præcingitur. Nota, quod hic S. Propheta proſequitur imprecationes pœnarum Iudæ, & malorum, in quas ob peccatum inciderunt, & continuè incidunt: additque, quod peccatum eſt ipſis veluti veſtimentum, quo induti ſunt, & ſicut cingulum, quo præcincti incedunt; nempè ob conſuetudinem malæ vitæ: ſicut è contra boni induuntur divina gratia, & præcinguntur cingulo pœnitentiæ, juſtitiæ, & continentiæ. *Pſal.* 108.

15. *Chriſtus immutavit, & reduxit ſuam carnem ad mortem, ut nos redigeremus noſtram ad vitam.*

Caro mea immutata eſt propter oleum. Quid eſt hoc, quod dicit Chriſtus in his verbis? quomodò immutata dicitur ejus caro propter oleum? ſed hic exprimitur amor Chriſti in nos qui ſuum corpus ſubjecit mutationi mortis propter oleum, ſcilicet propter chariſmata Spiritus Sancti, quæ nobis communicavit, & hic vide quàm fuerit in nos beneficus; nam ſeipſum in mortem tradidit, ut nos ad vitam efferret, quia virtute mortis Chriſti,

pro

pro nobis aſſumpta, tunc homo incipit vivere, quando incipit mori pro Chriſto,& hinc cum ſolemnitas celebratur de morte alicujus ſancti, Eccleſia dicit: *Deus qui ſancti tui natalitia colimus. Pſal.*11.8.

16. *Peccans duplici confuſioni ſubjicitur.*

Induantur ſicut diploide confuſione ſua. Quid eſt diplois,& quid hæc confuſio peccatorum? Nota, quod diplois eſt duplex veſtis; utiturque hac metaphora ſacer textus, ut pateat quales effectus proveniant ex peccato: nempe peccans ſubjicitur confuſioni, & pœnæ quoad corpus, & animam; item quoad duplicem partem animæ rationis, & voluntatis: item in inferno quoad pœnam ſenſus, & carentiam viſionis Dei: item in hac, & in altera vita: Vide igitur quàm peſſima eſt negotiatio peccatoris ſe ſubjicientis tot confuſionibus. *libr.4.diſput.15.parte prima dub.* 1. *& ſapient. capit.*11.

17. *Oratio vocalis recte facta, Deo gratiſſima,& nobis utiliſſima.*

Confitebor nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Nota, quod hic exaltat pſalmodiam,& orationem vocalem: dicit igitur: *Confitebor*, ideſt corde,& ore fatebor, additque: *nimis in ore meo & in medio multorum*, ut videas, quod vocalis oratio eſt Deo valde accepta,& valet ad memoriam ſuſcitandam, ad ſomnolentiam reprimendam, ad deſiderium accendendum, ad obſequium impendendum, ad gaudium exprimendum, & ad exemplum demonſtrandum. *in Lucam.cap.*11.*verſ.*2.

18. *Pſalmodia, & oratio ad Mariam convertitur in hoc Pſalmo.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Domina laudem meam ne deſpexeris, & hoc dedicatum tibi pſalterium digneris acceptare: reſpice voluntatem cordis mei,& affectionem meam fac tibi beneplacentem: propera ad viſitandum ſervos tuos, ſub tegumento manus tuæ illæſi conſerventur: illuminationem Spiritus Sancti per te ſuſcipiant, & refrigerium contra cupiditatis æſtum: medere contritis corde Domina, & refove eos unguento pietatis. *Opuſc. Pſalt. B.Virg. Pſal.*108.

19. *Benedictio Dei per Mariam nobis deſcendit.*

Et dilexit maledictionem, & venit ei, & noluit benedictionem. Cur noluit iſte impius benedictionem? quia ſe elongavit à Maria Virgine, perſequendo ejus filium, qui enim vult benedictionem divinam ad Mariam recurrat, quia qui ab ipſa elongabitur, privabitur benedictione divina,& habebit maledictionem. *Opu.ſpecu.B.Virg. lect.*14.

PSALMUS CIX.

Titulus: Pſalmus David.

1\. PRIMÒ nota, quod iſte Pſalmus ordinatur ad Chriſtum myſticum David, & in eo primò exponitur divina generatio Verbi facta à Patre, ejus æqualitas cum ipſo, & deinde Incarnatio.

2. *Divina, & æterna generatio Verbi hic exponitur per hæc verba.*

Dixit Dominus Domino meo. Dixit, ideſt genuit filium,& ab æterno diſpoſuit divinam generationem,& incarnationem: dicitur autem: *Domino meo*, ideſt Chriſtus eſt Dominus noſter ſecundum divinitatem, & ſecundùm humanitatem caput Eccleſiæ *Pſal.*109. *& Pſal.*50.

3. *Chriſtus poſitus eſt ad dexteram Patris in potioribus bonis ejus.*

Sede à dextris meis. Scilicet in potioribus bonis Patris,& ad æqualitatem Patris *Op.de inviſib Dei. & l.*3.*d.*28.*dub.*3.*in Lucam c.*1.*v.*12.*& c.*22.*v.*69.*& Pſalm.*109.

4\. Chriſti poteſtas hic exponitur in his verbis: *donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, & nota, quod illud verbum, *donec*, non exprimit terminum certum, ſed æternitatem, quia eſt terminus incluſivus permanentiæ ſeſſionis, & excluſivus occultationis. *l.*4.*d.*30.*dub.*4.*Pſ.*17. *& Pſal.*109. *& ſer.*1. *Dom.* 9. *poſt Penteco*ſ*t. & in Lucam cap.*12. *verſ.*59.

5\. Impij à Chriſto judice conculcabuntur in judicio, & in inferno, quod patet ex his verbis: *donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

6. *Prædictio Adventus Chriſti facta à Propheta.*

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Ecce quod aperte prædicit Propheta adventum Chriſti, ejus prædicationem, miracula,& inceptionem regni ejus futuram ex Sion, & Jeruſalem. *in Lucam c.*18.*v.*31.*& c.*24.*v.*46.*& in Pſal.*22.

7. *Poteſtas Chriſti permanens eſt in Eccleſia contra dæmones.*

Virgam virtutis tuæ: dominare in medio inimicorum tuorum. Quaſi dicat Pater: Tu ô fili carnem aſſumens, & dominaberis tua poteſtate in inimicos tuos, ſcilicet ſuper dæmones, quorum malitia, & poteſtas per te ſuppeditabitur. *ſermon.* 3. *Dom.Advent.*

8. *Chriſtus filius Dei naturalis declaratur.*

Tecum principium in die virtutis tuæ, ex utero ante luciferum genui te. Nota, hic oſtenditur nativitas æterna Chriſti ex Patre; tamquam ex principio, qui genuit filium in die, ſcilicet in claritate gloriæ,& ab æterno. *in Lucam c.*3.*v.*22.*& c.*9.*v.*35.

& in Ioan.c.8.v.25. & collat.1.& in ſap.c.9. Nota itetum, quod in his verbis commendatur Chriſtus, primo ab æqualitate: ubi dicit: *ſecum*, ſecundo à deitate ubi dicit *principium*: Tertiò à fortitudine, ubi dicit: *in die virtutis*: quattò à perpetuitate, ubi dicit: *ante luciferum genui te.Pſal.* 109.

9. *Chriſtus immutabiliter conſtitutus à Patre ſacerdos ſecundùm humanitatem.*

Iuravit Dominus, & non pœnitebit: tu es ſacerdos in æternum. Vide, quod immutabiliter Chriſtus declaratus eſt à Patre Sacerdos, non ſecundùm divinitatem, ſed humanitatem, in qua ſe pro nobis obtulit ſacrificium Deo Patri, ut ipſe eſſet Sacerdos, & ſacrificium. *Op. de inviſibilit. Dei. & Pſalm.*138.*v.*541 *& Pſalm.*109. Nota autem, quod præfiguratus eſt ſacerdos in Melchiſedech, quantum ad origioem, quia ſine genealogia, ſcilicet expreſſa in ſcripnira: quantum ad dignitatem, quia fuit Rex, & ſacerdos: quantum ad ritum, quia obtulit panem, & vinum. *l.4.d.14 p.1. a.2. qu.3.& l 3.d.3.p.1 a 1. qu.1.* Nota etiam, quod dicitur Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundùm humanam naturam, non quia in triduo fuerit Sacerdos, cum tunc non eſſet homo propriè, ſed quia ipſi nullus alius ſucceſſit in ſacerdotium. *l. 3.d.22. a.1.qu.1 ad 6.& in Ecclen cap.1.*

10. *Iuramentum de ſe eſt licitum, & ſanctum.*

Iuravit Dominus. Ergo ſi Dominus juravit, ſequitur, quod juramentum de ſe eſt licitum, & ſanctum *l.3.d.39.a.2.qu.1.*

11. *Chriſtus venit in mundum, ut impleret ruinas Angelorum, & Cœlum hominibus.*

Implebit ruinas, Quas ruinas? ruinas Angelorum, qui ceciderunt: venit ergo Chriſtus, ut impleret domum Domini: curramus igitur, quia Chriſtus nos expectat: nondum impleta eſt domus; adhuc expectantur, de quibus impleantur nuptiæ. *ſer.2.Dom.2.poſt Pent.*

12. *Chriſti paſſionis numeroſitas, & diuturnitas explicatur per torrentem.*

De torrente in via bibet. Quid eſt quod Chriſtus bibit de torrente in via? & quandonam fuit hoc? Nota quod Torrens eſt aqua veniens cum impetu collecta ex pluvialibus aquis, præcipitanſque priorem aquam: per quod ſignificat numeroſitatem paſſionis Chriſti, & intimitatem, & diuturnitatem, & paſſionum diverſarum ſucceſſionem. *In Ioan.collat.*79.

13. *In via juſtitiæ anima currat ad potum veritatis ſupernæ, eamque appetat.*

De torrente in via bibet. Quis? ſcilicet currens cum Chriſto in via perfectionis: ſi enim appetierit juſtitiam, & veritatem; de ipſa bibet in torrente vitæ ſpiritualis. *In Ioan. collat. trigeſimaoctava.*

14. *Ad dexteram ſuam poſuit Chriſtus Mariam Matrem ſuam.*

Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis. Hoc dixit Pater Chriſto filio ſuo: Hoc dictum eſt & Mariæ ab eodem filio; nempè ſede Mater mea à dextris meis, quia bonitas, & ſanctitas placuerunt tibi, ideò regnabis mecum in æternum: corona immortalitatis in capite Sancto tuo; cujus fulgor, & claritas non extinguetur. *Op. Pſalt. B.V. Pſalm.* 109. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

15. *Maria Virgo eſt virga virtutis Dei contra Dæmones.*

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Nota hæc verba non ſolùm dicuntur de Chriſto, ſed & de Maria Virgine: Virga enim fuit virtutis Dei contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur; & ideo Domina tam magna, tam magnæ virtutis meritò à nobis amatur, meritò à nobis laudatur, & meritò à nobis exoratur, ut nos contra inimicos iſtos tueatur *Op.ſpecul.B V.lec.3.* Et hinc Hieremias *c.1.* dixit: *virgam vigilantem ego video.* ſcilicet Mariam vigilantem ſuper nos.

16. *Ex utero mentis Patris; & ex utero corporali Mariæ genitus idem Chriſtus.*

Ex utero ante Luciferum genui te. Quis eſt iſte genitus ex utero? iſte eſt Chriſtus genitus ab æterno ex utero mentis paternæ, & in tempore ex utero B.V.Mariæ: unde ſi eſt filius Patris, eſt etiam filius Matris, verè omnis admiranda, & veneranda nobilitas Mariæ. *Op.ſpec.B.Virg lec.*16.

17. *De torrente gratiarum Mariæ bibens ſervus ejus.*

De torrente in via bibet. Quiſnam? ſervus Mariæ: iſte bibet de theſauris ejus ſapientiam Dei, & intellectum prudentiæ, ac formam diſciplinæ: Beatus igitur qui ad hunc fontem currit, ut bibat. *Op.Pſalt.B.Virg.Pſalm.*109.

PSALMUS CX.

Titulus: Alleluia.

1. PRIMÒ Nota, quod in hoc Pſalmo invitatur Populus Chriſtianus ad laudandum, & ſimul ad Chriſtum laudandum pro operibus ab ipſo patratis per quæ liberatus eſt.

2. *Confeſſio cordis, & oris, ſcilicet peccatorum, & laudis, Pſalmodiaque proponitur.*

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio juſtorum, & congregatione. Confitebor, ideſt corde, & ore fatebor. Hæc eſt confeſſio, ſcilicet peccatorum, & laudis Dei, in quam vir juſtus Deo ſerviens debet exire, & præcipue in confeſſionem laudis, quæ toto corde, & ſimul ore debet in honorem Dei exerceri, *Pſal.*110. *& ſer.1.in rogat.*

3. *Confeſſio in toto corde quanam ſit.*

Confitebor tibi in toto corde. Quid eſt confiteri in

toto

toto corde? hoc eſt fateri ore quicquid culparum habes,& effundere totum cor ſicut aquam,abſque eo,quod aliquod ibi remaneat,*fer 2.in rogat.* Confiteri item in toto corde, eſt confiteri peccata, cum firmo propoſito emendandi. *Op. Dict. ſalu. tit.2.c.3.& Pſal.* 118 c.10.v.1.

4. *Conſilium juſtorum multiplex.*

In conſilio juſtorum. Quid eſt confiteri Deo in conſilio juſtorum·Nota quod eſt conſilium,quod dant ſancti;& conſilium, quod datur ſanctis, & conſilium juſtorum,quod fiet de ſanctis: primum datur nobis, ut benè operemur:ſecundum quod acceptatur ab ipſis ſanctis:& tertium,ad quod reſurgent boni. *Pſal.* 118.

5. *Magna opera Domini in redemptione hominum.*

Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus. Verè magna ob magnitudinem redemptionis:magnus enim fuit redemptor:magnus homo redemptus,&magna hoſtia,quia filius,& magna quia ordinata ad gloriam Dei.*Pſal.* 110. magna item dicuntur, quia occulta ſunt judicia ejus. *In Ecclen.c.*11.

6. *Confeſſio noſtra debet eſſe in omnes voluntates Dei.*

Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus. Quid eſt in omnes voluntates ejus:ergo eſt multiplex voluntas Dei ſed nota quod voluntas Dei,quæ Deus non eſt,vel eſt præceptum, vel prohibitum,vel conſilium,vel promiſſum. *Pſ.*118.

7. *Iuſtificatio & juſtitia qualiter differant.*

Confeſſio, & magnificentia opus eius, & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. Nota, quod in his verbis innuitur ordo juſtificationis peccatoris; provectus boni operis, ejuſque effectus: dicitur igitur: *confeſſio*: per quod denotatur juſtificatio peccatoris, quæ conſiſtit in contritione, & confeſſione:addit, *& magnificentia*; quia ad juſtificationem debet ſequi augmentatio boni operis, & provectus ſanctæ vitæ,quæ conſiſtit in juſtitia,ſeu in vitatione mali,& electione boni, & bonorum operum, ad quod conſequitur retributio æterna: unde additur:*juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* & hoc eſt, quod ſignificatur per Paſcha, & Pentecoſten:nam in Paſcha torrebant Iſraëlitæ ſpicas igni,& confricabát manibus grana,per quod ſignificatur contritio:& in Pentecoſte offerebant panes fermentatos;per quod ſignificatur juſtitia,& provectus bonorum operum:ut hinc diſcas, quod non ſufficit ſe eripere à mala vita,& peccatis, ſed requiritur, ut per bona opera ad perfectionem ſe transferat. *Pſal.*110.

8. *Multa mirabilia, & prodigia relucent in ſacramento Euchariſtiæ.*

Memoriam fecit mirabilium ſuorum,miſericors, & miſerator Dominus,eſcam dedit timentibus ſe. Nota, quod primò ponit mirabilium operum Domini memoriale à Deo propoſitum nobis, & ut ſciatur in quonam conſiſtant iſta mirabilia, ſubdit: *eſcam timentibus ſe dedit*: ergone mirabilium operum Domini magnificentia conſiſtit in eſcâ hominibus præparata? Nonne hoc eſt opus commuiſſimum?ſed attende, quod hic loquitur ſacer textus de eſcâ Euchariſtiæ, in qua præcipua mirabilia Dei continentur, quorum præcipua reducuntur ad octo capita: quatuor ad ſubſtantiam Euchariſtiæ, alia quatuor ad potentiam: nam ad ipſam concurrit mirabile opus productionis per verba tráſubſtantialia,per quæ formæ ſenſibilitas, gratiæ multiplicitas & naturæ ſublimitas oſtenditur;ut patet in his verbis: *hoc eſt Corpus meum* 2. mirabile opus multiplicationis in variis locis, & hoſtiis: Tertiò mirabile opus miniſtrationis per ſacerdotes:quartò mirabile opus eſt conſumptionis, ſcilicet accidentium, abſque eo quod conſumetur ſubſtantia Corporis Chriſti: quintò eſt mirabile opus ſubverſionis indignè ſumentium hanc eſcam, qui ob id in triplicem mortem incidunt; ſcilicet in mortem ſpiritualem animæ, corporis, & æternalem: ſextò eſt mirabile opus confortationis, quia mirabiliter confortat in via, in qua occurrunt tot adverſitates: ſeptimò eſt mirabile opus delectationis, quia habet omne delectamentum ſuavitatis, & omnium ſaporum deſiderabilium. Octavò eſt mirabile opus tranſmiſſionis, ſcilicet ad ſuffragium mortuorum:mirabilis igitur Deus oſtenditur mirabiliter in hoc, quod eſcam dedit timentibus ſe.*ſer.* 5. *&* 6. *in cæna Domini.*

9. *Mirabile eſt quod cibus Euchariſticus non tranſit in ſubſtantiam alti.ſed trahit ipſum ſumentem ad unionem cum Chriſto ſumpto.*

Memoriam fecit:eſcam dedit timentibus ſe. Si eſcam dedit timentibus ſe; ergone hanc eſcam convertunt in ſe ſumentes ipſam? ſed quodnam opus mirabile eſt hoc,cum ſit commone omnibus cibis ſed nota, quod ſumens Euchariſtiam non ipſam trahit per converſionem in ſe,ſed eſt Chriſtus,qui traſmutat ipſum ſumentem in ſe per unionem ſupernam, & mirabilem, ſicut unitur ignis ferro ignito,aër ſolis radio,& aquæ ſtilla cum vino.*ſer.*2.*in cæna Domini.* Nota igitur, quod unio, quæ acquiritur per hoc ſacramentum dicit aliquid amplius,quam unio per gratiam, ſuperaddit enim aliquid amplius: nempe non ſolum unionem ſpiritualem in animâ, ſed etiam quodammodò in corpus,& carnem. *Vide Suarez de unione Euchariſt.tom.*3.

10. *Euchariſtia Sacramentum eſt memoriale dominicæ mortis, & charitatis.*

Memoriam fecit mirabilium, eſcam dedit timentibus ſe. Si ergo hæc eſca in memoriam mirabilium Dei,ſequitur,quod ſit memoriale nempè memoriale mortis Chriſti, ejuſque eximiæ charitatis: memoriale inquam vivum, & verum, quia non tantùm eſt ſignum rememorativum, ſed & demonſtrativum, ſcilicet præſentiæ Chriſti veræ, ſanctificationiſque animæ.*in Lucam c.*22. *v.*59.

11. *Euchariſtia exhibitio effectus divinæ miſericordiæ,quæ timentibus Deum timore filiali præparavit eam.*

Miſericors,& miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe. Ecce quid eſt,quod induxit Deum ad exhibitionem eſcæ Euchariſticæ:nempè quia Deus eſt miſericors per naturam,& ideò miſeratorem ſe oſtendit quoad effectus,népe in præparando hanc

Tt 2 eſcam

escam Eucharisticam timentibus se timore filialis reverentiæ, habentem omne delectamentum, & omnem saporis suavitatem: cujus gustu anima tanto ardore accenditur, ut destructa omni repiditate, & omni carnalitate, soli cibo isti per amorem unitur, & in eum convertatur, & tunc gustus (quoniam suavis est Dominus) experitur quomodò spiritus ejus super mel dulcis; & comprehendit sensibiliter, quam magna sit multitudo dulcedinis, quæ absconditur in illo Sacramento amoris. *Ser 1. Dom.6. post Pentec.*

12. *Homo ad imitationem Dei sit justus, sed cum admixtá misericordiá.*

Misericors, & miserator Dominus. Nota, quod ubique prædicatur Deus justus, imò ipsa justitia est sed tamen vult admisceri cum justitiá misericordiam: ut hinc ediscas ô homo, quod si justus vis esse, debes exercere misericordiam, ut tua justitia ei placeat. *Sap.c.12.*

13. *Mandata Dei quare dicuntur fidelia.*

Fidelia omnia mandata ejus confirmata in sæculum sæculi. Cur mandata Dei dicuntur fidelia: quia reddunt præmium, quod promittitur, & quia sunt confirmata testimonio Christi Domini in veritate, & æquitate. *Psalm.118. c.5 v.14.*

14. *Redemptionem, & redemptorem primò misit Deus ad Judæos, & deinde ad gentiles.*

Redemptionem misit Dominus populo suo. Nota, quod primò dicit: *populo suo*; scilicet judæorum, quia ipsi in propria persona prædicavit non gentibus; & quia de carne judæorum assumpsit, & quia promissiones factas Abrahæ, & cæteris sanctis judaïci populi adimplevit: ex quo patet quanta fuerit protervia, & ingratitudo ejus. *Psalm.110.* Nota, quod secundario dirigitur hæc redemptio populo gentili, qui recipiendo fidem Christi factus est populus ejus: ex quo patet quanta sit stultitia hominum, qui cum jam fuerint de captivitate diaboli redempti iterum in potestatem ejus se tradunt. *Ser.5. in Nativ. & in Lucam c.1.v.69. & c.1.v.38.*

15. *In nomine Iesu continetur virtus redemptionis Christi.*

Sanctum, & terribile nomen ejus. Nota, quod præmissa redemptione à Christo facta, subdit, quod nomen ejus est sanctum, & terribile: quænam consequentia est ista? ad quid proponitur nomen hoc Jesus? ut videas, quod unus ex præcipuis effectibus redemptionis Christi est ostensio, & expositio sancti nominis Iesu; & ut ostendatur sanctificatio hujus nominis, & quia nomen hoc decet sanctitudo: magnum quidem Sacramentum est hoc, manifestatum in gentibus. *In Lucam c.1.v.49.*

16. *Nomen Iesus sanctum nobis, & terribile dæmonibus.*

Sanctum, & terribile nomen ejus. Vide qualem excellentiam Christus collocavit in nomine Iesus, scilicet quia sanctum, & terribile: quomodò sanctum, & terribile? sanctum scilicet nobis, & terribile dæmonibus, quia in hoc nomine consequimur gratiam, sanctitatem, & gloriam, simulque victoriam contra dæmones. *Ser.4. in Circumcisione.* Dicitur etiam sanctum, quia gratiosum, & gloriosum virtuosis, & terribile vitiosis, & gentiliter viventibus. *Psal.118. c.4.v.7.*

17. *Timor Domini quomodò dicitur initium sapientiæ, & sanctitatis.*

Initium sapientiæ timor Domini. Cur ex timore, & non potius ex amore dicitur oriri sapientia, & sanctitas? dicitur timor initium sapientiæ, quia sapientiam initiat, disciplinat, & coronat, & coronando consummat: timor enim Domini diligenter evigilat super civitatem animæ, & custodit ostium cordis, ne ibi intret diabolus, perimit omnia maleficia diabolica; & ideò per timorem Domini intrat sapientia, & sanctitas in animâ. *Op. diæt.tit.6.c.1. & Psal.118. c.3. v.6. & in Lucam c.1. vers 47.*

18. *Intellectus bonus datur facientibus, & benè operantibus.*

Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Scilicet observantibus ejus mandata, quia sic ea rectè intelligunt, & diligunt. *Psalm 38. in titulo, & 118. c 11.v.9.* Vide ergo, quod in schola Christi primus gradus est operari benè: & deinde percipere sapientiam, & notitiam rerum divinarum. Et isti laudabunt Deum in sæculum sæculi. *Psalm.118. c.3. vers. 2.*

19. *Ad laudes Mariæ totum cor servorum Dei debet incumbere.*

Confitebor tibi in toto corde meo. Hoc dicit Ecclesia Deo: hoc & Beatæ Virgini dicere debet quilibet servus Dei, & Mariæ: Confitebor tibi Domina in toto corde meo; & glorificabo te in tota mente mea: quia opera tuæ gratiæ commorantur, & permanent: & testamentum misericordiæ tuæ ante thronum Dei semper conservatur. *Opuscul. Psalt. B.Virg. Psal.110.* Hinc ad Virginem laudandam, & ad confugiendum ad eam debet quisque se excitare, quia merita ejus semper ante thronum Dei vivi permanent. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

20. *Inter mirabilia à Christo posita pro memoriali suæ sapientiæ, potentiæ, & bonitatis potissima est devotio, & intercessio B.Virginis.*

Memoriam fecit mirabilium suorum. Nota, quod inter mirabilia opera à Deo exhibita in Ecclesia, hoc est mirabilissimum: nempè exhibitio devotionis Mariæ, quia decrevit, ut quicquid boni habemus, totum habeamus per Mariam. *Op. spec. B.Virg. lec.1. & 3.*

21. *Mariæ vita est memoriale propositum nobis ad imitandum.*

Memoriam fecit mirabilium suorum. Si inter mirabilia Dei collocari debet B.Virgo, ergo nobis proponitur tamquam memoriale, & exemplar amandum, colendum, imitandum, & ipsi conformandum, in hocque consistit vera devotio B.Virginis. *op. stim. div. am. p.3. c.16.*

22. Per

22. *Per Mariam Deus nobis escam Eucharisticam præparavit.*

Misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus. Nota, quod hic prædicitur expositio escæ eucharisticæ facta à Christo: sed attende; quod hanc habemus per Mariam Virginem, quæ fuit illa navis, ut *in prov. c.* 31. nobis ferens panem vitæ, ejusque uterus clibanus, in quo paratus, & coctus fuit igne Spiritus Sancti. *Psal.* 54 *&* 138. *&* 106. *& op. medit. vita Christi c.* 4. *& op. de perfec. vita c.* 8.

23. *Per Mariam missa est redemptio à Patre.*

Redemptionem misit Populo suo. Nota, quod hanc redemptionem misit Pater per Mariam, & per quam Populus pœnitens habet spem salutis. *Op Psalt. B. Virg. Psal.* 110.

24. *Nomen Mariæ sanctum, & terribile.*

Sanctum, & terribile nomen ejus. Ejus? cujusnam? jam dictum est hic notari mirabilia sancti nominis Jesu: adde, quod inter mirabilia opera Dei, hoc fuit mirabilissimum, scilicet expositio nominis Mariæ, quod est sanctum, scilicet gloriosum, & admirabile, & ideò, qui illud retinent, non expavescent in puncto mortis: nomen inquam sanctum, scilicet affectuosum dulcissimum, gratiosum, nobilissimum, gloriosum, & dignissimum: est & terribile, scilicet dæmonibus, quia ad invocationem ejus dæmones fugiunt, & torquentur. *Op. spec. B. Virg. lec.* 3. *&* 11. *& op. Psal. B. V. Ps.* 6. *&* 25. *&* 110. *&* 121. *&* 118. *ad* 5. *Principes. In Lucam c.* 1. *v.* 28.

25. *Illuminatio mirabilis animæ advenit honorantibus, & colentibus nomen Mariæ.*

Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Scilicet facientibus id, quod intelligunt esse faciendum: sed verte hæc ad Mariæ laudes: nam qui ejus sanctum nomen venerantur, mirabiliter illuminantur, sorsque illorum advenit inter Angelos pacis: Maria enim interpretatur stella illuminatrix. *Opusc. specul. lec.* 3. *& opusc. Psalt. B. Virg. Psal.* 110.

26. *Mariæ laudes in Ecclesia militante, & triumphante permanent in sæcula sæculorum.*

Laudatio ejus manet in sæculum sæculi. Ubinam manet laudatio Mariæ? manet in Ecclesia militante, & permanebit in æternum in triumphante *Op. Psal. B. Virg. Psalm.* 18. *&* 57. *&* 65. *& l.* 3. *d.* 3. *p.* 1. *qu.* 1. *ad* 4.

PSALMUS CXI.

Titulus: Alleluia, reversionis Aggæi, & Zachariæ.

1. PRIMÒ Nota, quod licèt in titulo nominentur isti duo Prophetæ, tamen non fuerunt tempore David, sed multò post, qui de renovatione templi prophetaverunt; ideò ad significatum nominis allusio fit: Aggæus interpretatur montanus: Zacharias festivus, & hilaris; & quia in hoc Psalmo agitur de confessione, & laude Dei cum timore facienda; hinc significatur, quod iste Psalmus continet laudem pro reversione Aggæi, idest Populi montani, scilicet existentis in eminentia virtutum post destructam captivitatem Babylonicam per pœnitentiam; & Zachariæ, idest Populi hilaris propter bona sibi à Deo collata: ergo exaltatur hic pœnitentia, quæ incipit à timore, & sublimitas status Deum timentium.

2. *Timor Dei beatum facit hominem in hac vita.*

Beatus vir qui timet Dominum. Quomodo dicitur beatus in hac vita mixta tot imperfectionibus? Beatus dicitur, scilicet felix, qui habet timorem Dei: Timor autem alius est naturalis, v. g. quo timemus mortem: alius servilis, qui facit cessare à malo: alius initialis, qui habetur cum charitate imperfecta: & alius est filialis, qui habetur cum charitate perfecta; & iste propriè reddit hominem beatum, & felicem: timor autem mundanus, qui facit cessare à bono opere infelicem reddit. *Psal.* 111.

3. *Quænam reddunt hominem hilarem, & beatum.*

Beatus vir qui timet Deum. Nota, quod pro titulo hujus Psalmi anteponitur Zacharias, quod interpretatur hilaris, & festivus: & talis est, qui habet conscientiam puram, opera sancta, & conversationem rectam cum fratribus; & ideò subdit: *in mandatis ejus cupit nimis: gloria, & divitiæ &c. Psalm.* 111.

4. *Idem confirmatur ex hoc Psalmo.*

Beatus vir qui timet Dominum: Nota, quod hic subduntur fœlicitates viri justi, & primò conscientia pura, & timor Dei: unde dicit. *Beatus vir qui timet.* Secundò filii sancti: unde: *potens in terra semen ejus.* Tertiò honor, & divitiæ spirituales: onde: *gloria & divitiæ in domo ejus.* Quartò justitia, & bonitas; unde: *justitia ejus manet. Psal.* 111.

5. *Deus non respicit quantum, sed ex quanto, scilicet ex bona voluntate, qua efficitur.*

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. Quomodo potest quis nimis desiderare in observantia mandatorum Dei? videtur hoc

impoſſibile ? ſed attende, quod hic exaltatur bona voluntas, & intentio offerentis, quæ in ordine ad Deum plus ſe extendit, quàm vires poſſint exteriùs operari: ut patet de illa vidua *in Matth c.12.* quæ miſit in gazophilacium duo minuta tantùm, & tamen Chriſtus dixit ipſam ubiuliſſe pluſquam cæterus divites, quia ordinem habuit ad bonam, & meliorem voluntatem offerentis. *l.1.d.40.a.2.q.1.* Nota tamen, quòd hoc verum eſt, quando opus externum non poteſt excedi ad proportionem bonæ voluntatis; tunc enim verificatur illud dictum: tantum facis, quantum vis: & hoc pacto dicebat S. Pater Franciſcus, quod Pauper poteſt eſſe magis largus in dando quàm dives. *Op. de profec. religioſ. l.1.c.23. & ſer.5.*

6. *Generatio juſtorum à Deo, & hominibus benedicitur, quia permanet: Generatio iniquorum maledicitur, & præterit.*

Generatio juſtorum benedicetur. Nota, quod hic extollitur bonitas, & rectitudo juſtorum, qui non ſolùm ſunt in ſe beati ſed etiam in filiis tum corporalibus, tum ſpiritualibus: è contra iniquorum præterit, quia caret benedictione Dei: in qua generatione involvuntur etiam opera bona in bonum, & mala in malum malis, quæ ſunt ſemen ſpirituale hominum. *in Eccles. c. & Pſal 111. & Vgo Card. hic.*

7. *In domo Domini abundant divitiæ veræ, & gloria: in domo mundi miſeria, & calamitates.*

Gloria & divitiæ in domo ejus. Quomodo in domo timentis Deum abundant divitiæ, & gloria? nonne ut plurimum vivunt in miſeriis, & perſecutionibus? ſed attende, quod loquitur hic non de divitiis temporalibus, quæ relinquunt inquietudinem in cogitatu, inſatiabilitatem in appetitu, cæcitatem in intellectu, ſterilitatem in fructu, ſed de ſpiritualibus, quæ nec poſſunt amitti, nec auferri, nec teſolui, nec putreſieri, vel comburi: iſtæ abundant in domo Domini, in qua habitant Patriarchæ, & opulenti, qui divitiis temporalibus benè uſi ſunt: habitant & omnes timentes Deum, abundantes gloriá, & divitiis veris. *ferm.1. in feſto omn. ſanctor. & ſer.1. de plurib. Confeſſorib. & op. ſoliloq. c.4. in fine.*

8. *Lumen fidei exoritur, & illuminat mentem juſtorum, quod per peccatum obſcuratur in mente iniquorum.*

Exortum eſt in tenebris lumen rectis [illegible] de miſericors. Ecce quid facit fides in mente juſtorum; nam ipſam illuminat, & irradiat, quam obſcurat peccatum. *Pſal. 111.*

9. *Juſti exercent opera miſericordiæ in proximum.*

Iucundus homo qui miſeretur, & commodat. Nota hîc ordinem: primò: *miſeretur*: poſtea: *commodat*: quia tria circa hoc ſunt opera miſericordiæ, ſcilicet mutuo dare, dare, & commodare: dare eſt ſine ſpe recipiendi, quia donum (ait Ariſtoteles) eſt datio irredibilis: unde tres gratiæ quaſi tres ſorores depinguntur, dantes manus retro flexas poſt tergum, quaſi non videant cui dent, ut iterum aliquid petant; & hoc eſt miſereri: mutuo dare, eſt idem dare, & tale recipere; commodare eſt vel tale. & non cum uſura recipere. *Pſal 111.* Ut hinc videas gradus ſubveniendi proximo magis, vel minus perfectos. Nota etiam, quod dicit: *jucundus homo qui miſeretur*, quia exercens opera miſericordiæ, debet ſe hilarem exhibere in dando proximo. *in Lucam c.11. v.41.* Sic autem proximo miſerendo, diſponit ſermones ſuos in judicio, ut ſcilicet habeat quid reſpondebit Chriſto dicenti: *eſurivi & dediſtis mihi manducare.* Sicque non commovebitur in æternum, ſcilicet non ſeparabitur à Deo, & electis. *Sic Gloſſa.*

10. *Memoriam laudabilem, & æternam ſui relinquunt juſti poſt ſe: vituperabilem relinquunt impii.*

In memoria æterna erit juſtus. Quomodo ſolus juſtus? nonne & memi tantur etiam opera antiquorum impiorum, ut Cain, Pharaonis? ſed intellige de memoria laudabili, & utili, quam poſt ſe relinquunt juſti: impii verò relinquunt memoriam de ſe vituperabilem; & ſi aliquid boni fecerunt, totum Deo, non ipſis tribuendum. *in ſap. c.2. v.10. & Pſal. 111.*

11. *Juſti auditioni bonæ ſubjacebunt: mali auditioni malæ, ſcilicet ſalvationis, & damnationis.*

Ab auditione mala non timebit. Quid eſt ab auditione mala? Nota, quod hic fit alluſio ad ſententiam ſalvatoris, quam in judicio audient boni: *venite benedicti*, & damnationis, quam audient, & cui ſubjacebunt impii, & iniqui. *Pſal. 111.*

12. *Juſtus habet cor immutabile in Dei obſequio, nec movetur ab adulatione, vel deriſione malorum.*

Paratum cor ejus ſperare in Domino: confirmatum eſt cor ejus. non commovebitur. Ecce quid operatur juſtitia, & bonitas in anima juſti: nam ejus cor redditur ſtabile, & confirmatum, nec movetur ab artificioſe impiorum, nec ab adulatione, nec à deriſione impiorum: Artiſor eſt qui omnibus malis conſentit: adulator, qui in malo applaudit aliis: deriſor eſt qui amicis, & inimicis abſentibus detrahit. *Pſal. 111.*

13. *Eleemoſyna eſt opus juſtitiæ de qua reddituri ſunt rationem in judicio divites.*

Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. Nota, quod poſt expreſſionem eleemoſynæ ſubdit, quod eſt opus juſtitiæ: quomodo hoc, ſi eſt opus miſericordiæ? ſed attende: quia eleemoſyna eſt opus juſtitiæ, & ideò, Principes reddituri ſunt rationem in judicio de divitiis omnibus, & bonis acceptis ſi famelicos cibaverint, ſi ſitibundos potaverint, ſi nudis veſtimenta dederint, ſi peregrinis portam aperierint: & ex his Dominus concluſionem ultimam faciet, bonos villicos munerans, malos æternaliter damnans. *ſer. 2. de S. Thoma.*

14. *Juſti*

14. *Iuſti diſperdunt propria, ut ea collecta inveniant in Cœlo: impii ea collecta retinent, & omnia amittunt.*

Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet. Ecce quid facit juſtus; nam proprias divitias diſperget dando pauperibus, & ipſæ manent collectæ in Cœlo: è contra impii eas collectas retinent, ſed ob id eas amittunt. *In Lucam cap.* 12. *v.* 33. *& c.* 15. *v.* 1.

15. *Invido ex bono aliorum viſo excreſcit pœna, maximeque hoc in inferno patientur damnati.*

Peccator videbit, & iraſcetur. Deſiderium peccatorum peribit. Quid eſt, quod videbit peccator, ex cujus viſione iraſcetur, & torquebitur? videbit quod beatus exaltatur in gloria, ex cujus viſione, quia invidus eſt excreſcit pœna: quod maxime æternaliter patientur damnati. *t.* 4. *d.* 50. *p.* 1. *a.* 1. *qu.* 3. *& in Lucam c.* 15. *v.* 1. *& Pſal.* 118. *v.* 135. Nota etiam, quod ſic permittente divino judicio, damnati ante judicium univerſale videbunt in requie quoſdam juſtos in gaudio, & ex tali viſione magis excrucientur. *In Lucam cap.* 16. *verſ.* 23.

16. *Iracundia affert damnationem.*

Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet. Vide quomodo defectus patientiæ, vitiumque iracundiæ affert damnationem. *In Luc. c.* 13. *v.* 5.

17. *Deſiderium impiorum in morte perit: deſiderium juſtorum impletur.*

Deſiderium peccatorum peribit. Quodnam eſt hoc deſiderium, & in quod objectum tendit? Deſiderium hoc eſt illud, in quo ſe in vita exercuerunt, ſcilicet in bonorum temporalium adeptione, in vindictis, in concupiſcentiis adimplendis; hoc deſiderium ipſorum peribit cum omnibus bonis: è contra deſiderium juſtorum adimplebitur. *Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 12.

18. *Beatus eſt qui timet, & diligit Mariam.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Beatus vir qui timet Dominum.* Si beatus, qui timet Deum; ergo & beatus eſt qui timet Mariam, & beatum eor illius, qui diligit illam; nam non poteſt quis habere timorem, & amorem Chriſti, niſi etiam ſimul timeat, & diligat Matrem. *Opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſalm.* 111.

19. *Lucroſiſſimum & utiliſſimum negotium eſt impendere ſe in laudibus Beatæ Virginis.*

Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat. Ergo hic ad commodandum proximo exhortantur fideles. Sed attende, quod omnium lucroſiſſimum negotium eſt incumbere laudibus Beatæ Virginis Mariæ, ejuſque virtutes depredicare; & de talibus dicitur verè: Iucundus, & hilaris homo, qui non ſatiatur laude Mariæ; & à relatu virtutum ſuarum non fatigatur, nec ceſſat. *Op. Pſalt. B. Vir. Pſal.* 111.

20. *Maria conceptio immaculata innuitur licèt ex Patribus peccato infectis.*

Potens in terra erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur. Quomodò dicitur: *potens in terra erit ſemen ejus?* quiſnam eſt iſte juſtus? Iſte eſt S. Joachim (ut dicit Eccleſia in ejus officio,) qui licèt ſimul cum Anna fuerit peccato originali infectus; tamen Deus ſua virtute ſupernaturali elevavit ipſorum ſemen ad generandam Mariam: ut in ejus conceptione oriretur immaculata, & benedicta, quare dicere poſſumus, quod Maria ut roſa de ſentibus progreſſa ut Mater Dei: & ideò ſemper rutilavit, & rutilat puritate. *Op. ſalt. B. V. Pſal.* 81. *& ſer.* 2. *de Virg. Maria.*

21. *Quam potens, & fructiferum ſemen, ſcilicet fructus ventris Mariæ.*

Potens in terra ſemen ejus. Si hic agitur de fructibus viri juſti, multò magis de Maria Virgine, quæ fuit regina omnis juſtitiæ, & ſanctitatis; de qua dicitur, quod ejus ſemen fuit potens: ſemen autem dicitur potens in terra, quando bene in ea fructificat: en igitur qualis fructificatio fructus ventris Mariæ: quia fuit fructus generoſus, & nobiliſſimus, quia fuit de Patre ſine Matre, & de Matre ſine Patre: fuit delicioſiſſimus, continens omnes delicias: virtuoſiſſimus, quia continet omnem virtutem ad perditorum ſalvationem, ad ſalvandorum multiplicationem, & ad multiplicatorum conſervationem: fuit copioſiſſimus omnibus bonis; valens reficere totum mundum omnibus deliciis. *Op ſpec. B. Virg. lec.* 16.

22. *In nocte Nativitatis Chriſti exortum eſt lumen Cœli per Mariam.*

Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde. Nota: hoc verificatum eſt in nocte nativitatis Chriſti, quando ſcilicet Chriſtus, qui ab æterno naſcebatur filius unigenitus ex Patre, natus eſt de Virgine: tunc enim filius datus eſt nobis, & puer natus eſt nobis; tunc ſol juſtitiæ, qui erat in nubilo, clarè refulſit. *Opuſc medit. vita Chriſti. c.* 7.

23. *Maria nata eſt lux cœleſtis illuminans totum mundum.*

Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde. Nota hoc dici etiam de Beata Virgine: quando enim concepta, & nata eſt, tunc exortum eſt in corde illius lumen Dei, & Spiritus Sanctus illuminavit pleniſſimè intelligentiam ejus. *Op Pſalt. B. Virg. Pſal.* 111.

24. Maria Virgo collegit in ſe omnem plenitudinem gratiarum, ut eas diſpergeret nobis pauperibus; & nos reficeret eſurientes: Unde dicamus Mariæ: Diſperge Domina gratiam tuam pauperibus tuis, eſurientes refove, & egentes. *Op Pſalt. B. Virg. Pſal.* 11.

25. Devoti Mariæ erunt in memoria æterna, & à ſententia damnationis liberabuntur. Unde hic dicitur. *In memoria æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit. op. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 111.

PSALMVS



PSALMUS CXII.

Titulus : Alleluia.

1. Primò nota, quod hic Psalmus exponit titulum: Alleluia enim interpretatur laudate Dominum: unde invitantur fideles ad laudes Dei decantandas.

2. *Qui non est puer, non est aptus Deum laudare.*

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Ergone solùm pueri invitantur, & non etiam homines provecti ad Deum laudandum? Nonne alibi dicitur: *laudate Dominum omnes gentes?* optimè dicit: *pueri*; quia, qui non est puer, non est aptus Deum laudare: Puer namque dicitur ob puritatem, simplicitatem docilitatem amicabilitatem, tractabilitatem, veracitatem, & humilitatem: qui igitur præditus est his virtutibus, verè puer Deo charus, & aptus laudare Deum. *In Lucam c.18. v.16. & in Psal.112.* Et ad hunc statim vocat Deus per fidem, per Sacramentorum, & gratiæ susceptionem.

3. *Pueri educandi, & in laudibus Dei exercendi.*

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Nota, quod invitantur solùm pueri ad divinas laudes: ut videas, quod pueri ad Christum sunt vocandi, & quod eorum opera sunt Deo gratissima, *In Lucam c.18. v.16.*

4. *Laudum Dei conditiones explicantur.*

Laudate pueri Dominum, Nota, quod in hoc Psalmo invitantur fideles ad divinas laudes: daturque intelligi, quod Deum laudare debemus primò devotè: unde dicit: *laudate pueri Dominum*, secundò continuè, unde dicit: *ex hoc nunc, & usque in sæculum*, scilicet omni tempore: Tertiò publicè, unde subdit: *a solis ortu usque ad occasum, idest ubique: & hinc in fine divini officii, pueri solent cantare: Benedicamus Domino. Ps.121. & op. specu. B. Virg. lec.9.*

5. *Iesus nomen benedicendum ab omnibus semper, & ubique.*

Sit nomen Domini benedictum. Nota: hoc nomen Domini est nomen Iesus; quod est laudandum, & benedicendum ab omnibus ubique, & semper. *Opuscul. specul. B. Virg. lec.9. & opusc. in Pater noster.*

6. *Deus excelsus humilia, non alta respicit: fovens humiles, & deprimens superbos.*

Excelsus Dominus, & humilia respicit: Vide, quod Deus humiles, non superbos respicit, sed hos deprimit, & humiles exaltat: humilia ergo te corde, ore, & opere; humilia te in terra, ne humilieris in gehenna *Serm.1. Dom 16. post Pentecost.* Ratio autem, quare eus superbos dejicit, humiles exaltat est quia superbus Deo voluntatem suam non subjicit, sed supra Deum suam voluntati divinæ anteponit, & erigit: humilis autem suam voluntatem divinæ subjicit & dum de se vilia sentit totum se divinæ voluntati committit; & ideò Deus superbos deserit, dejicit, & humiliat, humiles exaltat. *Ser.1. in festo S. Anton.*

7. *Divinæ potentiæ, & bonitatis est suscitare de terra avaritiæ, & de stercore immunditiæ peccatorem, & ipsum erigere ad statum sublimem, cælestemque.*

Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Qui sunt isti inopes, & pauperes, quos Deus suscitat à terra, & de stercore? Nota, quod hic superexaltat Propheta divinam potentiam, & bonitatem; quæ mirabiliter elucet in hoc, quod vocans ad sui sequelam avaritiæ deditos, & in immunditiæ stercore jacentes, eos potenti suo brachio suscitat de terrâ avaritiæ, & erigit de stercore immunditiæ, & luxuriæ, ut ditari veris divitiis gratiæ, sedeant cum apostolicis principibus, & solium gloriæ teneant in cœlesti patriâ: sicque eos constituit in statu, in quo in nullo egeant, ut hæredes, & reges regni cœlorum, & principes fidei Christianæ: quod verè miraculum grande est. *Serm.3. Dom.1. post oct. Pascha.* Ex his intelligat homo, cui Deus contulit tantam gratiam, quid fecit peccando, quid meruit, & quid amisit: & è contra, unde vocatus, ad quid, & per quid: vocatus de stercore peccati à profundo mundiallum cupiditatum ob quæ amiserat gratiam, & gloriam, & meruerat supplicium æternum; vocatus itaquam ad pœnitentiam, & ad gloriam per gratiam de stercore, & de profundo miseriarum. *In Psal.112. & 113.*

8. *Vita hominis est in continua rota volubili.*

Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Ad quid Deus suscitat à terra inopes, & erigit de stercore pauperes? Nota, quod homo in continuo motu super rotam volubilem vivit, & Deus ipsum vult subjectum motui continuo: nam aliquando elevat hominem honore, quem paulò post humiliando occultat: aliquando hominem deprimit humilitate, quem postea ad honores elevat: quandoque à læva, scilicet adversitatum ad dexteram prosperitatum, & è contra mutat: at vir justus in omnibus his veluti polus semper immobilis manet; nam ipsum humilitas non deprimit, ipsum honor non ambit, nec adversitas frangit: felix ergo, qui totus divinæ voluntati subjectus vivit. *Opuscul. Diat. salut. tit.5. cap.8.*

9. *Ecclesiæ felicitas ex assistentia Christi qualis.*

Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum latantem. Nota, quod in his verbis exprimitur felicitas Ecclesiæ ex quatuor prærogativis: nempè ob diuturnitatem, unde dicit: *qui habitare facit*: nam qui alicubi habitat, ibi diu manet; & Ecclesia usque ad diem judicii permanebit, & in Cœlo in æternum: secundo à stabilitate, quia portæ inferi non prævalebunt contra eam; unde dicit: *in domo*, non in tabernaculo fragili, & vago: Tertiò à fœcunditate: unde dicit: *Matrem filiorum:*

filiorum: & quartò ab exultatione; unde dicit: *lætantem. Psalm.* 112. *& in Lucam c.* 1. *v.* 15.

10. *Deus habitans in anima per gratiam, ipsam facit habitare stabiliter in domo Ecclesiæ.*

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Quomodò Deus dicitur habitare facere sterilem in domo, matrem filiorum lætantem? & si est sterilis, quomodò est mater habens filios? Sed nota, quod hoc est privilegium recipientis Deum per gratiam, nam Deus in anima justa non solùm habitat per essentiam, præsentiam, & potentiam, sed & per gratiam; & tunc ipsa habitat in domo Domini, quæ prius erat sterilis, facta fœcunda sanctarum operationum. *Psal* 112.

11. *Non solum invitantur pueri, & justi ad Deum laudandum, sed & Matrem Dei.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Laudate pueri Dominum.* Hoc etiam vertitur ad laudes Mariæ; & ideò rectè dicitur: laudate pueri Dominam, glorificate eam, ejusque nomen: pueri, inquam puritate, & ideò omnes venire ad laudandam Mariam. *Opusc. Psalt. B.Virg. Psalm.* 112.

12. *Nomen Mariæ benedictum à solis ortu usque ad occasum.*

Sit nomen Domini benedictum. Sit & nomen Mariæ benedictum, ait Ecclesia; nam nomen Mariæ est celebre, & famosissimum, nec nominari potest, quin accendat, nec cogitari, quin recreet affectus diligentium ipsam: nec umquam sine dulcedine, divinitus huic nomini insita, piæ memoriæ portas ingreditur. *Opuscul.specul.B.Virg. lec.*9.

13. *Deus excelsus super omnia, & Maria excelsa super omnes Angelos, humilia respicit.*

Excelsus Dominus, & humilia respicit. Et quia cum Deo est Maria; ergo & excelsus est super Cherubim Thronus ejus, & sedes ejus super cardines Cœli: & ideò super humiles vultus ejus, & super confidentes in eam aspectus illius, & misericordia ejus super omnem carnem, & eleemosyna illius usque ad extremum terræ. *Op.Psalt. B.Virg. Psal.*112.

14. *Deus in Virgine specialissimo modo inhabitare dicitur.*

Qui habitare facit sterilem in domo. Nota, quod Deus dicitur habitare, quia ipse inhabitat in justis per gratiam; sed in Virgine Maria specialissimo modo per susceptionem, & assumptionem carnis, & ideò Maria dicitur domus Dei specialissima, ex qua gratiæ omnes, & eleemosynæ à Deo proveniunt. *Psal.*112.*& op. Psalt.B.Virg. Psal.*115.

PSALMUS CXIII.

Titulus: Alleluia.

1.  PRIMÒ nota, quod supra invitaverat Propheta gentes ad Deum laudandum, nunc litteraliter invitat Judæos ad idem, recolendo divina beneficia: spiritualiter autem invitat Christianos, qui sunt populus novus Dei, quibus per beneficia Judæorum populo collata commemorat beneficia varia spiritualiter collata Christianis; unde & Alleluia præponitur Psalmo, quæ est vox laudis.

2. *Exitus bonorum, & malorum qualis.*

In exitu Israël de Ægypto. Quis est iste exitus spiritualis, qui proponitur mysticè populo Christiano? Nota, quod alius est bonus, alius est malus exitus: Exitus bonus est de Ægypto, scilicet de populo vitiorum, quando scilicet quis de peccato attrahitur à Deo ad gratiam: Malus est vel de bono in malum, sicut Pharisæi exierunt obviam Christo in die palmarum ad detrahendum: vel de malo in malum: ut Judas exiit obviam Christo ad perdendum. *Psalm.*113. *&* 14.

3. *A triplici domo debet servus Dei exire.*

In exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo Barbaro. Nota, quod servi Dei debent exire de domo triplici, à mundo, à carne, & à propria voluntate: Mundus autem est domus carnis: caro domus propriæ voluntatis; & propria voluntas domus serpentis; & sic ab hoc Ægypto exeundo in domum Domini debemus intrare quæ est domus Jacob. *Psal.*113.

4. *Confessio fert secum plenam sanctificationem animæ.*

Facta est Iudæa sanctificatio ejus. Nota, quod Judæa dicitur facta sanctificatio Dei, quia per diversas gratias fuit à Deo sanctificata; sed mysticè, quia Judæa interpretatur confitens, datur intelligi, quod ubi intervenit confessio recta peccatorum, ibi concurrit sanctificatio plena animæ. *In Ioan. c.*4.*v.*4.

5. *Transitus de Ægypto in domum Iacob, scilicet Dei mysticè interpretatur.*

In exitu Israël de Ægypto facta est Iudæa sanctificatio. Nota mysteria, quæ in his verbis continentur: Ægyptus interpretatur tribulatio, & significatur infelicissimus status peccatoris, sub jugo Pharaonis, scilicet diaboli; quia in tali captivitate habetur tribulatio cordis, animæ, & corporis, & tandem gehennæ; qui verò ab Ægypto peccati transeunt in Israël, sub potestate Dei transeunt, & sanctificantur; ad quod quatuor concurrunt; scilicet timor mentem humilians, dolor carnem mortificans, spes dolentem beatificans, & amor currentem coronans. *Psal.*113.

6. Peccator est mare turbidum, rixis amarum, elatione tumidum, qui sæpè videns, & cognoscens furorem Dei, fugit per pœnitentiam ad ipsum Deum;& ideò dicitur mysticè : *Mare vidit,& fugit. Psal.113.*

7. *Idem fusius confirmatur.*

Mare vidit, & fugit, Iordanis conversus est retrorsum. Ergone mare habet oculos ut videre possit ? & quomodo Jordanis conversus est retrorsum ? sed attende,quod hoc dicitur figurative,quia divisæ sunt aquæ maris, & aquæ Iordanis sunt conversæ retrorsum ac si haberent sensum, quia omnes creaturæ obediunt creatori : mysticè autem datur intelligi, quod mare, scilicet peccatum fugit ad visionem, & concursum pœnitentiæ, & quia per Israël intelligitur virtus, per Jacob justitia, per hoc significatur,quod in adventu Israël,& Jacob fugiunt mare, & Jordanis, scilicet vitium, & peccatum,nam consuetudine benè faciendi, & actus exercitio consuetudo mala, & ipsum peccatum actuale recedunt, sieque sanatur spiritualiter homo.*Psal.113.*

8. *Montes, & colles spiritualiter quando dicuntur exultare in Domino.*

Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium. Nota, quod hic figuratè loquitur sacer textus, nam per montes intelliguntur contemplativi sublimes,& per colles illi, qui per fidei illuminationem ad superna conscendunt, & ideò colles isti ad similitudinem agnorum exultare dicuntur, quando immensa illa intimæ solemnitatis tripudia ad superna elevant supra semetipsos,itaut cœlestium secretorum arcana,saltem per speculum in ænigmate videre valent : montes verò quasi ad instar arietum exultant, quando majores contemplativi in jucunditatis suæ excessibus in pura, & simplici veritate vident.*Opusc.de 7.itin.atern.itin.3. d 4.& in sap.c.19.*

9. *Idem explicatur in laudem Virginum, Martyrum, & Confessorum.*

Montes exultaverunt ut arietes,& colles sicut agni ovium. Nota etiam quod hic mysticè datur intelligi triumphus Montium, & Collium: per montes intelliguntur Virgines, & Martyres, per colles pœnitentes, de quibus Ecclesia festum celebrat.*Psalm.113.*

10. *Ad præsentiam Dei fit motus in anima à malo ad bonum : ad præsentiam diaboli de bono in malum.*

A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Ecce responsio ad interrogationem supra factam de motu montium & collium : quasi dicat ista commotio de malo in bonum, de vitio in virtutem fit ad præsentiam Dei, nos invitantis ad stabilitatem:sicut è contra à facie diaboli fit commotio in malum,scilicet in voluntate, in delectatione,in opere.*Psal.113.*

11. *Festum triplex à nobis celebrandum proponitur.*

A facie Domini mota est terra &c. Quando dicitur mota terra à facie Domini? mota est à tristitia in lætitiam, nempe ad exultandum moti sunt montes, & colles. Per quod datur nobis intelligi, quando possumus celebrare triplex festum ad gloriam Dei,scilicet festum Virginum,mœrorem exhilarando observantia castitatis, festum Confessorum per puritatem confessionis, laudis, & peccatorum, & festum Martyrum, gaudendo in tribulatione, in spe resurrectionis.*Psal.113.*

12. *Homo per peccatum in petram convertitur, & per contritionem de petra in aquam.*

Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Nota hic quod alluditur ad miraculum factum à Deo per Moysen,quando bis percussa petra erupit in fontes aquarum, mysticè datur intelligi quænam sit ista petra & quis aquarum dfluxus cœlestis : nempè quod homo per peccatum convertitur in petram durissimam, & gravissimam : & è contra, quod ista petra ad percussionem virgæ, scilicet per tribulationes corporaliter,& spiritualiter per contritionem convertitur in fontes aquarum, scilicet lachrymarum : hic autem dignoscitur quænam sit ista petra tam dora,quæ non convertitur in aquam,scilicet quando homo persistit,& persistere vult in duritie peccati, nec percussionibus mutatur, quodque est signum reprobationis : illa verò quæ commovetur percussionibus virgæ Divinæ in aquarum fontes convertetur,quodque est signum prædestinationis *fer.3.Dom.1.post oct.epiph & ferm.5. in die cinerum.* Nota etiam, quod per hanc petram mysticè intelligitur stabilitas justorum : & è contra durities multorum, qui Christo nolunt se subjicere, ejusque dictis : Christus verò convertit petram in stagna aquarum, quando eorum mentem subjicit veritati fidei.*in Psal.113.*

13. *Vera humilitas non sibi, sed Deo omne bonum attribuit, & à Deo recognoscit.*

Unde veri humiles semper in ore resonare faciunt hæc verba digoissima *Non nobis Domine,non nobis,sed nomini tuo da gloriam.op.de prof. religios. lib.2.c.32.& serm.1.hom.post oct Epiph.*

14. *Voluntate absoluta Deus facit quidquid vult : non verò conditionata,& antecedente.*

Omnia quæcunque voluit fecit. Quomodo id est verum, cum Deus vult omnes homines salvos fieri, & tamen multi damnantur ? intellige hoc de voluntate absoluta, & consequente, non de conditionata, & antecedente, loquendo de actibus dependentibus à libertate hominis : de effectibus verò dependentibus à Deo absolutè verificatur hoc dictum.*l.1.d.46.a.1.q.1. & serm.1. Dom.3.post oct Epiph.& in Lucam c.9.v. 16.& in Psalm. 118. c.9.v.9.in sap.c.16.*

15. *Misericor*

15. *Misericordia Dei in hominem in tribus praecipuè enitet.*

*Super misericordia tua & veritate tua,&c.*Nota, quod hæc misericordia Dei in tribus præcipuè elucescit; nempè in expectando peccatorem : in justificando impium:& in præmiando ultra meritum. *Psal.*113.

16. *Idololatria multiplex hic damnatur.*

Simulachra gentium argentum , & aurum opera manuum hominum &c. Nota quod hic damnatur, & prohibetur idololatria, quæ est multiplex:prima,& principalis est Paganorum,qui colunt idola, & opera manuum hominum pro Deo:secunda est avarorum,qui quasi Deum adorant nummum: tertia est gulosorum , qui ventrem velut Deum adorant:quarta est hæreticorum,qui dogmata sua tanquam Dei sectantur , seu Judæorum qui suam legem , & traditiones tanquam veras sectantur. *Psal.* 13,*& op.Diet.sal.tit.*3.*c.*2. *& in sap. c.* 13. *& op.expos. Missæ c.* 4

17. *Deus noster est verus , & vivus,os habens,& oculos ut nobis subveniat,& exaudiat : Infideles habent Deos suos non loquentes , nec videntes , nec exaudientes.*

*Simulachra gentium &c.os habent,& non loquuntur oculos, &c.*Si ergo non loquuntur,nec audiunt ista,simulachra,quemodò exaudient orantes?Nos autem adoramus Deum vivum, & verum nos audientem,& exaudientem. *Op. expos. Missæ c. & Psalm.*113.

18. *Peccatum tollit usum sensuum interiorum,nempe oculorum,aurium, &c.*

Os habent, & non loquuntur, oculos &c. Nota , quod hoc etiam mysticè dicitur de Christianis, qui licet habeant fidem, tamen quia immersi vivunt in peccatis veluti simulachra sunt os habentia,nec valent loqui,oculos habentia sed absq; visu,& sic de singulis: quia peccata tollunt eis lumen,& usum potentiarum interiorum , & ideò non valeont ad superiora se erigere. *Op. de* 7. *itiner æternit.itin.*6.*d.*4.*& itin.*2.*d.*3.*& ser.*1. *hom.*24. *post pentec.& in sap.c* 15 *& c.*16.*& c.*11. *& op. diet. tit.*1.*c.*7. Vide ergo qualis infirmitas est hæc , & quàm miserabilis perversitas : quia peccator jam insensibilis prorsus fit, & quasi deterior simulachris : habens oculos , & non videns , aures & non audiens,rationem,& non discernens. *Op.* 25. *memorialia : in Lucam c.*3.*v.*8.

19. *Impij pedes habent, & non ambulant : justi pedes habent , & ambulant.*

Pedes habent , & non ambulabunt. Quinam sunt isti? qui sunt simulachra ? scilicet Christiani , & religiosi nomine tantum , isti pedes scilicet cognitionem , & affectum habent , sed non ambulant : Iusti verò ambulant de virtute in virtutem ad Deum, *in Psal.*113.

20. *Iusti benedicti benedictione dextera.*

Benedicti vos à Domino,&c. scilicet benedictione dexteræ,non sinistræ:nempe collatione gratiæ, & gloriæ. *Psalm* 66.

21. *Prælati dicuntur cœlum cœlorum.*

Cœlum Cœli Domino &c. Quodnam est hoc cœlum cœli scilicet celans alios cœlos ? sunt Prælati,qui celant,& continent arcana cœlestia : ornati sunt stellis virtutum , & influunt rorem doctrinæ. *Psal.*113.& hoc propriè competit Christo. *Psal.*17.

22. *Vivi tantum dignè laudant Deum , non mortui &c.*

Non mortui laudabunt te Domine &c. sed nos qui vivimus &c. Ecce quomodò tantum qui Deo · ivunt in gratia sua dignè laudant Deum:non verò mortui peccato.*in Lucam c.*7.*v.*15.*& c.*16.*in fine.*

23. *Applicatur oratio hujus Psalmi ad impetrandam à Maria Virgine assistentiam pro exitu animæ ab Ægypto hujus Mundi.*

In exitu animæ meæ de hoc mundo , occurre illi Domina Virgo & suscipe eam:consolare eam vultu sancto tuo:aspectus dæmonum non conturbet illam,esto illi scala ad regnum Cœlorum, & iter rectum ad Paradisum Dei.Impetra & à Patre indulgentiam pacis , & sedem lucis inter sanctos Dei:sustine devotos ante tribunal Christi:suscipe causam eorum in manibus tuis. *Op.psalt. B.Virg. Psalm.*113. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

24. *A facie Dei,scilicet ad adventum verbi in terram scilicet in Mariam mota est Maria, quia repleta est gratia , & luce cœlesti.*

A facie Domini mota est terra,à facie Dei Iacob. Mysticè per terram intelligitur Maria , quæ fuit terra semper benedicta ; hæc terra mota est à facie Domini, scilicet repleta est gloria Domini in Cœlo sicut in terra plenitudine gratiarum. *Op. spec. B.Virg.lec.*3.

25. *Maria Virgo Petra durissima super quam fundata est Ecclesia, & à qua fontes aquarum derivant.*

Qui convertit petram in stagna aquarum. Nota quod sicut per petram Deus providet populo suo fontes aquarum , ita & providet Deus Ecclesiam petra mystica , scilicet Maria super quam fundata est , & per quam derivant fontes aquarum toti mundo , & per quam defenditur populus Dei à dæmonum insultatione. *serm.* 1. *de Beat. Virg. & op. litan.Beat. Virgin. & in Lucam ca.* 11, *vers.*23.

26. *Per exaltationem nominis, & virtutum B. M. V. glorificatur nomen Christi Iesu.*

Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ecce quod omnia referenda sunt ad glorificationem nominis Jesu: sed attende, quod nomen Mariæ est nomen famosissimum, dignissimum, utilissimum, & efficacissimum, per quod exaltatur mirabiliter nomen Jesu Christi: & hinc dixit Angelus Mariæ: *Dominus tecum*: id est, tecum nominatissimus, & famosissimus, ideò celeberrimum est nomen Mariæ. *Opusc. spec. B. Virg. lect 9.*

27. *Simulachra, & imagines Mariæ Virginis non sunt sicut gentilium, quæ os habent, & non loquuntur, oculos & non vident.*

Simulachra gentium &c. opera manuum &c. os habent &c & non loquuntur, oculos &c. Nota hic, quod eliditur error gentilium, qui deitatem venerantur in Idolis, nec per hoc damnatur veneratio imaginum Christi, & Sanctorum, & præcipuè B. Virginis Mariæ, quæ dignæ sunt veneratione, cum eorum adoratio, & veneratio terminet ad prototypum, & sit introducta in Ecclesia ad nostram maximam utilitatem corporaliter, & spiritualiter: quare nomen, & memoriale Mariæ sit in medio nostri, & non nocebit nobis ictus malignantis. *Op. Psalt. B. V. Ps. 114. & l. 3. d. 9. a. 1. q. 1.* Et hinc de imaginibus B. Virg. potest dici aliqualiter, quod os habent, & loquantur, oculos, & vident, aures & audiunt, manus & operantur, pedes, & ambulant, scilicet Maria ipsis sua virtute assistit loquens, videns, audiens, operans, & ambulans ad nostrum auxilium ferendum: Nam oculi Mariæ in pauperem respiciunt: manusque ejus ad pupillum, & viduam sunt extensæ: tactu ejus lenissimo sanantur infirmi: os ejus loquitur pro nobis, indignationem filii à nobis avertens. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 10. & 13. & 14.*

28. *Maria ut cœlum cœli sedes est Dei: ut terra benedicta dat nobis omnem fructum.*

Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Quomodo dicitur quod cœlum cœli Domino competit, & hominibus terram dedit? nonne, & terram, & cœlum creavit pro nobis? Sed nota, quod Maria dicitur cœlum cœli, scilicet Empyreum, & ut tale est, quia cœlesti puritate, cœlesti charitate, & cœlestibus aliis virtutibus abundavit, sedes erat Dei altissima. Ut terra benedicta etiam posita est, ut fructum cœlestem nobis produceret, & ab ea omne bonum haberemus. *Opusc. spec. B. Virg. lec 5.*



PSALMUS CXIV.

Titulus: Alleluia.

1. PRIMÒ Nota, quod in hoc psalmo invitantur homines ad Deum laudandum; nam laus Christi dignissima est propter immensitatem rei, & propter rei jucunditatem, & propter continuationem, est enim pretium laborum in hac vita, & præmium operum bonorum in patria: dum enim sumus peregrini in terra, in qua ut tales sumus subjecti laboribus, paupertati, & instabilitati status, & remotioni à patria, debemus incumbere laudibus Dei, ut continuemus eas in cœlo. *Psalmo 114.*

2. *Oratio diligenda, & exercenda veluti medium necessarium ad obtinendum quicquid desideramus.*

Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ, quia inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo &c. Audi, & nota quid hic dicit sanctus Propheta: exaltat enim orationem, dicens dilexi, scilicet Deum, ad quem totam meam orationem dirigam; ut videas, quod Deus vult orari non solùm pro eo, quod ante dare disposuit, sed ut plus orando mereamur per fidem, qua credimus, quod non videmus: per spem qua obtinere confidimus petita: per charitatem, qua exauditorem amplius amemus. *Opuscul. de profess. religios. libro secundo, capite sexagesimo sexto.*

3. *Missio filii Dei in carnem fuit maxima humiliatio, & condescensio.*

Quia inclinavit aurem suam mihi &c. Quid est inclinatio auris Dei? habetne aures? Inclinavit se Deus exaudiens preces, & desideria suorum servorum, mittendo suum filium in carnem: & hac missione inclinavit seipsum humiliando, & exinaniendo se formam servi accipiens. *Psal. 114.*

4. *Humilitate liberatur homo ab omni tribulatione & præsentis, & futuræ vitæ.*

Circumdederunt me dolores mortis & pericula inferni invenerunt me: tribulationem, & dolorem inveni &c. Ecce quot mala circumdederunt virum justum, nempè pericula peccatorum, & mala præsentis vitæ, & pericula inferni: sed quomodo evasisti ô David? Audi quod subdit: *humiliatus sum, & liberavit me*: ecce quomodo homo per humilitatem à malo liberatur, in bono adjuvatur, & in Cœlo exaltatur. *fer. 3. Dom. 16. post Pent.*

5. *Felix qui propter Christum invenit tribulationem, & dolorem, quia qui quærit invenit: Infelix qui propter diabolum &c.*

Tribulationem, & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi &c. Quomodo invenit tribulationem? & si invenit, ergo quæsivit, nam invenire

est

est actus studii, & diligentiæ: & quis est qui se quærat mala? Sed nota, quod diligentes Deum propter Christum quærunt, & amant tribulationem & dolorem, & ipsum inveniunt,& in tribulatione inveniunt Deum in suum profectum: qui verò vitia sectantur, quærunt mala,& inveniuntur ab ipsis in sui exitium. *Psalt.* 114. & 130.

6. *Deus mirabiliter custodit humiles obedientes: dejicit ad terram superbos.*

Custodiens parvulos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram. Cur Deus custodit parvulos? quia obedientes Deo, & Prælatis: & è contra inobedientes superbos dejicit ad terram. *Ser. 1. de S. Antonio Patav. & ser. 2. de uno confessore: in Lucam c. 4. v. 39. & c. 14. v. 11.*

7. *Solùm justi habent requiem, & festo fruuntur; non vero impii.*

Convertere anima mea in requiem tuam. Sed ubi invenitur hæc requies? Sed nota, quod addit: *quia Dominus benefecit tibi*: in quo? quia eripuisti animam meam de morte, scilicet in conversione: & oculos meos à lachrymis in consolatione: & pedes meos à lapsu in tentatione, hæc tria afferunt animæ veram requiem; & ideò dicit vir justus convertere anima mea, scilicet anima mea convertere & reduc te in requiem tuam, quam Deus tibi attulit auferendo peccatum, & conferendo gratiam, quia solùm per remissionem peccatorum, & receptionem gratiæ Dei potest haberi vera requies; & ideò nullus homo malus potest habere festum. *Sermon. 1. in Sabbato sancto: in Lucam cap. 1. vers. 71. & Psal. 55 & 56. & 114.*

8. *Solùm qui moritur sibi ipsi, & mundo per raptum contemplationis requiem perfectam invenit.*

Convertere anima mea in requiem tuam. Quid est quod à Deo petis ô Propheta? petis mortem, non quidem illam, qua corpus rem net sine vita; non illam, qua à corpore separatur anima: sed illam mortem spiritualem, qua anima coelestis his exterioribus, & caducis se totam transfert in Deum, ejusque præsentiam &c. *Opusc. medit. vita Christi c. 49.*

9. *Ubi est Christus, ibi vita est, & mors exultat.*

Placebo Domino in regione vivorum. Quænam est hæc regio? hæc est vita spiritualis, ac gratia: in qua regione quia Deus ibi adest est vita, & ibi exultatio mortis, hoc maximè in coelesti gloria erit. *In Ioan. collat. 75.*

10. *Trahitur sensus hujus Psalmi ad personam devoti servi B. Virginis, & ad beneficia, quæ ab ipsa B. Virg. continuè recipit.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Dilexi Matrem Dei Domini mei, & lux miserationum ejus infulsit mihi: circumdederunt me dolores mortis, & visitatio Mariæ lætificavit me: dolorem, & periculum inveni, & recreatus sum gratia illius: Nomen ejus, & memoriale illius sit in medio cordis nostri, & non nocebit nobis ictus malignantis: convertere anima in laudem ipsius, & invenies refrigerium in novissimis tuis. *Opusc. Psalt. Beat. Virgin. Psalm. 114.*



PSALMUS CXV.

Titulus: Alleluia.

1. PRIMÒ Nota, quod in hoc Psalmo laus Deo defertur pro victoria Martyrum, agiturque ex professo de ipsorum constantia.

2. *Vera cordis fides debet foras exprimi.*

Credidi propter quod locutus sum. Nota, quod hic exprimitur fides servorum Dei perfecta: dicitur enim in persona ipsorum, *credidi*, in tempore perfecto, ut ostendatur fides perfecta, quam exprimunt tempore necessitatis absque ullo timore: fides autem debet esse fidelis, integra, firma, & voluntaria; Integra quantùm ad factorum, & miraculorum plenitudinem, & quoad omnes articulos: inviolata quantum ad errorem, & hæresum vitationem, ne sit fides adultera, nam fides est virginitas mentis incorrupta: firma per certitudinem, alioquin erit fides diaboli, qui credit, sed non fideliter, & tandem voluntaria debet esse. *Psalm. 15. & Psalm. 18. & 84. & in Lucam cap. 1. vers. 36.*

3. *Confessionem vocalem fidei quænam impediunt.*

Credidi propter quod locutus sum. Scilicet Verbis extremis: quia impedimenta talis verbalis confessionis vitavi: hæc autem sunt quatuor, scilicet timor, ut evenit in Petro habente fidem in corde, sed negante ore: impotentia, ut in Hieremia, qui dicebat A, A, A, Domine nescio loqui: negligentia, & malitia in anima. *Psal. 115.*

4. *Excessus mentis quid, & quotuplex.*

Ego dixi in excessu meo scilicet mentis mea. Nota hic, quod excessus mentis fit tribus modis: primò in natura per mentis dilatationem, quæ fit quando mentis acies latius diffunditur super mysteria meditata, absque eo tamen, quod metas industriæ humanæ non supergrediatur, quod fit simplici meditatione: secundò in animo mentis sublevatione, quando mentis vivacitas gratia Dei illustrata humanæ industriæ metas excedit, absque tamen mentis alienatione: quæ alienatio mentis est tertius gradus, estque quando ad supernum, & peregrinum statum elevatur, & in divinæ operationis transfigurationem ex unione transit: primus modus est industriæ humanæ: secundus est permixtus ex gratia, & industria; tertius ex sola gratia. *Psalm. 115.*

5. *Omnis homo quomodò dicitur mendax.*

Ego dixi &c. omnis homo mendax. Quomodò dicitur omnis homo mendax? nonne alibi dicitur, quod Deus perdet omnes, qui loquuntur mendacium, ergo omnes homines perdet Deus? Sed nota, quod est mendacium in ore: est mendacium in re, & hoc est ipsa vanitas, quæ dicitur

de omni homine, quia ſolus Deus eſt immutabilis, & ſtabilis: & etiam quia omnis homo eſt peccans, ergo mendax. *Pſalm. 50. & 56. & in Ioann. c. 3. verſ. 3.*

6. *Beneficiorum à Deo receptorum memoria frequenter habenda: unde Propheta dicit.*

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Nota illud, *retribuit*, id eſt non ſolùm tribuit, ſed receptis beneficiis retribuit in recreatione, in exhibitione ſui in Eucharistia, in tot aliis innumeris beneficiis, pro quibus debitor ſum mei Deo, & nihil niſi quod eſt ipſius Dei poſſum rependere. *In ſap. c. 3. op. medit. vita Chriſti. cap. 37 in Pſal. 11. op. inſtructio ſacerd. in Lucam c. 14. v. 31. & c. 17. v. 10.*

7. *Idem confirmatur pro memoria habenda de beneficiis Dei.*

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nota, quod expendens vir juſtus tot beneficia à Deo recepta ſeipſum interrogat, quid retribuam Domino? q. d. nihil poſſum retribuere pro gratitudine debita: nihil eſt quod facimus in comparatione ejus, quod recipimus, & Deo debemus: qui venit miniſtrare, & non miniſtrari, nos debitores ſibi fecit, ne noſtris operibus confidentes, ſed ejus examen expaveſcentes, omnibus quæ præcepta ſunt impletis, nos imperfectos eſſe cognoſcamus. Nota, quod hic modus eſt excellentiſſimus pro actione gratiarum de beneficiis Dei. *In Lucam c. 17. v. 10.*

8. *Deo quod retribuimus, totum eſt ipſius Dei; pro beneficiis nobis ab ipſo collatis.*

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Quid eſt calicem ſalutaris? calix iſte eſt calix Jeſu Chriſti: q. d. Id quod Chriſto pro beneficiis mihi collatis volo retribuere eſt totum ipſius Dei: & ſi aliqua pro ipſo ſuſtinere voluero plus eſt incomparabiliter, quod ipſe pro me ſuſtinuit: Calicem igitur Jeſu Chriſti accipiam, ſcilicet paſſionem in corpore ſuſtinebo, & in corde ſuperabundantem gratiam ipſius conſervabo, & nomen Domini invocabo, ſcilicet in ore laudes ejus decantabo, & totum meipſum ipſi conſervabo. *In Lucam c. 14. v. 31. & op. inſtruct. ſacerd. in fine, & in Pſal. 115.*

9. *Sumptio devota Sacramenti Euchariſtici, & invocatio, devotioque erga nomen Sanctiſſimum Jeſus eſt exercitium majus fidei, humilitatis, & recognitionis beneficiorum, quæ à Deo recipimus, quod poſſit haberi à nobis.*

Calicem ſalutaris accipiam &c. Ecce quid eſt, quod nobis proponitur Deo retribuendum pro tot beneficiis, quæ nobis contulit: nempè ſumptio calicis Chriſti Jeſu, ſcilicet Euchariſtiæ: nam in hac ſumptione magis Deo unimur quam cæteris aliis mediis; in ipſa recolliguntur omnia alia ſacrificia: ibi exercitium fidei, humilitatis, ſpei, charitatis, & omnium virtutum; idem dic ſuo modo de invocatione, & devotione nominis Jeſu. *lib. 4. d. 10. p. 1. a. 1. q. 1.* Vide ergo, quod nil dignius habemus reddere Deo pro omnibus, quæ nobis tribuit, quàm calicem ſalutaris accipere, id eſt, ipſum Jeſum in Euchariſtia. *Opuſc. de profeſſ. religioſ. l. 2. c. 78.*

10. *Votorum religioſorum obſervantia qualia bona afferat animæ.*

Vota mea Domino reddam &c. Nota, quod præmiſſo propoſito ſumendi calicem Chriſti, & nomen Domini invocandi ſubdit: *vota mea reddam:* quid eſt hoc, quod prætendit vir juſtus? ſed attende, quod tota perfectio viri religioſi conſiſtit in obſervantia trium votorum: nam per votum obedientiæ declinatur ſuperbia vitæ, ſcilicet propriæ voluntatis: per votum paupertatis vincitur concupiſcentia oculorum: per votum caſtitatis concupiſcentia carnis: & iſte eſt calix Chriſti, qui pro Chriſto ſumitur bibendus, & hinc elevatur anima per vitam activam, & contemplativam ad Deum; ideò ſubditur, *& nomen Domini invocabo. op. Apolog. pauperum, reſp. 1. c. 3.*

11. *Servus Dei ſeipſum offerendo Deo, offert vota ſua Deo.*

Vota mea Domino reddam &c. Quid eſt vota mea? id eſt vota, quæ ſunt in me, & quænam ſunt iſta? id eſt meipſum, animam meam, quæ eſt imago Dei: quia hæc imago reddenda eſt Deo in morte in conſpectu omnis populi Dei, id eſt omnium ſanctorum, in quorum conſortium reddere Deo debemus animam: & bonum mors pretioſa eſt in conſpectu Dei: ex oppoſito impii reddunt animam ſuam non Deo, ſed diabolo, quia eorum imago eſt adulterata *ſer. 3. Dom. 21. poſt Pent.*

12. *Mors Sanctorum pretioſa in conſpectu Domini, licet aliquando opprobrioſa videatur in conſpectu hominum: è contra mors peccatorum peſſima apud Deum, licet pretioſa videatur apud homines.*

Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Nota verba: ſigna Myſteria: dicit enim, quod mors ſanctorum eſt pretioſa in conſpectu Domini: quinam ſunt iſti ſancti? ſancti, id eſt, qui ordinant ſuam vitam ad rectam, & ſanctam mortem: qui ſanctè vivunt ut ſanctè moriantur; qualis enim eſt vita, talis finis: iſtorumque mors eſt pretioſa in conſpectu Domini, non dicit in conſpectu hominum: quia iſtorum mors aliquando eſt opprobrioſa apparenter in conſpectu mundi, ut fuit in paupere Lazaro: eſt autem pretioſa, id eſt tranſitus de labore, de vita mortali, de pœnis, & tribulationibus, & introitus in vetam vitam, in requiem, in ſecuritatem, in abundantiam ad claritatem, ad pacem. & ſocietatem ſanctorum, & ad æternitatem: E contra mors peccatorum peſſima in conſpectu Domini, licèt videatur pretioſa aliquando apud homines ut fuit in divite Epulone, ô beati qui morte pretioſa moriuntur, quia talis dies eſt ipſis dies natalitius. *Pſal. 108 & 117. & op. medit. vita Chriſti c. 2. & op. Collatio. de contempta ſaeculi, & op. Phar. lib. 3. c. 48. & l. 3. d. 20. d. b 4.*

13. Mors

13. *Mors Christi pretiosa.*

Mors sanctorum ejus pretiosa. Si ergo pretiosissima est mors sancti sanctorum, scilicet Christi: si enim apud Deum mors sanctorum est pretiosa, quia patiuntur, & moriuntur pro Christo: ergo multo magis gloriosa debet esse in conspectu nostro Mors Christi, cum ipse pro nobis tam patienter mortuus sit. *op. stim.p* 1 *c.*15 Pretiosissima autem fuit mors Christi, quia strenuissimè, & virtuosissimè illam pro nobis sustinuit, & quia pro redemptione hominum, & quia pro veritate dicenda. *lib.*3.*d.*20.*dub.*4.

14. *Christus sua morte dirupit vincula nostra.*

Dirupisti Domine vincula mea &c. Quis, & quando dirupit Deus ista vincula? Dirupit sua morte Christus vincula nostra, quia nos redemit, in qua morte concurrit humilitas sine modo, opus sine exemplo, gratia sine merito, & donum sine pretio: in opere potentia: in humilitate castitas, bonitas in gratia, & largitas in munere. *Psal.*115.

15. *Traditur modus, quo anima mori possit his creatis, & in solum Deum ferri per unionem perfectissimam.*

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis &c. vota mea Domino &c. Quænam sunt ista vincula disrupta, post quod exurgit Propheta ad sacrificandum otandum, & offerendum vota sua? vota hæc sunt omnia sensibilia, & creata, quæ vera sunt vincula constringentia animam, & impedientia unionem perfectissimam cum Deo: unde vir contemplativus disruptis vinculis fertur in Deum per viam unitivam. ibique sua vota, sacrificia, & laudes perfectè Deo offert. *Op. myst. Theol.c.*3.*p.*4.

16. *Diabolus illaqueat hominem vinculis peccati, Christus ipsum solvit per contritionem, & pœnitentiam.*

Dirupisti Domine vincula mea. O felix, qui verè potest hæc dicere Deo: sed quis est? ille est, qui actibus interioribus contritionis ad Deum recurrit, petens veniam peccatorum; tunc enim Deus ipsum liberat, & solvit à vinculis peccati, & à potestate Sathanæ, & inde infundit gratiam Spiritus Sancti, tuncque potest cum fructu sacrificare hostiam laudis. *in Lucam c.*13.*v.*16.

17. *Fides de sublimitatibus, & prærogativis Mariæ Virginis attrahit animam ad ipsam laudandam.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Credidi propter quod locutus sum &c* Si fides de Deo excitat animam ad Deum ore laudandum: ergo & fides de Mariæ Virginis magnitudine, virtutibus, & privilegiis excitare nos debet ad laudes ejus, & ad prædicandum ejus virtutes: ita ut quisque possit vere dicere credidi propter quod locutus sum gloriam tuam Domina orbis terræ. *Opusc. Psalt.B.Virg.Psal.*115.

18. *Fides Mariæ Virginis disposuit eam ad assensum Incarnationis.*

Credidi propter quod locutus sum. Si hoc dicit omnis vir justus, multò magis hoc Maria Virgo, quia credidit verbis Angeli annuntiantis Incarnationem. propter quod locuta est dicens: *ecce Ancilla Domini, &c.* & ideò prius concepit Verbum mente, quàm ventre. *in Lucam c.*1.*v.*38.

19. *Vota nostra debemus reddere non solùm Deo, sed & Beatæ Virgini.*

Vota mea Domino reddam. Et non solùm Deo, sed & B. Virgini Mariæ: imò vota Deo reddenda priùs ad Virginem Mariam debent dirigi, quia qui vult invenire Christum recurrat ad Mariam: offeramus igitur Mariæ hæc vota nostra dicentes: compatere ò Virgo animæ meæ, & dirige illam, dignare beneplacitum tuum insinuare illi, statue illi testamentum pacis, & dilectionis tuæ; de benedictione ventris tui da mihi sustentationem, & de pinguedine gratiæ tuæ dulcora animam meam: disrumpe vincula peccatorum meorum. & de virtutibus exorna animam meam. *Op.* *Psalt. B.Virg. Psal.*115.

20. *Qui vult dignè gratias pro collatis beneficiis Deo referre, calicem salutaris accipiat, scilicet Mariam, ejusque suffragia: est enim calix salutaris.*

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam. Quis est iste calix salutaris scilicet Christi? Nota, quod Calix iste mysticè est Maria Virgo, quæ nectar orbi propinavit: hunc calicem assume, ipsumque Deo offer pro gratiarum actione. *Opusc. Psalt. Min. quinquag.*2.

21. *Qui ut servus, & filius Mariæ Deo se exhibet, obtinet disruptionem vinculorum peccati, & gratiam Spiritus Sancti.*

O Domine quia ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo &c. Quæ est hæc ancilla, cujus filius se esse iste servus Dei profitetur? Hæc est Beata Virgo Maria, quæ de seipsa dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum, op. spec. B.V. lect* 10. qui igitur se Deo præsentat ut filius spiritualis hujus ancillæ, & vota sua Deo grata exhibet, & disruptionem vinculorum peccatorum obtinebit, & gratiam Spiritus Sancti, & ornatum omnium virtutum. *Op. Psalt. B.Virg. Psal.*115.



PSALMUS CXVI.

Titulus: Alleluia.

1. PRimò. Nota, quod hic Psalmus est omnium brevissimus, & sine divisione, quia & titulus, & totus Psalmus nihil aliud sonat, nisi excitationem populi Judaici, & gentilis ad Deum laudandum, & hinc advertе quod ad tædium fugandum Propheta modò

dò Pſalmos longos, modò breviores decantabat. *Pſalm.116.*

2. *Miſericordia Dei ſuper nos promiſſa, data, & confirmata per Chriſtum, & veritas Domini manet in æternum ſcil. in gloria.*

Laudate Dominum &c. quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas &c. Nota, quod omnes invitantur ad Deum laudandum: & cur? quia miſericordia Dei quam nobis promiſit eſt data per adventum Chriſti, & confirmata in Eccleſia in die Pentecoſtes: & veritas Domini beatificans electos manet in æternum. *In Lucam cap.16. verſ.15.& Pſal.116.* Vel dicendum, quod miſericordia fuit confirmata ſuper nos, quando veritas incarnata fuit in Cruce firmata: veritas ibi fuit, quia ſolvit quod ſolvere promiſerat: & illa veritas manet in æternum. *Pſal.118. c.9.v.20. & c.10.v.11.*

3. *Laus Mariæ ſuadetur ob miſericordiam quam in omnes exercet.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Laudate Dominum omnes gentes &c* Et quia laus Mariæ eſt laus filii: ideò rectè verti poſſunt verba Pſalmi ad Mariam tali pacto: Laudate Dominam noſtram omnes gentes, glorificate eam omnes populi; quoniam confirmata eſt ſuper nos gratia, & miſericordia ejus, & veritas illius permanet in æternum. Sed quænam veritas eſt hæc? Sed attende: qui digne coluerit eam juſtificabitur, qui illam neglexerit morietur in peccatis ſuis: labia Angelorum enarrabunt ſapientiam ejus, & omnes cives Paradiſi cantabunt ejus laudem: bono animo accedentes ad illam non capientur ab Angelo devaſtante. *Opuſcul.Pſalt. B. Virg. Pſalm.116.*



PSALMUS CXVII.

Titulus: Alleluia.

1. PRIMÒ Nota, quod in iſto Pſalmo invitantur fideles ad confeſſionem, ſcilicet laudis, & peccatorum propter confirmationem miſericordiæ Divinæ ſuper nos, & Eccleſiam mediante Incarnatione Verbi: & inde moventur ad confitendum Deo ſoli. *Pſalm.117.*

2. *Juſti in anguſtia habent latitudinem impii in via lata anguſtiam perpetuam.*

De tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus. Quomodò poteſt dici verè, quod iſte exiſtens in anguſtia, & tribulatione maxima fuerit exauditus in latitudine? ſi anguſtiatus invocabat Dominum, quomodò dicitur exiſtens in latitudine, & exauditus, & non potius exauditus in tali anguſtia? Sed vide artem Dei; qui cum exponat ſervos ſuos in anguſtias, & eos incedere faciat per viam arctam, & anguſtam, tamen in tali inceſſu eos experiri facit latitudinem abſque anguſtia: latitudinem inquam magnam in charitate: quæ habet trinam dimenſionem; nempe latitudinem per extenſionem ad amicos, & inimicos: altitudinem quia ad Deum pertingunt: & longitudinem per perſeverantiam: è contra impii contendentes incedere per viam latam perditionis in hoc itinere ſolùm experiuntur anguſtias, & tribulationes veras: quare via juſtorum eſt in anguſtiis apparenter tantùm, ſed verè in dulcedine, & latitudine: Via impiorum eſt in latitudine apparenter tantùm, & re in anguſtiis, & afflictionibus veris. *Pſalm.117.*

3. *Confidentia in Deum firma quanta, & qualis efficacia, ejuſque utilitas in hominem.*

Dominus mihi adjutor non timebo quid faciat mihi homo: Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos: bonum eſt confidere &c. Vide effectus mirabiles perfectæ confidentiæ in Deum; nam in his verbis dat Propheta nobis intelligere, quod confidentes in Deum nihil habemus timere, nec diabolum, nec hoſtem viſibilem, vel inviſibilem: quis enim habens ſecum regem invictum poteſt timere? ſic S. Martinus exiſtens in maxima neceſſitate, & periculo mortis imminentis profitebatur ſe nihil timere ob confidentiam, quam in Deum habebat, ſciens Deum in neceſſitatibus affuturum, & auxilium præbiturum. *Sermon.6. de Apoſtol. & ſermon.4. de pluribus Mart. & ſermon. 4. Dedicat. Pſalm. 118. cap.5. verſ.8.*

4. *Ubi eſt Ieſus non eſt timendum, quia ſua virtute portat omnia.*

Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos Ex quibus infertur quod ubi eſt Jeſus ibi non eſt malum vel periculum: nam ſua virtute portat omnia, & nos ab omni malo defendit. *In Ioan. c.6. v.20.*

5. *Confugiens ad orationem in tribulatione poſitus exauditur à Deo.*

Dominus mihi adjutor, non timebo &c. Cur non timebis? quia de tribulatione invocavi Dominum: vide ergo quod exiſtens in tribulatione confugiens ad orationem exauditur à Deo, quia cum tribulato ipſe adeſt. *Ser.4. in dedicat.* Nota etiam, quod totis viribus debet homo conſervare devotionem ad Deum, quia cum hac nullam virtutem habent cæteræ tentationes, itaut poteſt quiſque dicere, Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos. *Op. de prof. religioſ. lib.2. c.2.*

6. *Bonum eſt confidere, & ſperare in Domino, non in hominibus.*

Bonum eſt confidere in Domino, & non in hominibus &c. Vide quomodò tota confidentia, & ſpes tua debet eſſe in Deo, non in creaturis, nec principibus; & ratio eſt, quia omnia creata vana, deficientia, & caduca ſunt: ſolus Deus firmus, ſtabilis, & fidelis. *Ser.1. de uno Confeſſ.*

7. *Sicut Iudæi circumdederunt Christum, ut ipsum læderent, sicut apes aculeo malignitatis, sic vitia circumdant animam.*

Omnes gentes circuierunt me, &c. circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. Nota, quod ad litteram hæc dicuntur à Christo, qui circundatus fuit ab inimicis, ut ipsum aculeo malignitatis læderent, & occiderent; tamen ultus est in eos, multos ex ipsis convertendo, & reducendo ad pœnitentiam, ut vindicarent in seipsis peccata commissa: sic & vitia circumdant animam quasi apes colligendo mel delectationum, & aculeum remorsionis in conscientia relinquendo, ut eam spiritualiter occidant: dicuntur autem exardescere peccatores sicut ignis in spinis scilicet peccatorum, quæ sunt veræ spinæ lacerantes eos. *ferm.3.Dom 9.post Pentec. & in Psalm. 118.& 11 .& in Thren.c.3.*

8. *Deus adjuvat confidentes in se, etiamsi videantur cadentes.*

Unde dicebat justus: *impulsus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. Psal. 55.& 118.v.113.*

9. *Qui Deum habet pro se fortis fit, & constans contra omnem impetum hostium.*

Vnde hic dicitur: *fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem*: nam à Deo, qui est ipsa fortitudo provenit omnis fortitudo: *fer.1.de S. Agnet.& fer.de S.Agatha.* Nota autem quod dicit: *fortitudo mea Dominus*: quasi diceret quia à meipso defeci, infirmus sum, & destitutus, ideò confidens in Deo factus est ipse fortitudo mea ad bonum fidei servandum Christo: ad omne temporale subsidium contemnendum, ad omne genus supplicij perferendum, & ad finaliter perseverandum in bono, & hinc laus mea Dominus, idest laudo continue Deum meum pro tot acceptis beneficiis: hæc dicebant sancti. *ferm. de S. Agatha.*

10. *In tabernaculis justorum est vox exultationis, & mœroris, simulque salutis: in tabernaculis impiorum est vox exultationis, & mœroris, & simul perditionis.*

Vox exultationis, & salutis in tabernaculis justorum. Nota, quod hæc dicuntur ad differentiam impiorum, nam in tabernaculis justorum auditur quædam vox exultationis, & etiam mœroris, sed sequitur salus, & gloria: in tabernaculis impiorum est vox exultationis & aliquando mœroris, sed ad hæc sequitur perditio. *Psal.117.*

11. *Pater æternus per filium suum tanquam per dexteram fecit virtutem nos protegendo, & defendendo ab inimicis nostris, & exaltando ad statum salutis.*

Unde hic dicitur: *dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Psal.97.& ep.Ae. invisibil. Dei in Lucam c.8.v.54.*

12. *Vita justorum in hoc Mundo est mors vitalis: in patria est vita vitalis: vita malorum est vita mortalis, in inferno est mors mortalis.*

Non moriar sed vivam, & narrabo opera Domini &c. Nota hæc dicuntur primò in persona Christi: secundò in persona justorum; sed quomodò id potest verè dici, cum etiam Christus subjectus fuerit morti? sed respondetur, quod justorum mors est tantùm apparens, qua in hac vita sunt quidem subjecti morti, sed tamen vitali, nempe transitui ad vitam, & in patria expertes mortis, sed viventes in æternum: è contra impij vivunt, sed tamen in continua morte peccati, unde eorum vita est mortalis, scilicet velut in continua morte, & magis in Inferno. *Psal.1.7. & in Lucam c.2.v 26.& fer.6.in Pascha.*

13. *Sine veste justitiæ nullus potest intrare portas Cœli.*

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino; hæc porta Domini, justi intrabunt in eam. Quænam sunt istæ portæ justitiæ, & quis est, qui præcipit ut aperiantur? Nota, quod hæ portæ sunt cœli, & dicuntur justitiæ, quia in eas nemo potest intrare sine veste justitiæ, scilicet pœnitentiæ, & reconciliationis: has portas aperuit Christus sua morte, & ideò præcedentibus meritis Christi, justus liberè potest dicere Angelis, aperite mihi has portas, & ingressus in eas confitebor Domino: *fer 3. in vigil. Nativit.* Vide igitur qualis gratia est ista: nam anima de proprio domicilio corporis expelletur, ut palatium cœli ei aperiatur. *fer.10.de rogat.*

14. *Portæ justitiæ, per quas anima claritate fidei intrat in cognitionem mysteriorum Dei sunt duodecim.*

Aperite mihi portas justitiæ &c. justi intrabunt in eam. Nota, quod hic innuuntur privilegia fidei, & animæ, per lumen fidei intrantis in abdita mysteria Dei. Portæ sunt istæ, quæ ostensæ fuerunt S. Joanni in Apocalipsi, quæ sunt duodecim habentes singulæ Margaritam fulgentem sicut stellam: suntque fides de Deo secundum esse, de Deo uno, & trino: de Deo ut exemplari rerum, ut creatore Mundi, ut formante animam, ut dante spiritum, ut carni unito, ut crucifixo, ut medela mentium, ut vitali pabulo in Sacramento, ut ultore scelerum, ut præmio æterno: istæque duodecim speculationes sunt illæ, per quas anima intrat in absondita Dei. *fer. 10. Hexaem.*

15. *Quia Iudæi Christum nostrum caput amputaverunt, ideò infatuati.*

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes hic factus est in caput anguli. à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quis est lapis iste reprobatus factus, & positus ut caput anguli? nota, quod in ædificatione Templi erat lapis, cui non puterat locus aptus inveniri, nisi in consummatione in angulo duorum parietum, & ubi locum aptum invenit: & significabat Christum, qui factus est caput anguli duorum parietum, scilicet Judæorum, & Gentilium; sed quia Judæi caput amputaverunt:

raverunt occidendo Chriſtum, ideò mirum non eſt ſi ſunt infatuati ſine capite, & ſine ſenſu intelligentiæ fidei. *Pſal.50. & 113. & 117.* Vel dicendum, quod Chriſtus à Iudæis reprobatus factus eſt lapis angularis, ſcilicet caput duorum parietum hominum, & Angelorum, utramque enim naturam in unum conjunxit. *fer.2. & 3. in Nativit.*

16. *In hac ſimilitudine lapidis oſtenduntur multa magnalia Chriſti Ieſu in bonos, & malos.*

Lapidem quem reprob averunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Nota quod in reprobatione hujus m. ſtici lapidis oſtenditur mira Chriſti humilitas; item ejus mira poteſtas valens disjuncta ad unitatem reducere, quaſi lapis angularis, ſcilicet homines, & Angelos, humanitatem, & divinitatem: item mira ejus ſtabilitas, & firmitas contra poteſtatem diaboli: item ſumma ejus perfectio, quia caput anguli, ad quod veluti lineæ omnes fideles tendunt tanquam ad centrum, in quo fit oſculum linearum Crucis in medio ejus concurrentium in unum, & ob id reprobos disjunctos ejiciens. *In Lucam cap.10. v.17. in Ioan. cap.12 verſ.20.*

17. *Dies reſurrectionis eſt annus Iubilæi.*

Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea, &c. Cur in hac die? & quæ eſt hæc dies? Nota, quod in Anno, quo Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit erat Annus Iubilæi, & verè fuit talis tunc pro nobis quia de ſervis facti ſumus liberi, & ad hæreditatem, quam per peccatum amiſeramus, reaſſumpti ſumus. *Pſal.117.*

18. *Chriſtus dies ſine tenebris.*

Hæc eſt dies quam fecit Dominus, &c. Quænam eſt hæc dies, quæ dicitur facta à Domino: nonne omnes dies facti ſunt à Deo? ſed attende, quod loquitur hic d. die, quæ eſt ſine nocte, & tenebris: & hic eſt Chriſtus à Patre procedens, & natus, & mortuus, & ſuſcitatus: dies inquam neſciens occaſum, cujus vita eſt veluti Sol illuminans Mundum: cujus horæ ſunt duodecim, ſcilicet Apoſtoli illuminati: & illuminans in hæmiſpherio animæ eandem animam; ambulemus igitur ad lucem hujus diei, & in tenebras non offendemus. *In Ioan.c.8 v.59. & c.11.v 9.*

19. *Iuſti ambulant in die; impij in nocte.*

Hæc dies, quam fecit Dominus, &c. Bonum igitur eſt ambulantibus ad lucem hujus diei, & quia nox eſt dum ſol eſt ſubtus terram, ideò nox eſt iis, qui ad abſentiam Chriſti ambulant, inter quos eſt interruptio terrenorum. *in Lucam c.11. v.9.*

20. *Dies Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti eſt dies ſolemnis: ſed ſolemnior dies Aſcenſionis.*

Hæc dies quam fecit Dominus, &c. Nota, quod hic verſus poteſt vere cantari in die Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Nativitatis, Paſſionis, & Reſurrectionis, ſed tamen cum iſtæ ſolemnitates ſint mixtæ pietati, & ad noſtram utilitatem ordinatæ, magis propriè competit diei Aſcenſionis Chriſti quia eſt terminus omnium viarum noſtrarum. *Op medit. vitæ Chriſti c.97.*

21. *Triplex adventus Chriſti ab Eccleſia celebratur.*

Benedictus qui venit in nomine Domini &c. Nota, quod hæc dicuntur de Chriſti triplici adventu; primus eſt in carnem: ſecundus in mentem: tertius ad finale judicium: in quolibet autem iſtorum benedicendus eſt Chriſtus: nam primus adventus ab Eccleſia recolitur: ſecundus petitur: tertius prævidetur futurus. *in Lucam c.19.v.38.*

22. *In judicio electi videbunt Chriſtum ſecundùm humanitatem, & divinitatem: reprobi ſecundum humanitatem tantùm.*

Deus Dominus illuxit nobis, &c. Nota hæc dicuntur in perſona juſtorum in die judicii, quibus illucebit quoad viſionem perfectam humanitatis, & divinitatis: non verò reprobis, qui tantùm videbunt ejus humanitatem ad pœnam ipſorum majorem. *In Lucam c.13.v.35.*

23. *Ex adventu Chriſti illuminatio qualis animæ proveniat, & quibuſnam.*

Benedictus, qui venit &c. benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus illuxit nobis. Nota, quod primò ponitur adventus Chriſti in carnem, & deinde benedictio noſtra in Deum, ut videas, quod qui Chriſtum verum Deum, & hominem confitetur ad viſionem fidei erigitur, & qui Deum laudat vita & lingua (hæc eſt benedictio, quam exigit à nobis Deus) ad viſionem ſpeciei pertinget. *In Lucam c.13.v.35.*

24. *Solemnitates præcipuæ Iudæorum erant tres.*

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis &c. ſcilicet in confrequentationibus. Nota, hic alluſio fit ad illas ſolemnitates, quas Iudæi celebrabant, quæ erant tres præcipuæ, in quibus intrabant templum ut Deo, & ſacerdotibus offerrent munera, ſicut iſte mos adhuc eſt in multis Eccleſiis. *Pſal.117.*

25. *Cur præcipitur Chriſtianis ingreſſus in Eccleſiam.*

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu altaris. Nota hic præcipi ut diem ſolemnem in honorem Chriſti frequentemus, & ad Eccleſiam pergamus: & hoc præcipuè fit quatuor de cauſis; primò ut Deum laudemus: ſecundò ut oremus: tertiò ut inſtruamur: quartò ut reficiamur ſumptione Sacramentorum: & hinc in Miſſa ſunt quatuor partes principales: prima eſt laudatio in introitu: ſecunda eſt oratio, quam dicit Sacerdos: tertia inſtructio per epiſtolam, & Evangelium: quarta refectio, & ſumptio corporis, & ſanguinis Chriſti: tuncque pervenitur uſque ad cornu Altaris, ſcilicet ad conſummationem Euchariſtiæ per ſumptionem ipſius. *Pſal.117.*

26. *Qui in Dei laudes ſe diffundit, etiam ad Mariam laudandam ſe confert.*

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Verè eſt bonus Deus, & digniſſimus omni laude, ſed quid eſt quod ſubjungit, quoniam in ſæculum miſericordia ejus? cur in ſæculum? *Applicatio ad Mariam Virginem.*

sæculum in sæculum misericordia ejus, quia posuit Mariam in Mundo, ut hanc Dei misericordiam exerceret in nos; ideò ad nos diriguntur hæc verba. Confitemini Matri Christi, quoniam in sæculum misericordia ejus: quia amor illius expellit peccatum à corde, & gratia illius expiat conscientiam peccatoris; via veniendi ad Christum est appropinquare ad illam, qui autem fugerit eam non inveniet viam pacis; qui obduratus est in peccatis sæpe invocet illam, & lux in tenebris suis orietur: qui tristatur in corde suo clamet ad illam & dulc tanti stillicidio inebriabitur. *Op. Psalt. B.Virg. Psal. 117.*

PSALMUS CXVIII.

Titulus: Alleluia.

1. PRimò nota circa titulum, quod sicut in antecedentibus Psalmis invitavit ad laudem Dei pro Adventu Christi, & ob id fidem de ipso tradidit: hic pariter invitat ad Deum laudandum mediantibus operibus, quæ debent fidem consequi.

2 Nota, quod hic Psalmus distinctus est per viginti duos octonarios, quilibet octonarius continet octo versus, cui octonario præmittitur littera Alphabeti Hebraici, quæ est veluti argumentum, & summa eorum, quæ in illo octonario proponuntur; ponitur autem iste octonarius ad significandum, quod in hoc psalmo continetur perfecta doctrina, docens per observantiam Mandatorum Dei perfectam purgationem animæ. *In Psal. 118 in 1. & 2. exposit.*

3. Nota quod Seraphicus Doctor duplicem expositionem tradit hujus Psalmi, alteram breviorem, alteram fusissimam, in qua & versus, & sensum, & verba mirabiliter exponit: ex utraque autem, & ex aliis scriptis ipsius hic subijcientur expositiones variæ ejusdem Psalmi.

4. Nota, quod in hoc psalmo præcepta Dei quinque nominibus designantur: nam dicuntur via, quia ad viam Cœli ducunt: lex, quia ligant: testimonia, quia evidenter admonent præmia, & pœnas: mandata, quia facienda indicant: & justificationes, quia impleta à reatu liberant. *Psal. 118. vers. 8.*

CAPUT PRIMUM.

2. *Schola Christi docet diversam doctrinam à schola diaboli.*

Aleph. NOta, quod huic octonario præmittitur primum elementum Alphabeti Hebraici, & deinde aliis sequentia elementa: & quia Aleph interpretatur tentationum millia. & etiam doctrina: datur intelligi quod in schola Christi, quæ est virtutis, & veritatis, sive sanctitatis, & sapientiæ, traditur modus superandi tentationes, & perveniendi ad veram sapientiam per viam immaculatæ vitæ, & consequenter ad possessionem veræ beatitudinis: è contra in schola diaboli traditur usus vitiorum, & modus perveniendi ad perditionem. *In Psal. 118. in 1. & 2. expositione & in Thren. cap. 1. & 2.*

3. *Idem confirmatur scilicet quod per opera sancta pervenitur ad doctrinæ possessionem.*

Aleph: Beati immaculati, &c. Vide qualis doctrina: hic enim edocemur, quod qui vult ad veritatem sapientiæ pervenire, debet prius sanctè operari: primum disce quid agas, deinde quid scias. *in Psal. 118. 1. exposit.*

4. *Modus perveniendi ad beatitudinem viæ & patriæ traditur.*

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini Nota vim horum verborum, quæ continent modum perveniendi ad beatitudinem, & in ipsis continentur quatuor necessaria viatori: scilicet quo tendat ut perficiatur: quomodò tendat ne inficiatur: si tendat ut reficiatur, qua tendat ne interficiatur, primum innuitur in verbo: *Beati*: secundum in verbo, *immaculati in via*: tertium in verbo: *qui ambulant*; quartum in verbo: *in lege Domini*: qui enim est immaculatus corde, ore, & opere in statu hujus viæ ambulans in observantia legis Dei, iste est beatus. *in Psal. 118. c. 1. v. 1.*

5. *Via qualis est in qua, & per quam pervenitur ad beatitudinem, & qualis ad perditionem.*

Beati immaculati in via, &c. In via: qua via? nota, quod tres sunt viæ in universum, Dei, hominis, & diaboli: duæ extremæ non possunt convenire, media scilicet hominis, libertas potest ad utramque flecti: præsens autem vita aliis est via ad Cœlum, aliis ad patibulum, aliis ad infernum, aliis ad gloriam: unde in medio positi sumus, ut immaculati possimus ascendere ad Cœlum; iniqui verò projiciuntur ad inferni sterquilinium: si ergo homo ad viam Dei flectitur, dirigitur ad beatitudinem: si ad viam Diaboli, dirigitur ad perditionem. *in Psalm. 118. 1. exp. v. 1. & ser. 2. in fest. omn. sanct.*

6. *Qui se immaculatum per castitatem custodit: beatus est.*

Beati immaculati in via; Nota: *in via*: scilicet in hac vita mortali; ille se immaculatum custodit, qui castitatem propter amorem Christi servat, & quia fecit secum meritum maximum, ideò & beatitudinem exteriorem, & interiorē communicat: sic dictum est à B.V. *Ecce enim ex hoc beatam me dicēt omnes, &c. in Luc. c. 1. v. 48. & ser. 2. in fest. om. sanct.*

7. *Beatitudo alia est falsa, alia vera, & optima.*

Beati immaculati in via. Cur ponitur beatitudo in via, & non potius in patria? nonne in hac vita exul semper est homo à patria? sed nota quod licet beatitudo perfecta sit tantùm in patria, tamen etiā in hac vita potest esse quis beatus aliqualiter: sed tamen advertendum ne decipiamur, quod in hac vita est beatitudo tantùm apparens, & falsa, & est hominum peccatorum, & se delectantium in mundanis, & quærentium finem in eis: sed hæc beatitudo est falsa, & maledicta: Est & beatitudo alia in via, quæ est hominum vigilantium in divinis mandatis, abstinentium à malis, & promoventium se in bonis; & hæc habetur ambulando in lege Domini: hæc est bona, vera, benedicta, & desiderabilis. *serm. 7 de Apostol*

8. *Meditatio mysteriorum Dei, & exquisitio sanctitatis beatitudinem confert.*

Beati, qui scrutantur testimonia ejus. in toto corde exquirunt eum Ecce quomodo Propheta prosequitur in ostendendo qualem beatitudinem potest homo in hac vita obtinere beatitudinem inquam non re, sed spe, non felicitatis sessione, sed expectatione, & hoc exquisitione summæ veritatis, meditioneque divinorum mysteriorum, & perquisitione sanctitatis, & hoc præcipuè est, quod requiritur in Episcopo; unde cum primò intrat Ecclesiam debet habere textum in pectore, & post Evangelium textus ei portatur, & offertur apertus; sed aliis in choro clausus, quia tenetur habere scientiam, ad quod non alij tenentur: *ut Psal.118. in utraque exposit. & c.3.v.2. & c.9.v.1.*

9. *Qui per viam iniquitatis incedunt, in pœnam absque termino incedunt.*

Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt. Nota, quod loquens de transgressoribus mandatorum Dei dicitur, quod non in viis Dei, quæ pro termino habent gloriam interminabilem, ambulaverunt, quia per vias oppositas incedunt idest in viis iniquitatis incedunt nulla facta mentione terminationis, vel ambulantium reversione, quia via peccatorum habet quidem initium, sed non terminum. *Psal.118. c.1 v.4.*

10. *Motiva pulcherrima proponuntur pro observantia mandatorum Dei.*

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Notanda sunt diligenter hæc verba: nam dicendo, *Tu,* innuitur majestas mandantis, cui debetur reverentia, quia est mirabilis, laudabilis, & formidabilis: dicendo, *mandasti,* innuitur mandandi potestas, mandat enim Deus prudenter, potenter, & clementer: dicendo, *mandata tua,* innuitur mandatorum honestas, cui debetur observantia, quia mandata Dei sunt servanda tanquam argumenta amoris, alimenta dulcoris, & medicamenta doloris: dicendo, *custodiri nimis*, innuitur nimia non imperantis, sed ob temperantis, & mandata custodientis egestas, cui congruit providentia. *Psal.118. c.1.v.4. & c.5.v.15.*

11. *Mandatorum observantia edicitur sub multiplici pœna.*

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Quomodo nimis? ergone nimia potest dari observantia? Nimis, idest valde, & cum maxima diligentia super omnia, & ideò sub multiplici pœna edicitur eorum observantia, scil sub pœna temporali, & spirituali. *Op Diat. tit.5.c.9. & in Psalm.118. v.4.*

12. *Viæ Dei multa dirigentes animam ad justitiam acquirendam.*

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Nota, quod dicit viæ, non via, quia plures sunt viæ dirigentes animam ad justitiam perfectam; viæ inquam in ingressu pro incipientibus, in progressu pro proficientibus, in congressu pro pugnantibus, & in egressu pro perfectis, quia justitia omnes affectiones rectificat: rectificatas multiplicat: multiplicatas fructificat, fructificatas sanctificat. *Psal.118. exposit.1. v.5. & in Lucam c. 5. v.6. & c.3.v.4.*

13. *Prudẽtiæ partes respiciunt omnia tempora.*

Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Nota, quod Propheta prosequitur qualitates viæ ad Deum; & cum supra explicaverit viam justitiæ, nunc viam prudentiæ proponit, quæ respicit discussionem temporum, unde dicitur, (*tunc*) scilicet in futuro judicio, quod est valde timendum; item futurorum prævisionem, unde dicitur: (*non confundar*) ob præservationem à confusione futura: item præteritorum recordationem meritorum, unde dicitur: (*cum perspexero,*) scilicet mandatorum observantiam, item præsentem operationem custoditionis præceptorum, unde dicitur: *in omnibus mandatis tuis. in Psal.118. c.1.v.6.*

14. *Quomodò sit verum quod qui in uno offendit, factus omnium reus.*

Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Quare dicitur in omnibus mandatis, & non potius in aliquo? quia qui vult ad Deum, & ad Cœlum pervenire, debet omnia mandata Dei observare; quia qui in uno offendit fit omnium reus, non quoad pœnam sensus, sed damni, licèt non tam acriter. *Opusc. de decem præcept. serm.6.*

15. *Via temperantiæ qualis.*

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ. Nota, quod in his verbis explicantur partes temperantiæ prout est via ducens ad Deum: nam prima pars est mundificatio conscientiæ per confessionem, unde dicitur: *confitebor tibi:* 2. est concupiscentiæ mortificatio: unde dicitur: *in directione cordis*: scilicet subjiciendo sensualitatem rationi, & voluntatem propriam divinæ voluntati: 3. est intelligentiæ clarificatio, unde dicitur: *in eo quod didici*; quia in schola Christi discendum est, ut timeamus, diligamus, & placeamus Deo: 4. est exterioris experientiæ rectificatio, unde dicitur: *judicia justitiæ tuæ*: hæc enim dirigit exteriores nostras operationes. *Psal.118.v.7. & c.1.v.7.*

16. *Fortitudinis partes hic enodantur.*

Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque. Nota, quod hic via fortitudinis proponitur cum suis partibus, quæ est amabilis: 1. quia spiritũ armat, unde dicitur (*justificationes tuas*) quæ sunt armaturæ spirituales animæ, per quas elucet divina providentia 2. quia armatum spiritum animat, unde dicitur (*custodiam*) scilicet usque ad tentationis victoriam, in quo elucet confidentia nostra in Deum: 3. animatum associat. ideò dicitur (*non me derelinquas* scilicet confidentem de te, non me, in quo elucet spes de virtute Divina: 4. associatum adjuvat, unde dicitur (*usquequaque*) scil. non me derelinquas absque aliqua tua protectione, in quo elucet diffidentia de propria virtute, quia nihil possumus ex nobis. *Psal.118. c.1. v.8 & c.9 v.13. in Luc. c.8. v.38.* Ex quibus patet, quod victoria tentationum obtinetur per exercitium virtutum cardinalium, quæ in octonario proponuntur, ut ad beatitudinis viam progrediamur. *Psal.118. c.8. v.1.*

17. Beth,

17. *Beth, idest, domus.*

Nota, quod huic secundo octonario proponitur littera, *Beth*. quæ interpretatur domus, ut intelligamus quod pœnitens ad beatitudinem æternam, tamquam ad domum non manufactam regreditur. *Psalm.*118. *c.*1. *v.*1.

18. *Pœnitentia perfecta ex dolore culpæ qualis ad beatitudinem ducit.*

In quo corrigit adolescentior viam suam, in custodiendo sermones. Nota, quod sicut in antecedentibus ostensa est via digrediendi à peccato: hic ostenditur modus ad veram pœnitentiam perveniendi: primò enim ad agendam veram pœnitentiam requiritur consilium ob stuporem rationis, unde dicitur: (*in quo corrigit*;) secundò dolor de peccatis, unde dicitur (*adolescentior*,) scilicet peccator: tertiò manifestatio peccati, unde dicitur, (*viam suam*,) scilicet peccator per confessionem: quartò labor satisfactionis, unde dicitur: (*in custodiendo sermones tuos*,) tamquam per remedium securum. *Psal.*118. *c.*1. *v.*9.

19. *Pœnitentia oritur non solùm ex dolore culpæ, sed etiam ex timore pœnæ.*

In toto corde meo exquisivi te. ne repellas me à mandatis tuis. Nota, quod pœnitens debet exquirere Deum non in parte cordis, sed in toto corde, scilicet quoad intellectivam, affectivam, & operativam partem; & ideò si non invenit Deum, quem exquisivit, debet trepidare ob timorem pœnæ, quæ subsequitur opera mala, & ad Deum per observantiam mandatorum recurrere: hæc est enim perfecta pœnitentia. *Psal.*118. *cap.*1. *vers.*10. & *cap.*2. *v.*6. & *c.*3. *v.*13.

20. Deus exquirendus cum solicitudine, vigilantia, & diligentia, non in angulo cordis, sed in toto corde, scilicet in templo cordis Deo plenè consecrati: Unde dicitur à J. sto, *in toto corde meo exquisivi te. ser.*5. *hom. infra oct. Epiph.*

21. *Alii repelluntur à Deo ex ira sua, alii ex misericordia, alii à seipsis, alii à mundo.*

Ne repellas me à mandatis tuis. Ergone Deus repellit hominem ad se accedentem? nonne Deus promptus est acceptare quemcumque peccatorem ad se confugientem? nota, quod alii repelluntur ex ira, alii ex amore: ex ira repelluntur, quando præmuntur adversis, vel ex concupiscentia, vel ex suggestione diaboli: vel nimis investigando curiosè immensitatem Dei: ex amore quando per adversa præmuniur ad utilitatem, & exercitationem, *Psal.*118. *v.*10.

22. *In corde suo scribit justus eloquia Dei, veluti in codice.*

In corde meo absconde eloquia tua ut non peccem tibi. Quid est abscondi? nonne vir justus propalat Dei eloquia per prædicationem? nota, quod loquitur hic de pœnitente suspitante ex horrore malitiæ, qui ne peccet abscondit, idest scribit eloquia Dei in corde suo tamquam in codice, & hæc per dilectionem suscipit, per memoriam retinet, & per humilitatem tegit, ut ea suo tempore manifestet. *Psal.*118. *v.*11. & *c.*1. *v.*11. & *in Lucam c.*1. *v.*19. & *c.*8. *v.*16. & *c.*19. *v.*20.

23. *Deus à nobis est benedicendus ob multiplicia beneficia.*

Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas. Nota, quod in his paucis verbis exprimitur, quod Deus est à nobis benedicendus, quia est Dominus noster, scilicet dans munera, & beneficia, tum naturalia, tum supernaturalia, & quia est doctor, & magister illuminans intellectum, & justificans animam. *Psal.*118. *c.*1. *v.*12.

24. *Silentium est fundamentum bonæ operationis, & schola benè loquendi.*

In corde meo abscondi eloquia tua: doce me justificationes tuas: in labiis meis pronuntiavi omnia mirabilia tua. Nota hunc dignissimum ordinem: nam primò proponitur silentium tamquam prima lectio in schola Christi, unde dicit: *in corde meo abscondi eloquia tua*: inde sequitur bona operatio, unde dicit: *doce me justificationes tuas*: & tandem exercitium prædicationis, unde dicit: *in labiis meis pronuntiavi omnia mirabilia tua*. *Psal.*118. *v.*12. Vide ergo qualia bona animæ affert silentium pro Christo observatum.

25. *Prædicatio quænam præexigat ut rectè fiat.*

In corde meo abscondi eloquia tua &c. doce me &c. in labiis meis &c. Nota iterum hunc ordinem, in quo pro fine ponitur prædicatio Verbi Dei; nam prædicator debet prius se exercere in silentio, & meditatione mysteriorum nostræ fidei; deinde in sanctis operibus: & tandem se tradere prædicationi Verbi Dei; per primum evitatur ignorantia: per secundum obtinetur bona conscientia: & per tertium exercetur, itaut omnia judicia Dei manifestentur: unde dicit, *omnia judicia oris tui*: idest non abscondi, totum dixi, quod mihi revelasti: nihil de meo adjeci, nihil de tuo abscondi, ne falsitatem prædicarem, vel ne veritatem negarem, judicia cordis abscondita, oris manifesta, judicia oris proposui, corde abscondi: judicia cordis, ubi sententia dictatur: oris, ubi sententia pronuntiatur. *Psal.*118. *v.*12. & 13.

26. *Verbum Dei quomodò abscondendum in corde, quomodò propalandum.*

In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi &c. in labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. Si eloquia Dei abscondita vir justus retinebat, quomodò postea ea propalavit? Sed hic nota mirabilia verbi Dei: datur enim intelligi, quod verbum Dei est prius abscondendum in corde sicut ovum in nido, & inde exire debet bonum opus tamquam pullus, ut nutriatur: nam non justificaberis per solum auditum, nisi nutrias ipsum Verbum per bonum opus: & ideò peccas si non recipis, peccas si receptum ejicis: peccas si receptum ante tempus exponas: primum fit d[illegible] titia: secundum negligentia: tertium superbia. *Psal.*118. *v.*12. & 13.

27. *Iustificationes Dei respectu animæ sanctificata sunt ipsius viæ, per quas anima tutrat.*

Doce me iustificationes tuas. Quid est, quod petit hic Propheta? nota, quod supra dicebat, quod beati sunt qui ambulant immaculati in via Dei: hinc docet quod istæ justificationes sunt viæ, per quas eus ad animam justificatam procedit, viæ inquam sunt rectæ & regiæ. *Psalm.* 1 *s. c.* 4 *v.* 16. Nota etiam, quod dicuntur istæ justificationes judicia Dei, scilicet judicativa præcepta legis, quia secundum observantiam ipsorum Deus judicabit nos. *lib.* 4. *d.* 16. *dub.* 4.

28. *Verbi Dei custoditio quam utilis.*

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Cur comparat delectationem, quæ habetur in via testimoniorum Dei divitiarum delectationi? Quia Verbum Dei custoditum est in corde, sicut thesaurus: est enim thesaurus ditissimus Verbum Dei, afferens animæ magnas divitias spirituales: thesaurus inquam artificiosus quantum ad Mosaïcas allegorias: radiosus quantum ad theorias evangelicas: deliciosus quantum ad cœlestes anagogias, & copiosus quantum ad terrestres tropologias: allegoria enim pertinet ad credenda: theoria ad videnda: anagogia ad speranda: tropologia ad operanda. *Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 14. *&* *c.* 6. *v.* 14. *&* *c.* 9. *v.* 0. *&* *in Lucam c.* 13. *v.* 14.

29. *Mandatorum Dei observantia quanam exigat.*

In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. Ecce quid consequitur ad custodiam Verbi Dei in corde, scilicet custoditio mandatorum Dei, quæ debet esse non tepida, sed avida in affectu, non torpida sed valida in effectu; & ideò dicit: *exercebor*; nota, quod non dicit operabor, sed exercebor, quod est amplius, quia exercitium consistit in multis operibus: debet & esse non stolida, sed provida per attentam meditationem, & considerationem: non stupida, sed fervida in profectu, & ideo dicit, vias tuas considerabo ad sectandum, & proficiendum per ipsas. *Psal.* 118. *c.* 1. *v.* 14. *&* *c.* 5. *v.* 7.

30. *Mysteriorum Dei meditatio qualia bona afferat animæ.*

In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos. Ecce quid agere debet pœnitens, scilicet non solùm custodire mandata Dei, sed ea meditari virtuose, studiosè, affectuosè, & fructuosè; primum spectat ad devotionis gratiam, quam affert talis meditatio: 2. ad gratiam discretionis, quæ non debet esse vaga, sed fixa, non lenta, sed attenta, & studiosa: 3. ad gratiam emulationis, ne oblivioni tradatur: 4. ad gratiam exhortationis, qua alios instruere debet. *Psalm.* 118. *c.* 1. *v.* 16. *&* *v.* 12.

31. *Beati qui ambulant per Mariam ad Deum.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Cur beati in via, & non potius in termino, & patriæ? sed nota, quod hic agitur de via mystica, scilicet de Maria Virgine, quæ est via vitæ reconciliationis divinæ, & salutis nostræ: beati igitur sunt qui ambulant immaculati in hac via: sed cur beati? quia Matrem Domini imitantur in humilitate, in charitate, quia perscrutantur virtutes illius; fiuntque conformes imagini illius, sicque ejus magnitudinem, & sanctitatem venerantur, & in ea collocant spem, & fiduciam suã. *Op. Psalt. B. V. Ps.* 118. *&* *Ps.* 46. *&* 31. *&* *Op. Psalt. min. quinq.* 2.

CAPUT SECUNDUM.

32. *Exponitur argumentum hujus 2. Capituli, quod continet duo octonaria, & habet in primo octonario pro titulo litteram Ghimel, & in 2. Daleth.*

IN primo capitulo antecedenti præmissa fuit beatitudo, in isto tetributio submissa est & quia hæc tetributio prius excitat justos per amorem, ideò describitur in 1. octonario, deinde eos exercitat per laborem: ideò in 2. octonario exercitatio describitur, & quia ad retributionem illam per laborem intratur, quasi per januam, inde est quod à Ghimel littera, quæ interpretatur retributio inchoatur octonarius primus, & à Daleth, quæ interpretatur Janua 2. octonarius, & quia primum locum amoris tenet fervor voluntatis, hinc in hoc primo octonario talis fervor proponitur, & excitatur 1. per delectationem supernæ retributionis, ut fit in 1. versiculo. 2. per internam illuminationem, ut fit in 2. versiculo: 3. meritoria actione, ut fit in 3. & 4. per gratuitam dilectionem, ut fit in 4. & quia aliquando iste affectus tepescit exterius in effectu, ideò in 2. octonario proponitur humiliatio quadruplex, scil. extrinseca, intrinseca, discreta, & devota. *Psalm.* 118. *c.* 2. *v.* 1. *&* *v.* 9.

33. *Retributio multiplex à Deo provenit.*

Retribue servo tuo, vivifica me secundum verbum tuum. Quomodo dicit tetribue Deo? ergone Deus tenetur retributionem homini conferre? sed nota, quod multiplex est retributio in communi, scilicet mali pro malo ad bonum finem: boni pro bono ad malum: mali pro malo ad malum: & boni pro bono ad bonum, & mali pro bono: hoc 2. nescit Deus, quia nunquam reddit pro bono malum; cætera autem diversimodè sunt à Deo, nam aliquando Deus reddit malum pro malo ad bonũ. v.g. pœnam ad conversionem: aliquando bonum pro bono ad malum, ut quando abundantiam diviti dat pro sua justitia, ne in futuro ei tetribuat: præmiat enim eum temporaliter in hac vita pro aliquo bono suo opere: aliquando malum ad malum pro malo, ut Herodi & Judæ in præsenti pœnam retribuit pro injustitia ad damnationem: quandoque bonum pro bono ad bonum, ut Abrahæ, & Job dedit in præsenti abundantiam pro justitia ad salvationem, quia initium fuit retributionis æternæ. *Psal.* 118. *v.* 17.

34. *Contra quatuor hostes spirituales recurrit hic Propheta ad Deum.*

Retribue servo tuo vivifica me &c. Nota, quod in hac deprecatione Propheta ad Deum recurrit, sæpe contra infirmitatem: unde dicit: (*vivifica me*) scilicet

fcilicet per legem tuam, quia per doctrinam facræ Scripturæ,& per Verbum Dei dat vitam animæ,& robur: contra ignorantiam, unde dicit (*revela oculos meos*,) contra exilium hujus vitæ, ubi dicit (incola ego fum &c.) contra hoftes, unde dicit: (*etenim federunt adverfum me principes.*) *Pfalm.118.v.17.& ferm.14.Hexaem.*

35. *Illuminatio anima quanam exigat.*

Revela oculos meos, & confiderabo mirabilia de lege tua. Nota, quod cum in antecedenti verfu oftendatur fervor affectionis refpectu fupernæ delectationis, qui in anima debet præcedere, nunc oftendit fervorem ejufdem refpectu internæ illuminationis, ad quam gradus quatuor concurrunt, fcilicet lectio, admiratio, inveftigatio, & illuminatio: lectio pertinet ad fcripturas: admiratio ad figuras: inveftigatio ad myftica arcana, & illuminatio ad theoricas manifeftationes: lectio notatur in illo verbo (*de lege tua*,) lectio enim dicitur à legendo, quia in facra lege legit anima ad imbuendum intellectum, ad movendum affectum, & proximum inftruendum: admiratio confequitur ad lectionem, ob figuras, quæ occurrunt in lege Domini, unde dicit (*mirabilia de lege tua:*) admirationem confequitur inveftigatio, quæ ad metaphoricas aperturas recurrit, ut aperiantur abfcondita, unde dicit (*& confiderabo &c.*) Inveftigationem confequitur illuminatio mentis circa abfcondita jam revelata, unde fua revelatio eft veli remotio ab oculis intellectualibus, per quam evacuatur omne velamen, & obfcuritas. *Pfalm.* 18. *cap.2. verf.* , *& opufcul. de* 7. *itiner. itin.5. d.4.* Ex quibus edocemur, quod quifque noftrum debet ad Chriftum confugere,& dicere, *revela oculos meos &c.* quia ipfe folus: clavem habet hujus illuminationis.*In Lucam c.24.v.45.*

36. *Quibus divina fapiunt, eis mundana defipiunt: & quibus mundana fapiunt, eis divina defipiunt: illi terra funt hofpites, & peregrini, cælique cives: isti cæli incola, & terra cives.*

Incola ego fum in terra, non abfcondas à me mandata tua. Nota, quod in his verbis dat Propheta intelligere, quod illuminatio cœleftium parit contemptum terrenorum: quibus enim divina fapiunt eis mundana defipiunt; & ideò in perfona viri jufti dicit (*incola ego fum in terra:*) nempe quia in cœlis habitat fecundùm interiorem hominem, cœlorum eft civis, & fecundum exteriorem in terris habitat, ideò ut terræ hofpes: & ideò converfus ad Dominum dicit, *non abfcondas à me mandata tua.* Petens affectuosè quod appetit virtuosè: non abfcondas, ait, à me tua, quia non abfcondo mea à te: non abfcondas à me mandata tua, recognofcens divinum Imperium, & nimium ejus fructum. *In Pfal.118.c.2.v.3.& Pfal.55.*

37. *Juftorum tadium in terra provenit à malorum focietate.*

Incola ego fum in terra. Cur incola? tædio affectus: & hoc quia jufti nonnullos inveniunt difcolos, multos malevolos, & paucos benevolos. *Pfal.118.c.2.v.3.*

38. *Ex fervore voluntatis, & defiderio perfectionis nafcitur dilectio perfecta Dei.*

Concupivit anima mea defiderare juftificationes tuas in omni tempore. Unde ortum eft hoc defiderium ardens viri jufti? Sed nota, quod enucleato in præmiffis fervore affectionis refpectu fupernæ delectationis, internæ illuminationis, & meritoriæ actionis, ut patet ex tribus præcedentibus verficulis, nunc fervorem affectionis patefacit refpectu gratuitæ dilectionis: hæc autem in viro ad perfectionem tendente gignitur ex voluntate fervida, ideò dicit (*concupivit anima mea*) fcilicet voluntas: veftitur item charitate, ideò dicit: (*defiderare*,) fcilicet defiderio fuperaddidi defiderium fervens: nutritur item juftificationibus Dei, quæ mundificant, vivificant, & falvificant, nempe perficiunt animam quantum ad intellectum, affectum, & effectum, cuftoditur item perfeverantia, ideò addit, *In omni tempore Pfal.118. c.2.v.4.& c.5.v.4. & in advent.c.6.* Difcamus ergo, quod fine defiderio ferventi voluntatis non poffumus viam mandatorum Dei currere, & quia hoc defiderium ex noftris viribus non poffumus obtinere ideò ab ipfo Deo ipfum petere debemus, & dum ipfe in nobis tribuit, ei agere gratias debemus, & nutrire piis affectibus, & operibus. *Op.25.mor.*

39. *Defiderium defiderii in juftis debet foveri, & nutriri.*

Concupivit anima mea defiderare juftificationes tuas in omni tempore. Quid eft concupivi defiderare? ergo defiderio immediato carebat perfectionis? Sed nota quod vir illuminatus fciebat quod defiderium fervens tendendi ad perfectionem eft fundamentum ipfius, ideò ipfum non habens, defiderabat obtinere hoc defiderium; & ut hoc defiderio poffet currere in via Dei abfque ignavia, & torpore fæpe fe exercebat in his actibus. *Opufc.de profect. relig.lib.* 1. *c* 2..

40. Deus corripit fuperbos potenter, fcilicet peccantes ex malitia; prudenter peccantes ex ignorantia: & clementer, ex impotentia; & ideò dicit Propheta: *Increpafti fuperbos. Pfal.118.c.2 v.5.*

41. *Maledictionem Dei contrahunt tranfgredientes mandata Dei.*

Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Vide quomodò maledictionem Dei incurrunt tranfgredientes mandata Dei: nempe illam maledictionem, quam in judicio proferet Chriftus. *Ite maledicti in ignem æternum* Hancque maledictionem contraxerunt primi parentes, qui ob fuperbiam tranfgreffi funt divina mandata: unde jufti ut fe præfervent à tanto malo debent fæpe recogitare pœnas à Deo paratas malis. *Pfal.* 18 *cap.1. verf.6. & cap.1.v.5.& Pfalm.79.& op.fpec. B.Virg. lect.* 15. *& opufcul. de decem præcept. fermon.1.* Nota etiam, quod iniqui in malum declinant per omnes cafus: & primò per nominativum, quia per fuperbiam volunt facere fibi nomen: per genitivum, fcilicet luxuriam: per dativum res pauperum malè expendendo,& munera accipiendo: per Accufativum injuftè accufando, & detrahendo: per vocativum adulando: & per Ablativum rapiendo bona fubditorum. *in Thren. c.3. Vgo Card.in Pfal.118.*

42. *Iufti defiderant liberari à caufa opprobrii, & contemptus, quæ refidet in peccato.*

Aufer à me opprobrium & contemptum. Ergone quærit vir juftus liberari ab opprobriis, & contemptu aliorum? nonne potius hæc defiderare debet: fed nota, quod hic petit fe liberari à caufa opprobrii, & contemptus, nempè à peccatis, quæ funt origo omnis mali. *Pfalm.* 118. *v.* 22. *& cap.* 2. *verf* 6.

43. *Servi Dei fe exercent in meditatione juftificationum Dei: fervi diaboli in judicando temerè, & murmurando, tanquam principes inter omnes malos.*

Etenim federunt principes, & adverfum me loquebantur; fervus autem tuus &c. Vide munera diverfa diverforum: fervi Dei fe exercent in juftificationibus Dei? fervi diaboli fedentes tanquam judices iniqui judicantes temere facta bonorum & de ipfis obloquentes: dicuntur autem principes, quia inter malos funt peffimi. *Pfal.* 118. *c.* 2. *v.* *& c.* 5 *v.* 11.

44. *Sancti Martyres pro perfecutoribus orant, quod præcipue fecit S. Stephanus Protomartyr, contra quem ftatuti funt teftes iniqui.*

Unde in perfona ejufdem fancti Martyris Ecclefia in Miffa affert hæc verba. *Etenim federunt principes &c. Pfal.* 118. *v.* 12.

45. *Iuftus non folùm audire debet teftimonia Dei, fed & meditari, & fecundùm ea operari.*

Nam & teftimonia tua meditatio mea eft, & confilium meum juftificationes tuæ. Nota quod primò proponuntur teftimonia Dei, poftea meditatio ipforum: & 3. juftificationes divinæ: per quæ datur intelligi, quod vir juftus primò attentè audit teftimonia, & verba divina; deinde ea devotè meditatur, & inde in fancta opera exit, & ideò dicit teftimonia tua funt fubjectum meditationis meæ: teftimonia tua fcilicet arcana tuæ fidei per auditum excepta tranfeunt ad intellectum per meditationem, funtque meditatio mea, fcilicet mei fufpenfiva, fuccenfiva, & defenfiva: talis enim meditatio fufpendit, & elevat animam, ipfam accendit, & ad humilitatem inclinat: & hinc fubdit; juftificationes tuæ funt confilium meum, fcilicet deliberatio voluntatis meæ in actus juftitiæ, confiliorum, & fanctarum operationum exit. *Pfal.* 118. *cap.* 1. *v.* 8.

46. *Proprietates confilii doni Spiritus Sancti quales.*

Et confilium meum juftificationes tuæ. Quodnam eft hoc confilium, quod refpicit juftificationes Dei? nota, quod proprium doni Confilii eft dirigere animam in actibus propriis in ordine ad Deum, proximum, & feipfum, & ideò refpicit juftificationes & præcepta Dei. *lib.* 3. *d.* 35. *ar.* 1. *q.* 4. Nota, quod hic incipit fecundus octonarius hujus capituli, cui anteponitur littera *Daleth*, quæ interpretatur janua ob rationes fupra adductas. *ad num.* 31.

47. *Perfecta humiliatio exigit proftationem corporis, & animæ, ex qua venia peccatorum, & gratia vitæ provenit.*

Adhæfit pavimento anima mea: vivifica me fecundùm verbum tuum. Quomodò adhæfit pavimento anima mea? eratne illa feparata à corpore? nota, quod proponit Propheta fructum pœnitentiæ veræ, quæ exigit humiliationem, & proftrationem non folùm corporis, unde dicit, *adhæfit pavimento* fcilicet corporali proftratione, fed & animæ fcilicet per humiliationem interiorem: & hinc oritur petitio confideorialis veniæ peccatorum, & inde vita fpiritualis, ficut promifit Deus. *Pfal.* 118. *c.* 2. *v.* 9.

48. *Qui vult vitam gratiæ habeat corpus veluti pavimentum, cui adhæreat anima.*

Adhæfit pavimento anima mea: vivifica me &c. Nota myfticè corpus jufti eft pavimentum, cui adhæret, & concurrit anima, eft enim folidum contra adverfa per conftantiam: politum fcilicet purgatum à peccato: & lucidum per bona opera. *Pfal.* 118. *v.* 25.

49. *Iufti adhærent pavimento terræ ad vitam: impii ad mortem.*

Adhæfit pavimento anima mea, vivifica me fecundum verbum tuum. Quomodò, & qua fiducia petit Propheta ut Deus ipfum vivificet ex eo quod ejus anima adhæfit pavimento, fi alibi dixit, fcilicet *Pfal.* 43. quod Deus avertit faciem fuam à fe, ex eo quod adhæfit in terra ipfius venter? fed nota, quod hic dicit adhæfit anima pavimento, in *Pfal.* autem 43. quod adhæfit, & conglutinatus eft venter terræ: quia jufti adhærent anima fua pavimento, fcilicet humiliando fe Deo in bonum, & ad vitam, nempè ut confiteantur fua peccata Deo: impii adhærent anima terræ implicati in terrenis in malum, & ad mortem. Felix igitur qui humiliat fe ad terram pro Deo: infelix qui totus terræ inhæret. *fer.* 1. *de uno S. Doct.*

50. *Chriftus eft verbum mentale, fcriptum, & vocale vitam tribuens mundo.*

Vivifica me fecundùm Verbum tuum. Quid eft fecundùm verbum tuum? quodnam eft hoc verbum Dei? nota quod hoc verbum eft Chriftus, qui vitam animæ, & mundo dat: Verbum inquam mentale fcilicet mente Patris ab æterno ab ipfo folùm intelligibile: eft & fcriptum fcilicet in utero Virginis, quafi in pergamena candida, ut homo poffit illud legere: & verbum vocale fcilicet per prædicationem Evangelii. Hoc verbum eft, quod dat vitam mundo. *Pfalm.* 118. *verf.* 25.

51. *Ad*

51. *Ad perfectam pœnitentiam requirit Deus confessionem, & satisfactionem peccatorum.*

Vias meas enuntiavi, & exaudisti me, doce me justificationes tuas. Ecce quomodò pœnitens non solùm per confessionem; sed & per satisfactionem, & exercitium bonorum operum ad Deum confugit ut ipsum diligat in viis suis: dicit ergo (*vias meas enuntiavi*) scilicet vias peccatorum tenebrosas confessus sum, ut evaderem omne periculum, & obtinerem veniam culparum, & pœnarum, & *exaudisti me*, scilicet me liberando vinctum, inferos obserando, & Cœlos aperiendo; subdit *doce me justificationes tuas*) scilicet doce me interius per te, & per alios exterius, ut justitiam jam perditam per peccatum recuperem. *Psal.* 118. c. 2. v. 10. Nota etiam, quod dicit, *doce me justificationes &c.* Quid est quod vult justus dicere? doce me in quam modum, quo obtineam justificationes tuas: nempe præoccupando faciem tuam in confessione: Pœnitens enim debet prius revelare Deo peccatum in confessione: nam si homo operit, Deus revelat: & si homo revelat peccatum, Deus operit: si homo se condemnat, Deus liberat, & si agnoscit, Deus ignoscit. *Psalm.* 118. v. 26.

52. *Prædicator alios instruendo meretur pro seipso remissionem peccatorum.*

Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Nota, quod justus petit instrui circa vias justificationum Dei, ex quo promittit Deo se velle exerceri in mirabilibus suis: quænam sunt hæc mirabilia? suntne miracula patranda? suscitatio mortuorum, illuminatio cæcorum? minimè: Propheta autem hic in persona pœnitentis postquam seipsum exhibuit pœnitentem per confessionem, & satisfactionem peccatorum; ut complementum superaddat suæ pœnitentiæ, petit à Deo instrui, & edoceri de viis justitiæ Dei, ut proximum per prædicationem possit adjuvare, & in viam salutis ipsum ducere: hoc enim est medium valdè accommodatum ad obtinendam remissionem peccatorum, & vitam gratiæ pro se, & aliis: & notandum est, quòd exercitium prædicationis, dicitur exercitium in mirabilibus Dei, scilicet in patefaciendo beneficia Dei, judicia ipsius, & præmia justis promissa. *Psal.* 118. *cap.* 2. *vers.* 11. & *cap.* 8. *vers.* 31, & hinc Propheta *in Psalm.* 50. Exhibet se pœnitentem, & simul prædicationis munus velle exercere confitetur dicens. *Docebo vias tuas.*

53. *Negligentia, & tædium cavenda sunt à prædicatore, & prælatis.*

Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Quid est dormitare, nisi à vigilantia ad somnolentiam declinare? Sic datur intelligi, quod sæpe prædicator Verbi Dei, & Prælatus occupantur à negligentia circa suum ministerium, scilicet in visitando, vegetando, suscitando, & prædicando: ideò debet ad Deum recurrere, & dicere confirma me infirmantem in paupertate, nempe multum exhortando, & parum reportando fructum. *Psal.* 118. *cap.* 2. *v.* 12. & *in Eccles. cap.* 1. Nota etiam pulcherrimum ordinem quem servat propheta; primò enim petit primam gratiam dicens, *vivifica me &c. viam justificationum tuarum &c.* secundò augmentum virtutum dicens; *doce me justificationes tuas*; tertiò virtutum robur dicens, *confirma in verbis tuis. Psalm.* 118. *vers.* 8.

54. *Ordo iniquitatis intrantis in animam qualis, & quomodò vitandus.*

Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei. Quænam est hæc via iniquitatis, quam amoveri vult vir justus? nota: via iniquitatis est suggestio mala per quam accedit ad animam, & ad quam succedit subreptio: hæcque est amovenda à viro justo, ne sibi accidat. *Psalm.* 118. *cap.* 2. *v.* 13. Et notandum, quod dicit, (*viam iniquitatis amove à me*), non vero amove me à via, quia amoveri à via est liberari à peccato jam commisso: amovere viam ab anima est ipsam iniquitatem elongari ab anima, ne in ipsam incidat. *Psal.* 118. *c.* 2. *v.* 13. & *c.* 7. *v.* 8. & *Psal.* 36.

55. *Veritatis summæ meditationis effectus quales in anima.*

Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus. Nota, quod in hoc versu intendit Propheta mirabiles effectus dilectionis, & contemplationis summæ veritatis: & ideò proponit viam veritatis calcandam, dicens, *viam veritatis elegi*; scilicet viam admirativam divinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, hanc elegit, & eligendo sectatus est, scrutando, legendo, orando: ex quo datur intelligi, quod veritas est cubiculum vacantium, speculum videntium, pabulum gustantium. *Psalm.* 118. *v.* 14. & *v.* 11. & *c.* 11. *v.* 13.

56. *Per gratiam anima redditur difficilior ad peccandum: facilior ad perseverandum, & habilior ad orandum: quæ habilitas fert secum multa bona.*

Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere. Nota pulcherrimum ordinem, quem servat Propheta in hoc quaternario: nam habita gratia divina docet per ipsam gratiam obtinuisse difficultatem peccandi, dicens, *viam iniquitatis amove à me*, & inde facilitatem perseverandi dicens, *viam veritatis elegi*: & hinc habilitatem ad orandum, scilicet ferventer dicens, adhæsi per fidem, spem, & charitatem; nam fides dirigit orationem, spes erigit, & charitas porrigit; dirigit, inquam, erigit, & porrigit materiam orationis, quæ consistit in meditatione testimoniorum Dei, unde dicit: *adhæsi testimoniis tuis*; testimonia autem ista sunt opera creationis, redemptionis, & adoptionis gratuitæ, & hinc imprimitur reverentia nominis Domini contra tumorem superbiæ: unde addit: (*Domine*,) scilicet qui es meus rex, judex, & vindex: per quæ excluditur timor vitiosus, & excitatur anima ad actum confidentiæ in Deum, & ideò dicit, *noli me confundere*, scilicet me te laudantem, invocantem, & in te sperantem. *Psal.* 118. *c.* 2. *v.* 15.

57. *Ex susceptione gratia divina consequitur non solum amotio iniquitatis, facilitas perseverantia in bono, & habilitas ad orandum, sed & agilitas ad rectè, & sanctè operandum perfectissimo modo.*

Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum. Ecce quid operatur fervens affectio animæ gratia informatæ: excitat enim animam ad operationes sanctas, quæ in hoc versu innuuntur, dicit enim primò (*viam mandatorum tuorum cucurri*) viam scilicet observantiæ per obedientiam perfectam, cucurri, scilicet festinanter, quia observantia perfecta exigit hanc solicitudinem; ex qua obedientia consequitur dilatatio cordis ab interiori ad exterius, scilicet ab interiori animæ ad opera externa: Via enim per quam justi incedunt sunt virtutes, & bona opera: sic autem currimus internis pedibus per obedientiam ad patriam, à qua per inobedientiam decidimus, *Psal. 118 cap. 2. v. 16. & 3. & Psal. 18. 36. & 58.*

58. *Idem confirmatur de cursu justorum in via perfectionis.*

Viam mandatorum cucurri cum dilatasti cor meum. Quomodò curritur in hac via? & quænam est hæc via? via hæc est observantia mandatorum Dei: in hac via observantia ipsorum curritur implendo, & operando: quot enim bona opera feceris, tot passibus ad regna cœlestia curris: Per hanc viam venit Dominus te confortare per gratiam Spiritus Sancti, ne deficias; sed adverte, quod debes currere, scilicet de somno corporis, & negligentiæ surgendo, & festinanter operari: ô grandis, & nobilis via! *serm. 4. Dom. 4. Advent. & in Lucam c. 3. v. 4.*

59. *Amor dilatat cor, & facilem reddit observantiam mandatorum Dei.*

Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum. Vide, quod iste justus se profitetur cucurrisse viam mandatorum Dei, denotans facilitatem, quam invenit in tali observantia: sed ut intelligamus, unde tanta facilitas, & felicitas talis cursus ortum traxerit, addit; *cum dilatasti cor meum*: quia enim dilatatio cordis provenit ex ferventi amore in Deum, datur intelligi, quod ferventer Deum amans evitat difficultatem, & invenit facilitatem in via perfectionis, *serm. 2. in opusc. de Decem precept.*

60. Et nota quod dilatatio est cordis motus, quo movetur ab interiori ad exterius, & ab inferiori ad superius, & à centro ad circumferentiam: sic autem anima per gratiam cor extendentem, & extollentem movetur extra se, & supra se: hæc autem dilatatio fit in pœnitentibus per justificationem, in proficientibus per magnificationem scilicet ad copiosam virtutum frugem, & in perfectis pervenientibus ad patriam per glorificationem. *Psalm. 118. c. 2. v. 16.*

61. *Convertitur sensus hujus Psalmi, seu Capituli ad Mariam Virginem.*

Retribue servo tuo Domina Virgo, vivifica me, & faciam voluntatem tuam: incola ego sum in terra, nihil abscondas mihi de amore tuo: concupivit anima laudem tuam desiderare omni tempore, tu enim salus mea in Domino, quæ me morti adjudicatum liberasti: quid pro his retribuam tibi, nisi me totum? Domina suscipe me, *Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 118. c. 2.* Appl. ad M. Virgi

62. *Contra maledictionem ab Adam contractam fuit apposita benedictio humilitatis Mariæ.*

Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Si maledicti sunt omnes, qui declinant à mandatis Dei: ergo & Adam, & filii ejus: sed attende, quod Deus contra hanc maledictionem universalem opponit benedictionem humilitatis Mariæ, ex qua benedicitur omnis creatura. *Opusc. specul. beat. Virg. lect. 15.*

CAPUT TERTIUM.

Exponitur titulus hujus capitis.

63. DUos octonarios caput hoc continet: quorum primus incipit à littera, *He*, quæ interpretatur, *ista*: & a. à, *Vau*, quæ interpretatur, *& ipsa*, datur autem intelligi, quod cum in hoc capitulo agatur de lege, & retributione legis, per legem venitur ad retributionem, & per retributionem ad beatitudinem: ponitur autem littera, *He*, scilicet, *ista*, & per istam legem & *Vau*, scilicet, *& ipsa*, & per retributionem pervenitur ad perfectionem beatitudinis. *Psalm. 118. c. 3.*

64. *Lex divina ligat, & comprimit insipientiam concupiscentia, & affert exercitium virtutum cardinalium.*

Legem pone mihi Domine viam justificationum tuorum, & exquiram eam semper. Vide quomodo vir justus expertus pessimos effectus concupiscentiæ, ipsamque desiderans ligare, & comprimere petit legem à Deo, quæ propriè dividitur in Naturalem, clericalem, seu canonicam, & laicalem, seu civilem, & ligat vitia, & insipientiam Ethnicorum, malorumque clericorum, & laicorum: Addit; quod hæc lex est via justificationum Dei: justificationes autem Dei pertinent ad justitiam fidei, quæ captivant intellectum in obsequium Christi, & ideò lex est exercitium justitiæ, temperantiæ, prudentiæ, & fortitudinis: nam per justitiam ligatur insipientia: per temperantiam castigatur concupiscentia: per prudentiam investigantur media in ordine ad finem, & per constantiam evitatur fatigatio intelligentiæ. *Psal. 118. c. 3. v. 1. & c. 6. v. 14. & c. 10. v. 11.*

65. *Legis observantia qualem diligentiam interius, & exterius requirat.*

Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper. Vide, quod justus petit legem sibi constitui à Deo, & quia ipsius observantiam desiderabat, ideò addit velle se eam exquirere semper: quid est exquirere? exquirere legem Dei est velle ipsi obedire, & exterius actione, & interius in intentione vigilanter, instanter, & perseveranter. *Psal. 118. c. 3. v. 1.*

66. Qinam

66. *Quinam sunt qui verè exquirunt legem Dei.*

Et exquiram eam semper. Quid est exquitam semper:exquiram exterius, & interius:exquiram hoc infatigabiliter:& nota, quod quidam sunt qui exquirut dum intelligunt:perfectionem legis:quidam nec exquirunt, nec intelligunt:quidam intelligant,& non requirunt:quidam exquirunt & non Intelligunt;primi sunt sancti:secundi mortui:tertij sunt impij:quarti sunt fatui. *Psal.*118.*v.*34.

67. *Notitia legis divinæ quomodò, & quo fine est à Deo petenda.*

Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Ex hoc versu patet, quod lex divina non solùm est desiderabilis, sed & considerabilis: vir enim justus debet eam meditari humiliter non fidens suæ captioni naturali & ideò à Deo petere debet ejus intelligentiã, dicens *da mihi intellectum,& scrutabor legem tuam,* scilicet adjutus tuo lumine;& hoc ut ipsam custodiam in toto corde meo, scilicet non solùm exterius,sed & interius,quia ex tali custodia provenit vita gratiæ sapientia,& Beatitudo. *Ps.* 118.*c.*3.*v.*2.

68. *Aliud est habere legem in corde, aliud cor in lege.*

Et scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Quid est legem custodire in toto corde:Nota,quod aliud est habere legem in corde, aliud cor in lege:legem habet in corde, qui notitiam de ipsa habet: Cor in lege qui eam novit, & observat:ad sanctitatem acquirendam utrumque requiritur,nec sufficit notitia sine custodia. *Psal.*118.*v.*34.

69. *Legis divinæ custodia qualiter habenda.*

Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum,quia ipsam volui. Nota, quod hic ad desiderium,& notitiam legis divinæ,teddit cooperationem,quam vir justus intendit: dicens deduc me Domine,quia te sequor,quia tu præoperas: deduc inquam custodiendo,erudiendo,& eripiendo, ut Tutorum doctor; addit *in semitam mandatorum tuorum.* Nota hic,quod aliud est duci in semitam, aliud in semita; qui deducitur in semitam non est in ea,sed extra; deducitur in semita, qui existens jam in ea ducitur per observantiam & sanctas operationes de virtute in virtutem:deduc me igitur in semitam,in qua prosequor te,quia tu mihi es cooperans:in semita scilicet mandatorum tuorum,in quibus tibi obsequor, quia ipsam volui, scilicet volui,per quod ostendit velle, quo voluit, & velle,quod voluit, & velle quod voluit ipsum velle,quo voluit.*Psal.*118.*v.*35.*&* *c.*3.*v.*5.

70. *Deus ut tutor,ut magister,& ut victor nos deduxit in viam salutis.*

Deduc me in semitam mandatorum tuorum. Ecce quod Propheta recognoscit Deum nostrum ductorem sed attende, quod hoc officium adimplet tripliciter, scilicet ut Tutor custodiens nos suos parvulos intrinsecus, & extrinsecus:ut Magister audiens,& inlumine claritatis sapientiæ,& scientiæ cælestis dirigens,& erigens,ad Charitatem Dei, & Proximi;& ut victor duxque nos ducens super excelsa mundi tentamina latabundos. *Ps.*118.*c.*3.*v.*5.

71. *Deus deducit suos in semitam salutis: diabolus in semitam perditionis.*

Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum. Vide quid facit Deus nobiscum: nos enim deducit de via perditionis in semitam salutis, & io hac de virtute in virtutem per observantiam suorum mandatorum: diabolus è contra suos deducit in semitas vanitatis,voluptatis, & cupiditatis in perditiunem. *Psal.*118.*c.*3.*v.*5.

72. *Iusti incedunt vultibus ad Cœlum: impij ad terram conversis.*

Inclina cor meum in testimonia tua & non in avaritiam. Ad quam partem prætendit justus cor suum inclinatum ad Cœlum nè,an ad terram sed nota quod dicit,*inclina cor meum in testimonia tua,* scilicet ad Cœlum, & non in avaritiam., scilicet non ad terram. Nam justi vultibus ad cœlestia conversis incedunt,scilicet corde disciplinato exterius,& interius per illuminationem cœlestem; quam afferunt divina testimonia,& mandata: impij verò in avaritiam scilicet ad terrena corde contaminato.*Psal.*118.*c.*5.*v.*4. Nota etiam, quod hæc verba dici debent à Religiosis, quorum cor debet esse inclinatum ad testimonia Dei, tempè ad evitandam triplicem libertatem scilicet possessionis per votum paupertatis, rebellionis per votum obedientiæ, & impudicitiæ per votum castitatis. *Psal.*118.*c.*7.*v.*16.

73. *Impij oculos habent conversos ad vanitatem,& ad hæc sensibilia,sicut Bruta: Iusti ad cælestia.*

Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me. Quomodò dicit,ne videant vanitatem? ergo ne quod est nihil potest videri? sed nota,quod omnia hæc transitoria dicuntur vanitas vanitatum,& omnia vanitas. & ad ista convertuntur oculi impiorum, & insipientium: sicut è contra ad cœlestia, & spiritualia convertuntur oculi justorum. Et ideò hic advertendum, quod non fine maximo mysterio Bruta excedunt hominem in perceptione sensibilium per sensus externos:homo verò Bruta excedit per sensus internos & hoc providentissimè Deus disposuit, ut intelligat homo,quod sua bona vera non sunt externa,sed interna,non terrena,sed superna, non cum Brutis in terra, sed cum Angelis in Cœlo quærenda. In sensibus ergo te ò homo superant Bruta,quia facta sunt solum ad sensibilia bona: tu autem in sensibus deficis,ut per hoc docearis, ut ad bona rationis,quæ sunt animæ intima revertaris. Qui ergo Deum videre desiderat ab exterioribus omnibus oculos avertat & ad se redeat, nec in vanis Beatitudinem suam ipsius quærat, dicens cum Propheta: *averte oculos meos, ne videant vanitatem,* scilicet ditias,delicias, & excellentias exteriores: sic enim in via Dei vivificabitur, quæ est una vera,& bona. *Psalm.*118.*c.*3. *v.*5.*Psal.*35.*&* *serm.*2.*de Angelis.*

74. *Per portam oculorum intrat mors in animam.*

Averte oculos meos, ne videam vanitatem. Vide quomodò expresse fatetur Propheta, quod mors intrat in animam per fenestras sensuum, & præcipuè per oculos: non enim est appetitus sine intuitu, ait Philosophus, quia apprehensio præcedit appetitum, ne igitur lubrica in cogitatione versemur, & ut munda mens servetur, custodiendi sunt diligenter oculi, qui sunt veluti quidam fures, & raptores trahentes ad culpam, ut evenit in Eva, & David. *Psal.* 118 *c.* 3. *v.* 5. *& op. de perf. religiosi l.* 1. *c.* 39. *& op. Confess. c.* 1 *p.* 3. *& op. specul. discipl. p.* 1. *cap.* 27.

75. *Vanitates mundi quàm noxiæ, & cavendæ.*

Ne videant vanitatem. Cur oculi custodiendi, ne videant vanitatem? quia vanitas mundana est sensuum detentiva, mentium seductiva, & divinæ iræ provocativa. *Psalm.* 118. *c.* 3. *v.* 5.

76. *Proprium servorum Dei est operari ad proportionem notitiæ, quam accipiunt ex auditione Verbi Dei.*

Statue servo sub eloquium tuum in timore tuo. Vide quid intendit sanctus Propheta, sciens enim quod veri servi Dei non auditores tantùm, sed etiam factores legis divinæ sunt, rogat Deum, ut dignetur statuere, & ipsum firmare secundùm eloquium Dei, scilicet ut proportionaliter operetur secundùm quod verbum Dei suo cordi instillatur, & hoc ut exurgat in timorem reverentialem Dei: unde firmitas in Dei servitiò per illud verbum *statue*, humilitas per verbum, *servo tuo*, veritas per verbum, *eloquium tuum*, & dilectio in verbo illo, *in timore tuo* petitur. *Psal.* 118. *c.* 3. *v.* 6.

77. *Proprium servorum Dei amputare falsitatem omnem, omne judicium temerarium, & suspicionem mali rescindere de proximo suo, & in bonum omnium sumere.*

Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda Nota, quod in his verbis intendit Propheta à Deo obtinere gratiam resecandi à se omnem falsitatem, & mendacium, & erga Proximum omne judicium, & suspicionem temerariam scilicet omnia in bonum sumere, hoc enim est proprium servorum Dei. *Psalm.* 118. *c.* 3. *v.* 8.

78. *Pœnitens verus post pœnitentiam peractam ad intellectum veritatis, ad sequelam bonitatis inhiat.*

Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua vivifica me. Quid est, quod petit Propheta post expressionem desiderij, quo anima ejus imbuta est intelligendi mandatorum Dei veritatem? sed nota, quod hoc est munus veri pœnitentis, nempè post peractam pœnitentiam peccatorum militantis toto corde Domino, concupiscere notitiam veritatis, amplecti bonitatem dirigentem; ideò dicit, *concupivi mandata tua*, & eligere æquitatem: unde dicit. *in æquitate tua vivifica me*, nam præcepta Dei, quæ ad duo capita reducuntur, scilicet ad dilectionem Dei, & proximi, vitam animæ afferunt. *Psalm.* 118. *v.* 40. *& c.* 3. *v.* 8. Nota etiam, quod hoc adverbium (*ecce*) demonstrat aliquid notabile semper in sacra scriptura, nempè vel sapientiam Divinam, vel illuminationem intellectus, vel inflammationem affectus: hic autem demonstratur veritatis speculatio: ecce quasi dicat non ignoro necessitatem meam, sed imploro, imò præcognosco, quod concupisco. *Psalm.* 118. *c.* 3. *v.* 8.

79. *Lex Dei liberat animam, timorem noxium removendo & amorem Dei promovendo.*

Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundùm eloquium tuum. Vide, quod fidelis anima loquens voce prophetica ut timorem noxium removeat, & amorem sanctum promoveat orans dicit: *& veniat super me misericordia tua, Domine*: quasi dicat, quia miseriam meam cognosco, misericordiam tuam deposco prævenientem, cooperantem, & subsequentem: addit: *salutare tuum secundum eloquium tuum* scilicet salutis desiderio sum erecta, & virtutis eloquio directa ad hæc desideranda, & petenda. *Psal.* 118. *c.* 3. *v.* 9. *& c.* 10. *v.* 1.

80. *Custodia linguæ qualiter servanda à servis Dei.*

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis. Vide quomodò servus Dei dicit respondebo, scilicet custodiam linguam meam, nec loquar nisi interrogatus; & contra exprobrantes, & contentiosos dulces sermones proferam; & contra verbosos otiosos servando breviloquium, & rectiloquium. *Psal.* 118. *c.* 3. *v.* 10.

81. *Prædicator debet omnem timorem vanum deponere, ut prædicet verbum veritatis.*

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, quia in judiciis tuis supersperavi. Hæc dicit Prædicator zelator verus salutis auditorum. Ne auferas inquit, ô Deus non auferendo, quod non est auferendum, & auferendo, quod est auferendum, nempè auferendo omnem timorem malum, & respectum humanum, & ventum superbiæ, & non auferendo verbum veritatis. Verbum inquam proponendum, exponendum, & opponendum, falsitati sine acceptione Personarum, quia in judiciis Dei supersperat verus Prædicator, scilicet in auxilio Dei, & pro fine habet meritum. *Psal.* 118. *cap.* 3. *v.* 11.

82. *Obedientia quadriformis servorum Dei proponitur.*

Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi. Vide quid vir justus promittit Deo, nempè obedientiam perfectam in observantia mandatorum Dei, quæ ad quatuor capita reducitur, nempè ad obedientiam corporalem, mentalem, temporalem, & æternalem: corporalis innuitur in illo verbo: (*& custodiam*) scilicet quoad exteriorem custodiam pertinentem ad hominis disciplinam, quæ docet custodiam à vitio loquelæ per maturitatem loquendi, à vitio sequelæ, scilicet socie-

tatis

tatis hominum impiorum, & consequenter à vitio corruptelæ: mentalis custodia innuitur per verbum (*legem tuam*) quasi intus lucentem, & interiorem hominem custodientem: talis enim lex excitat desiderium interius per condelectationem, consiliat rationem consentientem, & arbitrium libertatis ligat ad Deo, & Prælatis serviendum. Temporalis custodia innuitur per verbum (*in sæculum*) scilicet præsentis temporis spatium per donum perseverantiæ: æternalis custodia innuitur per verbum: (*& in sæculum sæculi*,) scilicet quia in æterna vita remunerabitur. *Psal.* 118. *c.* 3. *v.* 12.

83. *Obedientia perfecta fructus hic enarrantur.*

Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi. Ecce quales fructus obedientia reportat, nempè facit, ut obediens in hac vita ambulet dignè per devotionem, cautè per discussionem, & honestè per circumspectionem: ambulat quidem in latitudine, scilicet introducitur ad notitiam, & possessionem veræ sapientiæ, quia mandatorum observantiam obediens exquisivit diligenter. *Psal.* 118. *c.* 3. *v.* 5.

84. *Elegantia Verbi Dei in Concionatore qualis exigatur.*

Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Nota, quod in his verbis proponitur elegantia qualis in prædicatione Verbi Dei servanda secundùm causam materialem, formalem, finalem, & efficientem: materia respicit puritatem sermonis, unde dicit: *loquebar de testimoniis tuis*, quæ continent puritatem veritatis: quid enim istis purius veritate, quæ removent falsitatem? hæc sunt testimonia dominicæ missionis, redemptionis, & resurrectionis: forma respicit claritatem, unde dicit: *in conspectu*, scilicet testimonia conspicua continentia veritatem dialecticam, & rethoricam: finis respicit maturitatem, unde dicit: *in conspectu Regum*, scilicet rectè regentium, & diligentium veritatem, & æquitatem, & abhorrentium vanitatem: efficiens respicit securitatem, unde dicit: *& non confundebar*: quia nec falsitatem, nec vanitatem, nec iniquitatem loquebar in conspectu Regum. *Psalm.* 118. *c.* 3. *v.* 14.

85. *Meditatio legis divinæ quo ordine procedat.*

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. Nota, quod in his verbis notatur ordo servandus in meditatione legis divinæ; requiritur enim primò desiderium mentis ad inveniendam sapientiam, justitiam, & doctrinam, ejusque mysteria; illud enim propriè meditamur, quod invenire conamur, unde dicit: *& meditabar*: secundò introitus in penetratione divini Imperii, unde dicit: *in mandatis*: tertiò penetratio imperantis, & disponentis, unde dicit; (*tuis*,) scilicet mandatis: quartò amor, & dilectio & Imperatoris, & mandatorum, unde dicit, (*quæ dilexi nimis*,) idest valde. *Psalm.* 118. *cap.* 3. *vers.* 15. *& cap.* 10. *vers.* 5.

86. *Meditationem legis divinæ debet consequi operatio manualis.*

Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebar in justificationibus tuis. Ecce quid post meditationem legis divinæ consequi debet nempè levatio manuum ad mandata, quæ scilicet consistit in operationibus sanctis: dicitur autem; *levavi manus meas*, quia levatio manuum est motus exterior manifestativus interioris, & ideò levatio manuum exterior manifestat timorem, dolorem, & amorem: timorem tentationis, dolorem peccatorum per contritionem, amorem plausu devotionis: Additur mandatis Dei levatio manuum, quia mandatis Dei debetur obedientia libera, voluntaria, & prompta, quæ obedientia oriri debet ex amore, unde addit: *quæ dilexi*, *& exercebar in justificationibus tuis*, scilicet per frequentem exercitationem. *Psalm.* 118. *cap.* 3. *vers.* 16. *& cap.* 10. *vers.* 15. *& cap* 7. *vers.* 16. *& cap.* 8. *vers.* 1 a.

87. *Mandata Dei cur diligenda.*

Quæ dilexi. Meritò dicitur se dilexisse mandata Dei, sunt enim diligenda tum propter mandantis honorem, tum propter eorum valorem, tum propter salarii salutis amorem. *Psalm.* 118. *c.* 3. *v.* 16.

88. *Alii levant manus suas ad Deum: alii ad diabolum.*

Et levavi manus meas ad mandata tua. Nota, quod dicit ad mandata tua, scilicet ad Deum, non ad diabolum: illi enim levant manus suas ad Deum, qui ad observantiam mandatorum, ad subveniendum proximo, ad implendum præceptum charitatis se applicant: illi ad diabolum, qui ad furta, homicidia, & alia vitia se applicant: primi levant manus suas in nomine Domini: secundi in nomine diaboli. *Sermon.* 2. *dom.* 13. *post Pentecost.*

89. *Pertrahitur iste Psalmus ad Mariæ Virginis laudes.*

Legem pone mihi domina Virgo voluntatis tuæ sanctarum sanctissima, & exquiram eam semper: deduc me in semitam orationum tuarum mulierum pulcherrima, quia ipsam volui: inclina animam meam ad supernorum amorem, & non ad impudicitiam: ecce concupivi pudicitiam tuam à juventute mea in misericordia tua confirma me, & observabo viam justificationum tuarum in sæculum, & scrutabor mandata filii tui, quæ dilexi. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 118.

CAPUT QUARTUM.

90. *Exponuntur tituli duorum octonariorum hujus quarti capitis. Zain. Heth.*

Nota, quod in primo octonatio hujus capitis præponitur littera, *Zain*, quæ interpretatur oliva, cujus est lætificare, & sequitur littera, *Heth*, quæ interpretatur vivacitas, cujus est fructificare: & ratio mysterii est, quia supra actum est de observantia legis divinæ, ex qua oritur

oritur spes in Deum, & quia spes lætificat patientes ideò proponitur littera, *Zain*, idest oliva, quæ significat lætitiam, & quia patientes lætificat dupliciter, scilicet quantum ad malorum tolerantiam, ideò in primo quaternario agitur de ipsa, & quantum ad malorum compatientiam, ideò de ea in secundo quaternario agitur: & quia spes rectificat mentis aciem in Deum, & confutat deficientem ab ea, ideò in alio octonario de hac fructificatione agitur. *Psal.* 118. *c.4.v.1. & v.9.*

91. *Consideratio majestatis Dei imperantis remunerationis spem ingerit animæ.*

Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Quomodò Propheta dicit Deo, quod sit memor verbi sui: subjectus ne est Deus oblivioni? minimè: sed nota, quod Deus dicitur illorum memor, quorum est remunerator, hanc rememorationem affectat, & ideò dicit: *Memor esto verbi tui servo tuo*: per quæ considerat mandata à Deo sibi imposita, debitum propriæ servitutis, & sic insinuatur in corde spes de remuneratione. *Psal.* 118. *cap.4.v.1.*

92. *Spei effectus mirabiles.*

Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me. Nota, quod loquens de spe hic suos mirabiles effectus exprimit dicens: *hæc me consolata est in humilitate mea*, scilicet spes confirmavit me per æquanimitatem immissam in anima exterius, & interius, & per longanimitatem meam: addit: *Quia eloquium tuum vivificavit me*: ut innuat, quod spes immittit in animam magnanimitatem: daturque intelligi, quod per spem fit homo fortior, & vivacior ad operandum. *Ps.* 118. *c.4.v.2. & c.10 v.5.*

93. *Ubi non ingreditur virtus verbi divini, ibi non est vita.*

Quia eloquium tuum vivificavit me. Ecce unde provenit vita animæ: sicut enim non est vita corporalis, ubi non pertingit radius lucis, sic nec vita spiritualis, ubi non ingreditur virtus divini verbi, ergo verbum Dei vitam confert spiritualem animæ. *Op. Eccl. Hier p.4 c.4.*

94. *Certant simul justi, & impij: illi opponentes scutum patientiæ: isti scandalum, & mala exempla.*

Superbi inique agebant usquequaque: à lege autem tua non declinavi. Vide quid opponit vir justus actibus iniquis superborum, nempè custodiam legis divinæ, datque intelligere, quod qui Dei amore est imbutus non solùm scandalis malorum non movetur ad malum, sed ipsis opponit propriam vitam, & exemplum sanctum, & tolerantiam adversitatum: boni enim non sunt, qui malos ferre non possunt: hæc docet lex divina. *Ps.* 118. *cap.4.v.3.*

95. *Patientia nostra fovetur ex recordatione divinæ patientiæ erga iniquos.*

Memor fui judiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum. Nota ordinem quem observat sanctus Propheta: supra enim dixerat se ex scandalo malorum non esse motum, sed potius consolatum: nunc ad excitandam patientiam respectu malorum malè tractantium proponit memoriale patientiæ divinæ respectu humanæ injustitiæ: quasi dicat, si Deus est tam patiens erga conculcantes sua judicia, multo magis ego patienter me debeo gerere erga persecutores; & malos: dicit igitur: *memor fui judiciorum tuorum*, idest mihi præfigam memoriale tuæ patientiæ, quod est speciosum, quia in ea relucet divina clementia, unde dicit: *memor fui judiciorum tuorum.* Item est speciosum, quia hanc exercuit, & ostendit à sæculi initio, in quo cœpit est conculcatio divina, ideò addit: *à sæculo*: item est virtuosum, quia est patientia supremi Domini in servos insolentes, ideò addit: *Domine*: item est victoriosum, quia tali memoria generatur victoria nostræ impatientiæ, consolatoria, ideò addit: *& consolatus sum. Psal.* 118 *c.4. v.4. & in Eccl.c.12.*

96. *Compassio miserorum & peccantium in Justo quam meritoria, Deoque chara.*

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Quid, & qualis est hæc defectio, & ad quid? Nota, quod hic declaratur maxima Charitas justorum, in hoc quod videntes malos in pessimo statu eis compatiuntur, quia fraternam culpam deplorant, unde dicit: *defectio tenuit me*, nempè vehemens compassionis affectio, quæ sic cor meum affecit; quod calidas lachrymas expressit pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam: sic plorabam videns eos in tenebris, & erroribus ambulantes, derelinquentes ignem divinum, & in peccatis sordescentes. *Psal.* 118. *c.4.v.5.*

97. *Verus compatiens peccatoribus non contentus deplorare eius miseriam, implorat à Deo etiam veniam.*

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Ecce secundus usus perfectæ compassionis justorum in peccatores, quia non solum deflent eorum miserias, sed & ad Deum recurrunt pro venia ipsis obtinenda: hinc dicit: *cantabiles mihi erant justificationes tuæ*, quasi diceret: justificationes fraternæ, quæ à te ò Domine exiguntur à peccatore erant cantabiles, idest cantando pronuntiabiles in signum prolationis internæ, nec enim eas protulit sola speculatio intellectus, nec sola emulatio affectiva, sed conjunctim utroque modo in loco orationis, qui dicitur locus peregrinationis meæ, ubi vitam meam dego, & crucem meam porto *Psalm.* 118. *cap.4.v.6.*

98. *Cantus Psalmorum quomodo faciendus.*

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ. Quid est cantabiles mihi erant &c. Nota, quod Propheta appellat

appellat justificationes Dei cantabiles, & addit: (*mihi*) scilicet interiori attentione, & intentione cantanti, & meritò, nam cantus Psalmorum, & laudum divinarum debet esse justificationum Dei, nempè cum attentione intellectus, cum excitatione affectus, & cum modulatione externa, scilicet speculando, æmulando, & famulando, cum concursu inquam interno intellectus, & voluntatis, & externo famulatus: & ista facienda sunt in loco orationis, qui est summè venerabilis, quia divinæ memoriæ consecratus, divinæ Eucharistiæ deputatus & divina militia visitatus. *Psalm.* 18. *cap.* 4. *v.* 6.

99. *Iusti peregrinantur in hac vita.*

In loco peregrinationis meæ. Quis est iste locus peregrinationis viri justi? iste est locus orationis: vel etiam hujus mortalitatis: nam in hac vita justi spiritu ambulantes, & crucem suam quotidie bajulantes vivunt peregrinando, de die in diem festinantes ingredi in requiem æternam. *Psal.* 118. *cap.* 4. *v.* 6.

100. *Studium perfectionis magis aptè fit nocturno tempore.*

Memor fui noctè nominis tui, & custodivi legem tuam. Cur nocte, & non die, quia tempus nocturnum est magis aptum, lectioni, meditationi, revelationique mysteriorum Dei, ex quibus securiùs oritur custodia divinæ legis. *Psal.* 118. *c.* 4. *v.* 7.

101. *Memoria nominis Dei, & præcipuè Iesus quàm efficax ad observantiam legis divinæ.*

Memor fui nocte nominis tui, & custodivi legem tuam. Quid est esse memorem nominis Dei, ex qua recordatione consecuta est observantia legis Divinæ? memorem esse nominis Dei est in memoria, & per memoriam exerceri meditationum nominis Dei: scilicet quàm mirabile, horribile, terribile, & venerabile, quodque magis convenit nomini Jesus, quod est gloriosum virtuosis, terribile vitiosis. *Psal.* 118. *c.* 4. *v.* 7.

102. *Verus compatiens peccatoribus pœnitentiam ipsorum procurat.*

Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi. Nota, quod spes facta, & indita est in justo ex eo, quod justificationes Dei exquisivit in peccatoribus, quibus verè compatitur. *Psalm.* 118. *cap.* 4. *v.* 8.

103. *Spes fortificat animam ad rectè operandum.*

Portio mea Domine dixi custodire legem tuam. Nota, quod in isto octonario præponitur littera (*Heth*) quod est fortificare, ut suprodictum est, daturque intelligi, quod spes fortificat animam ad rectè operandum, quia propositum ratificat, unde dicit: *Portio mea Domine.* Nempè pars mea, & omnia bona mea tam fortunæ, quàm gratiæ ad custodiam legis tuæ ordinata sunt, ad hoc enim omnia nostra ordinanda sunt. *Psalm.* 118. *c.* 4. *v.* 9.

104. *Spes vivificat mentis aciem ascendentis ad Deum, & descendentis ad Creaturas.*

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum. Vide quomodo spes non solùm fortificat animam ad rectè operandum, sed & erigit mentis aciem ad Deum, sive ascendendo ad ipsius intuitum, & contemplationem; unde dicit: *Deprecatus sum faciem tuam,* sive descendendo ad compunctionem, vel mentis compunctæ reflexionem, unde addit: *& miserere mei secundum eloquium tuum. Psal.* 118. *c.* 4. *v.* 10.

105. *Alii benè orant Deum à facie, alii malè à tergo.*

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Nota illam particulam (*faciem tuam in toto corde meo*) quia hæc est conditio bonæ Orationis: nempè orare Deum à facie, scilicet corde toto intendendo: nam qui labiis, & non corde orant à tergo non à facie orant, & ideò malè. *fer.* 1. *Dom.* 17. *post Pentecost.*

106. *Spes purificat affectum animæ.*

Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua. Vide quomodo spes salutis imperat actum cujusvis virtutis, quia ultra actus supradictos etiam purificat, & rectificat affectum: nam facit recogitare iniquitates antiquas ad redarguendam conscientiam de via mala, unde dicit: *cogitavi vias meas*: & inducit conversionem morum, unde subdit: *& converti pedes meos in testimonia tua. Psalm.* 118. *c.* 4. *v.* 11. *& c.* 11. *v.* 8. *& in Luc. c.* 3. *& fer.* 3. *de S. Matthæo.*

107. *Meditatio vitæ præteritæ stimulat ad bona opera.*

Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua. Vide ex hac qua arte conversus est Propheta ad pœnitentiam agendam, nempè quia cogitavit vias transactas, scilicet peccata, & vitam in peccatis ductam, ex qua meditatione stimulatus est ad colligendum, & patrandum bona opera, & dimittendam mala. *Id Ioan. c.* 4. *v.* 36.

108. *Spes exire facit in publicum virium animæ actus.*

Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Vide in his verbis, quomodo spes exire facit in actus suos omnes vires animæ, nempè concupiscibilem dicens: *paratus sum*: scilicet promptum habens appetitum ad abstinendum à malis, & ad continendum in bono: vim irascibilem, unde dicit: *& non sum turbatus*, quia irascibilem applaudentem circa Dei potentiam, & sapientiam habes: vim rationalem, unde ait: *ut custodiam*, scilicet quia rationalis me consulit ad observantiam mandatorum Dei. *Psalm.* 118. *c.* 4. *vers.* 12. *& cap.* 8. *vers.* 11.

109 *Servorum Dei proprium est se praeparare ad credendum Domino, ut Magistro, ad obsequendum ut Regi, ad respondendum ut Iudici per pœnitentiam.*

Paratus sum; & non sum turbatus ut custodiam mandata tua. Nota, quod in his verbis exponitur obliga io, qoam multiplicem habemus ad Dominum, nempè ut discipuli ad credendum Domioo, ut magistro docenti per captivitatem intellectus; ut servi obsequentes Domino, ut Regi potentissimo præcipienti per executionem affectus: & ut veri pœnitentes ad respondendum Domino ut Judici per emendationem defectus: unde dicit Prophera: *paratus sum:* ubi notatur promptitudo obediendi; & non sum turbatus, quia voluotariè, & cum amore tibi sacrificabo; ut custodiam mandata toa opere diligenter adimplendo. *serm 1. dom. 4. Advens.*

110. *Praecepta Dei cur dicuntur mandata, praecepta, & testimonia.*

Vt custodiam mandata tua. Cur dicuntur præcepta Dei mandata, & testimonia? Nota, quod dicútur præcepta, quia sont indicia potestatis supremæ Dei: dicuotur testimonia, quia sunt indicia veritatis æternæ: & mandata, quia indicia sunt charitatis Dei: dicuntur autem mandata, quasi manui data, eo quod sunt sensibilibus orgauis mancipata, inter quæ manus obtinet primatum, quæ est organum organorum; mancipantur autem manu, quia manualiter ministrantur, manus enim ministrat actus exteriores: manifestantur, qoia manus manifestat actus interiores, & notantur, quia manus notat interiores, & exteriores. *Psal. 118. c. 4. vers. 11.*

111. *Occasiones omnes peccati rescindenda à volente Deo servire.*

Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus. Quomodò dicit Propheta se circumplexum funibus peccatorum, & simul non fuisse oblitum legis divinæ? Non enim simol stant observantia legis divinæ, & peccatum: sed nota, quod hic loquitur de occasionibus peccandi, quæ ei objecta fuerunt diversimodè, quas nomine funium explicat; profiteturque se eas evitasse judicio discretionis, simulque obedientiam legis divinæ non esse oblitum. *Psal. 118. cap. 4. vers. 14.*

112. Peccata sunt funiculi, quibus Deus efformat flagella, nosque castigat: unde dicit: *funes peccatorum circumplexi sunt me. serm. 4. in die Pascha.*

113. *Peccata sunt funes nos trahentes ad mortem, & infernum.*

Funes circumplexi sunt me. Cur peccata dicuntur funes? ita vocantur, quia his anima ligatur per seductionem, trahitur ad mortem, & infernum. *Psalm. 118. cap. 4. vers. 13. & Psalm. 41. & 57. In sapient. capit. 17. in Ioan. capit. 11. vers. 44. & collat. 51.*

114. *Perfectæ devotionis effectus est vigilantia, & somnolentia.*

Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ. Nota, quod in his verbis exprimit propheta qualitatem devotionis suæ residentis in voluntate: dicit enim: *media nocte surgebam*, ut ostendat quantum esset ejus effectus illectus amore Dei, dum tranquillum deserit lectum & imperfectum deserit somnum, & dum dicit se surrexisse, ostendit se non somnolentum, sed vigilantem in Dei servitio, & confessione laudis divinæ. *Psal. 118. cap. 4. v. 14.*

115. Charitas perfecta aliena bona facit sua, unde Propheta dicebat: *particeps ego sum omnium timentium te. Op. diat. tit. 7. cap. 4 & Psalm. 118. cap. 4. vers. 5.*

116. *Orationis utilitas timentium Deum extenditur ad peccatores.*

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Quomodò particeps potest dici omnium timentium Deum? quomodò intrat in possessionem suorum bonorum? ob virtutem orationis timentium Deum, & Dei servorum: hæc enim quia extenditur ad omnes peccatores indigentes veluti cibus communis, ideò in persona peccatorum dicit: *particeps ego sum omnium timentium te*, quia Deum diligentes non tenuunt communitati servire, & indigentibus hanc eleemosynam, & subsidium conferre. *Psal. 118. cap. 4. vers. 13.*

117. *Qui pro aliis orat liberaliter communicat sua bona.*

Particeps ego sum timentium te &c. Quia timentes Deum præ aliis largè orant, ideò largè communicant; qui enim pro paucis orat parcè orat, qui pro multis, largè orat, oratioque Deo charior est. *Psal. 118. c. 4. v. 15.*

118. *Orationis conditiones quænam.*

Misericordia tua Domine plena est terra; justificationes tuas doce me. Nota quod Propheta in his verbis pro se ipso orat: & ut cum fructu oret, proponit primo divinæ dignationis benignitatem, & misericordiam indifferentem, immunemque ab indignatione dicens: *misericordia tua Domine plena est terra*, ac si diceret misericordia tua est medicina, disciplina, & doctrina contra triplicem miseriam vis irascibilis infirmæ, vis concupiscibilis lubricæ, & vis rationalis rudis: hac misericordia plena est Terra, scilicet quam terimos, nam hæc laudis divinæ materiam copiosam nobis affert; alia est Terra, quam quærimus, estque cælestis, & alia, quam gerimus, estque corpus nostrum, quod est plenum miseria, & hinc subdit: *justificationes tuas doce me*: idest Domine, qui misereri dignaris, & nemini indignaris justifica me, qui sum indignus, quia tu justificare es dignus: fac ergo mecum, unde tu es dignus, ut fiam dignus unde sum indignus: doce ergo me, qui non sum dignus doceri, sed tu non es docere indignus. *Psal. 118. cap. 4. vers. 16.*

119. *Pertrahitur sensus hujus capitis vel Psalmi ad Mariam Virginem.*

Memor esto verbi tui Domina Virgo in quo mihi spem dedisti: hæc in tempestatum fluctibus teouit me potenter quia eloquium tuum vivificavit me: circumdederunt me viri mendaces, & congregata sunt super me flagella, & ecce manus tua eripuit me: communicavi in bonis omnibus timentibus te, & custodientibus obnixe mandata tua: miserationibus tuis plena est terra, ideò viam justificationum tuarum exquisivi. *Op. Psal. B. Virg. Psal.* 1. 8.

120. *Spes in Mariam Virginem eripit tribulatos.*

Hac me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me. Hæc scilicet spes in Mariam Virginem consolatur peccatores existentes in humilitate, scilicet in tempestatum fluctibus liberat omnes in eam confidentes. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 118.

121. *Manus Mariæ solvit compeditos à peccatorum funibus.*

Funes peccatorum circumplexi sunt me. Et si hoc quomodò eripieris ó peccator? quis te solvet? solvet me manus Mariæ: hæc enim eripit omnes ad ipsam confugientes. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psal.* 118.

122. *Devotio Beatæ Virginis participes reddit suos devotos in omnibus bonis timentium Mariam.*

Nota pro sodalitatibus Mariæ Virgini dicatis. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Nota hæc possunt verè dici à devotis Mariæ, isti enim communicant in bonis omnibus timentium Mariam, & custodientibus omnia mandata ejus, quod verè, & peculiariter fit in Congregationibus & sodalitatibus Mariæ dicatis. *Opus. Psalt. B. Virg. Psal.* 118.

123. *Maria misericordia plena est terra.*

Misericordia tua Domine plena est terra &c. Hæc dicebat Deo Propheta: hæc ea suo modo dicuntur de misericordia Mariæ, qua plena est terra, scilicet totus mundus, nec est mirum, quia Maria fuit vas immensissimum plenum omni gratia & misericordia, cujus longitudo extenditur ab origine mundi usque ad novissimum diem, ex quo subvenit universis invocantibus eam cujus latitudo replet orbem terrarum, cujus sublimitas invenit restaurationem supernæ civitatis, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem: quis igitur dimensus est talem immensitatem, vel investigare queit, nisi ille solus, qui ipsum non solum in gratia, & in gloria, sed etiam in misericordia tam altissima, tam latissima, tam profunda operatus est: miserationibus ergo tuis ô Maria cum plena sit terra, ideò viam justificationum tuarum toto corde & tempore vitæ meæ exquisivi & exquiram. *Opuscul. specul. B. Virg. lect. 5. & opuscul. Psalt. Beata Virg. Psalm.* 118.

CAPUT QUINTUM.

124. *Exponitur Titulus hujus capitis, Teth, & Jod.*

Nota, quod in superiori capite exposita fuit spei immissio, & quia spes ex bonitate divina transmissa consurgit, hinc processu resolutorio in hoc capite agitur de hac bonitate. Præponitur autem primo octonario littera Hebraica, (*Teth*,) quæ interpretatur bonum, vel infra, vel exclusio, quia agitur in ipsa de bonitate divina inferiori, scilicet ad animæ justificationem, & ad tolerantiam adversitatum hujus vitæ inferioris pertinente. Secundo octonario præponitur littera (*Jod*) quæ interpretatur principium seu dominatio, quia agitur in eo de bonitate superioris attinente ad animæ justificatæ magnificationem, & exaltationem, qua dominatur omnibus. *Psal.* 118. c. 5. v. 1.

125. *Bonitas divina curat omnem animæ pœnitentis languorem.*

Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine secundum verbum tuum. Quæ est hæc bonitas, de qua hic agit Propheta? bonitas ne naturalis, an supernaturalis? Bonitas hæc est influentia spiritualis, quam Deus immittit in suos servos, eos per ipsam volens curare ab omni infirmitate spirituali: hinc dicit: *bonitatem fecisti*, scilicet immisisti per filium tuum in servo tuo. *Psalm.* 118. c. 5. v. 1.

126. *Verbi divini & humani proportio expenditur.*

Secundum verbum tuum. Cur filius Dei nomine Verbi exprimitur, & verbo prolato à nobis comparatur? loquitur hic de verbo æterno, per quod omnia fecit, sed nota proportionem inter verbum divinum, & humanum 1 primò quia sicut verbum humanum in quantum est in dicente sicut procedens in non procedente, & sic distinctè, ita verbum divinum in quantum proles est in Patre non procedente, & sic distinctè personaliter: unde dicit. *Ioan. cap.* 1. *Verbum erat apud Deum &c.* Secundò quia sicut verbum humanum in quantum vivum est in dicente, sicut vivens in vivente, & sic indistinctè: ita Verbum divinum in quantum vivum est in Patre sicut vivens in vivente, & sic indistinctè loquendo de distinctione essentiali: sic sanctus Joannes ait: *& Deus erat Verbum*: tertiò sicut Verbum humanum in quantum significativum est in dicente, sicut significans in significante, & sic iterum indistinctè: ita Verbum divinum in quantum spirativum est in Patre, sicut spirans in spirante, & sic indistinctè quantum ad indistinctionem notionalem, unde sanctus Joannes ait: *Verbum erat in principio apud Deum. Psalm.* 118. *cap.* 5. *vers.* 1.

127. *Summum totius bonitatis bonum fuit missio verbi in carnem.*

Bonitatem fecisti cum servo tuo secundum verbum tuum. Quam bonitatem, quodnam beneficium? Bonitas hæc fuit secundùm verbum Dei, per quod impleta est promissio veritatis divinæ, scilicet adventus Verbi Dei in carnem, & hæc fuit manifestatio summæ bonitatis: hoc quisque potest dicere Deo in gratiarum actionem pro tanto beneficio. *In Lucam c.2.v.29.*

128. *Fides est fundamentum, super quo ædificatur aurum bonitatis, argentum disciplinæ, & lapis pretiosus scientiæ.*

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Nota ordinem horum verborum: primò enim ponit causalem, scilicet quia mandatis Dei credidit nempé posuit pro fundamento fabricæ spiritualis fidem: hinc petit superædificari super hoc fundamentum, scilicet aurum bonitatis, argentum disciplinæ, & lapides pretiosos scientiæ: & rectè bonitas comparatur auro, est enim bonitas bona mentis qualitas, quæ sicut aurum est ponderosa, scilicet pœnitentibus, est & radiosa contemplativis, est & fructuosa gustantibus: petit secundo loco disciplinam, quæ comparatur argento, est enim disciplinata compositio quantum ad exteriora, & sicuti argentum est chara acquirentibus, clara videntibus, & sonora audientibus: petit tertio loco scientiam, quæ comparatur lapidibus pretiosis, quæritur veritas, claritas & salubritas, sic scientiæ donum confert veritatem, claritatem, & salubritatem in scripturarum spiritualibus theoriis quantum ad expositiones allegoricas, tropologicas, & anagogicas. *Psal 118 c.5.v.1.*

129. *In schola Christi per exercitium virtutum pervenitur ad scientiam.*

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Cur hoc ordine procedit? cur non ponitur primo loco scientia, postea bonitas, & disciplina, nam voluntas non fertur in incognitum? quia in schola Christi ordine præpostero proceditur ac in schola mundi: nam primò debet acquiri bonitas, & per bonitatem disciplina, & per hanc pervenitur ad scientiam. *ser.2.& 19. Hexaem. & in Psalm.118.v.66.*

130. *Per bonitatem disciplinam & scientiam homo satisfacit Deo, Proximo, & sibi.*

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Nota hic, quod primo loco ponitur bonitas, quæ habetur à Deo per inspirationem, & per quam tanquam per regulam homo debitum Deo solvit: secundo loco disciplina, quæ habetur per boni exempli suppositionem, & per quam homo debitum solvit Proximo, & tertio loco scientia per quam satisfacit homo sibi. *Psal.118.v.66. & in Lucam cap.1. vers.22. & cap.12. v.46. & c.23. vers.1.*

131. Christus Magister est docens scientiam Doctrinæ sacræ, bonitatem vitæ sanctæ, & disciplinam justitiæ: hæc est triplex veritas, quam Christus docet suos discipulos: Bonitatem faciendi divinam voluntatem, disciplinam fugiendi vanitatem, & scientiam intelligendi veritatem. *serm.4. Dom.3. post Oct. Pentec. & serm.22. in Pentec. & Psal.118.c.5.v.4. & Psal.131.*

132. *Fundamentum vitæ Spiritualis est fides, & quomodo exerceatur.*

Quia mandatis tuis credidi. Idest quia fundamentum fidei supposui, ideò da mihi bonitatem, & disciplinam: & scientiam: hoc fundamentum autem tali pacto sternitur, scilicet credendo corde ore; & opere: corde fides sternitur, ore affirmatur, & opere confirmatur. *Psalm. 118. cap.5. versic.2.*

133. *Alii malè humiliantur, alii rectè.*

Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi. Quomodo dicit humiliatum esse, quando deliquit? ergone humilitas stat cum deliquit? Nota, quod est mala, & bona humiliatio; mala est ex timore malè humiliante, & contingit tripliciter, scilicet malum dissimulando, bonum simulando, & malum accumulando: Bona oritur ex timore sancto Dei. *Psal.118.c.5.v.3* Vide ergo quod omnis peccans se male humiliat, & deprimit diabolo.

134. *Verus Pœnitens curat infirmitatem memoria, & recordatione mali commissi.*

Priusquam humiliarer ego deliqui &c. Nota, quod hic pœnitens volens curare potentiæ memorativæ infirmitates ad exercitium ipsius potentiæ se contulit; nempè ad memoriam commissionis; unde dicit: *priusquam humiliarer*, scilicet per timorem male humiliantem quantum ad peccatum commissum; secundò, ad memoriam omissionis, unde dicit: *ego deliqui*: scilicet per amorem malè inflammantem mandatum dereliqui: tertiò, quantum ad actum promissionis dicens: *propterea eloquium tuum custodivi*, scilicet quantum ad propitiatum commissum, scilicet dignum tuæ veritati, tuæ potestati, tuæ bonitati, custodivi scilicet quantum ad gemitum compunctionis immissum. *Psal.118.c.5.v.3.*

135. *Bonitas Divina in ingredientes & progredientes viam perfectionis expenditur.*

Bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas. Cur dicit bonus es tu? nonne omnes sciunt Deum esse bonum? Id dicit, quia intendit in viam perfectionis intrare, fateturque, quòd Deus est bonus bonum aggredientibus, sive pœnitentibus, sive proficientibus, sive pervenientibus, & hinc in progressum hujus itineris recurrit ad Deum dicens, *& in bonitate tua doce me*: sciens, quod ad progressum virtutis requiritur bonitas divina illuminans mentem, & ad perfectionem conducens. *Psal.118.c.5.v.4.& c.5.v.2. & c.8. vers.13.*

136. Confer.

136. *Conſervatio curationis ſpiritualis animæ quanam exigat.*

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum; ego autem ſcrutabor mandata tua Ecce quid facit Propheta, ut curationem à peccatis acquiſitam conſervet: nempe cognoſcens, quod iniquorum tentamenta, ſcandala, & mala exempla ſuperabundant, & moliuntur bonos retrahere à propoſito ſalutis ad perſcrutationem mandatorum Dei, nempe ad exercitium humilitatis ſe confert ſciens quod ſe ſubdere mandatis Dei per actus obſervantiæ, & humilitatis eſt unicum remedium ad vincendum molimina diaboli, & iniquorum hominum. *Pſal.118.c.5.v 5.*

137. *Diabolus, ejuſque ſequaces nihil poſſunt contra obedientem mandatis Dei.*

Coagulatum eſt cor eorum: ego verò legem tuam meditatus ſum. Nota, quod loquens de inimicis ſpiritualibus dicit, quòd eorum cor coagulatum eſt, ideſt ligatum, cognoſcens quod eorum potentia per virtutem Dei eſt ligata, & limitata, unde non valentes aliquid contra obtemperantem mandatis Dei, dicit: *ego verò meditatus ſum legem tuam*, ſcilicet ſine offendiculo, & impedimento ad legis tuæ meditationem me contuli, ut ipſam adamuſſim obſervarem. *Pſal.118.c.5.v.6.*

138. *Iniqui ſunt ſicut lac coagulatum, Boni præcipuéque Prælati ſunt lac liquidum.*

Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. Nota, quòd loquens de iniquis, ipſorum cor comparat lacti coagulato, ſcilicet ligato & limitato, ut dictum eſt: Non ſic boni, & præcipuè Prælati, qui debent eſſe lac liquidum: habere ſcilicet dulcedinem in contemplatione, humorem in devotione, refectionem, ut alios paſcant in converſatione, & candorem, ideſt munditiam in carne, in conſcientia, in re; ſicq; paſcitur Chriſtus ſpiritualiter. *Pſ.118.v.70.*

139. *Qui peccatum abhorrent, congaudent in humiliatione à Deo veniente, tanquam remedio, & medio efficaci ad remittendum peccata, & ad recipiendam ipſius illuminationem.*

Bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas Ecce perfectus ſenſus viri juſti, qui videns ſe ad Deũ converſum, & abhorrens peccatũ ſuper omnia valdè complacet, quod à Deo humilietur tribulationibus, & afflictionibus, per quas illuminatur, & ditatur luce cæleſti *Pſ.118.c.5.v.8.*

140. *Humiliatio quam bona ſit animæ.*

Bonum mihi quia humiliaſti me Quale eſt hoc bonum? bonum quia humiliatio via eſt ad veritatis cognitionem, & implorationem majeſtatis *In Thren.c.1.& in Lucam Proœm.*

141. *Tribulationes ad Deum erigunt: proſpera à Deo avertunt.*

Bonum mihi, quia humiliaſti me. Vide quomodò Propheta ſecundùm cor Dei electus quandò premebatur adverſis devotiſſimus fuit, & humilis; unde dicebat. *Bonum mihi, quia humiliaſti me*: quando verò extollebatur proſperis incidit in culpam offenſionis. *Op.de ſex alis ſeraph.c.5.*

142. *Quàm bona & neceſſaria ſit lex Dei hominibus.*

Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. Si bonum ſibi eſt lex Dei, quodnam eſt hoc bonum, & ad quid? ſed nota, quod non exprimit hoc bonum, quia continet omne bonum, & præcipuè quia eſt correctiva mundani affectus prohibendo peccatum: eſt directiva, quia dirigit humanum aſpectum circa inferiora ſuperiora, & inferiora; docet enim rectè vivere in ſe, rectè ſubeſſe, & rectè præeſſe cum lex ſit lux, & dux noſter, ideo dicit: *bonum mihi lex tua eſt*; & erectiva auditus audientis eam de ore Dei; eſt perfectiva, quia ad mundi contemptum accingit, unde dicit: *ſuper millia auri & argenti*, ideſt ſuperior omni rei appetibili quantumcunque ſit quia bona ſpiritualia ſunt incomparabiliter meliora omnibus bonis temporalibus. *Pſal.118.c.5.v.8.& c.7.v.1.* Dicit igitur: *ſuper millia auri &c.* eo quod lex Dei in bonitate, & veritate plus excedit, quàm verbo exprimi poſſit: quia omnis mundana ſubſtantia, & ſi ſit aurea, eſt tota vana, non ſatiativa, ſed tranſitoria multiplici mutationi ſuppoſita, & ad mala omnia finaliter inductiva: ſed lex divina ſimpliciter eſt vera, quia ab ipſa veritate æterna eſt tradita, & ad vitam perpetua inductiva. Vide ergo, quam ſumma fatuitas, & cæcitas deteſtanda eorum qui ad unguem obſervant ſtatuta civitatum, & leges Principum, & præcepta medicorum, ſed leges Regis Regum contemnunt. *Serm.de S.Luca.*

143. *Juſti quidquid habent, totum à Dei magnificentia recognoſcunt.*

Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me: da mihi intellectum, & diſcam mandata tua. Nota qood ſicut in præcedenti octonario expreſſit bonitatem divinam pertinentem ad juſtificationem animæ: in hoc octonario autem excitatur ratio ad amorem veritatis, & affectio ad ejuſdem amorem, & in hoc verſu præponitur ſignum divinæ magnificentiæ, ex eo quod manus Dei nos fecerunt quoad interiorem partem, & pſalmaverunt quoad exteriorem: & hic quæritur effulgentia divinæ veritatis ad acuendam humanam intelligentiam, & ideo dicit: *da mihi intellectum*; quæ intelligentia optatur ad amorem excitandum in ordine ad eandem veritatem; unde ſubdit, *ut diſcam mandata tua*, ideſt ut cognoſcam, & obſervem mandatum ſummi Imperatoris *Pſal.118.c.5.v.9.*

144. *Deum timentes collætantur videntes profectum Proximi.*

Qui timent te videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua ſuper ſperavi. Ecce effectus veri amoris in Deum nam Deum amans, & videns in Proximo profectum animæ ei collætatur. *Pſal.118.c.5.v.10. & c.6.v.1.& c.8.v.12*

145. *Legis notitia judicia Cæleſtium decretorum facit cognoſcere.*

Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliaſti me. Ecce quod notitia, & amor veritatis legis divinæ judicia Dei, & decreta æterna facit agnoſcere, & ideò cognoſcit Propheta & fatetur, quod in veritate ſua Deus ad profectum notitiæ veritatis humiliavit eum. *Pſal.118.c.5.v.11. & c.5.v.4.& c.7.v.12.& c.15.v.15.*

146. *Spes pœnitentis animæ in Deum erigit timorem, mitigat dolorem, & consolatur, & sublevat per amorem.*

Fiat misericordia tua, ut consoletur me, secundùm eloquium tuum servo tuo. Nota quod hic Propheta exprimit effectus spei in Deum animæ pœnitentis, quæ non solùm rectificatur per notitiam, & amorem veritatis in intellectu, sed & in affectu; nam cum ex consideratione culparum per timorem fuerit contracta, per dolorem contrita recurrit ad divinam misericordiam, dicens: *fiat misericordia tua,* scilicet adveniat mihi misericordia tua liberans, adjuvans, coronans, & rectificans affectum: addit: *& consoletur me,* contra desolationem à dolore culpæ causatam: addit: *secundum eloquium tuum*, quo promisisti pœnitentibus veniam servis tuis benè dispositis ad omnem nutum tuum per amorem. *Psalm.* 118. *c.* 5. *v.* 12.

147. *Charitas misericordiam Dei, veritatem, & æquitatem secum vehit.*

Fiant miserationes tuæ, & vivam, quia lex tua meditatio mea est. Nota quòd hic petit à Deo miserationes ejus, ut vivat: quænam sunt istæ miserationes Dei? sunt quæ sociant charitatis donum; anima enim in Deum per spem elevata, affectans charitatem petit miserationes Dei, nempè pietatis divinæ magnitudinem, multitudinem, & claritudinem, quæ charitatem ipsam præveniunt: addit: *& vivam*, quia charitas in Deum virtutes format, actionesque vivificat, quia sine charitate nullum est meritum, nulla vita; & quia ubi charitas adest, ibi æquitas & justitia est, subdit: *quia lex tua meditatio mea est*, nempè quia in corde meo est lex ligans me per æquitatem, & subjectionem, consilia cordis, oris eloquia, & manuum exercitia, & infundens veritatem in mente: Hæc sunt mirabilia charitatis secum afferentis pietatem divinam, vitam animæ, æquitatem in operibus, & veritatem in mente. *Psal.* 118. *c.* 5. *v.* 13 *& c.* 6. *v.* 12.

148. *Charitate fervens nihil timet, sed totus se exercet in Dei obsequio.*

Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me: Ego autem exercebor in mandatis tuis. Cur post petitam misericordiam à Deo ad confusionem superborum se vertit? ut detur intelligi, quod flagrantes charitate in Christum ita sunt armati, & fortes, quod nihil timent superbos, inimicos, & persecutores, sive sint accusatores, sive Judices, sive tortores iniqui; & hinc subdit: *ego autem exercebor in tuis justificationibus*, idest nihil verebor minas Tyrannorum, sed ad mandata tua, & ad leges superiores oculos, & manus semper convertam. *Psal.* 118. *c.* 5. *v.* 14.

149. *Injusti Judices nomine superborum, & iniquorum notantur, tanquam carnificibus abominabiliores.*

Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me &c. Nota, quod hic loquitur de Judicibus injustis, quos nomine superborum, & iniquorum notat: injusti autem sunt, qui tanquam magistri injustitiæ, & justitiæ adulteri injustitiam exercent quantum ad potestatem judiciariam, quantum ad justitiam, quam vendunt, & quantum ad injustitiam, quam exercent. *Psalm* 118 *c.* 5. *v.* 14 Nota autem, quod iniqui Judices appellantur Ministri injustitiæ & consequenter titulo magis opprobrioso, quàm carnifices, qui appellantur vulgariter ministri Justitiæ.

150. *Charitatis in Proximum ædificantis effectus exponuntur.*

Convertantur mihi timentes te, & qui noverunt testimonia tua. Ecce quales effectus gignit Charitas ardens in anima erga bonum Proximi, nam ardenter desiderat deformatos informare: unde dicit; *convertantur mihi timentes te*, idest illi, qui solum te Judicem formidant, & solo timore pœnæ operantur, non amore Dei, & istos desiderio informatos reformare, & reformatos conformes mihi, scilicet ut sint perfectè conformes voluntati tuæ. *Psal.* 118. *c.* 5. *v.* 14.

151. *Charitatis sanctificantis in anima effectus exponuntur.*

Fiat cor meum immaculatum in tuis justificationibus, ut non confundar. Si jam supponitur Anima sanctificata, & mundata quomodò iterum dicit: *fiat cor meum? &c.* Nota quod isti sunt effectus charitatis sanctificantis in anima, nempè quia Charitas semper urit: anima habens talem charitatem semper sanctificari esurit, nunquam sancta sibi videtur, inde confundi metuens, unde laudari meretur, eò quod sua interiora intuens suas virtutes veretur: & hinc dicit fiat cor meum immaculatum, nempè formans sibi in corde Concistorium, in quo judicium format: utrum sit mærens de mali commissione, an paveat de boni omissione, an gaudeat de mali remissione, ac boni repromissione, & hinc petit cordis munditiam, & sanctificationem, & pro se, & pro Ecclesia, & aliis; & quia metuit confundi timens, quod sua justitia non sit vera, pura, & viva repetit: *fiat cor meum immaculatum. Psal.* 118. *c.* 5. *v.* 16. Vide igitur quomodo vera charitas & exaltat, & humiliat, & pascit, & famelicam reddit Animam, & ad Deum ipsam reportat.

152. *Qui vult effugere confusionem æternam exhibeat Deo cor immaculatum*

Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar. Nota ultimam causalem, (*ut non confundar*, scilicet confusione illa æterna in die judicii: *fiat cor meum immaculatum*: petit ergo à Deo munditiam cordis, ita ut nemo præter Deum in se regnet, nec sensu, nec consensu, nec affectu corporeæ voluptatis applausus, nullus malignitatis affectus & hoc ut exhibere possit sanctissimo, & mundissimo sponso cor immaculatum. *Opusc. de regim. animæ.*

153. *Applicatio ad Mariam Virginem hujus octonarij.*

Bonitatem fecisti cum servo tuo Domina Virgo, de qua gaudent Angeli, disciplinam morum tuorum, & æquitatem doce me, quia verbis tuis præ cunctis credidi: Bonum mihi, quia onere tuo humiliasti me, ut sequar conversationem tuam: qui amant servientes tibi venerabuntur, qui autem

tem abominatus fuerit eos, ruet in æternum: veniant mihi desuper semper guttæ clementiæ tuæ & vivam, quia lex tua sancta meditatio mea est. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 118.*

CAPUT SEXTUM.

154. *Exponitur Titulus primi, & secundi octonarii: Caph: Lamed.*

Nota, quod in primo octonario hujus sexti Cap. vel Psalmi præponitur littera *(Caph)* quæ interpretatur incurvata: secundo octonatio *(Lamed)* quæ interpretatur doctrina: ratio est, quia cum in præcedenti capitulo, seu Psalmo expressa fuerit bonitatis transmissio, quæ est collatio sanitatis spiritualis, in præsenti præsentatur defectionis, seu infirmitatis dimissio; hæc enim ex illa consequitur, & quia curvitas, & defectio provenit ex pronitate humana originali, hinc de ea in primo octonario agitur, & in secundo proponitur causa teparans talem curvitatem, quæ est bonitas divina, & hinc præponitur huic primo octonario littera *(Caph:)* scilicet incurvatio, & defectio, & secundo *(Lamed.)* idest doctrina, quia doctrina Dei firma est in æternum non defectiva, quia Cœlum, & terra transibunt, verba autem Dei non transibunt. *Psal. 118. c. 6. v. 1. & v 9.*

155. *Spei defectus unde oriatur.*

Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi. Quomodò dicit se defecisse in salutari, scilicet in Christo, & postea se supersperasse in verbum Dei? Nota, quod hic defectus spei notantur, in qua se defecisse fatetur, & hoc quia superspetavit in Verbum Dei, scilicet spem supra convenientem spem habuit, scilicet inanem, quia super animam inanem, & vacuam spem fundavit, nempè non super merita Christi, sed propria. *Psal. 118. c. 6. v. 1. & c. 8 v 2.*

156. *Contemplatio facit animam à se ipsa deficere, & in Deum transformari.*

Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum &c. Nota, quod hæc sunt verba animæ contemplativæ, quæ cum in Deum per contemplationem tota feratur deficit in seipsa, & à seipsa, & ab omnibus creatis, & in Deum tota fertur, & transformatur. *Psalm. 70. & opuscul. de 7. itiner. dist. 3.*

157. *Fidei defectus notatur.*

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me. Quia in hoc octonario agitur de variis incurvationibus, & defectibus, in quos incidit, vel incidere potest anima Deo serviens, & cum supra egerit de defectu spei: nunc agitur de defectu fidei dicens; *defecerunt oculi mei*, scilicet inferiores, *in eloquium tuum*, quasi diceret: quia mundus opponitur mihi tentationibus mundanis incutiendo timorem, caro blandimentis comminando dolorem, & diabolus incutiendo pudorem; ideò defecerunt oculi rationis, cum se habeant ad credibilium excellentiam, sicut oculi vespertilionis ad solaris eminentiam claritatis, idcò defecerunt in eloquium tuum, scilicet in fidei mysteria audienda, & eorum imprimenda mediante auditu, ideò ad te recurro dicens, quando consolaberis me per remunerationem. Ex quibus patet, quod animæ defectus Deo servientis multi sunt in hac vita, & quod speciali adjutorio Dei indiget. *Psal. 18. c. 6. v 1. & c 9. v. 11.* Patet etiam, quod quando deficit eloquium Dei, & prædicatio verbi Dei, tunc deficit fides. *Psalm. 118. c. 8. v. 11.*

158. *Delectationum carnalium effectus in anima expenduntur.*

Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus. Quid est fieri sicut uter in pruina? Nota, quod uter fit de corio animalis, & significat delectationem sensualem; uter in pruina perdit priorem qualitatem, & per restrictionem quantitatem priorem: pruina enim dicitur ruina prioris qualitatis, scilicet caloris, & quantitatis: datque intelligere, quod cogitatio carnalis inclinat ad malum, delectatio inquinat, & consensus conglutinat animam, licet exterius videatur disciplinata anima, quia non est oblita justificationum Dei: unde licet exterius appareat disciplinata, tamen si interius incurvatur, tunc remanet inquinata, & conglutinata. *Psalm. 118. c. 6. v. 1.* Vide ergo quod disciplina exterior parum juvat sine interiori, & hac amissa tota vita spiritualis inficitur.

159. *Spirituales observantiæ viris spiritualibus non carnalibus sunt imponendæ.*

Factus sum sicut uter in pruina. Nota, quod uter in pruina redditur inutile, & significat viros carnales, qui à pruina delectationum carnalium coangustantur, & disperduntur; & ideò sicut tales utres disperduntur, & vinum, vel oleum non servant, sic viri carnales non recipiunt observantias spirituales, & ideò novo vino novum vas est providendum, alioquin vinum spiritualium gratiarum disperdetur. *In Lucam c. 5. v. 37.*

160. *Amoris Dei defectus reddit vitam, & militiam hujus vitæ fastidiosam.*

Quot sunt dies servi tui, quando facies de persequentibus me judicium. Vide quid sequitur ad defectum fidei, spei, & amoris supra enarratum: nam Propheta dicit, quot sunt dies servi tui, in persona justi, sed fatigati longitudine laboris, quasi diceret: nimis prolixi videntur dies vitæ meæ, quia laboriosi, & difficiles, quia dies sunt culpæ, angustiæ, & vindictæ; & ideò propter quotidianam pugnam inter vitia, & virtutes, propter servitutem subjectam vanitatibus, doloribus, & laboribus tædio valdè afficior, & ista quandò tandem finientur? *Psal. 118. c. 6. v. 4.*

161. *Homo in hac vita necessario est miles vel in bonum, vel in malum.*

Quot sunt dies servi tui? Quid est hoc, quod intendit Propheta in hac interrogatione? nihil aliud, nisi, ut det intelligere, quod dies vitæ hominis in mundo est tempus militiæ, & pugnæ; nam sicut milites, habitant in tabernaculis, sic homo non habens in hac vita permanentem civi-

tatem; tùm quia milites vivunt in continuo labore, ſic & homo: tum quia ſunt in lucta cum inimicis, & homo eſt in continua colluctatione cum hoſtibus; tùm quia milites pugnant expectando ſtipendia, ſic & homo expectat coronam. *Pſal.* 118. *v.* 84.

162. ***Scandali peccatum quam grave, & pernicioſum, Deoque exoſum.***

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua. Qui ſunt iſti iniqui? ergone omnes peccatores? minimè, ſed tantum illi, qui propriè, & antonomaſticè dicuntur iniqui, ſuntque illi, qui narrant fabulationes, nempè qui componunt falſitatem, veritatem perdendo in damnum Proximi: qui enim ſcandalis trahunt homines ad peccatum, propriè iniqui vocantur in ſacra ſcriptura, non enim mediocriter ſunt iniqui, quia Chriſto adverſantur, qui totus eſt in lucrandis animabus, & iſti in eas perdendo, quia etiam contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & ideò Deo ſummè ſunt exoſi. *Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 5.

163. ***Fabulationum mundi, & legis Chriſti qualis differentia.***

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non eſt lex tua. Ex hoc patet quale diſcrimen inter dicteria, & fabulationes mundi, & legem divinam: nam illæ variantur, inſidiantur, & malum machinantur: lex divina nunquam variatur, cum ſit æterna, nunquam inſidiatur, cum ſit claritas, nunquam malum machinatur, cum ſit bonitas. *Pſalm.* 118. *c.* 6. *v.* 5. *& c.* 11. *v.* 3. Ex hoc vide, qood quidquid docet mundus totum eſt fabula vana.

164. ***Hæretici narrant fabulationes, ut alios decipiant, Catholici veritatem, ut alios ad Chriſtum trahant.***

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua. Iniqui iſti ſunt Hæretici, qui docent fabulas, narrant placentia ſecundùm audientium deſideria, & more piſcatorum ponunt hamum mortis ſub apparentia dulcis eſcæ, & ſicut auceps ſub voce dulcis modulationis cor perforat avis, & ſub eſca, & paleis occultat avibus retia mortis: ſic & Hæretici ſub facie pallida fetalia gerunt corda, & ſub voce modula occultant ſuæ doctrinæ venenum, non attendentes Doctrinam Chriſti claram, veram & ſanctam proponunt, ut ad ipſum Chriſtum homines trahant, *ſerm.* 2. *de uno doct.*

165. ***Fabula multiplex hic notatur.***

Narraverunt mihi iniqui fabulationes. Quænam ſunt iſtæ fabulationes: Nota, quod nomine fabulæ venit narratio rei, quæ nec verum, nec veriſimilia continet, & hæc eſt propriè fabula, propriaque Poëtarum: fabula etiam dicitur verbum otioſum ſive verum; ſive falſum: fabula item ſunt doctrinæ perverſæ Hæreticorum. *Pſalm.* 118. *verſ.* 85.

166. ***Juſtus totaliter innititur veritati mandatorum Dei; iniqui contra eum moliuntur.***

Omnia mandata tua veritas, iniquè perſecuti ſunt me, adjuva me. Ecce quod vir fidelis cognoſcens qualitatem mandatorum Dei, nempè qualiter ſunt viſioni, teotioni, & fruitioni Dei capeſcendæ congrua, & ideò credenda, eligenda & diligenda fatetur, ſunt etenim jura divina effectui commendata: & efficacia, & ideò puta veritas: & quia iniqui contra eam moliuntur, recurrit juſtus ad Deum dicens: *adjuva me. Pſal.* 118 *c.* 6. *v.* 6. *& c.* 2. *v.* 8.

167. ***Iniquorum proprium eſt pertrahere bonos ad malum: Iuſtorum eſt reſiſtere ipſorum tentamentis.***

Paulò minus conſummaverunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua. Ecce quid faciunt iſti iniqui: nempè proprium eſt ipſorum omnia tentamenta exercere, ut bonos ad conſummationem peccati trahant: ſed viri in bono ſtabiles reſiſtunt ipſis. *Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 7.

168. Juſti ut peccata evitent, ut Dei mandata obſervent debent ad Deum confugere, & dicere: ſecundùm miſericordiam tuam vivifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui: miſericordia enim vivificat ad ſpiritualiter ambulandum, ad fiducialiter poſtulandum, & ad æternaliter gratulandum. *Pſal.* 118 *c.* 6. *v.* 8.

169. Verbum Dei permanet in æternum, quia quicquid imperat, infallibiliter evenit, neculla Creatura poteſt ei obeſſe, unde ait Pſaltes: *in æternum Domine permanet verbum tuum in Cœlo.* Nota, ly, *in æternum,* ſtat pro firmitate, & neceſſitate, vel infallibilitate eventus à Deo imperati. *Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 9. Sic etiam ſcientia quælibet dicitur æterna, ſcilicet æternæ veritatis: ſemperque quoad objectum cognitum permanebit. *lib.* 1. *in prol. dub.* 8. *& in Lucam c.* 16. *v.* 17. *& c.* 21. *v.* 35. Nota etiam, quod hoc verbum dicitur permanere in Cœlo, id eſt ſanctiſſimæ Trinitatis, & ideò ſuper hoc verbum fundata eſt Eccleſia. *ſermon.* 9. *Exaem.*

170. ***Miraculum continuum expenditur in ſtabilitate Terræ.***

In generatione, & generationem fundaſti terram & permanet. Nota quod hic innuitur maximum miraculum de ſtabilitate Terræ, quæ cum ſit pulvis, & ob id de ſe inſtabilis, tamen ad præceptum Dei ſtabiliſſima eſt. *Pſalm.* 118. *c.* 6. *v.* 10.

171. ***Stabilitas terræ excitare debet nos ad permanendum in Dei ſervitio in qualibet tentatione.***

Fundaſti terram, & permanet. Nota, quod hic per terram intelligitur myſticè cor noſtrum, edocemurque, quod ſicut ad imperium Divinum terra ſtabilis permanet ad quamcumque concuſſionem, ſic & cor in qualibet tentatione debet firmum permanere pro Dei veneratione. *Pſ.* 118. *c.* 6. *v.* 10. *in Lucam c.* 16. *v.* 11.

172. *Tempus*

172. *Tempus quod de se est mobilissimum ordinatione Dei firmissimum stat.*

Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi. Ecce alius effectus divinæ bonitatis, & potestatis:cum enim tempus sit numerus numeratus motus actibus animæ,& ideo successivus, & perpetuo volubilis, tamen firmissimum stat in tali successione ad imperium Dei omnipotentis; & in hoc excellit miraculum continuum. *Psalm.* 118. *cap* 6.*v.*11.

173. *Ordo, & discretio requiritur ad perseverandum in studio virtutis.*

Ordinatione tua perseverat dies &c. Nota quod myst.cè dies est virtus, & cursus diei est exercitium virtutis,& perfectionis: dat igitur intelligere, quod ad hoc ut servi Dei perseverent in profectu virtutum, requiritur ordinatio, scilicet ordo vivendi, & discretio tribuens modum rectè vivendi. *Opusc.medit. vita Christi c.* 44. Vide ergo, quod sine ordine, & discretione vivendi non est possibile justo valdè proficere in stadio virtutis.

174. *Causæ secundæ in agendo sunt subdelegatæ à causa prima.*

Ordinatione tua perseverat dies. Qua ordinatione conservatur dies? ea qua potestas ordinaria,& principalis utitur causis subdelegatis: Deus enim ut prima causa utitur Creaturis in ministerio causarum secundarum, & ideò nihil possunt agere, nisi concurrente prima causa. *Psalm.*118. *cap.*6. *vers.*11.

175. *Ordinatione Dei perseverat dies physicè, & moraliter.*

Ordinatione tua perseverat dies. Quis dies? dies naturæ, qui in uno Cœli motu fundatur; item dies fortunæ, scilicet prosperitas, & dies gratiæ. *Psal.*118 *c.*6.*v.*11.

176. *Omnes Creaturæ creatæ sunt ad Deo serviendum.*

Quoniam omnia serviunt tibi Ecce finis omnium Creaturarum, qui est servitium Dei, quo nihil pulchrius, nihil amabilius.*Psal.*118.*c.*6.*v.*11. Nota etiam,quod boni serviunt Deo ex amore; mali serviunt Deo, quia ex malo Deus elicit bonum; Dæmones enim sunt contra Deum ei militantes. *Psal.*118.*v.*95.

177. *Meditatio divinæ legis magnos fructus spirituales gignit in Anima.*

*Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea.*Ecce quid facit in anima attenta meditatio divinæ legis: ait enim Propheta, quia tunc forte periissem in humilitate mea quia sine meditatione facta perit ratio, affectio,& intentio, quæ omnes adjuvantur mirabiliter ab ea. *Psal.*118*c.*6.*v.*11.*& c.*1.*v.*8.*& c.*5.*v.*13. *& c.*1.*v.*1.*& c.*11.*v.*3.*&* 14 *& Psal.*118.*v.*91.

178. *Bonitas divina cum charitate reficit, & reformat omnes nostros defectus.*

In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. Nota quod supposita charitate in anima pœnitens ulterius procedit notans effectus bonitatis divinæ omnium defectuum refectivæ: dicit enim: *in æternum non obliviscar justificationes tuas*: quasi dicat in æterna vita, in qua divina misericordia in sperantibus, in observantibus divina præcepta & in contemplantibus ædificatur, &c. io collaudatoribus cantatur; non obliviscar ut ingratus, sed ut gratus reminiscat justificationes tuas, scilicet reformationes tuas, per quas vitam æternam, gratitudinem infinitam, culpam abolitam, & vitam immortalem redditam contulisti. *Psal.*118.*c.*5.*v.*13.

179. *Ex motu spei motus fidei intenditur, dum ex boni desiderio,quod speratur fidei inclinatio generatur.*

Tuus sum ego salvum me fac, quia justificationes tuas exquisivi. Ecce quomodò in Deo firmiter sperans in actus fidei exit: dicit enim justus,ego, qui salutem spero tuus sum, non meus: tuus ioquam in tuis mirabilibus articulis credibilibus, quibus sum attonitus, in tuis credibilibus, quibus sum subditus, in tuis delectabilibus, quibus sum conjunctus; salvum me fac, me inquam credentem,sperantem,& diligentem, quia justificationes tuas exquisivi, nempè quas captivans intellectum in obsequium Christi per fidem,spem, & charitatem.*Psal.*118. *c.. v.*14. *In Lucam c.*17.*v.*19.

180. *Bonorum persecutio ab iniquis qualis.*

Me expectaverunt peccatores, ut perderent me, testimonia tua intellexi. Nota quod hic innuitur persecutio,quam ut plurimum iniqui suscitant in bonos Deo servientes,unde Propheta post intimatam spei fiduciam, fideique constantiam, hic intimatur charitatis flagrantia, quæ præcipuè coruscat in tolerantia persecutionum, quas boni à malis patiuntur: nam talis sanctitas plerumque invidiosè spectatur à malis (nomine enim peccatoris venit diabolus,& etiam invidus,quia invidia adversatur omnibus bonis)insidiosè expectatur,ut perdatur odiosè tractando, ideò addit; *ut perderent me*; cui malo ab habente Charitatem occurritur testimonia veritatis gaudiosè sectando. *Psalm.*118. *cap.*5. *vers.*15 *& sermon.*2. *fer* 3. *Pentecost.*

181. *Visio Christi est finis omnis consummationis,& laborum.*

Omnis consummationis vidi finem. Quid est consummatio nisi finis? vidit ergo, postquam fide, spe,& charitate imbutus fuit vir justus, finem omnis finis, qui est Christus Jesus,finis inquam omnis consummationis, laborum, & operum.*Psalm.*118 *c.*6. *v.*16.

18. Consummationis finis est acquisitio perfecta vitæ purgativæ, illuminativæ, & perfectivæ; estque finis perfectivus fidei, spei, & charitatis: unde

nnde rectè dicit justus; *Omnis consummationis vidi finem. Psal.118.c.6.v.16.*

183. *Charitas fervens tollit omnem difficultatem.*

Latum mandatum tuum nimis. Quomodò latum, & non potius angustum? quia id facit charitas: hæc enim per amorem planam facit omnem difficultatem tollit labores, & omnia opera bona dulcia reddit. *Psalm.118. cap.6. vers.16. & opuscul. diat. titul.10. cap 5. & sermon.2. de S. Andrea in Lucam c.12.v.50.& c.18.v.31.*

184. *In Christi Passione fuit consummatio operum sanctorum.*

Omnis consummationis vidi finem. Hoc dicit Propheta prævidens Christi Passionem, per quam data fuit ultimata perfectio omnibus operibus omnium sanctorum. *In Igan.collat.83.*

185. *Pietas Beatæ Mariæ Virginis supplet omnes defectus nostros.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi. Nota hoc dicebat Propheta Deo, ut defectus suos deleret: sed eadem possunt verè dici Beatæ Virgini Mariæ, cujus pietas & miseratio maxima supplet omnes defectus nostros, quia si non esset ejus miseratio tam maxima periremus in infirmitate, & defectibus nostris: unde possumus dicere ipsi fidenter. Defecit in semitis tuis anima mea domina, & nisi miseratio tua maxima esset periissem utique in infirmitate mea: defecerunt oculi mei in contemplatione tua, velut uter in pruina visa est anima mea: secundùm bonitatem tuam vivifica me, & non obliviscar sermones tuos, quia tibi adhærere bonum est. *Opuscul. Psalt. Beatæ Virginis Psal.118.*

186. *Maria cum Deo ab initio concurrit ad fundationem mundi, & ipsius dispositione perseverat.*

Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi. Nota, quod hæc applicari possunt Beatæ Virgini, nam ipsa cum Deo ab initio fundavit, & dispositione Mariæ perseverat. *Op.Psalt. B.Virg.Psalm.118.*

Quæris lector quomodo possit dici, quod Maria fundavit mundum cum Deo ab initio, cum fuerit creata post tot sæcula? Respondeo, quod dicitur ipsa concurrisse cum Deo ad fundationem mundi, quia idealiter Maria fuit summa, & compendium omnium perfectionum omnium Creaturarum: unde quælibet perfectio cujuslibet Creaturæ est veluti participatio perfectionis existentis in Maria: tum etiam quia propter Mariam factus est mundus, & per Mariam conservatur in esse. *Vide Salazarium in Proverbia hoc fuse disserentem.*

187. *Servi Mariæ debent se subdere ipsi, & ejus laudes promere.*

Tuus sum ego salvum me fac &c. Hoc dicat quilibet Mariæ, & ejus laudes decantet, quia sunt valdè desiderabiles, & proficuæ in tempore hujus nostræ peregrinationis, & miseriæ. *Op.Psalt.B.Virg.Psalm.118.*

CAPUT SEPTIMUM.
Mem. Nun.

188. *Exponitur Titulus hujus capitis vel Psalmi.*

NOta, quod cum in quinto capite ostendatur sanitas spiritualis allata; in sexto infirmitas ablata: in hoc septimo agitur de charitate illata, & quia Charitas prius lucet interius, estque inflammativa viscerum interiorum; ideò primus octonarius de ipsa agens incipit à littera, *Mem*, quæ interpretatur, *viscera*, & quia charitas intus manens dilatat intelligentiam, hoc declaratur in primo quaternario, & serenat conscientiam: hoc declaratur in secundò quaternario: & quia in secundo octonario agitur de Charitate in proximum, ideò incipit à littera (*Nun*,) quæ interpretatur, *pascua eorum*, quia est nutritiva pascua proximorum. *Psalm. 118. cap. 7. vers.5.*

189. *Lex Dei diligenda, & quare.*

Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Vide quomodò Propheta nos instruit, & docet quid faciendum à nobis sit circa legem Dei, nam proponit primò meditationem legis faciendam, nempe ad inveniendum varios sensus in ipsa inclusos: deinde docet diligendam esse tamquam bonum honestum, utile, & delectabile, & ideò meditatio nostra debet esse quomodò legem diligamus, & secundùm legem vivamus. *Psal.118.c.7. v.1.& c.6.v.12.& c.18. v.14.*

190. *Lectio Sacra, & meditatio legis divinæ exercenda à servis Dei.*

Quomodò dilexi legem tuam &c. Quomodò meditabatur legem Dei, nisi eam legendo, quia lectio sacra est legentis illectio, affectum calefaciens, & calefaciendo liquefaciens dum legitur aliquid, quod à legente diligitur. *Psal.118.c.7.v.1.* Nota, quod meditatio legis divinæ ad tria valet, scilicet ad scientiæ augmentum, ad virtutis profectum, & ad pœnitentiam confirmandam. *Psal.118. vers.97.*

191. *Servi Dei elevantur super inimicos infernales, ut victores: servi diaboli ipsi subjiciuntur.*

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Nota, quod dicit, (*super*) non subter inimicos, quia servi Dei debent super ipsos inimicos spirituales se exaltare, & de ipsis triumphare: proprium enim servorum diaboli se ipsi subjicere: & hæc est vera prudentia supernaturalis dictans qualiter superandum est, & obediendum mandatis Dei. *Psalm.118. cap.7. vers.2.*

192. *Prudentia dirigit animam ad Deum.*

Prudentem me fecisti mandato tuo. Quænam est hæc prudentia ? prudentia hæc idem est ac justitia dirigens animam ad reddendum Deo, Proximo, & sibi quod suum est. *Psal.*118.*c.*98.

193. *Audiens verbum Dei ab ore Prædicatoris debet illud recipere, prout ab ore Dei promanans.*

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Quomodò super docentes se intellexit ? ergo ne est discipulus super Magistrum? sed attende, quod alio sensu dicuntor hæc verba: nempè quia recognoscebar verba Dei à Magistris, & doctoribus expressa tamquam verba ex ore Dei promanantia, ideò dicit super omnes docentes me intellexi, scilicet super inferiores Doctores superiorem nempè Deum docentem, & proferentem verba sua intellexi. *Psal.*118.*c.*7.*v.*3. Verbum enim Dei meotem sublevat, rationem illuminat, & affectum inflammat. *Psalm.* 118. *cap.*9.*vers.*10.

194. *Charitas imbuit animam sapientia Cœlesti, & eam dilatat mirabiliter super omnes sapientes sæculi.*

Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi. Qui sunt isti senes, super quos intellexit ? isti sunt sapientes sæculi sequentes spiritum Mundi, hosque Propheta despiciens sanctè se gloriatur imbutum fuisse Charitate divina, & ex ipsa ditatum sapientia cœlesti, & tot bona recepisse, quia mandata Dei, & leges divinas quæsivit: Charitas enim fervens mentem elevat, & sublevando dilatat. *Psal.*118.*c.*7.*v.*4.

195. *Non sola auditio, sed custodia mandatorum Dei illuminat mentem.*

Super senes intellexi. Cur & quomodo ? *quia mandata tua quæsivi*, quæsivi inquam, ut ea intelligerem, & simul observarem: quia non soli auditores, sed factores legis illuminantur. *ser.*1. *de decem precept.* & *in Lucam c.*19.*v.*26. & *c.*24. *v.*31.

196. *Charitas fervens facit conscientiam serenari, quia facit vitiorum vilitatem vitari.*

Ab omni via mala probibui pedes meos, ut custodiam mandata tua. Vide quomodò charitas divina facit elongare animam ab omni via mala, scilicet à via iniquitatis, quæ est vituperabilis, & ideò qui per hanc viam incederunt, & retro revertuntur, per pœnitentiam digni sunt Dei amore, & charitate. *Psal.*118.*c.*7.*v.*5.

197. Charitas fervens accendit animam amore in amœnitatem virtutum; unde dicit hic Propheta *à judiciis tuis non declinavi*, nempè quia habitus virtutum acquisivi per actus virtuosos. *Psal.*118.*c.*7.*v.*6.

198. *Eloquia Dei dulcia super mel ori servorum Dei, quia inducunt animam ad epulandum cum Domino, ipsumque osculandum.*

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Eloquia igitur divina, quæ animæ Deus communicat sunt dulcia super mel ori, quia per ipsa introducitur ad epulandum cum Domino, ipsumque osculandum per theorias, topologicas, & anagogicas. *Psalm.*118. *cap.*7. *vers.*7. Vide ergo qualem Sacra scriptura dulcedinem animæ confert. *serm.* 12. & 19. *Hexaem.* & *Psalm.* 38. *in tit.* & *Psal.*118. *cap* 3. *v.*9. & *cap.* 9. *vers.*11. & *c.*10.*vers.*4. & *c.*11.*vers.*2. & *op. de septem itiner. ætern. itin.* 2. *d.*4. & *in Ioan. collat.*11. & 44. & *serm.*3. *in Nativit.* & *serm.*7. *de Apost.* Nota etiam, quod hanc suavitatem degustare non potest, qui vocem fallacem Creaturarum audit, & cor suum in ipsas figit. *Op. soliloq. cap.*1. Dicit igitur: *quam dulcia faucibus meis eloquia tua*, scilicet me dirigentia ad epulas Domini per bonorum operum exercitium, & ad osculum Domini mihi præparatum in Cœlesti præmio promisso. *Ps.*118. *cap* . *vers.*7. Nota etiam, quod verba Dei comparantur cibo, & merito, nam cibus habet tria, saporem delectantem, nutrimentum sustentans, & massam onerantem: gula percipit saporem, stomachus nutrimentum ad refectionem, & massam, ut illam ejiciat: sic verbum Dei habet saporem delectantem fauces animæ; nutrimentum scilicet exercitium virtutis, quod ejicere facit dolorem, & gravamen hujus vitæ. *Psal.* 118. *vers.* 103.

199. *Lex Dei dirigit nostram mentem in cognitionem præmij cœlestis, & in fugam iniquitatum omnium.*

A mandatis tuis intellexi propterea odivi omnem viam iniquitatis. Quid intellexisti ô sanctè Propheta ? Nota, quod non exprimitur hic, sed subintelligitur, nempè dat nobis intelligere, quod lex divina, quæ nomine æquitatis, veritatis, & charitatis exprimitur, dirigit mentem ad notitiam finis ultimi, qui est Deus unus, & trinus fruendus in Cœlesti gloria, & facit evitare omnia inordinata à Deo prohibita. *Psal.* 118 *cap.*7. *vers.*8.

200. *Absque labore & exercitio vitæ activæ non potest perveniri ad otium contemplativæ.*

A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. Quid est quod à mandatis Dei intellexit ? qualem doctrinam ? sed nota, quod præmittit mandata, scilicet mandatorum observantiam, quæ consistit in fuga iniquitatis, in laboribus, & exercitiis pœnitentialibus; ut hinc discas, quod hac vita activa præmissa ad otium contemplationis solùm poteris pervenire, non enim nisi propter obedientiam mandatorum contemplationis gustus alicui debetur. *Opusc. medit. vit. cap.* 46. & *in Lucam capite* 24. *vers.*31.

201. *Verbum Dei lucerna est dirigens animam in itinere hujus vitæ.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Vide quomodo verè verbum Dei dicitur lucerna illuminans animam, eamque dirigens in viam hujus vitæ: nam lucerna est lumen in testa: lumen in vase est divinitas in humanitate, lumẽ est divinitas, vita est via, tenebræ sunt ignorantia: præcedit Christus tenens lucernam sequitur Christianus tenens exempli semitam, & ut videat in fide, & ambulet in operatione, & dirigatur imitatione: lucerna tria facit in nobis, viam ostendit, à scandalis, & à fovea nos custodit: sic Verbum Dei, ideò dicitur lucerna dirigens affectus ejus & actiones morales: sic autem facit, quod homo in tenebris hujus vitæ non cadat in lutum peccati, & in foveam inferni: hanc lucernam qui non sequitur, à Deo non diligitur, neminem enim diligit, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat: vis igitur ô anima invenire drachmam, quam perdidisti in luto peccati, hanc lucernam accipe, & ejus ductum sequere *Psal. 118. c. 7. v. 9. & serm. 1. in cœna Domini & serm 2. Dom. 3. post Pentecost. & in Lucam c. 8. v. 16. & c. 11. v. 34. & c. 12. v. 36. & Psal. 118. vers. 105.*

202. Religiosus servus Dei recordetur sæpè promissionum, quas in professione, & missione votorum fecit: dicens cum Propheta, *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ*: nempe quia juravi, vel juramm promisi jure divino per emissionem votorum; tuncque statui stabiliter ea observare, & omnia contraria evitare. *Psal. 118 c. 7. v. 10. & Op. spec. discipl. p. 1. c 1.*

203. *Dominus humiliat & sublevat; vulnerat & sanat.*

Humiliatus sum usquequaque Domine, vivifica me secundum verbum tuum Quid est humiliari usquequaque? nisi tumore undique expiari, & quia se percussum, & vulneratum à Deo per tribulationes sentiebat, sciens quod ipsius proprium est humiliare, & sublevare, vulnerare, & sanare, ideò subdit: *vivifica me secundùm verbum tuum, Psal. 118. capit. septimo, vers undecimo, & cap. primo, vers. octavo.*

204. *Peccator debet prius in mente concipere, quæ ex voluntate Dei debet Auditoribus proferre, & ad Deum simul confugere,*

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, & judicia tua doce me. Quænam sunt voluntaria oris? habetne os voluntatem? sed attende quod voluntas est potentia interior, os exterior, & quia ad gloriam Dei, & salutem animarum, & sui debebat promerere verbum Dei; ideò petit à Deo, ut ipsi concedat, quod prius intus concipiat voluntaria beneplacita Deo, ut ea ore promat ad gloriam Dei, ideò subdit: *& judicia tua doce me*: & quid est, quod ore promere debet? confessionem laudis, fidei, & peccatorum. *Psal. 118. c. 7. v. 12. & Psal. eodem. v. 108.*

205. *Vita carnalis perdenda, & spiritualis custodienda.*

Anima mea in manibus meis semper & legem tuam non sum oblitus. Quid est habere animam in manibus? ergone anima potest ferri in manibus? sed attende, quod non loquitur de anima rationali, sed de animali, & transitoria vita: hanc habebat in manibus perdendam, & contemnendam, & mortificandam, ut vitam spiritualem per legis observantiam custodiret. *Psalm. 118. c. 7. v. 13.*

206. *Justus improvisa morte nunquam potest mori.*

Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus Quid est habere animam in manibus semper nisi esse paratum reddere animam suam quandocumque placuerit Deo? sic enim justus semper est paratus mori, & ideo non potest improvisa morte præoccupari. *In Sap c. 4.*

207. *Justus animam in manibus portat, impius extra se.*

Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus. Nota etiam, quod per manus intelliguntur operationes, ideò justus in manibus, scilicet in operationibus bonis portat animam, ne eam oblivioni tradat: impius è contra oblivioni ipsam tradit, & ideò animam perdit, *Op. medit. vitæ Christi c. 86.*

208. *Impii laqueos justis parant, ut eos decipiant, & felices sunt, qui ab ipsis non capiuntur.*

Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi. Ecce quod, sicut Deus habet suos sequaces saluti propriæ, & aliorum incumbentes, sic & diabolus habet suos ministros laqueos justis ponentes, ut eos decipiant, & in potestatem diaboli inducant. Nota autem, quod dicit, *Peccatores posuerunt*, quasi dicat, quod scandali peccatum est tam abominabile, quod in ejus comparatione cæteri non sint peccatores, uti autem sunt mendaces compositores, ut alios decipiant. Felix ergò qui potest dicere, & de mandatis tuis non erravi. *Psal. 118. c. 7. v. 14.*

209. *Auditores verbi Dei sunt veluti hæredes divitiarum, & bonorum quæ in prædicatione à concionatoribus offeruntur.*

Hæreditate acquisivi testimonia tua, quia exultatio cordis mei sunt. Cur appellat hæreditatem acquisitionem testimoniorum Dei? quia testimonia verbi Dei à Doctoribus veluti testimonia accipiuntur; & Deum ipsa in prædicatione exhibent audientibus, tunc hæreditate amplissima ipsos ditant: ô quales divitias acquirunt, qui devotè audiunt, & recipiunt verbum Dei. *Psal. 118. c. 7. v. 15. & c. 2.*

210. *Transitus hominis à vita sæculari ad religiosam exprimitur.*

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem. Nota,

Nota, quod hæc pronuntiantur io Persona hominis transeuntis a vita sæculari ad religiosam, & promittentis observantiam votorum: dicit igitur: *inclinavi cor meum*: scilicet à statu libertatis ad servicodum tibi in statum voluntariæ servituris; Inclinavi inquam cor meum à libertate possessionis per votum paupertatis, à libertate rebellionis per votum obedientiæ, & à libertate commixtionis per votum castitatis: hæc enim observantia spectat ad altissimam justificationem, si sine intermissione, sine remissione, & sine defectione, non obstante quacunque tribulatione exerceatur: unde dicit: *ad faciendas justificationes tuas in æternum*, & hoc propter retributionem scilicet perfectionem in hac vita acquirendam, & in alia propter gloriam æternam. *Psalm.* 118. *cap.* 7. *vers.* 16. *& cap.* 5. *vers.* 4 *& cap.* 5. *vers.* 4. *& opuscul. de sex alis Seraphim cap.* 8. *in fine.*

Applicatio ad Mariam Virginem. 211. Trahitur hic Psalmus, vel capitulum ad laudes Beatæ Virginis Mariæ, ostenditurque, quod amator Mariæ nunquam oblivisci debet legum ipsius: quod dulcia sunt eloquia ipsius super omnia, quod ipsa est lucerna dirigans animam in tenebris hujus vitæ.

Quomodò dilexi legem tuam domina Virgo, in conspectu meo semper: suavitatum tuarum affluentia cor meum alienavit à me, & caro mea mirabiliter exultavit in te: quàm dulcia peccatoribus eloquia tua domina; super omnem melodiam refectio tua dulcis ori meo: Illuminatio gressibus meis verbum tuum, & lumen ineffabile semitis meis: quoties exasperaverunt me peccatores inferni, quia à charitate tua declinare nolui, ego autem speravi in te Domina. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psal.* 118.

212. *Verba Mariæ illuminant euntes in tenebris.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Sic sic est: verba enim Mariæ Virginis, & exempla sunt lucerna, & lumen dirigens nos ambulantes in tenebris, & reducens nos in portum salutis. Psalt. ibid. *Opuscul. specul. Beatæ Virginis lect.* 3.

213. *Maria lucerna totius mundi, & lumen radiosissimum hominum.*

Lucerna pedibus meis verbum, & lumen semitis meis. O quàm congruit hoc Mariæ Virgini? ipsa enim tamquam lucerna exposita in mari hujus mundi nos ducit ad portum gratiæ, & Paradisi, est & lumen illuminans mundum per exempla lucidissimæ suæ vitæ, per beneficia lucidissimæ suæ misericordiæ: O nos miseri, & obtenebrati in nocte hujus sæculi, quid faceremus, si tam lucidam lucernam non haberemus? *Op. spec. B. Virg. lect.* 3.

CAPUT OCTAVUM.

Titulus: Samech: Aiin.

214. Nota, quod in capite præcedenti explicati fuerunt effectus mirabiles charitatis in anima residentis: in hoc uno explicatur iniquitatis odibilitas, quæ debet esse in justis, & æquitatis amabilitas: primum in primo octonario exponitur, & ideò præponitur littera Hebraica *Samech*) quæ interpretatur; (*Audi*,) quasi dicat, vis à te alienare iniquitatem audi Confessarium, eique detege peccatum: secundum in secundo octonario ostenditur, cui præponitur littera (*Aiin*,) quæ interpretatur (*oculus*) ostendens, quod ad patranda opera justitiæ requiritur non auditus, sed oculus, scilicet ut videantur opera, ut Deus glorificetur. *Psal.* 118. *c.* 8. *v.* 1.

215. *Justus motus malos sentit exterius, sed interius rejicit, quia legem Dei diligit.*

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Quomodo dicitur odio habuisse iniquos, & simol dilexisse legem Dei? nonnè peccatum gravissimum est odio prosequi proximum? Sed nota, quod dicit iniquos, noo dicit iniquos homines: qui sunt iniqui scilicet iniqui motus externi, hos justus odio habet sive in se, sive in aliis, & id facit, quia legem Dei diligit. *Psal.* 118. *c.* 8. *v.* 1. Vel etiam dicit: *iniquos odio habui*, nempè quia malos objurgare non destitit. *Psal.* 118. *c.* ,. *v.* 1.

216. *Spes nostra in Deum adjutorem, & susceptorem collocanda.*

Adjutor, & susceptor meus es tu, & in verbum tuum supersperavi. Vide quomodo vir justus dicitur supersperare, idest addere spem spei: & cur? quia credit Deum non solum adjutorem perfectissimum io omni tribulatione, sed & susceptorem: si enim homo solvat Deo, quod debet, & Deus suscipiet debitam satisfactionem. *Psal.* 118. *cap.* 8. *vers.* 2. *& cap.* 6. *vers.* 2. Adjutor autem dicitur Deus, quia adjuvat cadentes infirmos, & jacentes. *Psal.* 118. *v.* 14.

217. *Malorum societas justis summè exosa.*

Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Cur vult, ut à se declinent maligni, antequam scrutetur mandata Dei? ut videas, quàm noxia sit societas malorum, & exosa: quasi diceret; à bonis separamini, qui malum operamini: Ego bonum operabor, & propter hoc à bono non separabor. *Psalm.* 118. *capite* 8. *vers.* 3.

218. *Diabolus maximè armatur contra scrutantes legem Dei, & veritatem Sacræ Scripturæ.*

Declinate à me maligni & scrutabor mandata Dei mei. Cur à se elongari vult malignos, scilicet dæmones, dum intendit scrutari mandata Dei? Sed nota, quòd Sanctus Gregorius habebat consuetudinem, quod quando ibat ad studium legis divinæ semper dixit ista verba: *declinate à me maligni, & scrutabor &c.* & interrogatus, cur hoc faceret, respondit Petro suo secretario, quod experimento didicit, quod quando cogitare voluit in lege Dei sentiebat dæmones semper sibi adversarios: in aliis subtilitatibus instigant dæmones, quia in ipsis non vident damnum suum, imò expectant emolumen-

tum : fed quando fit mentio de documentis veritatis, per quæ fugantur dæmones, tunc Princeps tenebrarum occurrit armatus modò per occupationes, modò per phantafticas illufiones,& nititur revocare animos hominum à ftudio veritatis. *Hæc fanctus Bonaventura op. de decem præceptis ferm.2.* Qui hic addit verba refonantia humilitatem maximam, & vilifsimam fui exiftimationem, fic dicens : fed verum eft, quod fanctus Gregorius hoc dixit, quia erat fanctus, & Dæmones compefcere fua virtute poterat : ego autem non fum ex illis. *ibidem fer 2.* quibus tamen non obftantibus idem Seraphicus doctor alibi fe profitetur paffim plures à diabolo tentationes in fimilibus cafibus:nec eft mirum, cum & ego qui hæc fcribo, licèt vilifsimus peccator pluries varios conatus à diabolo perpeffus fuerim in fcriptione horum conceptuum fcripturalium, & maximè dum arcana, & mirabilia B. Mariæ Virginis adnotavi. Veriffimum igitur eft odium dæmonis in hac materia.

219. *Homo volens Deo fervire fe præfentat Deo ad modum Novitij fe offerentis Abbati, ut ad profeffionem votorum admittat ipfum.*

Sufcipe me fecundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Nota quod hæc funt verba, quibus Novitius fe offert fuperiori & Monachis aftantibus, ut admittatur ad profeffionem, & emiffionem votorum : ita & coram Deo exhibere fe debet vir juftus in Dei audientia, & affiftentium Angelorum, tanquam novitium profitentem, divitias,delicias,& voluntates proprias dimittentem ; quia fuæ divitiæ funt Deum tenere, deliciæ fe videre & concupifcentiæ fibi præfentialiter adhærere : addit : *fufcipe me fecundùm eloquium tuum*, fcilicet quia promififti præmium falutis fic facienti : hæc eft expectatio juftorum. *Pfal.*118.*c.*8.*v.*4.*&* *c.*11.*v.*10.

220. *Quàm Deo chara emiffio votorum, quæ à Novitia fit in Religionibus.*

Sufcipe me fecundùm eloquium tuum, & vivam & non confundas me ab expectatione mea. Nota, quod hic primò exponitur oblatio, quæ fit à petentibus ingreffum in Religionem ; & hinc quàm Deo fit chara in novitio oblatio votorum : dicit igitur novitius fuperiori Religionis, fufcipe me profefforem fecundùm tuæ promiffionis tenorem, & redde vitam fuperiorem, pro qua contempfi vitam inferiorem : fic & dicitur Deo : fufcipe me ad profeffionem trium votorum paupertatis, obedientiæ, & caftitatis, & tunc non fine magno pietatis confilio fufcipit à Novitio hoc triplex votum, quatenus per tripartitum medium efficiatur capacior ad fummum bonum capefcendum ratione paupertatis voluntariæ, perfpicacior ad videndum Deum ratione caftitatis, & efficacior ad fruendum ipfo ratione obedientiæ : ficque vita Deiformis, & Chriftiformis ei à Deo communicatur,unde dicit *& vivam*,per quam evitat confufionem æternam:*Pfal.*118.*c.*8.*v.*4.

221. *Milites Chrifti pia audacia ad Deum confugiunt pro adipifcendis auxiliis.*

Adjuva me,& falvus ero, & meditabor in juftificationibus tuis femper. Vide hic quid facit fervus vetus Chrifti, qui ut bonus miles, & piè audax ad eum confugit, dicens, *adjuva me*, fcilicet in mea neceffitate, quantum ad intellectum præftando confilium, quantum ad affectum, præftando auxilium : adjuva igitur me de tuæ gratiæ largitate, & falvus ero, fcilicet quia propter bona gratiæ non quiefco. ideò bona gloriæ concupifco ; ficque meditabor in tuis juftificationibus, fcilicet fecreta divinæ poteftatis, veritatis, & bonitatis,& hoc femper fcilicet perfeveranter. *Pfal.*118.*c.*8.*v.*5.

222. Sancta Mater Ecclefia pie conqueritur cum Deo, & ad Deum confugit pro filiis fuis,qui Deum dereliquerunt : unde dicit : *Sprevifti omnes difcedentes à judiciis tuis, quia injufta cogitatio eorum :* quafi dicat,filios meos fpernis,quos cernis tranfiiffe à civitate fua per rebellionem à tua voluntate ad alienam diaboli, quia cogitatio eorum immiffa ab Adverfario eft injufta. *Pfal.*118.*cap.*8. *verfic.*6.

223. *Amici mundi, & Dei funt inimici.*

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, ideò dilexi teftimonia tua. Hæc eft vox Ecclefiæ militantis contra mundum, & per quam dat intelligere, quod peccatores terræ reputandi funt prævaricantes, fcilicet quia funt mundi,& Terræ amici, ideò inimici reputandi funt Chrifti, cum exerceant Inimicitias contra Chriftum : ipfa verò Ecclefia veluti amica Dei diligit teftimonia ipfius,quæ funt charitatis, & fanctitatis teftimonia. *Pfalm.*118 *c.*8.*v.*7.*&* *c.*9.*v.*1.Nota etiam,quod dicit: *peccatores terræ*, ad differentiam peccatorum Cœli,fcilicet qui in cœlum os blafphemando ponunt, & qui à Cœlo cadunt in infernum. *Pfal.*118.*v.*119.

224. *Timor fuppliciorum divinorum coërcet concupifcentiam,& rationem in Deum dirigit.*

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui Ecce quid à Deo petit juftus,nempè timorem judiciorum, & fuppliciorum divinorum, fciens quod ob ipforum horribilitatem, & intolerabilitatem conftringitur imaginatio, & concupifcentia,ne in illicita currat,& ratio dirigitur in Dei voluntatem exequendam:felix igitur, qui timore hoc præditus eft. *Pfalm.*118. *c.*8. *v.*8. *& op. Breviloq.p.*5.*c.*5. Vide ergo,quod timor Domini eft bonus fpeculator, qui non finit dormire fpiritum tempore hoc belli in delectationibus terrenis. *Op.Diat,tit.*6.*c.*1. Et quia delectationes carnales inebriant animam, ideò petendum à Deo, ut configat timore fuo carnes noftras. *Pfal.*55.dicit etiam *à judicijs tuis*,non à judicio, quia tria funt judicia Dei ; primum eft ante hominem, fcilicet Confeffarium; fecundum ante Angelum pro peccato fupplicando, & cum malo Angelo litigando pro anima : tertium ante Deum. *Pfalm.*118. *v.*120. Time igitur divina judicia, quæ funt abyffus multa :

time

time inquam vehementer, ne forte, quamquam sis aliqualiter pœnitens adhuc tamen Deo displiceas; time vehementius, ne post hoc Deum offendas: time etiam vehementissimè, ne finaliter à Deo discedas semper lumine carens, semper ardens igne, nunquam carens verme nisi per veram pœnitentiam in gratia finali decedas, ut sic cum Propheta decantes: confige timore tuo carnes meas à judiciis enim tuis timui: quia timor debet in vita spirituali præcedere, & simul ardor interni desiderij, ut sine timore recuperetur cor humile, & desiderando cor devotum, & dolendo cor illibatum. O quam fructuosus est timor Domini! *Opuscul. de regimine animæ.*

225. *Imperfecti in statu perfectionis adhuc timore mundano occupantur.*

Feci judicium, & justitiam, non calumnientur mihi superbi. Vide quomodo hic Sanctus Propheta licet propositum habeat tendendi ad perfectionem dicens, *feci judicium*, eligendo, & operando bonum, sed tamen adhuc timeo calumniantes superbos, ne virtus mea illos valeat tolerare patienter. *Psal.* 18.*c.*8.*v.*9. Unde addit: *suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur mihi superbi*, confidens quod Deus suæ imperfectioni compatietur. *Psalm.* 118.*c.*8.*v.* 0.

226. Dum oculi interiores omittunt adspicere ad divina, tunc anima etiam deficit in servitio Dei; unde hic dicit: *oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ. Psalm.* 118. *c.*8. *vers.*11.

227. Addit hic justus confidens de Dei misericordia: *fac cum servo tuo misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me*; quia justus hæc duo debet desiderare, & petere, scilicet misericordiam, & justificationem. *Psalm.* 118. *cap.* 8. *vers.* 12. *& cap.*4.*vers.*16.

228. *Felicitas servorum Dei qualis; infelicitas servorum diaboli.*

Servus tuus sum ego, da mihi intellectum ut sciam testimonia tua. Felix est, qui hæc verè potest dicere Deo: servus autem verus Dei est, qui talem se exhibet serviendo, obediendo, & custodiendo mandata Dei, & ideò confidenter potest ad Deum recurrere dicens: *da mihi intellectum* scilicet da mihi, ut proficiam, non enim sufficit Deo servire, nisi etiam proficiat ad pinguiorem serviendi gratiam, & hoc petit intellectum, ut sciat & cognoscat practicè testimonia, & arcana Dei, ut ea possit exemplariter aliis notificare: item dicit: *da mihi intellectum*, scilicet ad quærendum, ad videndum, ad fruendum te, uti sunt Beati. *Psal.*118.*c.*8.*v.*11.*& c.*5.*v.*9.*& in sap.c.*9. Infelix è contra, qui non servus Dei, sed diaboli est, qui verè non potest Deo dicere, servus tuus sum ego.

229. *Christianus tenetur sæpe loqui, & meditari mandata Dei.*

Da mihi intellectum, ut sciam mandata tua. Sed si se servum Dei profitenir Propheta, ergo notitiam habebat testimoniorum Dei; cur ergo denuò petit intellectum, ut sciat mandata Dei? quia qui servum Dei se profitetur non debet esse contentus scire simpliciter mandata Dei, sed debet ea sæpè meditari, & de eis loqui, ut semper melius cognoscat, & ut notitiam perfectam habeat de via eundi ad Cœlum. *Op. de decem præcept. ser.*3.

230. *Tempus amittere quàm perniciosum.*

Tempus faciendi Domine dissipaverunt legem tuam. Quodnam est hoc tempus faciendi? Hoc est præsens tempus nobis à Deo concessum ad benè operandum: mali autem hoc tempus amittunt dissipando legem Dei: tempus autem malè expenditur, quo nihil pretiosius, cum sit tempus plangendi, acquirendi, & custodiendi mandata Dei, & ideo tempus amittendo indecenter expenditur, quo nihil pretiosius: irreverenter offenditur Deus, quo nihil gratiosius: impudenter magni panditur legis dissipatio, quo nihil pernitiosius, & impudenter parvi penditur divina lex, qua nihil fructuosius. *Psalm.*118.*c.*8.*v.*14.

231. *Justus à Deo illustratus contemnit bona temporalia, eaque postponit spiritualibus.*

Ideò dilexi mandata tua super aurum, & topazion. Vide quomodo charitas Dei facit contemnere bona temporalia propter spiritualia, & ideo dicit, *dilexi mandata tua super aurum, & topazion*, quia hæc duo inter bona temporalia sunt magis æstimabilia *Psal.*. 18 *c.*8.*v.*15.*in sap.c.*7.

232. Deum amans omnia vota sua ad observantiam mandatorum Dei dirigit, & consequenter ad evitandam iniquitatem: sic autem dicit justus cum Propheta, *ad omnia mandata dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui. Psal.*118.*c.*8.*v.*16. dicit etiam ad omnia mandata tua dirigebar: à quonam? non ab alio, nisi ab iisdem mandatis, quæ dirigere habent animam in Deum. *Psalm.*118.*c.*11.*v.*16.

233. *Vera obedientia non unum, sed omnia præcepta implet.*

Ad omnia mandata tua dirigebar, &c. Nota, quod dicit ad omnia mandata tua, non ad unum, vel duo, quia qui in uno offendit factus est omnium reus, & vera obedientia omnia præcepta implet. *In Lucam c.*1.*v.*6.*& c.*17.*v.*10.

234. *Diligens Mariam odit iniquitatem.*

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Hæc diriguntur non solum Deo, sed & Mariæ Virgini, quam qui diligit, etiam viam iniquitatis odit, & detestatur. *Opuscul. Psalt. B. Virg. Psalm.*118. Vide ergo, quod mali veram devotionem Mariæ non habent. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

235. Auxilium Mariæ salutem animæ adfert: unde sæpè dicere debemus maximè in tribulationibus positi: adjuva me ô Maria Virgo, & salvus ero. *ibidem.*

236. Verus devotus Mariæ se æstimat minimum inter servos ejus; unde dicit; *servus tuus sum ego*, nec de hoc est contentus, sed addit, & minimus in familia tua. *Op. Psal. ibid.*

CAPUT NONUM.

Titulus : Phe ; & Sade.

237. NOtà, quod in hoc capitulo agitur de veritate ſapientiæ Dei, & de ſeveritate ſuæ juſtitiæ, & ideò primo octonario præmittitur, *he*, quæ interpretatur, (*os ab ore*,) quia veritas eſt os ſapientiæ divinæ; & ſecundo octonario præmittitur (*Sade*,) quæ interpretatur, juſtitia, quia ad veritatem conſequitur opus juſtitiæ. *Pſal.* 118.*c.*9.*v.*...

238. *Quia mirabilia ſunt teſtimonia ſacræ Scripturæ, ideò invitatur anima contemplativa ad ea ſcrutanda.*

Mirabilia teſtimonia tua, ideò ſcrutata eſt ea anima mea Verè inquam ſunt mirabilia teſtimonia Dei, quæ habemus in ſacra Scriptura à Deo dictata: verè mirabilia, quia ſunt abſconſa, & oculis carnis tecta; ideò anima Deum diligens quærit ea perſcrutari, & intelligere quomodò per ea nos docet Deus. *Pſalm.* 118. *cap.*9. *verſ.*1.*& cap.*6. *verſ.*14.

239. *Confeſſio peccatorum, & examen conſcientiæ eſt teſtimonium, & præceptum Dei invitans nos ad ſcrutandum eam.*

Mirabilia teſtimonia tua &c. Nota, quod multa ſunt teſtimonia, & præcepta Dei: ſed inter hæc mirabile eſt examen conſcientiæ, & confeſſio peccatorum à Deo præcepta, ut diligenter eam ſcrutemur, & Deo revelemus, ut recedamus à via iniquitatis, & per viam veritatis incedamus. *Pſal.*118. *verſ.*129. *& ſermon.*2. *Domin. infrà octav. Penteceſt.*

240. *Quàm mirabilia ſunt opera Dei.*

Mirabilia teſtimonia tua Quænam ſunt hæc teſtimonia Dei? niſi ejus opera, quæ ſunt verè mirabilia, tum propter ſapientiam, tum propter ordinem, tum propter potentiam, tum propter profunditatem, tum propter bonitatem, quæ omnia in ipſis relucent. *Pſalm.*118.*verſ.*129. Sunt etiam mirabilia, quia teſtamentum vetus per novum declaratum eſt, nam per hoc explicatum eſt clarius prædicatum ubique, & in ipſo promiſſiones impletæ. *Pſal.*118.*v.*13.

241. *Sermo divinus illuminat animam humilem, eamque roborat ad obſervantiam mandatorum Dei.*

Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis: Os meum aperui, & attraxi ſpiritum &c. Vide quomodò operentur ſermones, & verba divina in animam: nam in parvulis, & humilibus illuminant eam per intelligentiam virtutis fidei, inflammant concupiſcibilem per benevolentiam charitatis Dei, & roborant iraſcibilem per perſeverantiam virtutis ſpei, & ideò addit præparationem factam per humilitatem, & apertionem oris, ſcilicet invocatione nominis Domini, & deſiderio obſervantiæ divinorum præceptorum; & hinc ſequitur attractio ſpiritus, ſcilicet per recollectionem tam ſenſuum, quàm actuum exteriorum ad interiora; daturque intelligi, quod verbum Dei expreſſum ore Prædicatoris illuminat animam, & eam roborat ad cuſtodiam ipſius. *Sermon.*3. *Domin. Paſſ. & ſermon.*4. *Dom.*3. *poſt oct. Paſchæ, & Pſalm.* 118. *cap.* 9. *verſ.* 1. *&* 3. *&* 16.

242. *Qui vult ſpiritum Dei in anima recipere debet aperire prius os cordis.*

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Quid eſt aperire os ad recipiendum ſpiritum, niſi deſideria cordis dilatare ad recipiendum ſenſus divini Verbi? qui ergo vult hunc ſpiritum intelligentiæ, debet prius exire in actus deſiderii. *Pſalm.*118.*cap.*9. *verſ.*3.

243. *Os aperiendum in oratione & confeſſione ab eo, qui vult recipere in ſe ſpiritum Dei.*

Os meum aperui. Scilicet in oratione, & confeſſione, & ideo attraxi in animam Spiritum ſanctum: hoc enim eſt medium neceſſarium. *Sermon.*1. *fer.*4. *Penteceſt. & in ſap. cap.*7. *& in Lucam cap.* 11. *verſ.* 13. *& opuſcul. diat. titul.* 2. *cap.*5.

244. *Aſpectus Dei in animam quanta bona afferat.*

Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundùm judicium diligentium nomen tuum. Cur quærit Propheta aſpectum Dei? nonnè Deus aſpicit, & videt clarè omnia? Nota, quod aliud prætendit vir juſtus, quam ſimpliciter aſpectum Dei; ſed quia aſpicere Dei eſt facere aſpicere animæ, & imperfectum aſpicere ipſius reddere perfectum, ideo dicit: *aſpice in me*, ſcilicet quantum ad agnitivam illuminando me, quantum ad affectivam conſolando, & quantum ad effectivam approbando, & roborando; & hinc quia cognoſcit ſuam miſeriam recurrit ad divinam miſericordiam dicens, *& miſerere mei*: purgando intellectum, & voluntatem illuminando, & perficiendo: *Secundùm judicium diligentium nomen tuum*, ſcilicet ut non timore ſervili, ſed filiali, & qualis eſt inter amicos, quibus omnia ſunt communia te amem, & ſerviam. *Pſal.*118.*c.*9.*v.*4.

245. *Niſi Deus dirigat greſſus animæ in via activa, ad viam injuſtitiæ neceſſariò declinabit.*

Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injuſtitia. Ecce quid agendum, ne in Dei obſequio dominetur noſtri injuſtitia, nempè recurrendum eſt Deo, ut dirigat greſſus noſtros, ſcilicet actus omnes elicitos à voluntate, vel imperatos ſecundùm eloquium mandatorum ipſius, qui enim per viam ipſorum incedit rectâ via dirigitur, qui per viam injuſtitiæ deflectit in devia, & maculas incidit. *Pſal.*118. *cap.*9. *verſ.*5.*& cap.*4. *verſ.*10. *& cap.*9. *verſ.*12.*& c.*11. *v.*10.

246. *Mercatur*

246. *Mercator iniquus est calumniator Proximi.*

Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. Quid est redimi à calumniis hominum? ergone per calumnias venditur homo? venditur quidem homo justus ab impijs, dum calumnia, injuria, & infamia ei infertur; & hinc est, quod proprium est Christi defensionem suorum servorum sumere, eosque redimere à talibus venditionibus iniquorum Mercatorum. *Psalm.* 118. *c.9.v.6.*

247. Qui vult ad contemplationis apicem pervenire ad Deum recurrat, ut illuminetur, & deprecetur, sicuti dicebat Propheta: *faciem tuam illumina super servum tuum, & justificationes tuas doce me. Psal.*118.*c.9.v.7.*

248. *Sine similitudine Dei anima redditur deformis; similitudine decoratur.*

Faciem tuam illumina super servum tuum. Quid est super servum? ergone facies Dei, non est semper lucens? & cur vult, ut super se illuminetur? Nota, quod facies Dei est anima ad imaginem Trinitatis creata, petitque quod super se illuminetur similitudine divinâ, idest desuper à sole justitiæ Christo diffundatur, quia tali luce redditur anima pulchra. *Psal.*1,8.*v.*135.

249. *Oculi pœnitentis sunt loculi pecuniam lachrymarum Deo offerentes pro solutione debitorum, quæ Deo per mala opera debemus.*

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ecce quibus loculis, & quali pecunia vir pœnitens solvit Deo debita contracta, nempè pecunia lachrymarum, quam exhibet, & ante Deum portat in loculis oculorum pro debitis cum Deo contractis rapiendo, & peccando. *Psalm.*118.*c.*9 *v.*8 *& c.*4. *v* 7. *& serm.*3. *Dom.*1 *post oct.Epiph. & serm.*2. *ciner. & op. Regul. Nov.c.*2. Nota etiam, quod dicit exitus aquarum in plurali, quia pœnitens flet pro se: justus etiam pro aliis, & pro desiderio Regni cœlestis: primæ lachrymæ sunt amaræ ob recordationem peccatorum, ob metum inferni, & ob peregrinationem, & remotionem à Deo: lachrymæ pro aliis effusæ sunt calidæ, quia à charitate promanant: lachrymæ effusæ pro desiderio Regni cœlestis sunt dulces, quia ad Regnum deferuntur. *Psal.*118.*v.*137.138.139.140.

250. *Justitiæ divinæ præsentis vitæ partes exponuntur.*

Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Mandasti justitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis: tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua &c. Ignitum eloquium tuum, & servus tuus dilexit illud. Notandum, quod in his quatuor versibus Propheta describit qualitatem justitiæ divinæ præsentis vitæ, quæ appellatur justitia dispositiva, cujus partes sunt quatuor veluti filiæ justitiæ: prima est prohibitiva, secunda præceptiva, tertia comminativa, quarta promissiva. Prohibitiva exprimitur in his verbis: *justus es Domine, & rectum judicium tuum*, scilicet quia tu es Dominus omnium, ideò justa jubes, justas cordis leges, omnem injustitiam prohibentes, & hoc quia rectum est judicium tuum, scilicet ideò secundùm rectitudinem rationis delinquentes judicas ad supplicium æternale. In secundo versu proponit justitiam præceptivam, scilicet inquam præcipit observantiam mandatorum istorum justorum dicens: *mandasti justitiam &c.* & hoc quia talis observantia est amabilis super omnia, & quorum veritas est credibilis super omnia, & desiderabilis, ex eo quod in istis præcipitur exercitium charitatis. In tertio versu proponit justitiam comminativam dicens: *tabescere me fecit zelus &c.* Quasi dicat motus sum misericordia super inimicorum tuorum vecordia, quia non habent in memoria verba Dei comminatoria. In quarto subjungit suavitatem justitiæ promissivæ dicens: *ignitum eloquium tuum, & servus tuus dilexit illud*, quasi dicat justitia tua promissiva per verba tua ignita est suaviter attractiva, trahens hominem tam interiorem, quam exteriorem per desiderium, & amorem. *Psal.*118. *c.9.v.*137.138.139. *&* 140 *& in sap.c.*12. *& op.spec.B.Virg.lect* 9.

251. *Justitiæ finalis partes ad præmium bonorum, & condemnationem malorum terminant.*

Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus: justitia tua justitia in æternum &c. tribulatio & angustia &c. Æquitas testimonia tua &c. Nota quod his quatuor versibus exponuntur quatuor partes justitiæ finalis, & definitivæ, quarum prima est humilium sublimatio: ideò dicit: *adolescentulus sum ego, & contemptus, justificationes tuas non sum oblitus:* quasi dicat: ego parvulus in oculis meis & alienis, quod tibi credidi oblivioni non tradidi, & hoc quia spem in pectore meo conservavi in ordine ad mercedem promissam humilibus, & contemptis propter te. In secundo versu exponit justitiam sublimium, & superborum humiliativam dicens: *justitia tua justitia in æternum, & lex tua veritas*, Quasi dicat justa est sententia condemnationis impiorum, & sententia continuationis quantum ad legem comminationis, & veritatem confirmationis. In tertio versu exponit justitiam coronationis patientium dicens: *Tribulatio, & angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est:* quasi dicat, attendite, quid toleravi, per quod superavi, quid consideravi, quid speravi: toleravi pro Christo tribulationem corporalem, & spiritualem malitiam exteriorem, & interiorem amaritudinem; toleravi inquam militando, quia ista mala me invenerunt vigilantem, & pugnantem, & hoc dum meditabar mandata tua. In quarto versu exponit justitiam condemnantem impatientes dicens: *æquitas testimonia tua in æternum; intellectum da mibi, & vivam;* quasi dicat: Ecce video, quia talis est æquitas in judicando, qualis est veritas in testificando, & etiam talis est severitas in vindicando, quæ erit in æternum, & hinc terminat dicens: *intellectum da mihi, & vivam;* idest da mihi illuminationem ad mentis declinationem. *Psal.*118.*c.9.v.*14.*& seq.&* 142. 143. *&* 144.

252. *Vult Deus erudire nos non per ſenſibiles dulcedines, ſed per exercitium fidei habenda in teſtimoniis Sacra Scriptura.*

Mandaſti juſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis. Vide quid exprimit hic Propheta, nempè quam juſtè Deus velit à nobis, ut ipſi credamus,& quod non fidamus in experientia dulcedinis,& conſolationum ſpiritualium, ſed in veritate fidei dictatæ in ſacra ſcriptura, quæ nobis operantibus juſtitiam promittit æternam viſionem, & malè operantibus æternum ſupplicium, quia ut juſtus nullum malum impunitum relinquit,& ideò Deus aliquando ſubtrahit ſuis ſervis iſtas conſolationes ſpirituales ad majorem ipſorum profectum. *Opuſcul. de perfect. relig. l. 2. cap. 1. & Pſal. 118. verſ. 13.*

253. *Zelus animarum, & amoris Dei, & meditatio Paſsionis Chriſti tabeſcere facit animam.*

Tabeſcere me fecit zelus meus. Nota, quod ille tabeſcit, qui nimio langnore ad maciem venit, & hoc ſpiritualiter advenit animæ Deum diligenti, quæ videns Deum nimis offenſum, vel ardens amore Dei, vel meditans dolores Paſſionis Chriſti tabeſcere dicitur. *In thren. c. 3. & Pſal. 118. v. 139.*

254. *Verbum Dei prædicatum ignis eſt.*

Ignitum eloquium tuum, & ſervus tuus dilexit illud. Verè verba Dei ſunt ignis, qui in cor agit, ipſum immutat, purgat, innovat, illuminat. & accendit in Dei dilectionem, *ſerm. 1. in Cœna Domini, & ſer. 1. de S. Laurent. In Lucam c. 14 v. 31. & opuſc. de ſeptem itineribus æternit. itin. 2. d. 3. & Pſ. 15. & 104. & Pſalm. 118 ſ. 11. v. 7.*

255. *Qui vult ignem Verbi Dei in ſe ſentire debet deſiderio, & amore ſe præparare.*

Ignitum eloquium tuum, & ſervus tuus dilexit illud. Nota hanc correſpondentiam inter eloquium Dei ignitum, & dilectionem viri juſti, datque intelligere, quod Verbum Dei habet quidem virtutem ignis, ſcilicet illuminandi, & inflammandi activè, per quod accenſum tali igne cor in Deum fertur. *Pſal. 118. c. 9. v. 12. & Pſal. 118. v. 140.*

256. Humiles ſunt chari, veluti Benjamin Patri Deo, ideò dicit Propheta: *Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus. Pſalm 118. c. 0. v. 13.*

257. *Juſtitia tua, &c.* Nota hic commendari Chriſtum à quinque: primo ab æquitate, unde dicit *æquitas*: ſecundò ab æquitatis auctoritate, unde addit: *tua*, quia eſt auctor omnis boni; tertiò ab auctoritatis æternitate; nam erit auctor in æternum: quarto à promiſſione vitæ æternæ quæ per legem exprimitur, & ab impletione promiſſionis: unde dicit: *& lex tua veritas. Pſal. 118. v. 142. & c. 6. v. 5. & c. 7. verſ. 2.*

258. *Beati qui inveniunt mala, & à malis inveniuntur: Infelices qui tantum inveniunt mala, & à malis non inveniuntur.*

Tribulatio, & anguſtia invenerunt me. Cur invenerunt me? quia ea quærebam: felix, qui quærit mala propter Chriſtum, & invenitur à malis, quia iſti perfectè tolerant ipſa: Infelices è contra, qui tantum inveniuntur à malis, nec ea quærunt. *Pſ. 114.*

259. *Teſtimonia Mariæ Virginis ſunt mirabilia, quia mirabiliter illuminant cor noſtrum.*

Mirabilia teſtimonia tua, ideò ſcrutata eſt ea anima mea. Hoc dicebat Deo Propheta: hoc dicunt devoti Mariæ Virginis, & meritò, nam teſtimonia Mariæ, quæ ſunt verba, & exempla ſunt verè mirabilia, & illuminant cor, & accendunt animam: felix igitur, qui ipſa percipit & qui vultum Mariæ aſpicit, & ipſam collaudat. *Op. eſ. B. V. Pſal. 118.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

260. *Quia juſtus Deus, ideò juſtiſſima Maria Virgo.*

Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum: juſtitia tua juſtitia in æternum. Ecce quod hic prædicatur Deus juſtus per eſſentiam. & quia eſt cum Maria, ideò & Maria juſtiſſima ſecum, quia in omnibus viis Domini rectè ambulavit, & cum Proximo. *Op ſpec. B. Virg. lect. 9.*

CAPUT DECIMUM.

Titulus: Coph, & Reſe explicatur.

261. **N**Ota, quod in hoc capite continente duo octonaria continetur oratio, quæ ad Deũ à viro juſto dirigitur, in qua exercetur virilitas, & conſtantia, & humilitas, ideò primo octonario, in quo agitur de Oratione mentali præponitur, littera Coph, vel *Coph*, quæ interpretatur, *excuſſio*, ſcilicet violentia, quam ſibi infert vir orans mentaliter; & quia in ſecundo octonario agitur de Oratione vocali præponitur littera Reſe, quæ interpretatur, *patientia*, per quam exercetur humilitas, daturque intelligi, quod utrumque exigitur in oratione. *Pſalm. 118. c. 10. v. 1.*

262. *Orationis utilitates quales, ejuſque conditiones.*

Clamavi in toto corde meo exaudi me Domine: juſtificationes tuas requiram. Nota, quod non dicit, clamo, ſed clamavi; dicit in toto corde meo, non ſola lingua, exaudi me, quia hæc oratio fundebatur à viro juſto ſecundùm omnes debitas conditiones: dicit enim: *clamavi*, non ſolum inchoavi clamorem in oratione, ſed continuatè clamat & frequenter dicit: *in toto corde meo*, idest quia cor eſt calidum, innuit quod Oratio erat fervens: ſubdit: *exaudi me*, quia inſtanter orabat: & quid petebat? juſtificationis gratiam, per quam purgatur conſcientia, quia planè oratio ſine torpore, ſine tepore, ſine tumore recipitur cum exauditionis favore. *Pſalm. 118. c. 10. v. 1.*

263. *Qua diſpoſitione cor clamare debet.*

Clamavi in toto corde meo. Quid eſt in toto corde meo? idest cum toto fervore clamavi, qui fervor exigit reverſionem ad Deum, malum relinquendo, converſionem ad Deum, bonum præponendo, & confitendi conceptionem. *Pſalm. 118. c. 10. v. 1.*

264. *Ex multiplici causa clamat anima ad Deum.*

Clamavi in toto corde meo, &c. Nota, quod non dicit ad quid, & propter quid clamavit ad Dominum, quia ex multiplici ratione ad Deum clamat anima, nempè aliquando ob propriam culpam, per quam captivatam habet conscientiam; unde ut captiva, & inquieta clamat ad Redemptorem: aliquando ob alienam culpam ob charitatem: aliquando propter pœnam: aliquando propter dilationem gloriæ: aliquando ut infirma ad Medicum verum, ut evitet Medicum falsum: differunt enim Medicus verus, & falsus, quod falsus promittit, & non facit: verus scilicet Deus, quod promittit, facit: falsus sanitatem prolongat, & si medetur id facit ferro incidendo; verus solieitè sanat, verboque, non ferro. *Psalm.* 118. *vers.* 145.

265. *Anima obsessa ab inimicis, ut liberetur mittit orationem nuntiam ad Deum, & quidquid desiderat à Deo reportat.*

Clamavi in toto corde meo, &c. Cur clamasti, & ad quem? Nota, quod huic octonario præmittitur littera (*Coph*,) quæ interpretatur, (*conclusio*) significatque animam undique conclusam, & obsessam ab inimicis angariatur enim à peccatis, & hostibus, malis cogitationibus, & dæmonum insidiis: hinc virtutes clamant ad Dominum; nempe prudentia, quia prævidet insidias, & periculum currit ad artem sapientiæ quærens consilium, quæ testatur confugiendum esse ad Domini auxilium; & hinc consilium donum Spiritus sancti respondet mittendam esse orationem tanquam nuntiam, & sic ab anima mittitur oratio, & ne moram faciat supra equos fidei eam facit ascendere, hæcque proficiscitur per viam Cœli, & currit penetrans Cœlos, simulque ad Dominum pertingens cum fiducia nunciat imminens periculum: quo audito Rex mittit Charitatem Reginam Cœli, & tota Cœlestis curia eam comitatur. Advenit charitas in civitatem animæ, & omnia illico exhilarat, commota componit, turbam pacat, redit spes, fortitudo, aliæque virtutes redeunt, quæ penè effugerant, quod videntes hostes statim fugiunt dicentes fugiamus Israëlem, quia Dominus pugnat pro eis (*Exod. cap.* 14.) sicque civitas virtutum, scilicet anima oratione nuncia liberatur. *Psal.* 118 *v.* 145.

266. *Toto corde ad Deum clamare debemus, non dimidiato in oratione.*

Clamavi in toto corde meo, &c. Quid est in toto corde? hoc est integro, & non dimidiato scilicet corde ex corde: unde in oratione ut sit Deo chara debet animus integer se totaliter recolligere in Deum, ita quod aliud ore, aliud corde non fiat, & dimidium dirigatur in Cœlum, & dimidium remaneat in Terra: hocque fit quando homo sibi constituit duos fines principales non subordinatos, vel quando ore clamat ad Deum, corde & cogitationibus est in Mundo immersum, quia divisum cor non impetrat quod petit: debet ergo anima tempore orationis cor suum ab omnibus exterioribus curis, & mundanis desidetiis, ab omnibus carnalibus amoribus se revocare ad interiora, & illi soli in toto corde, & mente intendere, ad quem suam orationem dirigit, quia valdè indecens est, ut quis cum Deo loquatur ore & aliud meditetur corde. *Psal.* 118. *v.* 145. & *op. de perfect. vita cap.* 5.

267. *Clamandum est ad Deum in oratione, ore, corde, & opere, ut securè ducat in viam salutis.*

Clamavi ad te salvum me fac, ut custodiam mandata tua. Nota, quod repetit clamorem, ut videas quod multipliciter ad Deum clamatur, scilicet corde, ore, & opere: clamandum est ergo sic in Oratione ad Deum, ut securè nos ducat in custodia mandatorum, & à vitiorum deviis, & ab adversariorum insidiis salvet nos. *Psalm.* 118. *cap.* 10. *v.* 146.

268. *Ante orationem præparatio est præmittenda.*

Præveni in maturitate, & clamavi, quia in verba tua supersperavi. Nota, quod cum Propheta in his verbis exponat qualitatem suæ orationis, dat intelligere, quod ad hoc, ut fiat bona oratio debet præmitti recta præparatio, quæ spectat prius ad intellectum, & deinde ad affectum: dicit igitur: *præveni*: scilicet præmeditando quod affectus debet flagitare: præveni per meditationem, per viam compunctionis, compassionis, & consolationis, & hinc in oratione clamavi, & cum fiducia impetrandi supersperando in verba tua, *Psalm.* 118. *cap.* 10. *vers.* 3.

269. *Opera bona in juventute seminata Deo magis chara cæteris paribus, quàm in senectute.*

Præveni in maturitate, & clamavi. Nota, quod plures legunt per unam dictionem, scilicet immaturitate, nempe in juventute, nam temperantia in juventute est majus meritum, quàm in sene, hancque temperantiam in agro cordis nostri, & Ecclesiæ seminaverunt Virgines, Martyres fortitudinem, Confessores justitiam, & devotionem. Cave ergo ne aves infernales veniant, & superseminent zizania. *Psalm.* 118. *vers.* 147.

270. *Ad contemplationem debet præcedere compunctio, & vigilia corporis, & cordis.*

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Ecce quid faciebat iste vir contemplativus, & quid docet à nobis faciendum: primò enim diluculo surgendum ad Deum auferendo somnum ab oculis, & evigilando in oratione, deinde spirituales oculi compunctionis debent prævenire solem contemplationis; nam diabolus quærit opilare oculos ad malitiam, quos Deus aperit ad sanctitatem. *Psal.* 118. *c.* 10. *v.* 4.

271. Prædicator debet prævenire meditationem, & prædicationem verbi divini oratione ferventi, ut faciebat Propheta dicens; *Prævenerunt oculi mei*, scilicet in oratione, *ut meditarer eloquia tua. Psalm.* 118. *c.* 3. *v.* 15.

272. *Oratio bona, vocalis exigit correſpondentiam cordis, & bonorum operum.*

Vocem meam audi ſecundùm miſericordiam tuam Domine, & ſecundùm judicium tuum vivifica me. Ecce quænam requiruntur ad bonam orationem vocalem; nam dicendo: *vocem meam audi*: dat intelligere, quod oratio vocalis eſt facienda, & quam debet comitari pars interior, unde addit: *ſecundùm miſericordiam tuam*: ſcilicet ſecundùm quam Deus intuetur interiorem partem orantem conſiderantem judicia Dei. *Pſalm.* 118. *cap.* 50. *verſ.* 5.

273. Oratio bona vocalis elongare facit ab anima cogitationes malas, unde dicit Propheta: *appropinquaverunt perſequentes me iniquitati*, ſcilicet irrationabiles cogitationes appropinquaverunt conſenſui, in quo conſummatur iniquitas; ſed tamen virtute orationis, ſcilicet vel pſallendo, vel canendo longè facti ſunt à me. *Pſal.* 118. *c.* 10. *v.* 6. & *c.* 6 *v* 51.

274. *Oratio vocalis rectè facta attrahit è Cælis Deum ad mentem eam illuminando.*

Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas. Ecce effectus orationis vocalis rectè factæ; nam ex ipſa attrahitur Deus ad animam, ad quam fit propè per inſpirationem, per infuſionem luminis ſuperni, & per auxilium gratiæ. *Pſal.* 118. *v.* 51. & *c.* 10. *verſ.* 7.

275. *Verba quibus pſallimus & Deum laudamus ſunt via Dei, per quas venit ad nos.*

Et omnes via tua veritas. Quænam ſunt iſtæ viæ? Nota, quod hic Propheta loquitur de virtute orationis vocalis, & ideò verba ſancta, quæ in ipſa canimus, vel pſallimus dicuntur viæ, per quas Spiritus Dei ad animam mundam tranſit, ad ipſam alloquitur; & ideò dicuntur veritas, quia veritatem intelligibilem continent iſta verba. *Pſal.* 118. *c.* 50. *v.* 7. Et hinc ſubdit Propheta: *initio cognovi de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea*: quaſi dicat cognovi claré, quod iſta tua verba à te initium habent, & quod ea æternaliter fundaſti invariabili veritate *Pſalm.* 118. *cap.* 10. *v.* 8.

276. *In oratione peti à Deo debet auxilium pro miſeriis ſpiritualibus relegandis, & pro bonis, & remediis obtinendis.*

Vide humilitatem meam, & eripe me, & legem tuam non ſum oblitus: judica judicium meum & redime me, ſecundùm eloquium tuum vivifica me: longe à Peccatoribus ſalus, quia juſtificationes tuas non exquiſierunt: miſericordia tua multa Domine, ſecundùm judicium tuum vivifica me &c. Nota, quod in hoc quaternario verſuum Propheta poſtquam fructus orationis vocalis expreſſerat, exponit fructus humilitatis ipſius orantis: Proponis autem in primo ſuam propriam vilitatem, ut ſublevetur à Dei benignitate dicens; *vide humilitatem meam, & eripe me*; & deinde veluti ſe appellans ab inferiori curia ad ſuperiorem, ut à ſtatu juſtitiæ ad ſtatum gratiæ reducatur: dicit: *judica judicium meum*, ſcilicet meum miſerabilem ſtatum, judica per legem clementiæ, & redime me à lege peccati, ut reſurgam ad vitam: deinde videns ſe elongatum à Patria, dicens: *longè a peccatoribus ſalus*, ob poſtergationem juſtificationum Dei, recurrit ad miſericordiam Domini dicens: *miſericordia tua &c. Pſalm* 118. *cap.* 10. *v.* 153. 154. 155. & 156.

277. *Humilitas ex multiplici capite excitatur tanquam Regina virtutum.*

Vide humilitatem meam, & eripe, & legem tuam non ſum oblitus. Unde cognoſcis hanc tuam humilitatem, & vilitatem? Ex his cauſis potiſſimum agnoſco vilitatem meam, ſcilicet ex vilitate, ſcilicet potentia, & facilitate peccandi, veluti perſona originali juſtitia deſtituta, nondum reparata: & hinc precatur, ut eripiatur. *Pſalm.* 118. *cap.* 10. *verſ.* 9. Nota, quod hic proponit humilitatem, quæ eſt filia ſummi Regis, & caput omnium virtutum, cum ipſa ſit neceſſaria ad exercitium ipſarum, maximèque orationis: dicit etiam: vide, ſcilicet humilitatem meam, non in malo, non malum, ſed in bono bonum. *Pſal.* 118. *v.* 153.

278. *In Regno animæ exponuntur plures curiæ, plures judices, & plures ſententiæ.*

Judica judicium meum, & redime me, ſecundùm eloquium tuum vivifica me. Quodnam judicium tuum eſt hoc, quod prætendis, ut Deus judicet? Nota, quod dicit judicium meum, non tuum: ut hæc intelligantur, ſciendum, quod in Regno animæ eſt curia concupiſcentiæ, curia conſcientiæ, & curia gratiæ: Judex in prima curia eſt lex injuſtitiæ: in ſecunda eſt lex juſtitiæ: in tertia eſt lex clementiæ: ſententia quæ eſt lata in curia concupiſcentiæ eſt reddere malum pro bono, quia peccans reddit indebitum opus pro debito: in curia conſcientiæ eſt reddere bonum pro bono, quod contingit in omni opere meritorio, in quo redditur bonum operatum pro bono inſpirato: in curia gratiæ per legem clementiæ eſt reddere bonum pro malo, ſcilicet bonum veniæ pro malo culpæ. Cum igitur voluntas humana tentatur ab hoſte, citatur ad curiam concupiſcentiæ: & cum voluntas in tentatione agitatur ad delectationem, & ad deteſtationem tunc ventilatur cauſa coram Judice inſipiente, ſeu injuſtitiæ, & ſi propendeat ad delectationem, tunc profertur ſententia à Deo, & condemnatur voluntas ad ſatisfaciendum voluntati diabolicæ: quo cognito condemnata voluntas appellat ad gratiæ curiam revocari ſupplicans ſententiam legis injuſtitiæ per ſententiam legis clementiæ: quo conceſſo poſtulat, quod deinceps tradi non valeat ad curiam concupiſcentiæ, ſed cuilibes conquerenti reſpondeat in curia conſcientiæ & hoc eſt quod dicit Propheta: *judica judicium meum*, ſcilicet ſevoca judicium factum in mea curia concupiſcentiæ ad curiam gratiæ per legem clementiæ. *Pſalm.* 118. *c.* 10. *v.* 50.

Reddere malum pro bono, bonū pro bono & bonum pro malo ad quaſnam leges ſpectat.

Nota hic pulchrum examen ſub metaphora judicii inter peccatorem peccantem, pœnitentemque, & diabolum, & Deum.

279. Multiplex

279. *Multiplex judicium exponitur.*

Iudica judicium meum, & eripe me &c. vivifica me, &c. Nota, quod non dicit judicium tuum, sed meum, quia multiplex est judicium: aliud enim est inter hominem, & hominem: aliud inter hominem, & diabolum, quando scilicet diabolus eum accusat, & homo se defendit per bona opera: aliud inter hominem, & Deum, aliud inter Deum, & diabolum: hic autem petit justus examinari à Deo per legem clementiæ, non justitiæ: unde dicit: *& eripe me, & vivifica me*: nam boni examinati per gravitatem constantiæ, & perseverantiæ in dexteram partem se inclinant: mali examinati per pondus culpæ & in sinistram se inclinant: & ideò in statera Patris, quæ est Christus totus mundus est, & ab ipso examinatur secundùm opera bona, & mala, & in una parte ponuntur bona opera cum gutta sanguinis Christi, in alia mala. *Psalmo 118. vers. 113.*

280. *Boni appropinquant ad Cœlum, mali se elongant.*

Longè à peccatoribus salus. Scilicet Cœlestis Patria, longéque dicitur, quia mala opera elongare faciunt animam à Deo quia per vias iniquitatis incedunt: Boni verò propinqui dicuntur, quia incedunt per viam virtutis, quæ est proxima Deo. *Psalm. 118. vers. 1. & op. de tribus ternar. peccat. capite quarto, & in thren. capite primo, & cap. 3.*

281. *Peccatum est regio à Deo valdè longinqua.*

Longè à peccatoribus salus, idest Jesus: quomodò si est Deus, & ubique dicitur longè? sed hoc intellige non quantum ad distantiam localem, sed per voluntaris dissimilitudinem: quantò enim quis plus delinquit, tantò à Dei gratia longius recedit: peccatum enim est Regio longinqua à Deo, quia cum sit iniquitas elongat à summa bonitate: cum sit tenebra elongat à summa veritate, & luce: cum sit nihil elongat à summa æternitate: Peccator igitur peccans elongat se à Deo, & accedit ad infernum. *In Lucam capit. 15. vers. 13. & 20. & opusc. special. Beatæ Virginis lect.* Nota etiam, quod hoc dicitur de Judæis, à quibus ablatus est Jesus, qui est principium, & finis, caput, & cauda, unde in septimana pœnosa tacetur principium, & finis horarum. *Psal. 118. v. 155.*

Ritus Ecclesiasticus.

282. *Misericordia Dei multiplex.*

Misericordia tua multa Domine, secundùm iudicium tuum vivifica me. Nota, quod dicit in plurali misericordiæ tuæ, non misericordia in singulari, quia quoad nos misericordia est multiplex, quia enim Deus se constituit debitorum nostrorum debitorem, solutorem, & absolutorem, ideò dicit misericordiæ tuæ, quod præcipuè innotuit per Incarnationem dominicam *Psal. 118. cap. 10. vers. 12.*

283. *Christus in se ipso judicium fecit pro nostris culpis.*

Secundùm judicium tuum vivifica me. Nota, quod non dicit secundùm judicium meum, ut supra, sed secundum judicium tuum: nam supra suum judicium appellavit ad curiam clementiæ quia sciebat, quod Christus se ipsum debitorem, & persolutorem pro nostris debitis constituit, & in se ipso assumpsit judicium, ut Index solutus pro Deo, & ut Reus in se satisfaciens pro Reo. *Psalmo 118. capite decimo vers. 11.*

284. *Oratio pro inimicis quomodò fundenda.*

Multi qui persequuntur, &c. Nota, quod Propheta in hoc quaternario fundit orationem pro inimicis pro quibus primò orat, ne æternaliter crucientur, & nè mala pro malis eis reddantur, dicens: *multi qui persequuntur me, & tribulant me, a testimoniis tuis non declinavi*, scilicet reddendo mala pro malis, sed pro ipsis rogando. Secundò rogat, ne sauciantur mortaliter, dicens: *vidi prævaricantes, & tabescebam*, vidi scilicet oculo pietatis pro eis rogando: tertiò rogat, ut mortaliter vivificentur, & convertantur, dicens: *vide quoniam mandata tua dilexi*, scilicet inimicos diligendo, & pro eis rogando, ideò rogo, ut vivifices me per animi mei lætificationem, & Proximi justificationem: quartò orat pro omnibus, dicens: *principium verborum tuorum veritas &c.* idest quia tu es causa veritatis, imò ipsa veritas, ideò omnia judicia justitiæ, deduc in æternitatem felicitatis. *Psalm. 118. cap. 10. v. 157. & 156. & 159. & 160.*

285. *Tria genera Martyrij, sive sanctitatis celebrantur, post diem Nativitatis.*

Multi qui persequuntur me, & tribulant me. Nota, quod hic innuit Ecclesia plura genera persecutionum in suis filiis perpessa, quæ celebrantur post diem Nativitatis, scilicet in Stephano, Joanne, & Innocentibus: In primo est opus Martyrij, & voluntas corpore, & spiritu: in secundo sola voluntate, & Spiritu: In Innocentibus solo opere, & corpore absque voluntate. *Psal. 118 v. 157.*

286. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

Clamavi in toto corde meo ad te ô Domina Virgo: de necessitatibus meis clementer eripe me: vocem gemitus mei exaudi domina mea, doce me quod acceptum sit apud te omni tempore. *Op. Psalt. B. Virg. Psal. 118.*

287. *Qui colunt Mariam salvi fiunt: qui ipsam despiciunt, & obliviscuntur, damnantur.*

Longè à peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt. Qui sunt isti peccatores? isti sunt qui justificationes Mariæ non exquirunt, sunt & qui nesciunt, & non colunt

Mariam Virginem; ab istis longè est salus, scilicet Jesus, qui autem eam volunt procul fiunt à perditione. *Op. Psalt. ibidem, & op. spec. Beat. Virg. lect. 7.*

288. *Misericordia Mariæ rigat universum Orbem.*

Misericordia tua multa Domine: in misericordia tua vivifica me. Si misericordiæ Dei sunt multæ, & maxima est illa quam exercet Maria in universum Orbem terrarum, quia ipsum rigat vivificans nos in salutari suo, scilicet Jesu. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psalm. 1. 8.*

289 Initium eloquiorum Mariæ veritas in æternum, quia à summa veritate procedunt, & ideò legem ejus immaculatam non debemus oblivisci. *Opusc. Psalt. Beat. Virg. ibidem.*

CAPUT UNDECIMUM.

Titulus Sin: Tau: exponitur hic titulus.

290. NOta, quod in hoc ultimo Capitulo seu Psalmi parte agitur de persecutionis gladio malorum in bonos, & membra Christi, & de orationis clypeo, qui opponitur contra illos ab Ecclesia: hinc primo octunario præponitur littera, *Sin*, quæ interpretatur, *dentes*, ut significetur, quod pro dentibus gladios habent, quibus persequuntur bonos, & quia Ecclesia, & justi patienter tolerant persecutiones, ideò orat pro ipsis, ut patet in secundo octonario, cui præponitur littera, *Tau*, quæ interpretatur, *erravit vel consummavit*, scilicet Oratio, & ad Deum conjunctio est remedium consummatum contra errores, peccata, & istas persecutiones: nota etiam, quod, *Sin*, interpretatur, super vulnus, quia tribulationes immitti permittit Deus suis, ut per ipsas medeatur vulneribus spiritualibus: Interpretatur etiam justitia, quia justè permittuntur à Deo. *Psalm. 118. c. 11. v. 1. & 161.*

291. *Persecutio injusta à justis qualiter toleranda.*

Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum. Nota, quod hæc dicuntur ab Innocentibus, quos injustè persequuntur mali potentes: unde dicit: Principes potentes varias persecutiones contra me gratis, & injustè excitarunt mente vuee, & factis: sed à verbis tuis formidavit cor meum, idest ut obedirem voci, & verbis tuis non reddidi malum pro malo, sed vici malum in bono. *Psal. 118. c. 11. v. 1.*

292. *Dæmones sunt Principes nos persequentes.*

Principes persecuti sunt me gratis. Qui Principes? isti sont dæmones nos impugnantes tentationibus, & pertrahere nos conantes ad malum: tot enim habemus Principes persequentes, quot dæmones adversantes *serm. 1. Dom. 16. post Pentec.*

293. *Persecutio est medicamentum, seu emplastrum, quod Deus apponere facit super vulnera nostra spiritualia, ut ea sanet.*

Principes persecuti sunt me gratis. Cur Deus permittit persecutiones injustas ab impiis inferri in justos? Sed nota, quod huic versui præponitur littera, *Sin*, quæ interpretatur super vulnus, datque intelligere, quod super vulnera spiritualia justorum Deus immitti permittit persecutiones. & tribulationes tanquam emplastrum, & medicamentum ipsa sanans: Et sicut emplastrum, tria facit: tumorem vulneris deprimit: ardorem caloris lenit; carnes putridas depellit: sic facit verbum Dei Christus per persecutiones: humiliare facit, ignem concupiscentiæ sedat, & putredinem animæ depellit: Christus autem Medicus ad ægrotum veniens primò palpando ad sensum revocat, & tactu levi dolentia membra, & vulnera tangendo ad ictum persecutionis confirmat: deinde secat, post ungit, post ligat, post fovet ad plenam sanitatem reparans, quod fecit Samaritanus mysticus cum vulnerato. *Psalm. 118. vers. 161.*

294. *Patienter tolerans persecutiones exterias, interius consolatur.*

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. Quomodo dicebat, *lætabor* si tot Principes persequentes habet? & quænam spolia sunt ista? Nota, quod loquitur in Persona justi tolerantis patienter probra, & persecutiones exteriores ab inimicis illatas: sciebat enim quod isti à Deo consolantur interius, illuminantur, & dulcorantur, & ditantur variis bonis: dicit igitur lætabor tanquam benefaciens inimicis, & reddens bona pro malis, lætabor tanquam benè patiens, & benedicens Dominum, & hoc super eloquia tua quia dulcia faucibus, auribus, & labiis, & hæc sunt ditissima spolia à justo inventa. *Psalm. 118. c. 11. v. 2.*

295. *Non sufficit justo iniquitatem odisse, si simul non custodiat mandata Dei.*

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, & legem tuam dilexi. Quasi dicat non sufficit iniquitatem odisse, sed requiritur etiam custodia legis divinæ: iniquitas autem est odienda, quia stultum facit, mortificat, & scandalizat, redditque hominem veluti irrationalem. *Psal. 118. c. 11. v. 1. & op. de sex alis seraph. c. 8.*

296. Septies dicitur laudare Dominum, qui ore, corde, & opere laudes Dei depromit: unde dicitur à Propheta: *septies in die laudem dixi tibi:* septies notat universalitatem, quia semper est in omnibus actibus, & membris meis corde, ore, & opere. *Psalm. 118. vers. 164. & in Lucam cap. 18. vers. 1.*

297. *Septem horarum canonicarum officiam quare institutum Religiosis.*

Septies in die laudare dixi tibi super judicia justicia tua. Nota quod gladius persecutionis, non solùm

solùm in sæcularibus, sed & in Religiosis debacchatur; ideò Ecclesia instituit septem horas canonicas tanquam medium consolatorium tyrannicæ tribulationis: illæ autem sunt septem secundum numerum septem petitionum orationis Dominicæ,qui numerus typum gerit universitatis moralis, scilicet mortificationis septem vitiorum, & exercitiis septem virtutum Theologicarum, & Cardinalium, & septem donorum: sic autem laus divina legitur,narratur, & annuntiatur, hæcque recitatio est in ordine ad judicia justitiæ divinæ exercitæ in Christi Passione, & Resurrectione. *Psal.118.c.11.v.4.& Op.expos.Missæ,c.4.*

298. *Pax, & tranquillitas multiplex diligentibus legem Dei.*

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Ecce quales fructus reportat diligens legem Dei:nempè pax advenit multiplex, & tranquillitas reddens animam quietam: charitas lætificans, unde dicit:*diligentibus legem tuam*:item veritas rectificans per legem,& puritas scandalum eradicans. *Psalm.118.c.11.v.5.& c.1.v.1.& cap.4. v.13.& serm.3.fer.3. Pasch.& Opuscul. de sex alis Cherub in Lucam cap.1.v.79.& cap.6. v.13.& Ioan. cap.16.v.1.*

299. *Iusti fidenter expectant coronam gloriæ, sed in virtute observantiæ mandatorum.*

Expectabam salutare tuum Domine, & mandata tua dilexi Nota hic quatuor, quæ innuit Propheta,nempè spem,& expectationem salutaris,scilicet coronæ felicitatis,& salutis, sed per mandatorum observantiam,& ideò se protestatur,quod mandata Dei diligebat.*Psal.118.c.11.v.6.& c.3 v.18.& 15. & cap.6 v.6.* Nota etiam quod alludit ad expectationem Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. *serm.1.in Epiph.*

300. *Mandata Dei valdè levia, valdè dulcia,valdè salubria.*

Expectabam salutare tuum Domine, & mandata tua dilexi. Nota connexionem horum verborum: primò dicit se expectare salutare Dei: quid est salutare Dei,nisi Jesus Filius Dei? & hinc cum hoc dulcissimo nomine connectit mandata Dei ab ipso amplexata, & dilecta; ut daret intelligi, quod mandata Dei sunt obsequia salvatoris, & ideò salutis meritoria,& ob id etiam levia,dulcia,& salubria,& ideò diligenda.*Psal.118.c.11.v.6.*

301. *Diligens Deum diligenter custodit catholicam veritatem contra malos.*

Custodivit anima mea testimonia tua,& dilexit ea vehementer. Idest quia dilexi mandata tua,ideò custodivi catholicam veritatem contra falsitatem impiorum.*Psal.118.c.11.v.6.*

302. *Meditatio judicij universalis trahit animam ad observantiam mandatorum Dei.*

Servavi mandata tua,& testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Quid est omnes viæ meæ in conspectu tuo:hoc est in conspectu tuo judiciario, in quo residet tua severitas, mortisque stipendium pro peccato: ecce quomodò meditatio furori judicij Christi, & consideratio, quod omnia ipsi aperta erunt,& quod de omnibus reddituri sumus rationem,inducit efficaciter ad observantiam mandatorum Dei.*Psal.* 18.*c.11.v.1.*

303. *Qui omne bonum à Deo recognoscit excitatur ad ipsi in omnibus obtemperandum.*

Servavi mandata tua,quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Quid est omnes viæ meæ in conspectu tuo,nisi quia omnia à te habeo, donum, meritum, & præmium? donum est prima gratia, meritum scilicet virtus,& augmentum virtutis à Deo, quia est per ipsum:præmium à Deo, quia est per Christum.*Psalm.118 c.11.v.ibid.*

304. *Consideratio præsentiæ Dei trahit secum observantiam mandatorum Dei.*

Servavi mandata tua &c. quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Vide quomodò vir justus se exercebat in consideratione præsentiæ Dei, cogitabat enim se,& omnia sua præsentia conspectui divino, ideò servabat omnia mandata, & testimonia Dei. *Psalm.118.c.11.v 8.*

305. *Oratio est consummatio totius vitæ spiritualis.*

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo,secundùm eloquium tuum eripe me. Notandum, quod huic octonario in quo Propheta exponit orationẽ suam,quam incessanter Deo effundebat præponitur littera *Tau*,quæ interpretatur,*consummatio*; ut videas,quod in hac est consummatio, & complementum totius vitæ Christianæ, & per quam anima appropinquat ad possessionem Dei, scilicet fide, scientia, opere, & fruitione. *Psalm.118. vers.169.*

306. *Sine fide oratio Deo non accedit: cum fide intrat in Concistorium Dei petens, & impetrans quidquid vult.*

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me. Quanam fiducia & fundamento postulat vir justus, ut deprecatio sua appropinquet conspectui Dei? hæc enim licet quoad speculationem sit Deo remota quoad affectionem tamen sit Deo propinqua: ipsa enim est, quæ orationem introducit in Concistorium Dei, & petit,& impetrat quidquid vult à Deo.*Psal.118. c.11.v.9.*

307. *Qui vult ad Deum appropinquare ad orationem confugiat.*

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo &c. intret in conspectu tuo oratio mea. Vide quomodo constanter videtur Propheta præcipere deprecationi,ut Deo appropinquet,quia sciebat ipsam rectè factam ad Deum volare, & animam ipsam orantem ad conspectum Dei collocare,in quo actu exercetur actus fidei, & spei, fiduciæque veræ in Deum.*Psalm.118.c.11.v.9 & 10.In Luc.c.11.v.1.*

308. *Labia charitatis & ex charitate mota dignam laudem resonare faciunt in auribus Dei.*

Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas. Vult dicere, cum labia fidei, & spei instent, & pulsent foris stantes, ecce charitas confidenter instans in conspectu Dei, quæ cum resonare facia hymnum in laudem Dei, tunc orationem coram Deo reddit perfectam. *Psalm.118. cap.11.v.17.*

309. *Prædicator debet ex charitate alios docere.*

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas Vide charitatem viri justi, qui sibi proponit, & Deo promittit, quod doctrinam, quam infudit sibi Deus aliis ex charitate prædicabit: quasi dicat lingua charitatis proximo nunciabit eloquium veritatis, quoniam omnia mandata ad pietatem ordinata sunt, æquitas scilicet consummata per æquitatem, & fundata in justitia. *Psal.118.c.11.v.12.*

310. *Orationis efficacia, & utilitas qualis, & quanta.*

Fiat manus tua, ut salvet me, &c. Concupivi salutare tuum, &c. vivet anima mea, & laudabit te, &c. erravi sicut ovis, &c. Nota, quod in his quatuor versibus exponitur efficacia, & utilitas orationis, nam in primo versu dicit: *fiat manus tua, ut salvet me*; scilicet protectio tua spiritualis super me, scilicet ut liberer à corporali, & spirituali afflictione, & simul à persecutione temporali, per quod indicatur efficacia orationis contra afflictiones. In secundo versu dicit. *Concupivi salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est*, ac si diceret si me invitas ô Domine tex ad præmium salutare, quod affectuosissimè concupisco, sic me excitat lex tua ad meritum virtuale, quod studiosissimè amplector, per quod datur intelligi efficacia Orationis contra timorem offensionis divinæ. In tertio versu dicit: *Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me*, ac si diceret confido de præmio æternali, ob quod orationem meam fundo ad hoc, ut liberer à separatione tua. In quarto: *erravi sicut ovis, quære servum, &c.* ac si dicat, erravi, peccavi, sed spe saluificatus sum. quia justificatus sum, quia mandata tua non sum oblitus, per quod patet efficacia orationis contra timorem damnationis. *Psalm.118. cap.11. vers. 17. & sequentibus.*

311. *Oratio perfecta involvit desiderium obtinendi humilitatem in petendo, & fiduciam.*

Fiat manus tua, ut salvet me. Quænam est manus Dei? manus ista est verbum Patris, unde addens, *ut salvet me*, intendit petere salutem à salvatore, & quia in hoc verbo involuitur desiderium, humilitas, & fiducia obtinendi, quod petitur: hinc oratio hæc erat perfecta. *In Luc.c.1.v.15.*

312. *Novitij ad Religionem secedentes ad promissionem Regni, & Regni Cœlestis se transferunt.*

Fiat manus tua, ut salvet me, quoniam mandata tua elegi Quid est eligere mandata, nisi mandantem diligere, & ejus amorem quasi rectorem super Regnum internum eligere? & hoc competit propriè Novitiis Religionem propter Christum eligentibus, nam eligunt in Religione stabilitatem, veritatem, morumque honestatem, & humilitatem obedientiæ; istique possunt dicere fiducialiter: fiat manus tua, ut salvet me. *Psalm.118. c.11.v. 3.*

313. Qui concupiscit salutem legem Dei amplectatur, ut possit dicere cum Propheta: *Concupivi salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est. Psalm. 118. cap.1. vers.14. & serm a. in Epiph.*

314. *Vivens vita spirituali dignus est laudare Dominum.*

Vivet anima mea, & laudabit te. Quasi dicat anima mea vivet vita spirituali per fidem videndo, per spem fidendo. & per charitatem obtemperando; sicque anima mea vivet vita Deiformi, & elevata ad imaginem vivam Creatoris, sicque laudabit te vocali laude, in qua judicia tua adjuvabunt me tanquam mediata *Psal.118.c.11.v.15.* nempè judicia ultionis; correctionis, & vivificationis: adjuvant enim prima ad timorem cadendi, secunda ad spem resurgendi, tertia ad amorem perseverandi. *Psal.118.v.22.*

315. *Peccans mortaliter errat sicut ovis quæ periit, & ideò ad Pastorem recurrat, ut ipsam quærat, & inveniat.*

Erravi sicut ovis, quæ periit. Nota, quod sicut error in ove est triplex, scilicet abeuntis, adeuntis, & pereuntis; sic qui peccat in tres errores incidit, scilicet aversionis, conversionis, & obligationis: avertitur à Deo, convertitur ad Creaturam, & obligatur ad pœnam æternam; ideò invitare, & rogare debet Christum Pastorem, ut quærat hanc ovem errabundam. *Psal.118.c.11.v.16.*

316. *Invocatio Nominis Mariæ liberat, animam à persecutione dæmonum.*

Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis trepidavit cor meum. Principes idest dæmones; ut autem me liberem invocavi nomen tuum ô Maria, quia ad invocationem hujus nominis trepidat malignus, & fugit. *Opusc. Psalt. P. Virg. Psal.11.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

317. Pax multa diligentibus nomen tuum ô Maria & non est illis scandalum. *Op. Psalt. B. Virg. ibid.*

318. *Officij B. Virginis Mariæ persolutio quàm ipsi, & Deo chara.*

Septies in die laudem dixi tibi &c. Nota, quod hic innuitur institutio septem horarum officij divini: innuitur etiam institutio septem horarum officij Beat. Virg. quod qui devotè persolvit potest dicere confidenter Mariæ: septenis horis cantavi tibi laudes Domina, juxta eloquium tuum da mihi intellectum: intret oratio mea in conspectu

tuo

tuo,ut non declinquam tc domina cunctis diebus vitæ meæ, quoniam viæ tuæ misericordia, & veritas : concupiscam io æternum laudare tc domina,eum docueris me justificationes tuas *Opusc. Psalt. Beata Virginis Psalm.118.in fine.* Et in hoc consummatur doctrina hujus Psalmi, *Beati Immaculati in via*, ad gloriam Regis Beati Immaculati, & in honorem Reginæ Beatæ Immaculatæ, cujus meritis, & precibus nos dignetur Beatus, & Immaculatus cœlestibus spiritibus aggregare. Amen. *Psalm.118.c.15.v.16.*



PSALMUS CXIX.

Titulus : Canticum graduum.

1\. PRIMÒ nota, quod per quindecim gradus ascendebatur ad Templum, & Sacerdos ad quemlibet gradum dicebat unum ex his quindecim Psalmis, ita quod in primo gradu dicebat hunc Psalmum : qui licet habeant omnes eumdem titulum,non tamen eumdem sensum,quia sunt varietate rerum uniti:Quindecim autem erant in figuram duorum Testamentorum,vetus enim per septenarium, & novum per octonarium significatur, & quia continent ambo virtutes quibus incedendum est ad Patriam Cœlestem, istæ reducuntur ad quindecim capita, ut in Psalmis istis singillatim dicetur : & quia idem titulus præponitur cuilibet, significatur per hoc charitas,quæ omnes homines in unum per unum, & ad unum reducit: in unum scilicet in charitate, per unum scilicet per charitatem,& ad unum scilicet ad Christum, qui est charitas, & in quem omnia opera nostra tendere debent.

Cur in Ecclesia celebrantur octava in solemnitatibus sanctorum, non verò Christi. Nota etiam, quod significantur isti quindecim gradus per octavam sanctorum,quam celebramus, & per septem dies sine octava quos celebramus in solemnitatibus Christi, scilicet Natalis,Resurrectionis, & Pentecosten, in quibus octava non celebratur, quia non expectatur resurrectio Christi; & licet in aliquibus Ecclesiis celebretur etiam octava in his, hæc ordinatur ad Resurrectionem Christi non in se,sed in suis membris. Gradus autem celebrantur in his Psalmis, quia in Ecclesia sunt varii gradus, scilicet in officiis, in dignitatibus,in exercitio charitatis in Beatitudinibus. Et hinc etiam Clerici,dum inter gradus Ecclesiæ introducuntur, scilicet in sortem Dei tondentur ci capilli ad significandum, quod inutiles cogitationes debent deponere, & in superiori parte debet esse apertura ,ut sine impedimento , quæ sursum sunt,sapiant, & pro eis , quæ sursum sunt serviant ascendendo de virtute in virtutem : sic & sandalia Episcoporum superius sunt aperta.*Psal.*119. *Cur Clerici tondantur, & cur Episcopi sandalia superius aperta teneant.*

2\. *Primus gradus ascensionis ad altum virtutum est oratio devotè ad Deum fusa, & maximè in tribulationibus.*

Ad dominum cum tribularer clamavi : & exaudivit me. Vide quod in primo gradu hujus ascensionis ad altum virtutum est oratio, & clamor ad Dominum , quia ab hac debet incipere vita spiritualis. Nota autem , quod dicit : ad Dominum clamavi,cum tribularer, quia justus volens ascendere ad Deum debet clamare ad Deum, sicut parvulus,qui vult ubera,sicut catulus cum sentit verbera ; & sicut populus,cum videt pericula : sic vir spiritualis debet emittere ululatum orationis devotæ pro uberibus consolationis divinæ , & sicut catulus sentiens verbera elamat plus , cum plus percutitur , sic plus debet elamare orando , qui à Domino tribulationis verbere castigatur : & sicut populus clamat in periculo,scilicet aquæ,ignis,& hostium ; sic homo debet clamorem orationis emittere contra triplex genus tentationum , scilicet contra ignem concupiscentiæ carnalis, contra aquam mundanæ concupiscentiæ , & contra hostes infernales.*Op.diat.fal tit.2.c.5.*

3\. *Oratio fusa devotè in tribulatione facit proficere animam.*

Ad Dominum,cum tribularer, clamavi, & exaudivit me &c. Cur tam citò exauditur? quia clamavit ad Dominum in oratione , cum tribulaietur : exauditus autem est io profectu majori virtutum : hic enim est effectus proprius orationis talis. *Psal.97.& Psalm.118.v.146.*

4\. *Labia iniqua , & dolosa quænam sint, quæ insurgunt in ascendentes per viam perfectionis.*

Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Cur petit liberari à labiis iniquis, & à lingua dolosa, & non ab aliis hostibus ? quia ista sunt magis perniciosa incipientibus,& noviciis in via perfectionis. Nota autem, quod quidam loquuntur iniqua iniquè, utique sunt viri diabolici quidam iniqua non iniquè , ut qui sub specie boni à bono avertunt , sic Christo dixit Petrus : *absit à te Domine &c.* & quidam non iniqua , sed iniquè sic dixit diabolus Christo, *mitte te deorsum &c. Psalm.*119.

5\. *Effectus pessimi labiorum iniquorum , & linguæ dolosæ enumerantur.*

Domine libera animam meam à labiis iniquis , & à lingua dolo a. Cur orat contra linguam iniquam, & dolosam , & non contra alios hostes ? quia ex lingua mala pullulant effectus pessimi, pejoresque, quàm ex quocumque alio inimico : viginti autem duo peccata ab iniqua lingua proveniunt : suntque blasphemia,murmur, defensio peccati, perjurium, mendacium, detractio , accusatio, multiloquium , verbum otiosum, scurrilitas , indiscretio, convitium, contentio , bonorum derisio, pravum consilium,seminare discordias, maledictio, adulatio, peccatum bilinguium, rumor,jactantia , & secreti revelatio. *Op. diat. tit.3.c.7.*

6\. *Remedium optimum contra malam linguam est charitas , & amor Dei, exemplumque Christi.*

Quid detur tibi , aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ? Quasi diceret,quodnam remedium *sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis* ; quænam sunt istæ sagittæ potentis acutæ , & quinam carbones desolatorii ? Nota , quod sagittæ nomine venit primo verbum divinum, quod descendit in uterum Virginis, ut sagittaret homines, eos de malis reddendo bonos , & nobis exempla virtutum præbendo ; est & dilectio , & charitas, hæc

hæc est sagitta vulnus sine vulnere faciens, scilicet percutiens & salvans, occidens, & sanans; dicitur autem sagitta potentis, scilicet potens, vel potentis charitatis, quia vulnerat fortiter, & occidit salubriter. Hoc igitur est remedium unicum contra istas malas linguas, scilicet exercitium charitatis cum carbonibus desolatoriis, scilicet cum igne, quem tulit Christus in hunc mundum ad destruenda peccata, & accendendum corda: respondendo ergo malis illatis actibus charitatis ignitæ, omnia pericula, & damna evitantur. *Ps.119. & in Luc.c.14 v.32.*

7. *Verbi divini receptio, & exempla sanctorum sunt remedia contra omne malum.*

Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis. Nota, quod per sagittam mysticè intelligitur verbum Dei, per carbones desolatorios intelliguntur exempla sanctorum: his duobus armis habetur remedium contra omnia mala; Verbum enim divinum sagittat, vulnerat, & sanat, percutit, & vivificat: exempla etiam Christi, & sanctorum desolationem malæ vitæ conferunt. *Psalm.119. & Glossa.*

8. *Ecclesiæ Dei persecutio triplex hic innuitur.*

Sagitta potentis acuta, cum carbonibus desolatoriis. Nota, etiam, quod hæc verba possunt sumi in malum, scilicet prout significant mala Ecclesiæ illata: fuit enim primò percussa, unde dicitur: *sagitta potentis acuta*, scilicet iniquorum potentium, ipsam percussere in primo Parente: fuit secundò vulnerata scilicet in Martyribus, & tertiò nudata cum carbonibus desolatoriis desolantibus omne bonum ob divisionem charitatis in falsis fratribus. *Psalm.119.*

9. *Ecclesia, seu vir justus de tribus in hoc mundo conqueritur.*

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea Nota, quod hic Spiritus Sanctus in persona Ecclesiæ de tribus conqueritur, primò de Regni dilatione dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*: secundò de malorum cohabitatione: unde dicit: *habitavi cum habitantibus Cedar*: hic enim fuit Ismael persecutor Isaac, & interpretatur tenebræ: tertiò de longa peregrinatione: unde dicit: *multum incola fuit anima mea. Psal.119.*

10 *Flendum est à nobis viatoribus, & in hoc exilio peregrinationis, maximéque à Religiosis pro Patria adipiscenda.*

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est &c. habitavi cum habitantibus &c. multum incola &c. Nota, quod Ecclesia quæ continet in hoc mundo exules, & Peregrinos, & in Cœlo Cives ingemiscit, & conqueritur in persona justorum, qui videntes se exules à Patria, & peregrinos in itinere hujus vitæ mortalis, & maximè se habitantes in Cedar, scilicet in terra Agarenorum, qui sunt fuscati in solicitudine horum terrenorum clamant: *Heu mihi &c.* gemit enim peregrinus ex incommodis vitæ, ex dilatione Patriæ nihil ferens secum, nisi quod est necessarium ad usum: gemit Clericus, cujus pars hæreditatis est solus dominus: gemit Religiosus, qui terrenorum abjecit pondus, videns causam sui gemitus, quia sursum anhelat, cum hic eum esse oporteat; & ideò cum caro trahat deorsum ex corruptione, & spiritus levet eum sursum ex devotione, ex motibus contrariis profert gemitum plangens sui incolatum. *Heu mihi quia incolatus &c. ser.1. de dedic. & ser 1. dom.9. post Pentec. & op. Diat. Tit.3. c.3. & in Psalm.119. & 12. & 55. & 114. & 116. & 118. v.145. & c. 2. v.3. & op. de profess. Relig. l.2. c.71. & in Luc. c.19. v.41.*

11. *Alij pacem cum Deo, & cum hominibus habent, & sunt justi: alij cum diabolo, & sunt impij.*

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis. Nota, quod istæ sunt voces veram pacem habentium, per quod discernuntur ab iis, qui oderunt hanc pacem cum Deo, & pacem cum diabolo volunt habere. Nam vir justus cum Deo, & Proximo pacem conservat, solum dissentiens à mundo, & à diabolo: Impius verò odit pacem, & bonos, solumque ipsam conservans cum diabolo, nihil discordans ab ipso: primi sunt à Deo benedicti; secundi verò maledicti. *sermon. 2. feria 3. Paschæ.*

12. *Christi, & sequacium mira sanctitas dignoscitur ex charitate, quam exercuit, & exercent cum his qui oderunt pacem, & inimicis.*

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus &c. O quàm perfectè hoc verificatum est in Christo, qui à Iuda proditore suscepit osculum, ut ipsi amoris officia non negaret, & nobis exemplum præberet: Ex hoc autem patet, qualis sit sanctitas in anima scilicet ad mensuram charitatis: si enim parva est charitas, parva est sanctitas, scilicet, si in amicos tantùm exerceatur; si verò etiam in inimicos, & persecutores, tunc maxima sanctitas dignoscitur? *In Lucam c.12. v.48. & Op. medit. vita Christi c.18.* Sic autem Seraphicus Pater Franciscus mirabilis fuit in hac virtute, quia semper de pace loquebatur, pacem annuntiabat, pacem exercebat. *Op. itin. ment. in prolog.*

13. *Justi reddunt bonum pacis pro malo: impij malum pro bono.*

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis. Ecce discrimen justorum, & impiorum, illi reddunt bonum pro malo & pacem exercent pro contumeliis: isti malum pro bono, contumelias pro pace. *Psalm.118. cap.11. vers.1.*

14. *Ad Mariam Virginem recurrendum est in tribulatione.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Qui enim sic fecerit potest vere dicere. Ad Mariam dominam cum tribularer clamavi, & exaudivit me. Domina libera animam meam ab omni malo, cunctis diebus vitæ meæ: contere caput inimicorum nostrorum pede insuperabilis virtutis tuæ: Ut exultavit Spiritus tuus in Deo salutari tuo, sic veram digneris infundere lætitiam cordi meo: Ad Dominum attende rogatum pro nobis, ut per te nostra peccata deleantur. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 119.

15. *Sagitta amoris & simul doloris pertransivit animam Mariæ.*

Sagitta potentis acuta. Cujusnam potentis? potentis scilicet amoris, & doloris: nam dilectio primum, & magnum vulnus cum sit acutissima fecit in Virgine Maria mediante dolore, quoniam non solùm carnem ejus confixit, sed ejus animam pertransijt, quæ potest dici gladius, de quo dicitur, *& tuam ipsius animam pertransivit gladius. Luc.* 2. *Psal.* 119.

⚜:⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜:⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

PSALMUS CXX.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod titulus iste innuit secundum gradum, quo anima ascendit ad Deum supra enim agit de exitu animæ à malis: hic petit auxilium à Deo, sic enim exultat anima pro ascensu ad virtutis possessionem.

2. *Qui vult ad Deum ascendere exeat prius de Mundo.*

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi Nota, quod supra exivit de Mundo vir justus pœnitendo, omnia terrena abrenunciando, & moriendo spiritualiter mundo: nam in deliciis hujus mundi non habetur elevatio, sed ruina, & defluxus, & decrementum: hinc subdit: *Levavi oculos meos, &c.* scilicet dilectione, & charitate: *unde veniet auxilium mihi. Psal.* 120.

3. *Qui vult auxilium à Deo, recurrat ad montes, scilicet ad intercessionem sanctorum.*

Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. Ad quos montes, nisi ad sanctos? quia primi receperunt lucem fidei sicut montes solem unde ad istos est recurrendum pro auxilio, & defensione. *Psalm.* 64.

4. *In choro evagatio oculorum vitanda, solùm oculi ad Cælum levandi.*

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi Vide, quid facit Propheta, dum laudes decantat Dei: sic enim levando oculos suos ad montes, scilicet ad Cœlum, ad Deum, & ad Sanctos dat intelligere, quod evagatio oculorum in Choro, ubi cantantur laudes divinæ, est vitanda, solumque permittitur elevatio oculorum ad Cœlum. *Op. specul. discip. part.* 1. *cap.* 24. Ad Cœlum igitur levandi sunt oculi ad imitationem Christi, qui etiam hoc fecit, quando multiplicavit panes, ut ostenderet, quod omne bonum est à virtute divina. *In Lucam capite* 9. *vers.* 16.

5. *Mons est locus contemplationis, & refugij.*

Levavi oculos meos in montes, &c. Ut videas, quod mons est locus contemplationis, & refugij. *In Lucam cap.* 9. *v.* 26. dicitur igitur: *levavi oculos meos in montes*, scilicet in altitudines divinarum miserationum, antequam aggrediar hoc tantum opus contemplationis: sic enim ad auxilium Dei recurrendum, antequam ardua aggrediantur, vel incipiantur opera. *In Ioan. capit.* 11. *vers.* 42.

6. *Auxilium nostrum verum non à nobis non à Mundo, sed à Deo sperandum.*

Nota quod prius dixerat Propheta se levasse oculos ad montes, expectans auxilium, & deinde se apertè protestatur, quod hoc auxilium à Domino sibi advenit; per quod ostendit, quod auxilium nobis necessarium non advenit ab infra scilicet à carne: ab intra scilicet a seipso; ab extra scilicet à Mundo, sed à Domino Deo solo: ex quo sequitur, quod tale auxilium non ponit in commotionem, vel pericula pedes, sed firmam securitatem confert. *Psalm.* 21.

7. *Qui vult perfectè custodiri à Deo sit Israël.*

Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël. Ergone Deus dormitare, & dormire potest? ergonè tantum custodit Israël? sed attende, quod hic loquitur mysticè ostendens quid requiratur ab eo, qui volt perfectè custodiri à Deo, nempè debet esse Israël; Israël autem interpretatur: (*videns Deum*): ergo lumine fidei, vel media contemplatione erige te ad Deum, & ejus præsentiam, sic enim te custodiet Deus, neque te sinet dormitare, vel dormire, scilicet te cadere in retia diaboli, & mundi. *Opusc.* 25. *memorial. num.* 1. *In Luc. c.* 10 *v.* 37.

8. Quando Christi amor, & memoria torpescit in cordibus nostris tunc dicitur Christus obdormire, unde si vigilaverimus, tunc in nobis vigilat, non dormitat: neque dormit. Non ergo dormiamus, sed vigilemus, & sobrij simus, qui enim dormiunt noctè dormiunt, ait Apostolus. *In Lucam cap.* 8. *v.* 25.

9. *Deus custodit nos per se, & per Angelos suos.*

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel Vide, quod Deus ad nostram custodiam semper vigilat; est enim noster custos: sed attende, quod Deo est tanta nostri cura, quod non solum seipso nos custodire vult; sed etiam per Angelos, quos in ministerium mittit. *Luc.* 2. *d.* 11. *articul.* 1. *quæst.* 1. *ad* 5. Et hinc subdit: *Dominus custodit te Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.* Quid est super manum dexteram, & non potius super manum

indefinitè ? super manum dexteram tuam; idest te dirigere volens ad dexteram Christi judicis.

10. *Dominus custodit suos in civitate sua ad gloriam : diabolus suos in civitate infernali ad pœnam.*

Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam. Cur super manum dexteram, & non etiam sinistram ? quia qui ad dexteram sunt Christi sunt electi habitatores in civitate Dei, scilicet Ecclesiæ militantis, & triumphantis: hos Deus custodit, sunt enim alii exultantes in spe expectantes gloriam, alii in re, scilicet in Cœlo: qui ad sinistram sunt, habitant in civitate diaboli, suntque desperati subjecti custodiæ diabolicæ: vigilant enim semper ad prædam, & ad damnationem. *Psal.* 120.

11. *Qui ambulat per diem à sole non uritur : qui per noctem à sole uritur.*

Per diem sol non uret te. Et quando uret ? per noctem ambulando: sed quomodò hoc verificatur ? Sed intelligendum hoc mysticè: loquitur enim de iis, qui recipiunt affluentiam protectionis divinæ, quos sol, vel calor concupiscentiæ non urit, qui ambulant de die, scilicet sub protectione divinâ: è contra mali ambulant de nocte & ipsos calor concupiscentiæ urit. *Psalm.* 118 *vers.* 161.

12. Felix qui vivit continuè sub Dei protectione, & custodia; nam continuatè experitur in hac vitâ, & in futuro effectus ipsius ex hoc nunc, & in sæculum. *Psal.* 114.

13. *Mons est Maria Virgo, ad quam levandi sunt oculi ab iis, qui volunt auxilium.*

Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. Nota: jam supra dictum est per montes intelligi sanctos: Maria Virgo est mons super omnes montes; ergo ad ipsam levandi sunt oculi ab eo, qui vult auxilium in suis necessitatibus: dicat ergo levavi oculos meos ad te Mater Christi, per quam venit solatium omni carni: auxilium tuum, & gratiam tuam nobis impende in omni tribulatione nostra. *Op. Psalt. B.V. Psal.* 120.

Applicatio ad Mariam Virginem.

14. *Custos principalis animarum est post Deum B. Virgo Maria.*

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Nota, quod hæc aptissimè de Maria Virgine possunt dici ad nostram consolationem: nam post Deum Maria est custos, & quies tutior creaturarum, & hominum *Op. laus B. Virg. sig.* 10. *&* 15. *& op. Psalt min. quinq.* 1. Dicamus ergo Mariæ Virgini: custodi nos Domina Virgo Maria, ne peccatorum laqueo capiamur: non dormit, neque dormiat pupilla oculi tui, ut tua semper custodia protegamur: Angelorum, & hominum te laudat omnis lingua; & ante te omnia genua curventur. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm.* 120.

PSALMUS CXXI.

Titulus : Canticum graduum.

1. NOTA: in primo cantico gaudium fuit de exitu à mundo: in secundo gaudium fuit de auxilio impetrato: in hoc tertio est de spe perveniendi in locum, quo ascendit, scilicet in domum Dei: gaudet ergo vir justus de profectu spirituali, de quo hic agitur. Et nota etiam, quod sicut synagoga habuit prius tabernaculum, quod erat fragile, & mobile: postea atrium ante templum, & deinde ipsum templum, quod erat stabile, & immobile; sic anima existens in hac vitâ mortali est in tabernaculo fragili, post est exuta à corpore: & tertiò rediens in corpus glorificatum, quando post diem judicii habebit utramque stolam: Anima igitur lætatur summopere, quia debet ire in domum, scilicet redire in corpus glorificatum, dicens. *Lætatus sum. Psalm.* 121.

2. *Alii in domum Dei intrant, alii in domum diaboli.*

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Quænam est hæc domus Domini ? & qui sunt isti, qui intrant in hanc domum? Nota, quod dicitur in domum Domini ad differentiam domus diaboli: Felix igitur, qui de domo diaboli incedit ad domum Dei: infelix è contra, qui intrat in domum diaboli: domus Dei est æternitas: domus diaboli est vanitas, sed advertendum, quod oportet introducere in domum Dei Adam, & Evam, scilicet rationem, & affectum: si in domum Dei intrat tantum intellectus, vel ratio, scilicet si æterna cogitas, & non amas, solum intrat Adam, si cogitas, & amas, intrat Adam, & Eva, scilicet tota anima: in hac domo est triplex Cœlum: in primo est contemplatio veritatis: in secundo est dilectio æquitatis: in tertio est plenitudo æternæ jucunditatis: intremus ergo in domum Domini, & relinquamus domum diaboli. *Ps.* 121.

3. *Idem confirmatur,*

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Quænam sunt ista, quæ tibi dicta sunt, tantum gaudium afferentia, & te excitantia ad ingressum Domus Dei? Nota, quod hæc dicuntur ab anima absorpta à contemplatione rerum cœlestium; huic enim à Deo infunduntur lumina irradiantia, per quæ excitatur ad itinerandum, & progrediendum de virtute in virtutem, sicque vocata per inspirationem currit per desiderium ad Cœlum, quod est domus Domini, & ideò loquens sibi, & suis potentiis, dicit. *Lætatus sum, in domum Domini ibimus. ser.* 20. *Hexaem.*

4. *In domum Ecclesiæ, & orationis lætanter intrandum est, maximè ad sumendum Corpus Christi.*

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Nota, quod hæc dicuntur ab anima devota, quæ obtemperans inspirationibus divinis, frequentat Ecclesiam Dei, quæ rectè dicitur domus Domini, & domus exultationis, quia cũ lætitia ibi concurrit,

concurrit quia ibi celebrantur missæ, ibi conficitur sacratissimum Corpus Domini in cibum, & alimoniam mentium spiritualium: Si enim lætanter in domum convivij trahit appetitus corporalis, exultanter certè in Ecclesiam Dei ad receptionem corporis Christi debet trahere appetitus spiritualis; quia in illo cibo unitatur caro Christi glorificata, & anima beatificata, & divinitas unita. *sermon. in dedicat. Templi.*

5. *Ad domus cœlestis ingressum adspirare toto corde debet anima: è contra mundani in hospitio Mundi intendunt permanere.*

Lætatus sum in his. Nota hic differentiam adspirantium ad habitandum in cœlo, & in mundo: illi enim videntes, quod hæc vita est exilium miseriæ, & hospitium transeuntium; hic nolunt habitare, sed ad domum Domini adspirantes totis viribus conantur incedere. E contra mundani intendunt quod est impossibile; nempè habitare in hoc mundo permanenter. *sermon. 1. in festo omn. sanctor. & ser. 1. in dedicat. Templi. & in Lucam. cap. 15. v. 7.*

6. *Servi Dei debent habere pedes ad Cœlum versos.*

Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. Nota mysterium horum verborum: dicit enim, quod in atriis, & penetralibus cœlestis Hierusalem erant stantes pedes sui: cur non potiùs dicit erant toti stantes, & non pedes? quomodo pedes possunt esse stantes, & ad cœlum erecti? sed per pedes intelliguntur affectio, & intentio: & quia homo dicitur arbor inversa, unde radices, & pedes debet habere ad cœlum sursum; ideò qui Deo perfectè servit stantes pedes habet, scilicet cogitationes, & affectiones ad cœlum conversas, & fixas per fixam, & immobilem contemplationem æternorum: unde cum triplex Civitas sit, scilicet militans, triumphans, & infernalis à prima ad secundam debet elevari, & deserere tertiam. *Psalm. 121. & opuscul. Eccles. Hier. p. 1. cap. 2. in sap. cap. 4. & in Lucam capit. 9. vers. 27.*

7. *Mirabilia Civitatis Hierusalem hic exponuntur, scilicet militantis, & triumphantis Ecclesiæ.*

Hierusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Nota, quod Hierusalem primò dicebatur Iebus, postea Salem, & tandem Hierusalem. Jebus interpretatur conculcatio, Salem Paa; & Hierusalem visio pacis: sic homo primò est filius iræ a diabolo conculcatus, postea per baptismum pacificatur cum Deo, tandem in cœlestem Hierusalem introducitur, ubi est perfecta pax. A tribus autem commendatur ista Civitas cælestis: scilicet ab antiquitate, unde dicitur: *quæ ædificatur, ut Civitas,* scilicet fabricata à Deo in principio Mundi, & continuè ædificatur de vivis lapidibus sanctorum; secundò à charitate, unde dicitur: *cujus participatio:* tertiò à beatitudine; unde dicitur: *in idipsum*; quia ibi sunt communicata omnia bona. *Psalm. 121.*

8. *Contemplationis iter est in Hierusalem cælestem.*

Hierusalem, quæ ædificatur ut Civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Nota, quod hic loquitur de contemplativis, quorum iter est ad cœlestem Hierusalem per contemplationem, ad quam ascendunt tantùm tribus Domini. *in Lucam c. 13. vers. 21.*

9. *Ad Hierusalem omnes ordinantur per exercitium charitatis.*

Hierusalem quæ ædificatur, cujus participatio ejus in idipsum. Idest in qua omnes eodem præmio coronabuntur, & hoc ad commendationem charitatis *in Lucam c. 10. v. 27.*

10. *Anima Iusti est veluti Civitas Hierusalem: sic & Adam in statu Innocentiæ.*

Nota, quòd hæc est anima, quæ est veluti Hierusalem, & civitas per gratiam opulenta, pulchra, & decora propter abundantiam gratiarum, & ut castrorum acies ordinata propter refulgentiam virtutum: talisque proprie fuit Adam in statu innocentiæ: sed proh dolor! quia propter invidiam diaboli, & transgressionem præcepti cecidit ab hac altitudine. *sermon. 4. Dom. 12. post Pentecost.*

11. *Ecclesia militans ejusque Ministri canentes laudes Deo junguntur cælesti Hierusalem, ejusque habitatoribus.*

Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini ad confitendum nomini Domini. Quæ sunt istæ tribus, tribus? ergone duæ tantùm tribus ascenderunt in Hierusalem? sed nota, quod loquitur mystice de tribubus militantis Ecclesiæ, & triumphantis: datque intelligere quod Ecclesia militans cum suis ministris cantans laudes Domino, ascendit mente & contemplatione ad cælestem Hierusalem, & unitur tribubus, & habitatoribus cœlestibus in confessione laudis *Ps. 118. 9. v. 14.* Et de istis dicitur, quod: *ibi sederunt sedes in judicio, sedes super domum David:* quomodò sedes sedetunt? sedes istæ sunt animæ puræ, in quibus sedet Deus, sedentque in cœlo per rectam intentionem super domum David, idest in superiori statu.

12. *Prædicatores exemplo Seraphici P. Francisci debent ordinare, & dirigere suam prædicationem, & omnes suas vires ad pacem Populorum.*

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, & abundantia diligentibus te: fiat pax. Nota, quod ista verba in corde semper ruminabit Seraphicus P. S. Franciscus; quia sciebat hæc ditigi ad prædicatores, quorum munus est annuntiare semper pacem, prædicare pacem, & omnes ad charitatis concordiam excitare. *Op. Itin. mentis in prolog.*

13. *Deveti Mariæ Virginis lætantur, quia ipsa duce in domum Domini ambulant.*

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Quid tibi dictum est? tibi, ò devote B. Virginis dictum est, quod auxilio & educatu Mariæ in domum Domini ibis, ideò lætari debes; & verè dicere potes: lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibo te duce, ò Maria Virgo dulcissima: & meritò hæc dicuntur; quia Maria est dux, & ductrix nostra in omnibus viis nostris. *Op. Psalt B.Virg. Psal.121. & 24. & op. Psalt. min. quinquag.1.*

14. *Maria cœlestis Hierusalem pax, & pacatrix nostra.*

Hierusalem, quæ ædificatur ut Civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Nota, quod mysticè hæc civitas Hierusalem cœlestis est Maria Virgo: Civitas inquam, quam vidit B. Joan. *Apoc. c.21.* tanquam aurum mundum simile vitro mundo; scilicet aurum mundum per charitatem, vitrum per castitatem: est & Hierusalem, scilicet pax nostrorum cordium beata, & salus: & pacatrix Dei cum homine. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psalm.121. & Ps.46. & op. Psalt. min quinquag. 1.* Dicamus ergo B.V. quæ est Hierusalem cœlestis civitas, ad ipsius præmia venientes, pacem, & indulgentiam Virgo nobis impetra, palmamque de ho[st]ibus, & triumphum: conforta, & consolare cor nostrum tuæ dulcedinis pietate: sic Domina infunde nobis clementiam, ut devotè in Domino moriamur. *Opusc. Psalt. B.Virg. Psalm.121.*



PSALMUS CXXII.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod in hoc quarto Psalmo fit recursus ad Dominum virtute confidentiæ, & charitatis inter quaslibet angustias: & ideò totus Psalmus est de hac confidentia in Deum.

2. *Charitas omnia facit communia, & ideò orans pro se, orat pro omnibus.*

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis. Quis est, qui dicit ad te levavi? Nota, quod omnes fideles cum Ecclesiâ simul hoc dicunt: levavi, non levavimus; quia omnes unum sumus in Christo, tanquam ejus membra: & hoc propter regni identitatem; cujus sumus cohæredes cum Christo propter nimiam dilectionem, qua dilexit nos, & propter conformitatem naturæ. *Ps.122.*

3. *Iustus quatuor oculos debet habere, si vult ad Deum se elevare.*

Ad te levavi oculos meos qui habitas in Cœlis. Nota, quod dicit: oculos, & non oculum: & ne putes, quod duos tantùm oculos habeat vir justus: adverte, quod quatuor oculos debet habere, si vult ad Deum elevari; oculi præcipuè sunt quidem duo; scilicet oculus dilectionis, & oculus fidei; sed oculus dilectionis, est duplex, scilicet Dei, & proximi: oculus fidei item est duplex scilicet cognitio, & devotio. Isti quatuor oculi igitur levandi sunt ad Deum, quia & fide speculativa, & practica, nempè devotione & diligendo Deum, & propter Deum proximum, ad Deum aoima sublevatur. *Psal.122.*

4. *Alij habent oculos lupi, alij columbæ: illi non levantur ad Deum, sed ad diabolum: isti ad Deum ferunt animam: illi ad terrena: isti ad cœlestia.*

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Si levabat oculos ad Deum contemplandum; ergo ejus oculi erunt columbini, & puri, & in Deum solùm conversi: non sic habens oculos lupinos, quos ad diabolum, & ad terrena convertit: Justi ad cœlum levant oculos: impij ad loca immunda, in quibus habitat diabolus. *fer.2. Dom.13. post Pentec. & in Lucam c.16.v.13.*

5. *Qui vult ad Deum levare oculos, debet prius levare caput.*

Ad te levavi oculos meos. Cur non dicit levavi caput, sed oculos? quia non potest quis levare oculos, nisi prius levet caput ad Cœlum: levare autem caput ad Deum, est animam ad Deum ordinare per spem, & fiduciam, firmamque expectationem gratiæ, & gloriæ, ex quo postea sequitur levatio oculorum per considerationem rerum cœlestium. *in Lucam c.21.v.18.*

6. *Qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus.*

Sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Nota, quod Propheta non servat ordinem debitum in hac similitudine: dicit enim, quod: *sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum.* Cur non dicit: ita oculi nostri in manibus Domini? sed tamen hoc intelligitur dum dicit, donec misereatur nostri: vult dicere, quod si oculos ad Deum levaverimus, & Deus suos inclinat ad nos; si manus, & ipse levabit nos manibus suis Si os ori Dei apponemus, & ipse os suum nobis exhibebit, dans loqui sanctè, & sic de cæteris, ut videas, quod qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus. *Psal.122.*

7. *Oculi cordis ad Dominum sunt levandi, ut misereatur nostri; & nobis provideat in omnibus necessitatibus.*

Sicut oculi servorum. Donec misereatur nostri. Idest ut misereatur nostri: ex quo clarescit, quod ad evitanda mala imminentia, in oratione debemus cor levare ad Dominum, ut misereatur nostri in omnibus, & per omnia. Nota etiam, quod dicit, quod oculi debent elevari ut oculi servorum, ut nobis incutiat timorem, & pudorem. *Psalm.122. & 17. & 109. & opuscul. medit. vitæ Christi cap. 1. & opuscul. de sex alis Seraph.par.8.*

8. Invitatur

Applicatio ad Mariam Virginem.

8. *Invitatur anima ad recurrendum ad Mariam.* Dicat ergo. Ad te levavi oculos meos Regina, quæ regnas in Cœlis:adjutorium nostrum in virtute sit nominis tui, per te omnia nostra dirigantur: benedicta sis in Cœlo,& in terra, in mari, & in omnibus abyssis: benedicta sit fœcunditas tua: benedicta sit virginitas,& munditia tua: benedictum sit corpus tuum sanctum; benedicta sit anima tua sanctissima. *Op. Psalterium B. V.Psal.122.*

9. *Oculos nostros ad Mariam conversos habeamus.*

Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ. Ancilla Dominæ Mariæ est qualibet anima fidelis, imò etiam Ecclesia universalis; oculi hujus ancillæ in manus Dominæ suæ semper debent esse, & ad manus Mariæ adspicere,ut per manus illius aliquid boni accipiamus,& per manus ejus quicquid boni agimus,Domino offeramus:benè igitur nobis charissimi, benè nobis quod talem Dominam habemus,quæ manus tam liberales ad nos habet, & tam præpotens est apud filium super nos, ut securi ad ipsam confugere possimus omnes nos, *Op. spec. B.Virg lect..*



PSALMUS CXXIII.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod hic est quintus gradus, & quintum canticum graduum,quo vir justus ascendens,non sibi,sed Deo attribuit suam liberationem,pro qua in præcedenti Psalmo oraverat dicens:*miserere nostri Domine.*

2. *Justi nihil debent timere, quia habent undique præsidia,scilicet Dei protectionem,& Angelorum.*

*Nisi quia Dominus erat in nobis,dicat nunc Israël; nisi quia,&c.Cum exurgerent homines,&c.Cum irasceretur furor eorum,&c.Torrentem pertransivit Anima nostra.*Ex textu hujus Psalmi clarè patet, quod Christiani non debent timere,nec fugere ab infestationibus dæmonum, licet ubique nos tentantium,quia habemus undique præsidia, scilicet ipsum Dominum, & Angelos nobis assistentes, *serm.17.Hexam.*

3. *Diabolus cum aliquem tentat,tunc suis dentibus conatur ipsum capere.*

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Scilicet dæmonum, quorum dentes sunt tentationes, quibus conatur capere, & mordere nos.*fer.4.Dom.1.Adv.*

4. *Detractores sunt dentes Diaboli, sicut contentiosi,blasphemi & impudici.*

Qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Quinam sunt dentes Diaboli,nisi detractores contentiosi, blasphemi, perjuri, mendaces, impuri, & impudè loquentes?his dentibus quærit capere diabolus homines, & felix, qui his dentibus caninis non læditur.*fer.3 Dom.4 post Pentec.*

5. *Per contemplationem anima spiritualiter moritur in Deo, & simul abripitur de laqueis hujus vitæ,& vitiorum, sicut passer.*

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Nota felicitatem animæ à Deo sublevatæ suo auxilio, quæ est sicut passer, scilicet modica humilitate,calida charitate, velox volatu contemplationis; sic sublevata in contemplatione, liberatur à laqueis hujus mortalitatis, & vitiorum, quorum plenus est Mundus, & in Deo moritur, nidificans sibi vitam cœlestem. O felix talis anima,ò felix hæc mors: utinam & mihi det Deus, ut moriar hac morte, quæ est mors potius Angelorum,quàm hominum!*Op. medit.vita Christi c.49. Psal.3.& 12.& 59.& 68.& 101.*

6. *Adjutorium nostrum est in nomine Iesu.*

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Quodnam est nomen Domini? Hoc est nomen Jesu: in cujus virtute nobis omne adjutorium venit: est enim nomen virtuosum, quia superat hostes, destruens eorum laqueos, congregat cives, reparat vires, revocat mentes: est & gratiosum, cum sit fidei fundamentum,spei firmamentum, charitatis augmentum, justitiæ complementum: est & gaudiosum, est enim jubilus in corde,melos in aure, mel in ore: nomen benedictum, quod ostendit tantos virtutum effectus. *Op. de quinque festivit. Pueri Iesu solemn.3.*

7. *Absque adjutorio Mariæ Virginis, omnia mala nos invenirent; ideò ad ipsam est confugiendum.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

*Nisi quia Dominus erat in nobis.*Dicamus etiam verè ad gloriam B. Virginis, Nisi quia Domina Virgo erat in nobis, scilicet in adjutorium, & protectionem nostram, invenissent nos pericula omnia; ipsa enim detinet Deum, ne peccatoribus irascatur; detinet dæmones,ne nobis noceant; detinet omnia mala, ne ad nos perveniant: dicamus ergo toto corde: esto ô Maria defensatrix nostra, & ante Deum advocata nostra: ostende nobis misericordiam tuam, & conforta nos in servitio sancto tuo: Benedicant te Angeli in Cœlo: benedicant te homines omnes super terram: non tradas bestiis animas confitentium tibi; ora te canentium non obturantur.*Op.Psalt.B.Virg.Psal.123. & op.specul.B.Virg.lec.7.*



PSALMUS CXXIV.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod in hoc Psalmo ostenditur, quod tota lætitia nostra debet esse in confidentia de Dei auxilio, in quo totum cor, & spem debemus collocare.

2. *Christiani multi sunt, & unum simul per charitatem.*

Qui confidunt in Domino sicut Mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. Nota, quod hic ponit plurale, & postea singulare contra regulam grammaticalem: & quare hoc? quia per charitatem qui in Christo sunt uniti, sunt multi, & unum, charitas enim multa in unum congerit, & unit. *Psal.* 124.

3. *A Deo omne bonum.*

Qui confidunt in Domino sicut mons Sion. Cur non dicit in plurali, sicut montes, sed sicut mons Sion? mons Sion est unus, & significat Deum, qui unus in se, & unus in omnibus, à quo ut à principio, & fine ultimo, omnia proveniunt bona: beatus ergo qui se fidit huic monti Sion. *Psal.* 124.

4. *Confidentia in Deo mirabilia operatur.*

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. Vide quid operatur confidentia firma in Deo: quia cum pusillanimitas est causa ruinæ; sic confidentia causa constantiæ: ideò qui confidunt in Domino fiunt firmi, sicut mons Sion propter soliditatem fortitudinis, & patientiæ: istique habitant in Hierusalem per tranquillitatem pacis, & concordiæ, non turbando se ipsos interius in animo, & non scandalizando proximum exterius in verbo, nec commovebuntur propter impetuositatem furoris, & iracundiæ: vide igitur quàm mirabiles effectus gignit in anima perfecta confidentia in Deum, qui propriè activis dicitur. *Ser.* 2. *Dom.* 1. *quadrag. & ser.* 3. *Dom.* 13. *post Pentec. & ep. de dono fortitudinis, c.* 3.

5. *Idem probatur exemplo sanctorum.*

Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur. Ecce quàm verum est hoc dictum; nam sancti ob istam confidentiam in Deo firmatam, & fundatam, sicut mons Sion perstiterunt securi, & immobiles in suis passionibus: sicut Stephanus contra lapides, laurentius contra ignem, & ideò meritò in illam cœlestem Hierusalem fuerunt introducti, quæ est domus firma, & stabilis. *Ser.* 1. *in festo omn. sancto. & serm.* 1. *in dedicat. Eccles. & Psalm* 118. *cap.* 10. *v.* 16. *& sap. c.* 3.

6. *Ecclesia secura, & firma, quia fundata est in Christo petra firmissima; & ab Angelis custodita.*

Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui. Qui sunt isti montes in circuitu Hierusalem? & quomodò Dominus dicitur populi habitantis in hac civitate? Nota, quod isti sunt Angelorum exercitus, qui dicuntur montes propter altitudinem, & firmitatem suam: isti sunt custodes custodientes Ecclesiam; & Dominus simul est custos principalis populi sui: felix igitur qui habitat in Hierusalem: quod & potest dici etiam de Ecclesia triumphante. *Ser.* 17. *in Hexaem. & ser.* 1. *in dedicat. in Ioan. c.* 8. *v.* 1.

7. *Felicitas Ecclesiæ hic innuitur.*

Montes in circuitu ejus. Nota hic sermonem esse de Ecclesia, quæ appellatur rectè civitas, sed simul est sponsa, & ovis Christi: Civitas propter collectionem fidelium; & ideò ut talis habet montes, scilicet Angelos, & sanctos ipsam custodientes à vi tyrannorum, à fraude hæreticorum, à tentatione dæmonum: dicitur etiam, (*sponsa*,) scilicet Christi ornata ut Hierusalem, scilicet bonis operibus, bonis moribus, & ordinibus sive gradibus: dicitur &, (*ovis*,) quia intendit ad pascua fidelium. *Psal.* 124.

8. *Felicitas status innocentiæ hic exprimitur.*

Montes in circuitu ejus. Quid est montes in circuitu? hoc autem dicitur de statu innocentiæ; in quo omnia in homine erant in perfecta custodia, habebatque Angelos, & Dominum custodientes illam civitatem. *Sermon.* 4. *Dom.* 12. *post Pentecost.*

9. *Verus fidelis bonus, & rectus corde, retributionem in Ecclesiâ recipit.*

Benefac Domine bonis, & rectis corde. Scilicet retributionem confer bonis, scilicet habentibus bonam voluntatem, & rectis corde per sanctam operationem. *Psalm.* 124.

10. *Deus benefacit benefacientibus, & malefacit malefacientibus.*

Benefac Domine: & rectis corde, declinantes &c. Ecce, quod Deus bonis benè operantibus benefacit: malefacientibus autem retribuet abundanter pœnam. *Ser.* 1. *Dom.* 2. *in quadrag.*

11. *Confidentia in Maria Virgine quanta bona conferat.*

Qui confidunt in Domino (Dicamus & nos) in Maria Virgine, non commovebuntur à facie inimici; & ideò gaudere, & exultare debent omnes, qui diligunt eam, quia ipsa adjuvat eos in dic tribulationis: dicamus ergo confidenter ipsi B. Virgini: reminiscere misericordiarum tuarum Domina, & releva peregrinationem incolatus nostri: converte amabilem vultum tuum super nos; confunde, & destrue inimicos nostros omnes: benedicta sint omnia opera manuum tuarum Domina: benedicta sint omnia miracula tua. *Opuscul. Psalt. B. Virg. Psal.* 124. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

12. *Beata Virgo Maria fuit mons, & petra firmissima, super quam ædificata est Ecclesia.*

Sicut mons Sion non commovebitur. Nota, quod hic mons Sion significat B. Virginem, quæ fuit mons super omnes montes, fuitque mons, & petra firmissima, quæ numquam sicut Adamas potuit ullis tentationibus, & turbationibus concuti, nisi ad effusionem sanguinis filii: & ideò super ipsam fuit fundata Ecclesia quia in ipsa sola permansit fides tempore passionis Christi. *Sermon. de B. Virgine.*

PSALMUS

PSALMUS CXXV.

Titulus: Canticum graduum.

1\. NOTA, quod hic Psalmus dicitur Canticum, scilicet de reversione à spirituali captivitate, in qua erat anima, ad Deum: & de hac agit gratias Deo: unde dicitur hic. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*: plene consolati, & perfecte. *Psal.* 125.

2\. *Deo gratias agere laudibus vocalibus, quàm dulce, & fructuosum.*

Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Quomodò os potest repleri gaudio, & lingua exultatione, si residet tantum in corde? sed attende, quod hoc dicitur ob superabundantiam gaudij residentis in corde, quod facit exire per os, scilicet per laudes divinas, gratias agendo pro bonis tam temporalibus, quàm spiritualibus: quid enim melius, quàm quod in corde gerimus, ore promamus, & calamo exprimamus Deo gratias. Hoc enim nec aliquid brevius dici, nec audiri levius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. *ser. 1. de una Virgine.* Nota etiam, quod subdit: *tunc dicent inter gentes magnificabit Dominus facere cum eis*: quia istis Dei laudatoribus, & gratias agentibus, Deus magna confert sua luce, & veritate, eos illuminando. *Op. de septem itin. aetern. d. c.*

3\. *Deus suos fideles servos quàm magnificat.*

Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes. Cur laetantes? quia Dominus fideles suos servos tanti magnificat: quia largitate rationis ditat, quia infusione gratiae visitat, quia honore collatae virtutis exaltat, quibus anima maxime reficitur: quia magno animo, & rationali nihil est magnum, nec satiat eum, nisi solus Deus, qui est immensus: ergo Deus solus seipso magnificat animam. *Op. de dono fortitud. c. 3.*

4\. *Quaerat homo gratiam apud Deum, eamque inveniet apud Deum, & homines.*

In convertendo Dominus facti sumus consolati; scilicet in mente munda consolatio descendit: *tunc repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione*, scilicet gaudium in Dei laudibus decantandis pure, & devotè auctum est. *Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum eis*; scilicet quia ex hoc bona fama apud homines redundavit: sicque oleum in lampade apparuit nempe bona conscientia in mente, & lumen in oleo, scilicet bona fama, quae proximo lucet; per quod patet, quod qui quaerit gratiam apud Deum, invenit eam apud Deum, & homines. *Psalm.* 125. sic B. Virgo dicebat: *quia respexit humilitatem ancillae suae ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*; scilicet quia quaesivit gratiam apud Deum, invenit gratiam apud Deum, & homines.

5\. *Spiritus sancti gratia adveniente, liberatur homo à captivitate culpa.*

Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro. Sed quaenam est haec similitudo? scilicet torrentis in Austro, conversionis, liberationisque captivitatis hominis? optima quidem; nam homo existens in peccato est captivus, & veluti obstrictus glacie diaboli; sed flante austro calido, scilicet Spiritu sancto, dissolvitur glacies peccatorum; currunt torrentes lachrymarum, & sic liberatur homo à tali captivitate, & semina bonorum operum, quasi quibusdam pluviis convalescunt ad mercedem aeternae vitae. *ser. 5 fer. 4. ciner.*

6\. *Semina lachrymarum abundanter immissa abundantem fructum producunt; & qui parce ea seminat, parce & metet.*

Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Vide qualis sit fructus lachrymarum: nam qui abundanter eas seminat, abundantem fructum aeternae beatitudinis reportat: & ideò sicut torrens in austro scilicet flante Spiritus sancti gratiâ, & fervore veluti quibusdam pluviis australibus semina bonorum operum convalescunt, & fructum aeternae beatitudinis generat: qui verò parce eas seminat, parce & metet: idest qui tardè convertuntur parum seminant: qui citò multum seminant, & multum merere possunt: quantò enim qui tardius, & minus satisfaciet, tantò minus praemium habebit, & majorem poenam in purgatorio patietur *ser. 5. in die cinerum.*

7\. *Christus fuit primus seminator, ut nos excitaret ad sui imitationem.*

Qui seminant in lachrymis. Nota, quod hic excitatur homo ad seminandum exemplo Christi Jesu, qui fuit primus seminator; nam de horreo, scilicet de sinu Patris exivit, & in Cophinum B. Virginis missus est, & inde exivit ad serendum in agrum, scilicet in mundum, & ibi fructificavit; triplexque semen jecit in mundum, idest ad aures, ad oculos, & ad cor: ad aures verbo doctrinae ad oculos vitae; & ad cor inspiratione gratiae: Pharisaei & Scribae seminaverunt verbo foris, & non exemplo: Apostoli utroque modo: ad cor autem solus Deus: Primus sator dicitur minimus in regno coelorum, secundus sator est major: tertius autem est maximus. *Psal.* 125.

8\. *Justi seminant in hac vitâ lachrymas, & poenalitates: & in Caelo metunt fructum gloria: mali seminant malè, scilicet semen voluptatum, & metunt abundanter mala poena infernalis in altera vitâ.*

Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Nota, quod haec dicuntur ad differentiam malè seminantium: Boni enim seminant in lachrymis, scilicet opera gravia, & sensualitati lachrymosa, tribulationes, mortificationes, confessionem peccatorum, abstinentiam cibi: sed isti in gaudio metent fructus bonorum operum, quia eorum tristitia vertetur in gaudium: mali autem seminant in voluptatibus, divitiis, honoribus opera mala. istique abundanter metent in gehenna; nempe colligent ignem, vermes, foetorem fumum, tenebras, vincula,

la, & frigus: ſemina ergo, ô homo lachrymando in contritione, & metes exultando in retributione; imò certè Angeli metunt exultando, quod nos ſeminamus ſuſpirando: è contrario carnales ſeminant ſemen carnalitatis omni loco, & tempore, quo poſſunt, & Avari ſeminant ſemen cupiditatis, & in triſtitia metent. *Ser. 2. & 3. Dom. ſexag. in Lucam c. 10. v. 3.*

9. *Lachrymæ fœcundant animam ad producendum fructus in abundantiâ.*

Qui ſeminant in lachrymis. Cur non dicitur: qui ſeminant lachrymas, ſed in lachrymis? quia lachrymæ ſunt aqua fœcundans animam, ex qua abundanter producit poſtea fructus bonorum operum. *Op. diat. tit. 7. c. 3.*

10. *Chriſtus eſt via, in qua nos poſuit euntes, ut eamus de virtute in virtutem.*

Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua. Quid eſt euntes ibant? ad quid hæc repetitio? ſi erant euntes, cur dicitur poſtea ibant? ſed hoc dicitur cum maximo myſterio; nemo enim poteſt ire per viam perfectionis, niſi à Chriſto, qui eſt via, prius ponatur in viâ incedens, ut eat, ſcilicet de virtute in virtutem; quia ipſe prævenit nos, ut ſequamur. *in Ioan. cap. 15. verſ. 16. & ſermon. 3. Dom. 13. poſt Pentec.*

11. *Qui ſeminat in lachrymis opera, præcipuè eleemoſynam, in viâ pœnitentia, fructum abundantem in exultatione reportabit.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient. Cur flebant mittentes ſemina ſua, & non potius gaudebant? quia ſicut ſemen gelu preſſum, & retardatum, profert uberiorem fructum, ſic ſemen boni operis, præcipuè eleemoſynæ in tribulatione ſeminatum, uberiorem fructum reportabit. *Opuſc. diat. tit. 2 cap. 7.* Tu igitur ſi ſeminaſti tibi ad juſtitiam, ſi ex vera notitia tui evigilaſti timere Deum, & teipſum humiliaſti, fudiſti lachrymas, eleemoſynas profudiſti, cæteriſque pietatis operibus emancipaſti: ſi jejuniis & vigiliis afflixiſti corpus: ſi pectus tunſionibus, cœlos clamoribus fatigaſti: hoc eſt ſeminare ad juſtitiam, & veniens venies cum exultatione portans manipulos tuos. *Opuſcul. meditat. vitæ Chriſti cap. 48. in Lucam cap. 21. verſ. 31. & Pſalm. 7.*

12. *Maria Virgo convertens ad nos faciem, convertit nos à captivitate, & à mæſtitia, & gaudium plenum nobis adfert.*

In convertendo Dominus captivitatem noſtram facti ſumus ſicut conſolati. Quid eſt, & quomodò, & quando Deus convertit captivitatem noſtram in libertatem, & mæſtitiam in lætitiam; quando Maria Virgo convertit faciem ſuam ſereniſſimam ſuper nos: tunc enim lætificat nos, & omnem mæſtitiam in gaudium convertit; quia eſt benedicta ſuper omnes mulieres, & ita benedicta, quod benedictionem nobis immittit. Benedicta igitur ſis, ô ſacrarium Chriſti præ cunctis mulieribus ſuper terram: benedictum ſit glorioſum nomen tuum, quod os Domini mirabiliter nominavit. *Opuſ. Pſalt. B. Virg. Pſal. 125. & op. ſpecu. B. Virg. lec. 15.*

13. *Nomen Beatæ Virginis devotè pronuntiatum, exultatione replet cor noſtrum.*

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Jam dictum eſt, quod juſtus Deo laudes promens repletur in ore, & corde exultatione; idem & dic de pronuntiantibus devotè ſanctiſſimum nomen Beatæ Virginis, & ejus laudes decantantibus: verè enim nomen Mariæ eſt illud, quod os Domini nominavit, ſcilicet à Deo inventum, & expoſitum, & ab ipſo virtuoſum redditum: ideò nec poteſt nominari, quin accendat, nec cogitari, quin recreet affectus diligentium ipſum, nec piè memoriæ hujus nominis portas ingredi quis poteſt ſine dulcedine ſibi divinitus inſita. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 125. & op. ſpecu. B. Virg. lec. 9.*

14. *Laudes B. Virginis devotè decantatæ os, & cor dulcedine, & omni gratia replet.*

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. O quàm verè dici hæc poſſunt à devotis Mariæ in ipſius honorem laudes decantantibus: dicitur autem os, & lingua repleta exultatione ex ſuperabundantiâ dulcedinis in corde exiſtentis. Maria igitur à Deo ab æterno prædeſtinata, & creaturis cæteris prælecta: à Patriarchis præfigurata, à Prophetis prænuntiata; ab Evangeliſtis exhibita, & monſtrata, ab Angelis venerabiliter, atque officioſiſſimè ſalutata eſt, omni laude digniſſima pluſquam valeat dici ab ullâ linguâ; ita ut omne, quod poterat dici de ea, quæ eſt Mater Dei facta, minus ſit ſemper. *Op. ſpecul. B. Virg. prolog. & ſer. 1. de B. Virgine.* Benedictum igitur ſit ô ſacrarium Chriſti præ cæteris mulieribus ſuper terram; benedictum ſit glorioſum nomen tuum, quod os Domini mirabiliter nominavit: Non deficiat laus tua de labiis noſtris, nec charitas tua de præcordiis noſtris: qui te diligunt, & laudant benedicuntur à Deo, & qui te volunt diligere non defraudentur à fide. *Opuſcul. Pſalt. Beatæ Virgin. Pſal. 125.*

PSALMUS CXXVI.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod in ſeptem Pſalmis ſuprapoſitis actum eſt de reditu hominis à captivitate, per quam ſignificatur vetus teſtamentum; nunc fit tranſitus ad novum de ædificatione ſpirituali Eccleſiæ, quæ fit de lapidibus vivis, ſcilicet de reverſis à captivitate: & ideò titulus eſt Canticum, ſcilicet lætitia de hac ædificatione myſtica.

2. *Civitatis ſpiritualis ædificatio, quàm differens ab ædificatione civitatis diaboli.*

Niſi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nota, quod dum hic ponitur Deus ædificator civitatis ſpiritualis datur

intelligi,

intelligi, quod fundamentum debet incipere, in alto, scilicet in Deo, in Christo Jesu, in Cœlo; non in imo, scilicet in temporalibus, sicut fundamentum civitatis diaboli est in luto: sumptus autem congregandi in hac ædificatione consistit in erogatione rerum pauperibus: sumptus autem in Civitate diaboli è contra in avaritia collocati sunt: incipiamus igitur ab alto, scilicet à Deo per fidem, spem, & charitatem hanc fabricam spiritualem. *Psalm.* 121. & *Psalm.* 107. & 110. & 124.

3. *Sine Dei speciali concursu frustra laborant Doctores, & Ministri Ecclesiæ in ædificatione spirituali animarum, & in custodia ipsarum; quia Deus est ædificator, & custos principalis, ex quo omnis ædificatio, & custodia provenit; unde rectè hic dicitur.*

Nisi Dominus ædificaverit Domum: nisi Dominus custodierit Civitatem. Scilicet infundendo custodienti charitatem, frustra vigilat qui custodit eam per infimam voluntatem. *Psalm.* 1. 8. *c.* 7. *v.* 5. & *in Lucam c.* 10. *v.* 37 & *in Ioan. c.* 8. *v.* 49 & *c.* 17. *v.* 11. & 14. & *op. exposit. missæ c.* 4. Debet ergo Prælatus non solum per se orare, sed etiam pro subditis, quos non sufficit sine divino auxilio custodire; & ideò in Deo confidens negotia eorum curet promovere fideliter apud Deum, ipsum placando, gratiam impetrando, & conservando à malis, tanquam sequester, & mediator. *Op. de sex alis Seraph. c.* 8.

4. *Qui vult ædificare spiritualiter Domum animæ, debet quidem expectare à Deo auxilium; sed tamen ipse suis bonis operibus, & laboribus cooperare.*

Vanum est vobis ante lucem surgere. Scilicet antequam veniat lux divini auxilij, sed post: *Surgite qui manducatis panem doloris*, surgite in oratione, in inquisitione veritatis, in desiderio charitatis, & in operatione virtutis: & hoc est surgere post sessionem, scilicet in cinere humilitatis contritionis, & manducare panem doloris, scilicet pœnitentiæ. *Psal.* 126. *in Lucam c.* 7. *vers.* 17. & *cap.* 14. *vers.* 16.

5. *Qui ante lucem, & de nocte, laborat, in vanum laborat.*

Vanum est vobis ante lucem surgere. Cur ante lucem surgere dicit esse vanum? nonne bonum & pium est de nocte surgere, & divino obsequio incumbere? bonum est, & optimum; sed etiam tales debent non surgere ante lucem, scilicet divinæ gratiæ, qui enim sine ista laborat, in vanum laborat: sic & dicebant Apostoli in Persono istorum in nocte peccati laborantium: *per totam noctem laborantes, nihil cœpimus: ex Luc. c.* 5. ideò rectè dicitur: vanum esse ante lucem surgere. *in Ioan. c.* 21. *v.* 3.

6. *Merces in gloria laborantium in hac vita, est Christus filius Mariæ Virginis.*

Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Ecce qualis erit merces manducantium panem doloris, pœnitentiæque partes, & opera exequentium, qui sunt dilecti filij Dei; nempè fruitio fructus ventris Mariæ, qui est Christus Jesus datus in perpetuam hæreditatem, & mercedem deliciosam dilectis filiis post istam vitam: merces ista satiat appetitum animæ, qua intime, & per existentiam ei illabitur: delectat ratione convenientiæ: quia anima nulli melius convenit, quàm illi, ad cujus imaginem & similitudinem est formata. *ser.* 1. *Dom. sexages.*

7. *Christus est merces filiorum dilectorum: & filii sunt merces Christi Jesu.*

Ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris. Nota, quod dicit, quod filii dilecti sunt merces fructus ventris Mariæ, scilicet Christi Jesu: nec exprimit, an sint merces activè, an passivè; ut detur intelligi & fœlicitas filiorum dilectorum pœnitentium, & simul amor intensissimus Christi in ipsos: Nam isti filij dicuntur merces passivè Christi, quia meruit nascendo, in præsepio jacendo, circumcisionem patiendo, meruit docendo, meruit opera salutis nostræ exercendo, meruit moriendo, meruit nobis triginta tribus annis serviendo: vide ergo, quod multi Filij sunt merces unici filii Dei: unde nobis continuè dicit illa verba *Zach.* 11. *Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam.* Adde, quod filii isti dilecti sunt merces activè Christi Jesu: quia ipse Jesus est merces deliciosissima, virtuosissima, copiosissima & sufficientissima nostrorum laborum. *Op. peccul. B. V. lec.* 16. & 17.

8. *Apostoli, & Prædicatores sunt filii excussorum, scilicet Prophetarum, & Patriarcharum excussorum, & excutientes triticum à palea, bonos à malis: & hoc flagello verbi Dei, & tribulationis.*

Sicut sagitta in manu potentis, ita filij excussorum. Qui sunt isti filii excussorum? & qui excussi? Nota: excussores dicuntur Prophetæ, & Patriarchæ, & Apostoli, qui a excutierunt triticum à palea, scilicet bonos à malis, virtutes à vitiis, & ideò dicuntur: *sicut sagitta in manu potentis*, scilicet valentis in arte arcus; & ideò à manu Domini missi, ut sagittarent verbo, & exemplo omnes peccatores, eosque à via inferni ad viam cœli deducentes: sicque pro patribus istis nati sunt filij Christo; qui sunt ejus merces. Nota etiam: dicuntur & excussi scilicet flagello disciplinæ. *ser.* 22. *Hexaem.* & *Psalm.* 126.

9. *Beatus solus, qui implet desiderium suum ex bonis æternis.*

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur. Quis est, qui possit implere desiderium animæ, si ejus appetitus est interminabilis? Nota, quod alia sunt terminata, & limitata, suntque omnia creata; alia interminata, & infinita, suntque æterna. Cor nostrum primis non potest impleri, sed quidem potest satiari his secundis: & in hac vita mediante fide, & in alia mediante gloria. *Op. de dono pietat. c.* 5. & *op. de septem itiner. æternit. d.* 5.

10\. *Nisi per Mariam Virginem ædificetur domus cordis nostri non permanebit in æternum.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Nisi Dominus ædificaverit domum.* Dicamus nos: nisi Domina Virgo ædificaverit domum cordis nostri, in vanum laborant, qui ædificant eam, ad Mariam igitur recurrendum, & orandum, ut dignetur ædificare nostram hanc domum, eam fundando, & elevando gratiâ, intercessione, & virtute sua; sic enim ejus ædificium permanebit in æternum, & nos firmi manebimus in perpetuum. O felix illa domus, ad quam Virgo Beatissima manum extendit: Dicamus ergo toto corde B. Virgini: ædifica, ô B. Virgo nos, & domum cordis nostri gratiâ, & virtute tua: benedictum sit eloquium tuum; & benedicta sint omnia verba oris tui: benedicantur à Deo qui te benedicunt, & in justorum numero computentur: benedic Domina benedicentes te; & ne unquam avertas ab eis gratiosum vultum tuum. *Op. Psalt. B Virg. Psalm.* 126.

11\. *Nisi B. Virgo custodierit Civitatem, frustra vigilant qui custodiunt illam.*

Nisi Dominus. Dicamus & nos: nisi B. Virgo custodierit civitatem, scilicet nos, & animas nostras, frustra vigilant qui custodierint illam: est enim B. Virgo deputata custos universalis, & quies tutior creaturarum, & hominum, *Op. Laus B. Virg. fig.* 10. Ipsa est, quæ sicut pupillam oculi servos servat Dei, ipsa est solamen sæculi, ipsa refugium gregis Dei. *Op. Laus B. Virg. fig.* 15.

12\. *Omnes filij dilecti Dei tales sunt, quia sunt fructus ventris Mariæ Virginis.*

Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Qui sunt isti filij, qui sunt merces fructus ventris? & quis iste fructus? fructus est ventris Mariæ: quia enim Maria est verè Mater Dei, quia ipsum fructum nobis dedit; ideò & filii Dei, sunt ventris Mariæ, quia hæredes Christi *Op. spec. B. V. lec.* 16. & 17.

13\. *Quicquid à Christo pro nobis gestum est, totum est fructus charitatis Mariæ.*

Ecce hæreditas Domini; filij merces fructus ventris. Vide quàm Beatissimæ Virgini debeamus; nam cum Christus fuerit incarnatus, natus, circumcisus, mortuus, & tot bona nobis fecerit: totum debemus à charitate affectuosissima Mariæ, quæ nobis genuit Christum Jesum. *Opusc. specul. B Virg. lect.* 17.



PSALMUS CXXVII.

Titulus: Canticum graduum.

1\. NOTA, quod in hoc Psalmo explicatur timor sanctus, quem habet anima post lætitiam spiritualem, in qua homo sentit dulcedinem Dei, timens ab ipso separari, & ne cor humanum per lætitiam evanescat; & ideò iste gradus est superior cæteris jam transactis. *Psal.* 127.

2\. *Quinam sint beati, qui ambulant in viis Domini.*

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Qui sunt isti felices? sunt qui timent Dominum, non quocunque timore, sed timore filiali, & reverentiali: Isti autem non solùm timent separari à Patre per peccatum, sed reverentiam summam ad patrem habent, & ob id ab ipso non volunt separari: Beati autem sunt isti, qui ambulant in viis ejus. Nota autem quod quidam sunt in via, & ambulant; quidam sunt in via, & non ambulant, alij extra viam sunt, & non veniunt ad viam; alij sunt in via, & cadunt à viâ, primi sunt verè timentes Deum, & beati, alij nequaquam. *Psal.* 127.

3\. *Manducare debet servus Dei, ut fortius laboret: ubi de otiositatis effectibus.*

Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit Quid est manducare labores manuum, & non potius fructus laborum? Hoc dicitur, quia manducatio debet à servis Dei fieri, non ut manducent, sed debet habere pro objecto laborem, scilicet laborare, & laborando acquirere victum, & ipso uti ad necessitatem, & ad laborandum in via Dei: sic autem iste panis, qui manducatur erit panis laboris, & justitiæ. *in Lucam c.* 10. *v.* 8. & *c.* 14. *v.* 15. Disce ex hoc, quod non divitiæ honestant, nec beatificant, sed proptij labores, & divitiæ ex justis laboribus acquisitæ. *sap. c.* 10. Secundò, quod talibus debetur pro mercede beatitudo; & ideò subdit: *Beatus es. sap. c.* 3. Tertiò, quod otiositas est fugienda tamquam pestis corrumpens omnia bona *Op. de profec. religios. l.* 1. *c.* 39. Quartò, quod omnis homo debet laborare: nam primus homo positus est in Paradiso, ut operaretur, & custodiret illum operando: operaretur, inquam, opera propria ad statum suum, ordinando ea ad gloriam acquirendam. *Op. de septem itin. ætern. itin.* 7. *d.* 2. & 3.

4\. *Uxor hominis debet corrigi, ut domum custodiat, & sit sicut vitis abundans.*

Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Uxor tua ergone quiliber habere debet uxorem? maximè, & necessario, & hæc est sensualitas, & caro, quæ si non corrigitur, mortem machinatur viro, ut in Paradiso; si corrigitur, tunc interiora domus disponit: ideò gratia Dei stans in medio viri, & uxoris, rationis, & sensualitatis, si dirigit utrumque, tunc erit sicut vitis abundans, producens fructus optimos. *Psalm.* 127. Ad litteram verò potest hoc intelligi, & ideò ex hoc disce ô homo, quod uxor à viro debet gubernari, & corripi, ut custodiæ domus interioris incumbat, & sit sicut vitis abundans. *Psalm.* 127.

5\. Justus post regenerationem spiritualem debet in se plantare novellas olivas, ut fructificent filios scilicet, ut evellantur vitia, & plantentur virtutes: ideò dicit. *Filij tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Scilicet animæ tuæ, quæ sic erit mensa Domini. *in Eccles. c.* 3.

6\. *Benedictio Dei super timentes eum.*

Et sic benedicetur homo qui timet Dominum. Ex his verbis, & supra positis discamus, quod timor

mor Domini est principium nostræ salutis, nostræque sapientiæ, & consummatio totius vitæ nostræ: unde dicit, quod sic benedicetur, scilicet ditabitur omnibus bonis in vita, & in morte. *Op. de dono timor.*

7. *Timenti Dominum datur benedictio in præsenti, & in futuro.*

Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas. Vide quod timeori Dominum datur benedictio in præsenti, & in futuro. *Psal.* 133.

8. *Beati qui timent Mariam Virginem, & faciunt ejus voluntatem.*

Beati omnes qui timent Dominum. Si isti sunt beati, ergo & beati sunt, qui timent Mariam Virginem, & qui faciunt voluntatem, & beneplacitum ejus. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 127.

Applicatio ad Mariam Virginem.

9. *Sancti Ioachim, & Anna beati; quia genuerunt Matrem omnium fidelium.*

Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui: & videas filios filiorum. Nota, quod ista possunt dici B. Joachim, & Annæ, qui genuerunt Mariam Virginem, quæ est Mater omnium fidelium. Dicamus ergo B. Virgini benedicti sint Pater, & Mater, qui te genuerunt, quorum memoria permanet in sæculum: benedictus est venter, qui te portavit, & benedicta sint ubera, quæ te lactaverunt. *Op. Psalt. B. Virg. Psal* 127.

10. *Beatus fuit Ioseph, quia habuit Mariam sponsam.*

Vxor tua sicut vitis abundans. Hæc est Beata Virgo uxor, & sponsa B. Joseph in lateribus domus suæ; quia eam custodivit; & quia ex tali sponsa factus est Pater omnium fidelium.

11. *Benedictio Domini in nos ex hoc, quod Maria in nos convertit vultum suum.*

Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem. Cur Benedictionem expetit ex Sion? Sion est B. Virgo Maria: igitur benedictio Dei in nos descendit ex Sion, scilicet ex hoc, quod ipsa convertit misericordiam suam super nos, & deprecabilis super servos suos: & per hoc, quod nos intuetur, & respicit opprobrium nostrum, aufert à nobis iniquitates nostras. *Op Psalt. B. Virg. Psal.* 127.

PSALMUS CXXVIII.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod in hoc Psalmo decimo graduum invitat nos Propheta ad patientiam in persecutionibus; quæ debet consequi sanctum, & castum timorem Dei ad quam patientiam tria consideranda sunt: scilicet patientia ipsa, humilitas, & charitas: prima est scutum animæ defendens ab omni adversitate: secunda est thorax, quæ conservat interiora cordis: tertia est lancea, quæ omnia adversantia penetrat: his addi debet spes, tanquam galea muniens superiorem partem animæ: verbum Dei tanquam gladius hostes persequens prædicatione, & errores eorum dividendo: desiderium tanquam equus desiderij, & fides ut cinctorium: his omnibus poterit homo resistere expugnantibus Ecclesiam. *Psal.* 128.

2. *Persequutio Ecclesiæ à malis perpessa ab initio incœpit, & semper durabit; sed tamen ipsa in tolerantiâ semper perseverabit, & victrix erit.*

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Israel, sæpe expugnaverunt. Nota, quod hic non dicit quinam fuerint isti persecutores, quia Ecclesia, in cujus nomine hæc proferuntur varias, & diversas persecutiones semper perpessa est à juventute sua; scilicet à tempore Abel, & Apostolorum, sed eas patientissime toleravit: subdit: *etenim non potuerunt mihi*: scilicet in me viriliter operantem, & tolerantem; & ideo subdit: *dicat nunc Israel*; sic præcipiens, ut prædicetur hæc tolerantia, ut boni in tribulationibus ex tali exemplo perficiantur. *Psal.* ; o. & *Psal.* 118 *c.7. v.6. & Is.* 116.

3. *Patientia alchimia sancta est faciens mutare ferrum, & verbera, in aurum, & coronas.*

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam. Vide quid faciat patientia, quæ est veluti alchimia, quæ potest iniquitatum, & tribulationum ferrum convertere in aurum, & coronam: unde dum justum impius persequitur, tunc fabricat ipsi patienti coronam meriti, & sibi catenam iniquitatum, & pœnarum. *Op. diat. tit. 7 cap. 7. & in sap. c 4. & Psal.* 45. Nota, etiam, quod dicitur: *fabricaverunt peccatores*, scilicet quia peccatores fabri sunt, fabricantes arma contra bonos, & sibi ipsis catenas. *ibid.* Vnde Ecclesia ista patiens magis probatur charismatibus, & coronis decoratur, & tentamentis conservatur, mandatisque firmatur: ipsa enim exercens se in patientiâ, in obedientiâ, & in perseverantiâ proficit de bono in melius. *Psal.* 118. Nota etiam de Christo; qui potest dicere: *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*: quid fabricaverunt flagella per quæ ostensus est sanguine madens. *Op. spec. B. Virg. loc.* 14.

4. *Gloria carnis est sicut gloria fœni, vel floris, quæ mane sunt Pulchra, in sero verò sunt sicca, vel nulla*: unde dicit Propheta: *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.* Vide ergo ô homo quod cum cælestia stent, tu tamen vanus es, ut umbra & tua gloria mundana velocius transit, quam herba *ser 2 de S. Barthol. & in Lucam cap. 8. v. 6. & c. 12. v. 28. & Psal.* 61.

5. *Benedictio Domini datur à Prædicatoribus super illos, qui rectè operantur; non verò super non operantes.*

Et non dixerunt qui præteribant: benedictio Domini super vos. Qui sunt isti prætereuntes, & negantes benedictionem, & quibusnam negatur hæc benedictio? Isti pertranseuntes sunt Prædicatores, qui in prædicatione dant benedictionem Domini super auditores, & factores legis divinæ: non verò cadit hæc benedictio super operatores malè, de quibus hic loquitur; quia sunt potius persecutores quàm fideles Ecclesiæ. *ser 4. Dom. 9. post Pentec.*

DDd 2 6. Bene

6. *Benedictio dextera à Deo est exoptanda, non sinistra.*

Et non dixerunt benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini. Nota, quod istis perversis, qui expugnant Ecclesiam, negatur benedictio Domini: sed quænam est hæc benedictio. Respondeo quod benedictio Dei alia est dexteræ, alia est sinistræ; prima cœlestium bonorum: secunda est temporalium; prima proprie dicitur benedictio Domini; quia solis bonis datur: secunda etiam malis: & quia qui tantùm exoptant hanc secundam, privantur benedictione Dei; ideò istis impiis negata dicitur hæc benedictio: pete ergo s i eo benedictionem dexteræ, scilicet æternа, & cœlestia, & non sinistræ, scilicet temporalia; nam benedictionem hanc Deus dat quandoque iratus, quasi despiciens: & ideò si hanc petas, & in manu sinistra benediceris. *Psal.* 128.

7. *In tribulatione positi recurramus ad Mariam Virginem & dicamus.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Sæpe expugnaverunt me à juventute mea inimici mei, libera me domina, & vindica me ab ipsis, ne des potestatem illis in animam meam; custodi omnia interiora, & exteriora mea: obtine nobis veniam peccatorum: per te Spiritus sancti gratia nobis detur; fac nos digne, & laudabiliter pœnitere, ut beato fine ad Deum veniamus; Placatum tunc, & serenissimum nobis ostende gloriosum fructum ventris tui. *Op Psalt. B. Virg. Psal.* 128.

8. *Benedicta est, & fuit Maria ab omnibus creaturis rationalibus.*

Benedictio Domini super vos. Certè hæc benedictio non cadit super impios, sed tota in Mariam, quia eam benedixerunt omnes, scilicet Deus, Angelus, & homo: Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus benedixerunt eam: Angeli eam item benedixerunt: homines item, scilicet conjugati, viduæ, Virgines dicentes: Tu lætitia Israël, tu gloria Hierusalem, tu gaudium Angelorum, tu honorificentia populi nostri. *Op specu. B. Virg. lec* 14.

⚜:⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜:⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜:⚜

PSALMUS CXXIX.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod hic Psalmus in pœnitentialibus est sextus, & in gradualibus undecimus; & quia in ipso petitur venia peccatorum, datur intelligi, quod cum in senario intelligatur perfectio; & in undecimo defectus peccati, & necessitas pœnitentiæ, homo quantumcumque sit perfectus; ob exitum à malo, ob ascensum per gradus virtutum, & orationem; tamen quia nemo sine crimine vivit, semper debet pœnitentiam assumere, & ad Deum recurrere, & hinc iste Psalmus incipit à pœnitentia, & terminat in lætitiam, sicut omnes Psalmi pœnitentiales; & ideò ostenditur unde clamet, dicens. *De profundis* scilicet miseriæ, & peccati: ad quem; scilicet ad Deum, dicens: *ad te clamavi*; & qua fiducia scilicet divinæ misericordiæ, dicens: *quia apud te propitiatio est. Psal.* 129.

Nota etiam, quod iste psalmus est sextus pœnitentialis, ut dictum est; quia senarius est numerus perfectissimus, & quia in sexto die creata est anima; & in eodem die per peccatum deformata; datur intelligi, quod per pœnitentiam solùm ad perfectionem potest redigi. *Psal.* 129.

2. *Quo quis profundiùs in peccatis reperitur, eò fusius ad Deum clamare debet.*

De profundis clamavi ad te. Cur de profundis? quia peccatum profundat animam, & elongat à Deo; & ideò quo profundius invenitur peccator, eò fortius ad Deum clamare debet, ne in profundo remaneat in æternum: unde melius est nunc pœnitendo, de profundo peccati clamare salubriter, ne de profundo inferni cogatur clamare inaniter in æternum. *Ser.* 3. *Dom.* 2. *quadrages.*

3. *Qui legem misericordiæ cum proximo servat, Deum propitium invenit.*

Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. Quid sibi vult, quia Deus misericors est, ideò homo sustinet Deum propter legem suam? Sed nota, quod lex Domini est: *diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum*; ergo qui vult Deum propitium sustineat, scilicet obtemperet huic legi Dei: sine lege enim misericordiæ, & veritatis, quæ præcipit, ut alter alterius onera portet, Deum propitium non habebit; & qui è contra hanc legem servaverit, & Dominum sustinebit, portando onera proximi, apud Dominum propitiationem inveniet. *Ser.* 2. *Dom.* 10. *post Pentec.*

4. Verba, & promissa Dei fiduciam, & firmitatem animæ conferunt ad sustentanda flagella, quæ immittit Deus: unde hic dicit justus. *Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino. Psal.* 118. *c.* 4. *v* 1.

5. *Mane prosperitatis, & nox adversitatis, pœnitentiæque in hac vitâ debent conjungi.*

A custodia matutina usque ad noctem speret Israël in Domino. Cur connectit matutinum cum nocte? Sed transfer mentem ad illud Genesis: *factum est vespere, & mane dies unus*; & videbis quod in præsenti est prosperitas mixta cum adversitate; nec nox sine die, nec dies sine nocte: in inferno est nox sine die: in Cœlo est dies sine nocte: hinc est, quod in hoc mundo numquam sine nocte pœnitentiæ debemus vivere, si volumus ad illam perpetuam diem gloriæ pervenire: à custodia igitur matutina, scilicet à pueritia, usque ad mortem age pœnitentiam; sicque firmiter sperare poteris in Domino. *Psal.* 129.

6. *Ad mensuram misericordiæ suæ Christus copiosam redemptionem nobis donavit.*

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Vide quod ad mensuram excedentem misericordiæ suæ, Christus nobis exhibuit copiosam redemptionem; quia non gutta, sed unda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit. *Sermon.* 1. *in Nativitat. & serm.* 1. *Domin. pass.* Addendum etiam, quod cum potuerit Deus redimere mundum alio modo; tamen ad

ostendendam

ostendendam suam infinitam charitatem, voluit totum sanguinem effundere. *l. 3. d. 20. art. 1. qu. 6. & opuscul. Amatorium ad finem, & opuscul. medit. vita Christi c. 86. & in Lucam c. 1. v. 68. & cap. 22. vers. 44.*

7. *Timorem spei mitigat in copiosa redemptione Christi fundata.*

Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus suis. Quasi dicat: si times ex hoc, quod Deus nullum peccatum impunitum relinquit, spera in Domino, quia copiosa ipsius redemptio, & te redimet ex omnibus iniquitatibus tuis: unde vides, quod timor prævenit, & comitatur virtutem; & spes provehitur ad fructum reconciliationis perducit. *Op. de sex alis Cherub.*

8. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

De profundis clamavi ad te Domine. Fiant aures tuæ. Hoc dicit vir, volens proficere in via Dei: sed attende, quod ut proficias debes clamare de profundis tuæ miseriæ ad Mariam Virginem, ut fiant aures ejus intendentes ad orationem tuam, & te liberet ab omnibus adversitatibus, dic ergo. De profundis clamavi ad te Domina; Domina exaudi vocem meam; fiant aures tuæ intendentes in vocem laudis, & glorificationis tuæ: libera me de manu adversariorum meorum: confunde ingenia, & conatus eorum contra me: erue me in die mala, & in die mortis ne obliviscaris animæ meæ: deduc me ad portum salutis, inter justos scribatur nomen meum. *Opusc. Psalt. B. Virg. 129.*



PSALMUS CXXX.

Titulus: Canticum graduum.

1. Nota, quod in hoc Psalmo, qui est duodecimus graduum, proponitur humilitas, quæ est fundamentum pœnitentiæ supra expositæ; & quia ex hoc oritur spes in Deum; hinc de utraque virtute pertractat: humiliat enim se interius, & exterius Vir justus; & deinde exhortatur ad sperandum in Deo. *Psal. 130.*

2. *Humilitas exigit subjectionem ad Deum interius, & exterius.*

Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi &c. Vide quomodò Vir justus perfectam subjectionem, & humilitatem Deo exhibet: dicens enim: *Domine*; sublevat animam ad Deum, & ad se postea adspicit, recognoscens suam vilitatem, & ideò dicit: *non est exaltatum cor meum*, scilicet supra mensuram, & spheram meam in corde: *neque elati sunt oculi mei*, scilicet exterius: & in hoc consistit perfecta humilitas coram Deo; & hæc est ratio quare non uno genu, sed duobus genibus flectimus coram Deo: quia ei in corpore, & animâ servire debemus. *Psalm. 130. & in sap. c. 10.* *Cur duo genua flectimus in Ecclesia.*

3. *Humilitas coram Deo elevat animam ad ipsum Deum.*

Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Quasi dicat: ego exaltavi animam meam in Deum; ergo humiliter sentiebam de me, quia si non humiliter sentirem, Deus non me elevaret: sic ergo humilitas est in corde meo, non invidia, quæ pervertit quod bonum est: dissimulat, quod est vanum, & diminuit, quod est magnum; ego autem nihil horum facio; ideò Christus elevat affectionem meam ad se. *Psal. 130. & op. Eccles. Hierar. p. 4. c. 6.*

4. *Ecclesia habet ubera, & panem, quibus pueros, & fortes nutrit.*

Sicut ablactatus est super matre, ita retributio in anima mea. Nota, quod ista cibatio fit ab Ecclesia, quæ alios, scilicet pueros, & simplices lactat lacte sacræ scripturæ, nutrit facilioris intelligentiæ alios pane, sed aliquibus frangitur, aliis nequaquam: unde omnibus secundùm conditionem, & indigentiam cibus ab Ecclesia proponitur verbi Dei. *Psal. 130.*

5. *Qui humiliter de se sentit invitatur ad laudes B. Mariæ Virginis dicens.*

Domina non est exaltatum cor meum, neque sublimati sunt oculi mei: hinc confidenter ad te clamo: dicens: benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros: benedictus sit, qui te sanctificavit, & mundam de matris utero te produxit: benedictus sit, qui te obumbravit, & sua gratia te fœcundavit: benedic nos Domina, & conforta nos in gratia, ut per te ante conspectum Domini præsentemur. *Op. Psalt. B. Virg. Psalm. 130.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*



PSALMUS CXXXI.

Titulus: Canticum graduum.

1. Nota, quod postquam ædificavit seipsum vir justus, transit ad ædificandum alios, & ideò de ædificatione Domus Dei hic agitur: agens de voluntate ædificandi, deinde de loco ubi est ædificata; deinde de promissionibus factis à Deo circa hanc ædificationem: & quia primo loco vir justus se debet collocare; ideò seipsum collocat in fundamento, & deinde ad Deum laudandum, & tertiò ad proximum ædificandum transit. *Psal. 131.*

2. *In Christo figurato in David, fuerunt dona sine mensura.*

Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. Ergone tantùm de se fidit David, ut habeat se exponere Deo cum suis virtutibus: ergone omnis mansuetudo inerat in eo? sed attende, quod per David figurabatur Christus, super quem requievit spiritus sapientiæ, & omnium donorum plenitudo, quæ ostenduntur nobis dispersa in sanctis: ut innocentia in Abel, longanimitas spei, & operis in Noe: obedientia in Abraham: conjuga-

lis vitæ caſtimonia in Iſaac, laboris tolerantia in Iacob, gratia retributionis pro malo in Ioſeph: fiducia in adverſitatibus in Iſiue, patientia in Iob, manſuetudo in David: & ideò tam fulgentes ſtellas nobis in Cœlo Eccleſiæ expoſuit, ut inoffenſo pede iter noctis ambulemus. *Pſalm.*131. dicit igitur: *Memento Domine*: id eſt memorem te oſtende David, ſcilicet Chriſti, ejuſque virtutum.

3. Nota etiam quod principium Pſalmi pronunciatur in perſona viri juſti, qui primo ſeſpſum accuſando, & proximum ædificando humiliatione, & pœnitentia, exercitioque virtutum, domum Eccleſiæ ædificare intendit. *Pſal.*131.

4. *Voti impedimenta, & conditiones quenam.*

Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Iacob. Quodnam eſt hoc juramentum, & votum? Nota, quod primò exponitur de Chriſto, qui hæc dicit: ut det intelligere, quod à Patre habuit voluntatem obediendi, ſic & ab eodem eſt facultas exequendi: ſecundò in perſona viri juſti, qui rogat Deum, quod ſicut dedit voluntatem promittendi, & vovendi, ſic ei tribuat poſſe hoc exequi opere: votum enim impeditur ſæpe ab his octo, ſcilicet à pudore, timore, deſperatione, præſumptione, errore, oblivione, ignorantia, & negligentia ideò cum habeat voluntatem exequendi quod promiſit, unde dicit: *Deo Iacob*, id eſt futura attendentium, quia fuit figura expectantium, & quærentium, petit requiſita ad talem executionem, quæ ſunt fortitudo contra pudorem, patientia contra timorem, benignitas ſalvatoris contra deſperationem, diſtricta ſeveritas judicis contra præſumptionem, tarſo fidei contra errorem, diligens perſcrutatio contra oblivionem, prudentia contra ignorantiam, fervor devotionis contra negligentiam: hoc igitur eſt, quod optat vir juſtus, ſcilicet vota ſua Deo reddere *Pſal.*131.

5. *Iuſtus omnia ſua relinquit, & poſtponit, ut inveniat in corde ſuo locum Deo.*

Unde dicit: *Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi dedero ſomnum oculis meis donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Quaſi dicat, omnia mea commoda relinquam, me totum exercebo in inquirendo locum Deo, ſcilicet cor meum, & aliorum prædicatione, & aliis operibus piis. *Pſal.*131. *in Lucam c.*15.*v.*8.

6. *Chriſtus ſublimem ſuam ſapientiam expoſuit, ut faciliter ab omnibus, etiam ignorantibus poſſet percipi.*

Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis ſylvæ. Nota quod hic loquitur de ædificatione ſpirituali domus Dei facta per verbum, & prædicationem Verbi Dei, & dicit, quod audita eſt in Ephrata, & in campis ſylvæ, ſcilicet à gentilibus, & ignaris, & ſimplicibus, quia Chriſtus Verbum ſuum in plano, & commodo loco, & ſenſu eam expoſuit, ut ab omnibus percipi poſſit. *in Lucam c.*6.*v.*18.*& c.*5.*v.*10.

7. *In Eccleſia ut in loco ſancto Dei intrandum, veluti in Paradiſo.*

Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus. Nota, quod hic loquitur de Templo Dei, & dat Propheta intelligere, quod qui ad templum Sanctum Dei vadunt, ducuntur à Spiritu Sancto, quia Templum eſt tabernaculum Dei, in quo veluti in Paradiſo habitat, ibique adorandus eſt, tamquam in loco proprio. *in Lucam c.*2 *v.*27.

8. *Ex reſurrectione Chriſti ſurrexit Eccleſia ad ſtatum ſublimem, & glorioſum.*

Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ. Nota, quod hic Propheta, prædicit reſurrectionem Chriſti, & ædificationem Eccleſiæ, ſecutam ex tali reſurrectione: ſurge tu prius ait, & ſurget Eccleſia, quia hæc non audetet ſibi in reſurrectione corpus promittere, niſi exurgeret caput prius: Surrexit ergo hæc arca glorioſa, quæ auro immortalis, & æternæ claritatis veſtitur in reſurrectione: ſurrexit autem in hoc mundo elevata in quatuor angulis, ſcilicet ſecundùm fidem quatuor Evangeliſtarum à quatuor plagis Mundi. *ſer.*3.*in die Paſchæ.& in Pſal.* 16.

9. *Eccleſia ſponſa Chriſti in triplici lecto quieſcit.*

Si aſcendero in lectum ſtrati mei: ſurge Domine in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis. Nota, quod in Perſona Eccleſiæ dicitur, quod aſcenſura eſt in lectum ſtrati ſui, & quod poſtea Chriſtus ſurrecturus erat in requiem ſuam: quis eſt lectus Eccleſiæ, & quis Chriſti? triplex lectus invenitur in Eccleſia, & triplex lectus in Chriſto: primus eſt ſcientiæ ſuavitas, quæ per fidem habetur: in hoc ſponſum quærit, & requieſcit: ſecundus eſt carnis perituræ mortalitas, in quo languet per ſui, mortificationem: tertius eſt ſpecialis loci tranquillitas, ut ſunt monaſteria ſacrarum congregationum, in qua meditando, & contemplando quieſcit: Chriſti triplex etiam lectus, ſcilicet in virgine, in præſepio, & in tumulo. *Pſalm.*131.

10. Promiſſio facta à Deo David de incarnatione hic facta eſt: Unde dicitur. *Iuravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem. Pſalm.*131. *in Lucam c.*1.*v.*27.*&* 32.*& c.*2.*v.*54. *& c.*1. *v.*28. *& ſerm.*5. *Dom.*1.*quadrag.*

11. *Quomodò dicitur Deus ſervare promiſſa, & iuramentum.*

Iuravit Dominus David, & non fruſtrabitur eum. Vide quomodò Deus eſt fideliſſimus in promiſſionum executione; ſed quia videtur, quod aliquando pœnituerit, & receſſerit à promiſſis: Notandum, quod Deus videtur pœnitera; quod fecit, quando dixit: *Pœnitet me hominem feciſſe*: vel aliquando non facit, quod videtur facturus, ut de Ninivitis dixit: *adhuc* 40. *dies &c.* vel quando non conſummat, quod incepit: ut quando incipit punire, & ceſſat: ſed attende, quod primo modo dicitur pœnitere, ſcilicet quoad dilectionem: ſecundo quoad operationem: & tertio quoad conſummationem, primo modo loquitur humano more: ſecundo, & tertio modo, conditionatè. *Pſal.*131.

12. *Cuſtodia*

12. *Custodia præceptorum meretur remunerationem ob honorem, qui debetur Deo.*

Si custodierint filij tui testamentum & filij eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam. Ecce quomodò præcipitur custodia præceptorum Dei, & ipsi promittat remunerationem maximam: ideò talis custodia debetur Deo ob honorem ipsi Deo debitum. *Psalm. 118. c. 6. v. 8.*

13. *Deus eligit mundos in habitationem sibi.*

Quoniam elegit Dominus Sion. Nota, Sion interpretatur specula, & significat animam mundam: hanc eligit Dominus in habitationem sibi, in qua requiescit Dominus. *ser. 1. sab. sanct.* Nota etiam, quod aliquos eligit ad regnum, non ad officium, & sunt qui salvantur, nec eliguntur in Prælatos: quosdam ad utrumque, ut in Paulo. *Psalm. 131.*

14. Vitæ contemplativæ requies in hac vita durat semper in æternum duratura: unde de ipsa hic dicitur. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. op. de dono sap. c. 4. in fine, & in Lucam c. 1. v. 37.*

15. Eligens religionem debet in corde stabilitatem imprimere, dicendo. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam*: quia hic est lectus, in quo requiescit anima. *Psal. 131. & 118 c 11. v. 13.*

16. *Vulnera Salvatoris sunt locus requiei animæ.*

Hæc requies mea. Quid est hæc requies? Hæc, idest vulnera salvatoris, in quæ qui intrat, requiem, & omne bonum invenit. *Op. stim. divi. amor. p. 1 c. 4.*

17. *Anima, quæ verè vidua est, à Deo multipliciter benedicitur.*

Viduam ejus benedicens benedicam pauperes ejus saturabo panibus. Quænam est hæc vidua tam felix? ergone tantùm vidua benedicitur? sed nota, quod vidua hæc est anima quæ recedit ab amore temporalium, ideóque dicitur vidua, quia quando mundo adhæserat, virum habebat: nunc quasi vidua, & paupercula est. Vidua quidem, quia sequestrata est à Mundo, quantum ad effectum carnalitatis, ponens omnem suum affectum, & dilectionem in Christo paupercula est, quia sequestrata à mundo quantum ad affectum terrenitatis, hanc pauperem viduam Deus benedicit multiplici benedictione, ejusque paupertatem relevat. *in Luc. c. 21. v. 4.* Nota etiam, quod hoc dicitur, ad litteram de viduis, quæ verè viduæ sunt. *Op. spec. B. Virg. lect. 15.*

18. *Veri pauperes abundant divitiis spiritualibus in hac, & in alia vita.*

Pauperes ejus saturabo panibus. Qui sunt isti pauperes à Deo saturati? isti sunt pauperes Ecclesiæ, qui pro Christo reliquerunt omnia: isti abundant panibus fidei, spei, & charitatis, & in alia vita mercede plena. *in Lucam c. 15. v. 17.*

19. *Sacerdotes Sancti, & justi induuntur Christo, & Christus induitur justis.*

Sacerdotes tui induantur justitiam; & sancti ejus exultent. Ergone soli sacerdotes induuntur veste justitiæ? Sed nota, quòd hic per sacerdotes intelligit omnes justos majoris sanctitatis, & per sanctos justos minores: vel etiam Prælatos, & sacerdotes veros; & sanctos, inferiores; istique induendi justitiæ veste; hæcque est ipse Christus; quia justi induunt Christum, & Christus Sacerdos Sacerdotum induit justos: Christus enim ornatur in nobis, & nos novam vitam per Christum accipimus. *Psal. 31.*

20. *Christus lucerna illuminans totum Mundum.*

Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Idest ex semine David incarnationem faciam; & in Christo lucernam scilicet, divinitatem collocabo, ut luceat omnibus venientibus in hunc mundum. *in Lucam c. 15 v. 8 & Psal. 5.*

21. S Ioannes Baptista fuit lucerna ardens, & lucens, qui præcessit incarnationem verbi: & de ipso dicitur. *Paravi lucernam Christo meo. in Ioan. collat. 29. & in Lucam c. 1. v. 69.*

22. *Ad hoc ut Christus in nobis clarescat, & habitet, requiritur lucerna parata.*

Paravi lucernam Christo meo. Scilicet lucernam rectæ intentionis, prædicationis, & sanctæ conversationis *in Lucam c. 12. v. 36.*

23. *Solus Christus lux: cæteri Sancti lucernæ.*

Paravi lucernam Christo meo: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Dat intelligere Propheta, quod Sancti sunt lucernæ. quia possunt accendi, & extingui: non Christus, qui erat essentialiter lux; & super ipsum effloruit sanctificatio Dei, scilicet divinitas. *in Ioan. c. 5. v. 35.*

24. *Jesus fuit verè Nazarenus, idest floridus, & flos.*

Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Hoc dicitur de Christo, qui fuit Nazarenus, scilicet floridus flore olivæ, per misericordiam suavem: flore rosæ per patientiam: lilij per munditiam: floribus vineæ per odorem famæ. *in Ioan. collat. 84. & Psalm. 27.*

25. *Invocatur verbis hujus Psalmi Beata Virgo in adjutorium nostrum.*

Applicatur ad Mariam Virginem.

Memento Domina David, & omnium invocantium nomen tuum: da nobis Domina in nomine tuo fiduciam, & confundantur adversarij nostri: consolare nos in terra peregrinationis nostræ, & releva paupertatem nostram: da nobis panem lachrymarum Virgo sancta, & dolorem peccatorum nostrorum, in terra incolatus nostri: redde nobis propitium benedictum fructum ventris tui, ut Spiritus Sancti gratia repleamur. *Op. Psalt. B. V. Ps. 131.*

26. *Incarnationis promiſſio David à Deo facta, ordinata fuit ad Mariam, & Joſeph.*

Sicut juravit Domino, votum vovit. Iuravit Dominus veritatem, & non fruſtrabitur eam, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Nota, quod Chriſtus natus eſt de ventre Mariæ, & non David; niſi remotiſſime; ergo hæc promiſſio ordinata fuit ad Mariam Matrem Chriſti, & ad Joſeph, tanquam ad nutritium ejus, & teſtem caſtitatis Mariæ. Vide ergo, quod Deus inter omnes creaturas elegit rationalem, inter rationales humanam, inter homines proſapiam David, & in hac Mariam: & inter omnes particulas corporis Mariæ elegit carnem pretioſiſſimam. O dives in omnes, & ſuper omnia Maria, de cujus ſubſtantia modica pars aſſumpta totius mundi ſufficeit reddere debita. *Ser. 4. Dom. 1. quadrag. & in Lucam c. 1. v. 27. & 31. & cap. 2. v. 4. & cap. 11. v. 28. & opuſcul. ſpecul. B. Virg. lec. 16.* Ex quibus vide, quod particula, ex qua compactum eſt Corpus Chriſti fuit inter omnes pretioſiſſima, nempe ſanctificata à Spiritu ſancto.

27. *Beata Virgo fuit Arca Sanctificationis, & requies Filii Dei.*

Surge Domine in requiem tuam tu, & arca ſanctificationis tuæ; hæc requies mea Nota, quod hæc dicuntur tam de Chriſto, quàm de Matre: fuit enim arca Maria ex carne imputribili formata, ſimulque requies filii Dei, in qua poſt tumultus Angelorum, & hominum requievit. *Op. ſpec. B. Virg. lec. 1. & ſer. 1. in Sabbato ſancto.*

28. *Maria Virgo benedicta benedictionem omni ſtatui præparavit.*

Viduam ejus benedicens benedicam. Vidua hæc myſticè eſt Beata Virgo quæ omni ſtatui, ſcilicet conjugatarum, viduarum, & Virginum benedictionem accepit, & contulit. *op. ſpec. B. Virg. lec. 15. & in Ioan. c. 2. v. 20.*

29. *Maria ſedes, & thronus Chriſti, ejuſque uterus requies ejus.*

Surge Domine in requiem tuam. Si aſcendero in lectum ſtrati mei. Nota, quod hæc dicuntur de B. Virgine, quam veluti ſedem ſuam paravit ſibi omnium artifex Chriſtus in virginali ſanctificatione, unde virgineus uterus fuit lectus requietionis Dei. *Opuſc. de Eccleſ. hierar. p. 4 c. 7. & Pſal. 131. & in Lucam c. 1. v. 19.*

30. *Fructus ventris Mariæ qualis.*

De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Nota, quod hæc propriè non diriguntur, nec verificantur de David, de cujus femore, & ventre non traxit originem Chriſtus, ſed de ventre Mariæ, cujus fructus dicitur, quia fructificavit ex ventre multipliciter ad bonum univerſi: fructus enim fuit generoſi ventris, quia de proſapia regum; fructus delicioſiſſimus in odore, in ſpecie, & in ſapore: fructus virtuoſiſſimus ad ſalvandum homines, ad multiplicandum fructus ſalutis; fructus copioſiſſimus omnibus ſufficientiſſimus *op. ſpec. B. Virg. lec. 16.*

31. *Ex Maria utero panis exiit ad ſatiandum fideles.*

Pauperes ejus ſaturabo panibus. Vide qualis fructus ex ventre Mariæ prodiit: nam in utero B. Virginis panis vitæ compactus; & igne Spiritus ſancti concoctus, & inde exiit ut fructu frumenti, & vini, & olei ditarentur fideles; ſcilicet corporis, & ſanguinis, & chariſmatum. *Opuſcul. ſpecul. B. Virg. lec. 6. & Pſalm. 53. & 138. & op. meditat. vitæ Chriſti cap. 8.*

32. *Chriſtus flos de virgine productus, & fructus ex flore delicioſiſſimus.*

Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea. O quàm verè hæc poteſt dicere Maria Virgo de Chriſto, qui de ipſa provenit ut flos, vere Angelis delectabilis, & hominibus ad vitam perutilis: flos candidus electus ex millibus. Flos in quem deſiderant Angeli proſpicere. Flos, ad cujus odorem revivifcunt mortui: Felix ſilva, quæ producit hujus floris virgam; felix magis virga, quæ produxit hunc florem in ſilva: felix flos delicioſus in odore, delicioſior in ſpecie, & delicioſiſſimus in ſapore. *Opuſcul. ſpeculat. Beat. Virgin. lec. 12. & 16.*

PSALMUS CXXXII.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod hic eſt Pſalmus quartus decimus graduum, qui eſt indiviſus propter ſui brevitatem, propter materiæ unitatem; quia non patitur alienationem, cum nec perſona, nec modus loquendi mutetur; quia in eo agitur de charitate, quæ diviſionem non recipit. *Pſalm. 131.* Nota etiam, quod variatio in Pſalmis & in contemplatione fit vel ob mentis dilatationem, vel ſublevationem, vel mentis alienationem: primum fit arte, exercitatione, & attentione: ſublevatio fit ex ſuperabundantia divinæ gratiæ: alienatio fit præ devotionis magnitudine, vel amaritudinis, vel exultationis. *Pſal. 132.*

2. *Charitas fraterna bonum honeſtum, & conferens, utileque ſuper omnia alia.*

Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Nota hanc copulationem boni, & jucundi; nam omne bonum eſt vel honeſtum, vel conferens, ſcilicet utile: fere autem nihil aliud eſt, in quo hæc duo copulentur, ſcilicet bonum, & delectabile, niſi in charitatis virtute: eſt enim maximum bonum in ſe; quia eſt imitatio charitatis exiſtentis in Cœlo, ubi omnes ſancti unitate charitatis congregati ſunt; & omnes noſtris miſeriis ſunt condeſcendentes: eſt & jucundum, & delectabile, & utile; quia affert omnem quietem, dulcedinem, jucunditatem, & utilitatem. *Serm. 1 in feſt. omn. Sanc. op. comp. theol. l. 5. c. 9. & 31. & Pſal. 9. & 48. & 119. & in Lucam c. 14. v. 3. & in Ioan. collat. 77.*

3. Unguentum

3. *Vnguentum divina gratia à Christo capite descendit primò in Apostolos, deinde in cæteros fideles.*

Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti. Quasi dicat, quod tantum bonum est charitas, quod ipsa descendit sicut unguentum gratiæ divinæ, scilicet à Christo capite in Apostolos, & deinde in cæteros fideles: per barbam enim, quæ significat virilitatem firmam, & ori vicina est, significantur Apostoli, & per oram vestimenti cæteri fideles. *Psal.* 103. *&* 132. *& ser.* 1. *in Epiphan.*

4. *Ecclesiæ vestimentum constituitur ex fidelibus charitate unitis.*

Quod descendit in oram vestimenti ejus. Ecce quomodò descendit gratia Spiritus sancti in vestimentum Ecclesiæ: hoc autem sunt fideles, qui tot filis eam componunt; & ideò debent esse charitate conjuncti: Hinc sequitur: quod qui discors est à proximo, scindens hoc vestimentum, gratiâ Spiritus sancti privabitur. *serm.* 1. *in Epiphan. & Psam.* 3.

5. *Vnguentum à nobis parandum ad ungendum Christum.*

Sicut unguentum in capite Nota, quod ponit hic unguentum in capite, scilicet in Christo, ut ostendatur nos debere deferre unguentum ad ungendum Christum, nempe orationis, exhortationis verbi, & exhibitionis boni exempli; scilicet ore, mente, & opere; & hæc ad Christum portate. *Psal.* 132.

6. *Gratia Dei descendit ordinate in Hierarchias, scilicet cælestem, & terrestrem.*

Vnguentum in capite, quod descendit. Vide quomodò ordinatè à Deo conferuntur gratiæ: nam primò in capite: secundo in barbam: tertiò in vestimenti oram: hocque fit tam in Hierarchia cælesti, quàm Ecclesiastica: qui ordo etiam ab anima debet servari, ut primò suscipiat lumen cæleste, deinde illud custodiat, & tertiò illud communicet. *serm.* 22. *&* 18. *Hexaem. & Breviloq. in proœm. & op. de septem gradib. contempl.*

7. *Rubigo peccati fit ros per baptismum.*

Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quomodò ros Hermon descendit in montem Sion, cum sint duo montes valde distantes? sed attende mysterium: Hermon interpretatur anathema, & ob hoc significat separatum ab Ecclesiæ communione ob rubiginem scelerum; sed tamen hæc rubigo convertitur in rorem cælestem per baptismum, & sanguinem Christi, & tunc descendit in montem Sion, scilicet in animam fidelem. *Psal.* 132. Nota etiam, quod Hermon interpretatur lumen exaltatum: & significat infinitissimam Jesu bonitatem, quia fuit lux de terra in crucem, de cruce verò super pulchritudinem cælorum exaltata, ex cœlis autem descendit in montem Sion, scilicet in mentes contemplativorum, ipsorum præcordia irrigans, & fœcundans, & purificans. *Op. de septem gradibus contemplat.*

8. *Charitatem habentes vocantur à Christo ad benedictionem suam suscipiendam, & ad vitam æternam.*

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum. Illic? & unde, & ubi? Illic scilicet in exercitio charitatis vocat tales ad benedictionem, dicens: *venite benedicti*, & ad vitam æternam suscipiendam, dicens: *percipite regnum. Psalm.* 118. *capit.* 1. *vers.* 4. *& Psalm.* 1. 2. *& op Ecclesi. Hieron. p.* 4. *cap.* 6. *& sermon.* 4. *Dom. Trinit.*

9. *Vnguentum effusum, & aromaticum est nomen Mariæ bonum, & jucundum ipsum diligentibus, & invocantibus.*

Ecce quàm bonum, &c. unguentum in capite, &c. Nota quod si gratia Christi est unguentum effusum à capite in membra; & per gratiam Christi nomen Mariæ est verè unguentum effusum, & aromaticum, portans omnia bona diligentibus, & invocantibus ipsum: ideò hoc intelligentes dicamus conversi ad Mariam: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, Maria, diligere nomen tuum, quod est unguentum effusum, & aromaticum, & ideò magna multitudo dulcedinis tuæ, ô Domina quam præparasti diligentibus, & sperantibus in te: esto refugium pauperum in tribulatione, quia tu es baculus pauperum, & miserorum: inveniant quæso gratiam apud Deum, qui te in suis necessitatibus invocabunt. *Op. Psalt. Beat. Virgin. Psal.* 132. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

PSALMUS CXXXIII.

Titulus: Canticum graduum.

1. NOTA, quod iste est ultimus psalmus graduum, in quo proponitur charitas, & laus Dei, & hæc est ultimata perfectio viri Evangelici, ad quam omnia opera nostra debent tendere.

2. *Deus à nobis laudandus est opere, & voluntate, & ore maxime in adversitatibus.*

Ecce nunc benedicite Dominum Nota, quod in hoc Psalmo ostendit Propheta qui debeant laudare Deum, scilicet omnes; & quare, scilicet quia servi Dei; & quem, scilicet Dominum; & ubi, scilicet in noctibus adversitatum; & quomodò, scilicet extollite manus vestras, scilicet operis, & voluntatis, & oris, & hoc perseveranter unde dicit: *qui statis, Psal.* 133.

3. *Perseverantes in latitudine charitatis, invitantur ad Deum laudandum.*

Qui statis in atriis domus Domini. Quasi dicat: Ecce nunc benedicite Dominum vos, qui Deo servitis perseverantes, & qui vivitis in latitudine charitatis, nam in atriis istis tantum habitant, qui vivunt vita charitatis. *Psal.* 133. *&* 36. *&* 65. *&* 118. *cap.* 2. *vers.* 4.

nos laborem incumbentium certaminum, ſcilicet ſolitudinis; poſt nos præteritorum malorum dolorem. *Pſal.135 & in ſup.c.19.*

12. *Chriſtus renovavit miraculum diviſionis maris in ſua paſſione.*

Qui diviſit mare in diviſiones. Nota,quòd Deus diviſit mare in duodecim vias juxta duodecim tribus Iſraël, & Chriſtus renovavit hoc miraculum in ſeipſo,& in ſua paſſione,quæ fuit mare immenſum dolorum:vel ipſe fuit mare divinæ miſericordiæ: nam præmiſit vias lachrymis, quando flevit ſuper Lazarum, ſuper civitatem Hieruſalem, in cruce,& emittendo aquam de latere: item octo vias in ſanguine aperuit,ſcilicet in circumciſione, in agonia,in horto,in flagellatione, & in quinque vulneribus Corporis.*in Thren.c.3.*

13. *Ordo converſionis requirit, ut primò homo ſit Judæus,deinde Hebræus.*

Qui traduxit populum ſuum per deſertum,& dedit terram eorum hæreditatem. Nota,quod hoc miraculum potentiæ divinæ apparuit in exitu de Ægypto per mare rubrum,deinde in tranſitu per deſertum, & tandem in promiſſionis terræ poſſeſſione: myſticè datur nobis intelligi ordo converſi nis perfectæ:nam Judæus interpretatur confitens: Hebræus tranſitor: confeſſio autem facit Iudæum, tranſitus Hebræum: ſicque primus tranſitus eſt de Ægypto; id eſt de mundo ad ſeipſum per confeſſionem, deinde ſequitur tranſitus per deſertum, ſcilicet de ſeipſo ad Deum, & hoc difficilius eſt, quam diſcedere de Ægypto: ſcilicet difficilius eſt relinquere curam ſui, quàm abrenunciare mundo, & ideò Iudæi uno die exierunt de Ægypto, ſed quadraginta annis de deſerto, & hinc ſequitur poſſeſſio terræ promiſſæ *Pſal.135.*

14. *Dum in hac vita humiliamur,tunc Deus dicitur memor noſtri.*

Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri. Quomodo id dicitur? nonne Deus eſt ſemper memor noſtri? Nota quod dicitur memor noſtri Deus ſolùm in humilitate noſtra, ſcilicet dum humiliamur,dum bene agimus, tunc dicitur memor noſtri, ſcilicet in præſenti in ordine ad meritum, quod acceptat peculiari modo. *Pſal.136.*

15. *Bonitas divina elucet maximè in hoc quod nobis exhibet ſuam miſericordiam per merita, & interceſſionem Beat. Virginis Mariæ.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus.* Sed in quibus effectibus oſtenditur præcipuè bonus Deus? in omnibus beneficiis nobis ab ipſo collatis,ſed inter hæc maximum eſt nobis dediſſe,quod B.Virgo Maria impetret amicitiam divinam, cuſtodiens nos, ne eam perdamus, & per ejus interceſſionem nobis exhibeat ſuam miſericordiam, quod ipſa comprimat hoſtem noſtrum Imperio ſuo, ne feriat in nobis virtutem charitatis,quod conſervet in nobis bona naturalia,& bona gratiæ multiplicentur, quod illuminet vias,& ſemitas noſtras,ut noſcamus, quæ ſunt Deo beneplacita:ô quam bonus Deus nobiſcum per Mariam: confiteamur igitur Domino, & miſericordiæ ejus. *Opuſcul. Pſalt. Beatæ Virginis Pſal.135.*

16. *In Eccleſia per Mariam poſuit Deus ſolem,& lunam & ſtellas.*

Qui fecit luminaria magna ſolem,lunam & ſtellas. Nota,quod hæc operatus eſt Deus per ſuam miſericordiam in Eccleſiâ myſticè.Sed quis eſt ſol,quæ luna,quæ ſtellæ? Sol iſte eſt B.Virgo, eſt & luna, ſcilicet pulchra ut luna,electa ut ſol:luna per gratiam,ſol per gloriam,fuit enim Maria opus excellentiſſimum,plenum gratia in mundo,& gloria in Cœlo,& ideò rutilans per omnia reſpicit, ſcilicet per omnes Angelos, & ſanctos oſtendit gloriæ ſuæ illuminationem, & per totum orbem: eſt & luna,quia ſicut hæc totum lumen à ſole recipit:ſic & Maria recipit in ſe ſolem juſtitiæ cujus ſtellæ ſunt virtutes *op.ſpecul.B.Virg.lect.3.& 7.& 13.*

PSALMUS CXXXVI.

Titulus: Pſalmus David propter Hieremiam.

1. NOTA, quod iſte Pſalmus eſt compoſitus à David propter Hieremiam, id eſt juxta Hieremiam, qui egit de eadem materia pio rans ſcilicet de deſtructione tertiò facta de Hieruſalem à Nabuchodonoſor Rege Babylonis,& quia myſticè ordinatur ad deſtructionem factam de nobis ab inimicis; hinc ſciendum,quod tres præcipue civitates adnotantur,ſcilicet Babylonia, Jerico,& Hieruſalem,in prima eſt juſtitia captiva,in qua ſunt mali homines,ſociique dæmonû, quorum diabolus eſt Rex:in ſecunda ſcilicet in Eccleſia militante ſunt boni permixti cum malis:in tertia ſunt tantum boni,ſcilicet Angeli,& homines beati: in prima eſt confuſio, præcipuè in morte: in ſecunda eſt defectio vitæ: in tertia eſt dominium viſionis beatæ & de iſtis agitur in hoc pſalmo,eorumque pugna. *ſ.1.6.*

2. *In mare Mundi ſunt flumina concupiſcentiæ, per quæ flendo ſedere debemus, ut tranſeamus per navem pœnitentiæ ad Sion cæleſtem.*

Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion. Nota id, quod Iudæi, dum erant in captivitate Babylonica ad litteram faciebant, nos etiam facere debemus ſpiritualiter, qui vivimus in hac Babylonia præſentis vitæ, in qua ſunt flumina concupiſcentiarum, quæ in mare hujus mundi abundant: ſuper hæc flumina debemus ſedere, ſcilicet contemnendo hæc temporalia, & meditando per recordationem Sion cæleſtis, æternorumque bonorum: ſic enim nobis conſtituemus navem pœnitentiæ, quæ in aqua lachrymarum nos conducit ad beatam patriam. O quando nos miſeri naufragi ad illam cœleſtem Sion tranſibimus! quando flumina Babylonis evademus! ô Sancta Sion ubi totum ſtat, & nihil

nihil fluit, quis nos inde in istam præcipitavit? *fer.2. Dom.3. post oct. Epiph. & fer.3. Dom.5. post Pentec. & fer.1. Dom 9 post Pentec.*

3. *Flumina Babylonis Mundi sunt tria, è quibus extrahitur homo per pœnitentiam.*

Super flumina Babylonis illic sedimus. Quænam sunt ista flumina? ista sunt tria: scilicet concupiscentia carnis, oculorum, & superbia vitæ: istaque terminant ad mare Babylonis, scilicet de mundo ad infernum: qui vult ergo evadere ista flumina, debet flere, & per istam aquam navem pœnitentiæ conscendere, sicque ad cœlestem Sion transibit. *fer.1. Dom.3. post octa. Epiphan. & serm.1. Dom.9. post Pentec.*

4. *Super flumina Babylonis debent sedere Prædicatores, ut pisces homines extrahant.*

Super flumina Babylonis illic sedimus. Hoc dicebat Propheta: hoc debent facere Prædicatores, veluti piscatores, debent enim cum fletu, & pœnitentia emittere hamum prædicationis verbi Dei ad homines peccatores veluti pisces enatantes in aqua concupiscentiæ, ut ipsos extrahant, & capiant Domino nostro Jesu Christo. *fer.2. Dom.3. post oct. Epiphan.*

5. *Super flumina Babylonis sedeat Peccator recordando bona cœlestis Sion.*

Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion. Ecce quid agere debet peccator: scilicet sedere super flumina Babylonis per considerationem æternorum suppliciorum infernalium, & ad cœlestem Sion convertere oculos, meditando stipendium præparatum bonis operibus: sicque securus vivet in hac vita misera. *fer.3. Dom.5. post Pentec.*

6. Doctrina peccatorum est aqua fluminum Babylonis: doctrina bonorum est aqua cœlestis Sion: illam debemus contemnere, istam amplecti, ut possimus dicere: *super flumina Babylonis. Psalm.51.*

7. *In hac vita homo debet flere super se, & calamitates hujus peregrinationis.*

Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus. Cur flevistis? respondent, dum recordaremur Civitatis Sion: nempè, videndo nos à patria cœlesti absentes, & distantes: videntes & confusionem, & fluxum hujus Babylonis mundi, & quia hæc est vallis lachrymarum; ideò in ipsa flendum. *in Lucam c.23. v.28. & Psal.124.*

8. *Peccatores, & Mundani sunt salices infructuosa.*

In salicibus, suspendimus organa nostra Cur in salicibus, & non in aliis arboribus? quia hic figurantur peccatores, qui sunt in captivitate diaboli; sunt enim veluti salices propter sterilitatem; dum enim anima est in peccato mortali, nullum opus, vel actum meritorium vitæ æternæ potest producere: secundò propter aquæ refrigerationem, quia in temporalibus refrigerantur; tertiò propter amaritudinem vitæ, in qua vivunt. *Psal 136.*

9. *Prædicatores, & Doctores à Deo confunduntur non prædicantes verbum Dei: & auditores item indispositi puniuntur in sterilitate dicendi prædicatorum.*

Si non meminero tui Hierusalem. Si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ adhæreat lingua mea faucibus meis. Nota, quod in his verbis induit Propheta personam Prædicatorum, & Doctorum; ostenditque quomodo & ipsi puniantur, & simul auditores: qui enim non proponunt Hierusalem, scilicet salutem animæ, & bona cœlestia, sed verba curiosa, & inutilia, sæpe à Deo confunduntur, sunt enim veluti vespæ, quæ non habent favum mellis in lingua, nec mellificant; Auditores item indispositi ad audiendum verbum Dei, & Evangelium, sed curiositates, sæpe puniuntur à Deo, qui facit adhærere linguam palato: igitur in medio Ecclesiæ narrare, & exponere debent populo Christiano nomen, & verbum Dei purum, ut à sapientia mundana trahatur ad cœlestem, & Christianam: sed proh dolor! quia in multis præcessit impugnatio vitæ Christi in moribus per malos Theologos, & doctrinæ Christi per falsas, & vanas opiniones. *fer.1. Hexaem.*

10. *Deus quomodò dicitur memor bonorum, & malorum.*

Memor esto Domine filiorum Edom, qui dicunt exinanite. Isti fuerunt persecutores pessimi filiorum Israël; horum dicitur Deus memor, scilicet quoad mala, & peccata, & quoad pœnam; sicut bonorum, dicitur memor quoad bona opera, & præmium, quod conservat in sui acceptatione. *Psal.136. & 8. & 118. c.4. v.1.*

11. *Beati sunt, qui primos motus sensualitatis terent, & allidunt ad petram; scilicet ad Christum.*

Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram. Ergone allidendi sunt parvuli ad petram? maxime: sed intellige, quod parvuli isti sunt primi motus, & parva peccata, quæ sunt terenda, & allidenda ad petram, scilicet ad Christum per conversionem, & mortificationem. *Psal.119. & 127.* Nota autem, quod isti motus, qui ex carne, & sensualitate generantur, dicuntur parvuli; quia sicut parvuli fœtent urina, & immunditiis, sic isti motus fœtent in conspectu Dei; item sicut parvuli fœdant gremium matris; sic isti motus fœdant gremium, faciemque animæ, si immorari permittuntur: item sicut parvuli habent manus immundas, sic isti motus fœdant manus, scilicet opera: & sicut parvuli stant laborantes in luto. & terra, sic isti motus: & sicut parvuli sunt debiles in principio, sed postea fiunt fortes, & magni; sic isti motus, si non alliduntur, citò de capillis transeunt in trabes, ideò in principijs obsta: parvuli item generant vermes; sic & isti motus lacerant conscientiam: allidendi ergo sunt ad Christum, qui est petra, ne scilicet suggestione sensualitatis ratio moriatur, ne consentiat peccato. *Psal.127. & Vgo Cardinalis.*

12. Deus

8. *Mirabilis potentia Dei exaltatur in missione prædicatorum, eorumque doctrina.*

Qui producit ventos de thesauris suis. Nota per ventos intelligit prædicatores, quorum doctrina penetrat ad omnes vi occulta, & assistente Dei, in quo elucet mirabiliter divina potentia, & sapientia. *Psal.* 77.

9. Dona Spiritus Sancti sunt veluti venti, qui penetrant ad interiora, & nescit anima, quo veniant, & vadant: unde mystice dicitur: *qui producit ventos de thesauris suis. Psal.* 147. Sed nota, quod isti venti partim veniunt à parte occidentali, estque Spiritus scientiæ: partim à meridie, scilicet Spiritus sapientiæ: partim ab oriente scilicet spiritus intellectus: & partim à septentrio a, scilicet Spiritus consilij: in primo est sensus historicus: in secundo sensus anagogicus: in tertio est sensus allegoricus: & in quarto est tropologicus: in occidentali est argentum eloquentiæ: in septentrionali sunt virtutum gemmæ: in orientali purpura, & byssus, scilicet ornamenta legalia, nempè varia sacramenta Ecclesiæ: in meridie aurum sapientiæ: in primo est fides: in secundo operatio: in tertio devotio: in quarto contemplatio. Nota etiam, quod isti venti è regiona se respiciunt, scilicet oriens, & occidens, meridies, & septentrio: ecce thesauri Dei. *Psalm.* 134.

10. *Deus misericorditer percutit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.*

Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus. Nota quòd cùm initium peccati sit superbia; Ægyptus, scilicet Mundus talia primogenita producit, scilicet primogenitum pecoris, quod est superbia vanitatis, & primogenitum hominis, scilicet arrogantiam sanctitatis: flante igitur aura Spiritus sancti, percutitur primogenitum ab homina usque ad pecus. *Psalm.* 134.

11. *Deus permittit suos servos affligi à malis in hoc mundo, ut eos facilius ab ipso separet affectu; & postea malos severè punit.*

Qui percussit primogenita Ægypti: & gentes multas. Vide quod licet permiserit Deus Judæos tentari, & affligi ab Ægyptiis, & gentilibus, ad ipsorum profectum, tandem postea malos severissima punivit; ut videas, quod boni coronantur, mali puniuntur à Deo: & in hoc Deus cum suis agit sicut bona Mater, quæ ut puerum separet à mammillis, ipsis aliquid amarum apponit. *Psal.* 134.

12. *Deus reliquit in Ecclesia memoriale suorum operum.*

Domine nomen tuum Idest nomen operationum suorum mirabilium, memoriale sunt tuæ potentiæ & redemptionis nobis factæ: talia sunt sacramenta Ecclesiæ: item memoriale in nobis reliquit, ut dignosceremur ab infidelibus: scilicet signum baptismi, peccati remissionem, & bonam operationem. *Psal.* 134. & in *Lucam c.* 22. *v.* 59.

13. *Nomen Iesus memoriale est mirabilium Christi.*

Domine nomen tuum memoriale. Scilicet in nomine Jesu est memoriale donorum, & mirabilium Christi, scilicet quod est Deus, & homo: à peccato immunis, & plenus donis, & gratiis omnibus. *Psal.* 134.

14. *Invitantur fideles ad Deum laudandum, quia dignus est laude: & quia laudatur in Ecclesia militante, & triumphante.*

Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem. Quasi dicat: benedicite Domino omnes, quia dignus est benedici, & laudari ab omnibus, & quia ex Sion benedicitur, scilicet ab Ecclesiâ militante, & à Hierusalem, quæ est triumphans. Nota autem, quod per Sion, qui interpretatur specula, seu speculatio intelligitur optime Ecclesia militans; quia in hac vita homo se exercet in speculatione rerum naturalium, operationum, & morum, prima est in natura: secunda in arta: tertia in moribus: & hæc partim est ex institutiona divina partim humana: ad divina instituta pertinent obsequia divina, & Ecclesiæ sacramenta: ad humana pertinent humanæ legis consuetudines: divina institutio dirigit per viam superiorem; humana per inferiorem. *Psalm.* 134.

15. *Cum laudibus Dei connectenda sunt laudes Mariæ Virginis.*

Laudate nomen Domini: laudate servi Dominum. Nota, quod cum ad laudem Dei perfectam requiratur etiam laus Beatæ Virginis Mariæ, quæ est veluti complementum laudis divinæ; hinc vari servi Dei non cessant laudare Mariam Virginem die, ac nocte: Ad ipsos omnes igitur diriguntur hæc verba: laudate nomen Domini: laudate, & benedicite nomen Mariæ matris ejus: Mariæ præcamina frequentate, & suscitabit vobis voluptates sempiternas: in animâ contritâ veniamus ad illam, & non stimulabit nos cupiditas peccati: qui cogitat de illâ in tranquillitate mentis inveniet dulcorem, & requiem pacis: respiramus igitur ad illam in finitione nostra, & refetabit nobis atria triumphantium. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 134. *Applicatio ad Mariam Virginem.*



PSALMUS CXXXV.

Titulus: Alleluia.

1. NOTA, quod hic Psalmus totus est de lauda divina, ubi multa laudabilia dicuntur; sed maximè hic Dei misericordia commendatur; unde cum diversa sint initia versuum, finis est unus omnium, quia quicquid dicitur hic, ad misericordiam Dei refertur; per quam subsistunt omnia opera ejus, quæ hic recitantur: Et nota quod dum hunc Psalmum filij Israël decantabant, ut legitur 2. *Paralip. c.* 5. statim implevit gloria Templum Dei, per quod ostenditur quam præsens sit Dei gratia purè cantantibus hunc Psalmum; & ideò

12. *Deus est qui in præsenti vita tribuit, & donat merita, condonando peccata, & retribuit mercedem in alia.*

Beatus, qui retribuit tibi retributionem suam. Quid est retribuere retributionem? ergone Deus nobis erit debitor. Nota quod Deus ex gratia sua, quam donat, nobis tribuit remissionem peccatorum, & meritum: sed postea præmium est retributio talis meriti debita. *Psal.136.*

13. *Ad Mariam recurrendum, ut liberet nos à captivitate, & reducat ad Cœlestem Hierusalem.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Super flumina Babylonis fleverunt. Hebræi ad recordationem captivitatis suæ, & civitatis Sion, & Hierusalem, à qua remoti erant: Nos autem ad recordationem mysticæ Sion, & Hierusalem, scilicet pietatis Mariæ lugeamus super iniquitates nostras; clamemus ad ipsam, offeramus ei planctus, & suspiria nostra; quia non invenitur propitiatio sine illa, nec salus sine fructu illius: Per illam peccata purgantur, & per fructum illius animæ dealbantur. Per illam fit satisfactio peccatis, per fructum illius sanitas condonatur. *Opusc. Psalt. B. Virg. Psalm.136.*

14. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram, scilicet ad Mariam.*

Jam dictum est, quod per parvulos intelliguntur primi motus sensualitatis, qui allidendi, & confringendi sunt ad petram, scilicet ad Christum: sed tamen adverte, quod petra hæc mystica etiam est Beata Virgo Maria, petra deserti, ex qua aqua gratiæ emanat, petra durissima contra vitia, & dæmones, igitur ad ipsam allidendi sunt parvuli, & motus sensualitatis, & ad ipsam confugiendum, ne nos deturpent, & occidant; quia non invenitur propitiatio, nec salus sine Maria: quia per ipsam purgantur peccata, & per ipsam dealbantur, & mundantur animæ; & per illam fit satisfactio pro peccatis, & dissipantur. *Opuscul. Psalt. B.Virg. ibidem. Et opusc. Lytan. B.Virg. & in Lucam c.11.v.23.*

PSALMUS CXXXVII.

Titulus: Psalmus ipsi David.

1. Nota, quod post captivitatem, & liberationem è captivitate, videns Propheta ædificatam Hierusalem, & Templum restauratum, laudat Deum pro liberatione, dicens. *Confitebor tibi Domine*: sic & anima invitatur ad laudandum Deum pro liberatione spirituali animæ in Hierusalem, scilicet in Ecclesia, in qua sola est perfecta laus. *Psal.137.*

2. *Ecclesia Catholica exaltat, & laudat Deum pro conversione peccatorum à captivitate peccati per prædicationem suorum ministrorum.*

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei. Quid est hoc, quod Deus audivit verba oris sui, ideò confiteri vult Domino? Nota, quod supradictum est invitari prædicatores, & doctores ad prædicandum Verbum Dei purè, & sanctè: ideò videns Ecclesia mirabiles fructus ex prædicatione secutos, & quod multi è captivitate diaboli liberati sunt; ideò exultans laudat Deum, dicens: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti*, scilicet audire fecisti verba mea; scilicet in Ecclesiâ, quia solùm in ipsa est verum sacrificium, & laus Dei. *Psalm.137.*

3. *Præsentia Angelorum excitare nos debet ad perfectè laudandum Deum, standumque in Dei præsentia.*

In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum. Ad quid Propheta involuit præsentiam Angelorum in proposito, & promissione psallendi, & orandi coram Deo? nonne sufficiebat Deum sibi præsentem præfigere? Sed optimè; & optima ratione id facit: quia sciebat, quod Angeli ministrant nobis, quod nobis assistunt, præcipuè dum incumbimus Dei obsequio: ideò proponebat sibi præsentiam Angelorum; sic enim excitabat suam pigritiam, ut ipsis obtemperaret, dum ipsi stant ad promovendum nos in bono. *Ser.1. Dom.10.post Pentec.*

Vide ergo, quod consideratio præsentiæ, & societatis Angelorum, multum juvat attentionem necessariam orationis: Ergo multò magis præsentia Dei.

4. *Gratias agamus Deo de beneficiis nobis ab ipso ministerio Angelorum exhibitis.*

In conspectu Angelorum psallam tibi. Cur non potiùs in conspectu Dei? quia sciebat, & videbat Angelos ad sui custodiam destinatos, & ad omne bonum nos incitantes; ideò Deum laudabat; gratias agens ipsi Deo pro istis tot beneficiis per Angelos collatis: nam nos defendunt in pugna cum hostibus, suscipiunt orationes nostras, Deoque eas offerunt: incitant, & excitant nos ad Deum laudandum, & innumerabilia bona nobis conferunt: ideò meritò Deo psallebat vir justus pro tot beneficiis, dicens: *in conspectu Angelorum psallam tibi. Ser.1. Dom.10 post Pentec. & Ser.1. & sequ. de Angelis.*

5. *Nos debemus stare prompti ad obtemperandum Angelis, quia stant ad promovendum nos in bono.*

In conspectu Angelorum psallam tibi. Cur in conspectu Angelorum? cur hic facit mentionem de præsentia Angelorum, dum vult psallere Deo? Hoc dicit, quia videns, & sciens Angelos stantes, & promptos ad nos promovendum in bono, proponebat se velle eis perfectè obtemperare; & ideò velle psallere, & Deo servire. *Sermon. 1. Domin. 10. post Pentecost.*

6. Debemus

6. *Debemus coram Deo psallere, & Deum laudare in Templo Dei materiali, & spirituali, ac si essemus in Cœlo, & inter Angelos adscripti.*

In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum. Cur dicit in conspectu Angelorum, & non etiam hominum? Nonne psallitur in Ecclesia coram hominibus? Nota, quod dicit: in conspectu Angelorum, non verò hominum; nam psallens coram hominibus, scilicet ad vanam gloriam, ad bona temporalia acquirenda, non verè dicitur psallere: qui verò ad solam laudem Dei, & gloriam psallit, & cum puritate, & rectitudine intentionis, psallit in conspectu Angelorum. ac si esset in gloria in societate Angelorum ipsorum: sic autem adorat ad Templum sanctum Dei. Hoc Templum sanctum est corpus Mundum, & immaculatum, in quo anima Deum adorat, & ejus nomini confitetur. *fer.1. Dom 3. post octa. Epiphan. & in Lucam c.1 1.v.2.*

7. *Templum Dei materiale ab Angelis frequentatur.*

In conspectu Angelorum. Adorabo ad Templum sanctum tuum. Nota, quod præmissa præsentia Angelorum, se confert ad Templum Sanctum Dei; ut ostendat, quod in templo Sancto Dei assistunt Angeli Dei: unde dicit Deus *Zach.9. Circumdabo domum meam ex iis qui militant mihi,* scilicet Angelis, qui præveniunt, & assistunt animabus puris in choro laudes decantantibus, cum divinis mancipantur obsequiis, cum psalmodiæ operam dant, vel orationibus incumbunt, vel missas celebrant: igitur debemus Angelis reverentiam semper, sed maximè in Templo Sancto Dei. *ferm.1. in dedicat. Eccles.*

8. *Corpus purum est Templum Sanctum Dei, in quo anima orat.*

Adorabo ad Templum Sanctum tuum. Nota, quod mysticè Corpus purum, & immaculatum dicitur Templum, in quo anima Deum adorat: portæ hujus templi sunt quinque sensus, qui sunt omni diligentia conservandi, ne mors peccati intret per eos, quia non placet Christo laudatio, quæ egreditur de corde immundo, ore superficialiter devoto. *ferm. 1. Dom. 3. post octav. Epiph.*

9. *Homo est Templum Sanctum Dei, in quo adoratio, & sacrificium offerri debet.*

Adorabo ad Templum Sanctum, & confitebor nomini tuo. Nota, quod Templum hoc, de quo loquitur Propheta, erat in Hierusalem, & in hoc mysticè ostenditur, quod qui vult verum sacrificium Deo offerre, oportet ut in Hierusalem ascendat; scilicet in Ecclesiam militantem, quia extra ipsam non est verum sacrificium: in qua Ecclesia est etiā Templum, quod est quilibet fidelis: in hoc est Altare concavum, quod est fides nostra, quæ recipit Verbum Dei; estque quadrata quatuor virtutibus cardinalibus, ibi thus orationis offerri debet: ibi sacrificium, quod est cor contritum: ibi est ignis continuus, & non alienus, qui ignis charitas est, sicut alienus est cupiditas, & hinc ex hoc sacrificio suavissimus odor Deo, & hominibus redolet, nempe bona conscientia Deo, & bona fama hominibus. *Psal.137.*

10. *Dei attributa magnificata apud homines ex operibus suis mirabilibus.*

Quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum, super misericordia tua, & veritate tua Quomodo magnificavit Deus nomen sanctum suum super misericordia, & veritate sua? Nempe operibus veritatis, & misericordiæ, magnum ostendit nomen suum: nam potestas apparuit in rerum creatione, & gubernatione; majestas in ejus comprehensione, & cognitione: benignitas in benignitate salvatoris Dei Jesu Christi, potestas exigit subjectionem: majestas admirationem, & benignitas commendationem. *Psalm.137.*

11. *Deus magnificavit super omnia nomen sanctum Iesus.*

Quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum: Idest super omnia opera tua magnificasti; & magnum reddidisti nomen sanctum tuum, scilicet nomen Iesus; in quo excelluit misericordia, & veritas; quia in virtute talis nominis remisisti peccata maxima, & mirabilia fecisti, quando apparuit nobis benignitas, & humanitas salvatoris Dei. *Psalm.137. & Vgo Card. hic.*

12. *In magnificatione Christi Iesu elucet spes peccatoribus, acquirendi remissionem peccatorum.*

Quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum. Quid est hoc nomen sanctum Dei, quod magnificatum est super omne nomen? Hoc est Christus Jesus, quem genuit immunem ab omni peccato, & omnibus donis repletum: si hoc, ergo multò magis poterit nos sanctificare, & liberare ab omni peccato tam originali, quàm actuali. *Psal 137.*

13. *Deus excelsus longe est à superbis, & humilia respicit; eaque à prope cognoscit.*

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Ecce quod toties in sacra scriptura repetitur: nempè quod Deus abhorret superbos, & diligit parvulos, & humiles, illos à longè cognoscit; sed istis prope est, ipsum invocantibus: & hinc abhorrere dicitur alta, scilicet superbiam, avaritiam, invidiam, iram, & omnia vitia. *Psal.137. in Lucam c.1.v.48. & c.5.v.2. & c.14. v.30. & c.9.v.48. & c.10.v.11. & c.16.v.14. & c.18. v.16. & c.19.v.5.*

14. *Patientia vitam dat animæ: quæ à spe in Deum gignitur & confert post tribulationem consolationem.*

Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me. Ecce quali spe fuit imbutus vir justus: nempe, positus in medio tribulationis, sperabat vivificari à Deo, fortificari, & vivificari à patientia: ut vides, quod qui ambulat in medio tribulationis; & crucem patientiæ, & pœnitentiæ cum Christo bajulat, & tali mortificatione vitam gratiæ, & consolationis recipere securus est. *Psalm. 118. c.4. v.2. & c.6.v.13. & c.10.v.5. & 15.*

15. Vindicta

15. *Vindicta inimicorum Deo est remittenda, & ab ipso misericordia, & perseverantia exoptanda: sic dicebat Propheta.*

Dominus retribuet pro me: scilicet pœnam inimicis: Domine misericordia tua in sæculum, ad quam ego semper respiciam: opera manuum tuarum ne despicias, tribuendo mihi assistentiam gratiæ tuæ. *Psalm. 118. cap. 3. vers. 12. & cap. 5. vers. 9.*

16. *Beata Virgo Maria audiens verba servorum suorum eos excitat ad laudes suas.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Confitebor tibi Domine.* Hoc & dicamus B Virgini Mariæ; quia enim audit libenter verba oris nostri; & clementiam Jesu Christi nobis participat: & ideò confiteamur ipsi; & laudem ei tribuamus in conspectu Angelorum. Audi igitur Virgo Maria verba mea, & preces meas: in quacumque die invocavero te, exaudi me, & multiplica virtutem in anima mea, & in conspectu Angelorum cantabo tibi laudes: Confiteantur tibi omnes tribus, & linguæ, quia per te salus restituta est nobis: ab omni perturbatione libera servos tuos, & fac eos vivere sub pace, & protectione tua. *Opuscul. Psalt. Beat. Virg. Psal. 137.*

17. *Quia B Virgo super omnes humillima fuit; ideò respexit eam Deus; & amabilem reddidit Deo, & hominibus.*

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit & alta à longe cognoscit Ecce quàm verum est, quod dicitur hic: hoc experta est B. Virgo Maria, quæ super omnes creaturas humillima fuit; ideò eam respexit Dominus, & amabilem reddidit sibi, & hominibus. *In Lucam c. 1. v. 48.*

PSALMUS CXXXVIII.

Titulus: In finem Psalmus David.

1. NOTA, quod iste Psalmus est obscurissimus, & plenus mysteriis maximis; in quo Christus modò loquitur ut sponsus, modò Ecclesia ut sponsa, cum sint una caro: cujus titulus est in finem: scilicet, nos dirigit in finem Christum, qui ut caput, & in nomine Ecclesiæ loquitur.

2. *Deus tribulationibus probat homines; & per eas à tenebris peccati, & captivitate reducit ad se.*

Domine probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Nota, quod hæc primò dicuntur à Christo: Domine Pater probasti me per passionem, & fecisti me cognosci, meamque passionem, & resurrectionem: mysticè hæc dicuntur ab homine, qui cum prius esset involutus in tenebris peccati, ut filius prodigus, postea per tribulationes probatus, ad cognitionem veritatis divinæ, & ad resurrectionem à peccato deductus est; & inde ad susceptionem gratiæ, & corporis Christi; ad quam prærequiritur, & contritio, & probatio. *Psal. 3.*

3. *Nihil Deo est occultum, sed omnia nuda, & aperta;* unde benè dicit vir justus.

Tu cognovisti sessionem meam: intellexisti cogitationes meas de longe. Quod & nos debet excitare ad humilitatem, & subjectionem Deo. *Sup. c. 19.*

4. *Notantur hic promissiones factæ à Deo de adventu Christi, & impletio promissionum.*

Ecce Domine tu cognovisti (idest cognosci fecisti *omnia novissima, & antiqua.* Quæ sunt ista novissima, & antiqua sunt promissiones factæ de adventu Christi: novissima sunt impletiones promissionum: hinc est, quod Missa de Nativitate, quæ incipit: *Lux fulgebit hodie*; una vice dicitur, nec repetitur in Ecclesia, sicut alia, quæ incipit: *Puer natus est nobis*: quia jam promissiones veteres adimpletæ sunt. & ideò reliquodæ, & adimpletio repetenda. *Psalm. 138.* *Ritus Ecclesiastici.*

5. *Sapientia divinæ profunditas inscrutabilis in cognoscendo, manifestat magnificentiam Domini, & nos excitat ad humilitatem.*

Et tu Domine cognovisti omnia novissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam: mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. In his verbis magnificatur profunditas sapientiæ divinæ inscrutabilis in cognoscendo: quasi dicat: pro certo tu Domine habes perfectam scientiam, & non potes falli in cognoscendo, eò quod cognovisti omnia novissima respectu futurorum, & antiqua, scilicet præterita; cujus dictamine formasti me, ut essem quantùm ad corpus, & spiritum: posuisti super me manum tuam, in confortando, ne redirem ad nihilum: quia nisi Deus manu teneret res in esse, cuncta in nihilum redirent: & quia ista multiformitas sapientiæ non est curiosè scrutanda; ideò addit: *mirabilis facta est scientia tua ex me, & non potero ad eam. fer. 2. Dom. 20. post Pentecost. & fer. 8. sexuem.*

6. *Deus multipliciter ponit manum suam super nos.*

Posuisti super me manum tuam. Quid est ponere manum Dei super nos? Nota, quod ponit manum suam aliquando super nos, puniendo; aliquando protegendo, & confortando, ut hic, aliquando benedicendo. *Psal 80 & 138.*

7. *Maximum beneficium à Deo nobis collatum, ostensio fuit incarnationis.*

Posuisti super me manum tuam. Quam manum? & quando? Nota, quod Moysi dixit Deus: *non poteris videre faciem meam; sed ponam te in foramine petræ & protegam te dextera mea, donec transeam: tollamque manum meam, & cum transiero videbis posteriora mea Exod. 33.* quasi dicat: non videbis divinitatem meam, sed cum transiero, scilicet ad passionem, & resurrectionem, videbis humanitatem meam: sic Judæis multis

 accidit,

accidit, qui solum cognoverunt Christum post resurrectionem. tunc extendit manum suam, ostenditque nobis adventum Christi, ejus Incarnationem, & rationes talis Incarnationis, scilicet, quæ fuerunt benignitas invitans, misericordia trahens, veritas promissionis compellens, & puritas uteri virginalis suscipiens, & nunc integritas eduxit: obedientia deduxit, patientia armavit; charitas verbis, & miraculis manifestavit: ô quàm potens est manus, quam super nos posuit, emittens filium Dei, & ipsum nobis detegens. *Psal* 138.

8. *Christus secundum humanam naturam non potest comprehendere perfectè Deum.*

Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eum. Nota hæc dicta esse à Christo, cujus scientia est mirabilis in omnibus super omnes; sed tamen secundùm humanam naturam non potest terminativè comprehendere Deum, quia est incomprehensibilis, solùm à seipso comprehensibilis: unde scientia in Christo, cum sit creata, licet in numero scitorum æquiparetur à Deo non tamen in dignitate, & sublimitate perfectionis. *Psalm.* 138. *& Opusc. Brevilo. proœm. & l. 2. d. 14. a. 1. q. 2 in fine.*

9. *Potentiæ, & præsentiæ Dei immensitas expenditur.*

Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam! si ascendero. Vide, quod hic prædicatur immensitas præsentiæ divinæ; habet enim manus longissimas, se ad omnia loca extendentes, non localiter, sed præsentialiter, & omnia continentes, & ideò patienter omnia debemus adversa tolerare, cum non possimus aufugere, & humiliter ipsi nosipsos subjicere. *in sap. c. 7. & c. 15. & c. 16. & Op. de profect. Religios. l. 2. c. 6. in Lucam. c. 3. v. 7. & cap. 8. v. 34. & l. 1. d. 37. p. 1. q 1. & Op comp. Theol. l. 1. c. 17. & Op. de invisibilitate Dei.* Igitur Deus est in creaturis mirabilis in hominibus amabilis, in Angelis desiderabilis, in seipso comprehensibilis: in reprobis intolerabilis, in damnatis ut terror, & horror. *Opusc. Comp. Theol. l. 1. c. 17.*

10. *Ad scalam humilitatis efformandam invitat nos cognitio immensitatis Dei.*

Si ascendero in Cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades. Cur proponit ante oculos suos vir justus primò Cœlum, postea infernum in consideratione divinæ immensitatis? cur non proponit unico verbo, ubiquitaẽ Dei? Nota, quod hoc facit ad excitandum se ad actus humilitatis, & ut cognosceret, quod hæc est scala, cujus imum est infernus, & supremum est Cœlum: sic enim verus humilis se vilificat sub omnibus creaturis sub Dei immensitate, unde scala efformatur hoc pacto, cujus imum est profundum, & sublime est Dei immensitas. *Op. Diat. salut. tit. 7. c. 1.*

11. *Christus extendit se in Crucem, ut se extendent ad quatuor partes universi ostenderet, quod manus, & potestas ejus ad omnes partes se extendit.*

Si ascendero in Cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Nota, quod in his verbis (*ait Nissenus*) efformat Propheta Crucem, cujus lignum est à Cœlo ad infernum, cujus brachia sunt ab Oriente in Occidentem; sic enim Christus ad quatuor partes universi se extendit in Cruce, ut videas, quod manus, & potestas ejus ubique se extendit, nec ullus potest eam effugere. *S. Ioan. Chrys. & S. Bonav. loco supracitat. & in Ioan collat.* 83.

12. *Deus bonis ipsum timentibus manum tenet ad surgendum, ad deducendum, & ad sumendum in gloria.*

Etenim illuc manus tua deducet, & tenebit me dextera tua: tenuisti manum. Ecce, quod Dominus manus suas extendit ad nos: sinistram per timorem, dexteram per amorem; tenet inquam ad surgendum à peccato, ad deducendum in gratia, & ad tenendum, suscipiendumque in gloria: teneamus & nos ipsum timendo, & amando, eique serviendo. *ser. 3. Dom. 23. post Pent. Ps.* 118. *c. 4. v. 5.*

13. *Exercitium præsentiæ Dei illuminationes mirabiles confert animæ.*

Quia nox sicut dies illuminabitur, & sicut tenebræ ejus, ita & lumen. Quomodo, & quando nox sicut dies illuminata fuit? & quando tenebræ fuerunt sicut lumen, cum opponantur simul privativè? Sed nota, quod vir justus sibi præfixerat exercitium divinæ præsentiæ, dicens; *si ascendero in Cœlum, tu illic es*: Hinc ut patefierent effectus talis divini exercitij, dicit, quod tali animæ tenebræ non sunt obscuræ, sed lucidæ; nempe quia efficitur anima agilis ad ascensum ad Deum, & simul edocta quadam ignorantia dum rapitur supra seipsam in caliginem, & excessum, ut possit dicere, & nox illuminatio mea in deliciis meis, quam deliciosam, & nocturnam illuminationem, nemo novit, nisi qui probat, nemo autẽ probat nisi per gratiam divinitus datam, quæ soli datur, qui se exercet ad illam: ô beata nox, quæ est illuminatio cœlestis per quam cor purum absorbetur à divina claritate. *Op. Brevil p 5. c. 6. op. stim. div. am. p. 1. c. 2. & p. 2. c. 4. & in Lucam c. 2. v. 8.* Vide igitur quomodo præsentiæ Dei exercitium illustrat obscura, & perficit, & stabilit animam in luce superna.

14. *Mors Iustorum in luce terminatur.*

Et nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies. Nota, hæc dicuntur à Propheta in persona justorum morientium, quæ est tenebrosa nox, quasi diceret: ego non timeo mortem, nec angustiam mortis, & licet illud tempus sit veluti nox, tamen sicut dies illuminabitur à Deo, eritque mihi illuminatio in deliciis meis! ô felix, & pretiosa mors justorum. *in Lucam c 23. v. 54.*

15. In

15. *In via illuminativa nox sicut dies illuminatur, & quomodò.*

Nox sicut dies illuminabitur. Quomodò, & quando hæc erunt? Nota, quod hic loquitur de exercitio divinæ præsentiæ, ut dictum est supra, & quia triplex est via, scilicet purgativa, illuminativa, & unitiva: dat intelligere, quod in via illuminativa, in qua tamen purgativa non deficitur, anima conscendit ad talem statum eminentem, in quo quotiescunque vult, sine aliqua cognitione prævia afficitur à Deo tali illuminatione, & cognitione, quod eam percipiens experimentaliter, solo Deo interius docente, ea stupente, non potest lingua mortali exprimi: unde dicere potest: *& nox illuminatio mea. op. mystic. Theolo. prolog.*

16. *In viâ unitivâ nox animæ per eam incedentis, sicut dies illuminatur in delictis.*

Et nox illuminatio mea in deliciis. Nota, quod hoc percipitur ab anima ascendente ad Deum per viam unitivam; in qua nox, scilicet obscurus cortex Scripturæ Sacræ exterior, & omnis sensibilis creatura, per quam anima, ascendens in Deum, ad delicias unitivi amoris pervenit, & in eis conquiescit. *Op. myst. Theol. c. 1. p. 1.*

17. *Cognitio simplicis intelligentiæ penetrat ad omnia.*

Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. Si hoc, ergo cognitio Dei est infinita, nec aliquid ei potest latere, quia est summa, & prima veritas, cui nihil potest occultari, nec tenebræ obscurantur ab ipsa. *l. 1. d. 39. art. 1. qu. 2. corp.*

18. *Oculus corporalis habet dies, & noctes obscurissimas: oculus spiritualis, habet dies, & etiam noctes, sed lucidiores die corporali.*

Nox sicut dies illuminabitur. Et quando hæc erunt? ergone mutabitur ordo à Deo in principio Mundi constitutus diei, & noctis? minimè quoad visum corporeum, qui habet dies, & noctes veras, semper ad finem decurrentes: sed oculi animæ habent quidem diem, scilicet contemplationis; & licet talis contemplatio faciat noctem tali animæ, dum sol æternus irradians animam, omnes species creatas sua claritate occultat; sed tamen hanc noctem in diem convertit, dum radiosas veritates menti ostendit: hincque fit pluries, quod quando nox est corpori, dies est menti; & quando est dies corpori, nox fit menti; quia quando sensus exteriores vigilant, interiores dormiunt; ô quam felix nox est ista animæ contemplanti. *Op. de dono timor. c. 3.*

19. *Quando nox animæ illuminatur tunc debet offerri sacrificium Deo.*

Et nox illuminatio mea in deliciis meis, & nox sicut dies illuminabitur. Vide ad qualem perfectionem deducitur anima contemplativa: unde quando hanc illuminationem recipit à Deo sole æterno, tunc potest rectè sacrificium offerre Deo: in hujusque signum celebratur dies purificationis Mariæ, qui dicitur dies illuminativus, in quo sacrificium perfectum oblatum est, quia sicut ibi concurrit Ioseph, Maria, & Iesus Puer; sic virilis constantia, virginalis continentia, & humilis conscientia ad verum sacrificium debent concurrere. *Psal. 138.* *Purificationis B. Virginis mysterium.*

20. *Sicut ex utero Virginis Mariæ susceptus est Christus; sic spiritualiter in anima.*

Suscepisti me de utero Matris meæ. Nota, quod hæc ad litteram intelligi possunt, ut infra dicetur agendo de B. Virgine sic & spiritualiter; nam sicut primò conceptus est in ventre: secundò natus; tertiò nutritus: sic per contritionem concipitur spiritualiter, tunc enim primò incipit interesse veritas: nascitur per confessionem de virgine, scilicet de cordis puritate, & nutritur studio perseverantiæ, & sic proficit in sapientia scilicet in amore, & cognitione veritatis. *Psal. 138.*

21. *Sacramenta divinitatis nobis incomprehensibilia sunt; & ob id in actum reverentiæ, & laudis divinæ nos debent excitare;* unde dicit Propheta.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis. Quasi dicat: quia meæ infirmitati sunt incomprehensibilia opera tua, simulque mirabilia, ideò ea non valens penetrare: reverentiam tuæ majestati exhibebo, simulque ore, laudabo magnitudinem tuam. *In Lucam cap. 4. vers. 56. & cap. 24. vers. 12.*

22. Confessionem Deo debemus, & cum pavore ab ipso remissionem expectare. In quo sensu ait Propheta. *Confitebor tibi:* hoc est quod tibi debeo; & quia terribiliter magnificatus es, ideò à tanta majestate humiliter confessione cum timore expectabo remissionem mearum culparum. *Psal. 138.*

23. *Ossa Ecclesiæ sunt sancti.*

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ. Quodnam est hoc os, si plura sunt ossa in corpore? Nota, quod hæc sunt verba Ecclesiæ, cujus ossa sunt sancti ob fortitudinem suam, in superando tentationes, & in perseverando in Dei servitio: quæ fortitudo abscondita est hominibus, sed Deo nota. *Psal. 138.*

24. *Liberum arbitrium hominis per gratiam Dei fortificatur ut os durum.*

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in abscondito, & substantia mea. Nota, quod etiam potest dici liberum arbitrium os animæ, quod fortissimum factum est in primo homine, sed quia post peccatum, substantia nostra infirmata est, & hinc debilitatum est; sed in passione Christi fortificatum. *Psal. 138.*

25. *Liber alius est Dei, alius hominis.*

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur; dies formabuntur, & nemo in eis Quid est hoc imperfectum, de quo hic loquitur? & cur transit ad librum Dei, in quo omnes scribentur? Nota, quod hic alludit ad duos libros, scilicet ad librum nostrum, qui est liber conscientiæ; & ad librum Dei, in quo omnes scribuntur, & omnia: sciebat autem, quod secundùm qualitatem scripturæ libri divini judicabit; & si liber conscientiæ non erit rectè scriptus, vel non concordabit talis liber, in quo scriptæ sunt leges æternæ, cum operibus, cum omnia sint nota Deo, ipse judicabit hominem ad pœnam, vel ad gloriam, si erit bene scriptus. *serm. 12. Hexaem. in Lucam c. 10. v. 20. & cap. 13. v. 25. & c. 2. v. 2.*

26. *Nemo sine peccato est: Et cur Deus permittit aliquando electos peccare.*

Dies formabuntur, & nemo in eis Nota, quod per dies intelliguntur Apostoli, qui formati sunt, ut lucerent in Ecclesia, sed tamen nemo ex eis fuit immunis à culpa: permisit aut Petrum peccare, ut fortior surgeret, ut infirmitatem suam nosceret, ut præsumptionem ab eo removeret; & ut subditis compassionem haberet. *Psal. 138.*

27. *Apostoli super omnes honorati sunt à Deo, & honorandi à nobis.*

Nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Nota, quod hæc præcipue dicuntur de Apostolis; quia cum super omnes honoraverint Dominum; dignum est, ut à nobis honorentur; dicitur autem, quod nimis, id est valde honorati sunt, scilicet à Christo, tum vocando eos in propria persona, tum eligendo eos inter alios, tum potestatem miraculorum eis tribuendo: tum familiaritatem cum eis habendo; tum in propria persona eos docendo; tum secreta sua eis manifestando; tum potestatem eis judiciariam, & principatum Ecclesiæ eis tribuendo, ideò digni sunt ut ab omnibus honorentur. *fer. 1. de SS. Phil. & Iacob. & in Lucam. c. 6. v. 13. & c. 14. v. 10. & sap. c. 5.*

28. *Divina amicitia quomodo acquiratur, & ad quam altitudinem sublevet animam.*

Nimis honorati sunt amici tui Deus. Vide qualiter amicitia Dei ad honores sublimes elevet animam: hæc autem acquiritur per puritatem innocentiæ, per afflictionem veræ pœnitentiæ, per amorem obedientiæ, per donum patientiæ, per donum munificentiæ, sive misericordiæ: per hæc enim fiunt Christo conformes, & ideò meritò ad sublimitatem præmij elevantur à Deo. *sermon. 1. de SS. Philip. & Iacob. & in Lucam c. 14. vers. 10.*

29. *Quomodo Deus dicatur numerare res: & præcipuè suos.*

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Nota, quòd Deus dicitur dinumerare multiplicitèr res: nempe vel cognoscere finem rerum, vel terminate, vel approbare, vel reprobare, vel conservare, vel resurgere, suos igitur dinumeravit Christus super Judæos, qui dicuntur arena tum propter sterilitatem, tum propter amaritudinem operum. *Psalm. 138. in sap. c. 15.*

30. *Deus quomodò dicitur occidere.*

Si occideris Deus peccatores. Nota, quod dicitur occidere multipliciter, scilicet, vel reprobando, vel separando animam à corpore, vel convertendo ad pœnitentiam, vel damnando. *Psal. 138.*

31. *Declinandi sunt, & fugiendi mali homines ab eo, qui vult evitare supplicium.*

Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate a me. Quasi dicat: si Deus occidit, & punit, & reprobat, & damnat peccatores, fugite à me, ne puniar vobiscum. *Psalm. 118. c. 8. v. 3.*

32. *Malorum societas vitanda, tanquam excommunicatorum.*

Viri sanguinum declinate à me. Cur? scilicet tamquam excommunicati: malorum enim societas vitanda, sicut fit in excommunicatis; tum & propter propriam infirmitatem, ne in eadem peccata cadant justi: Nota tamen, quod hæc regula non currit in prædicatoribus, qui cum malis debent conversare, ut in eis semen verbi Dei jaciant, & fructum pœnitentiæ producere faciant. *Psal. 138.*

33. *Viri perfecti odium habent ad peccatum, non ad naturam Peccatoris.*

Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Ergone licet odisse peccatores? nonne præcipit Christus diligere inimicos vestros? sed nota, quod dicit se odisse odientes Deum, nempè ejus odium terminabat ad peccatum, non ad naturam hominis; ut homo enim quilibet ex charitate est diligendus, sed ut malus odiendus: perfectum autem odium est, ut nec propter vitia homines oderis, nec propter hominis vitia diligas, & tale odium non est ex crudelitate, sed ex charitate. Et hinc Concionatores ob hoc odium peccati debent trahere retia prædicationis, ut ad se attrahant homines, & absorbeant vitia in mari pœnitentiæ. *l. 3. d. 28. a. 1. qu. 3. ad 1. & in Psal. 138. & Psal. 118 c. 9. v. 11. & op. de sex alis Seraph. c. 3. in Lucam c. 14. v. 26. & opusc. meditat. vita Christi c. 56.*

34. Perfectum odium est effectus charitatis, exigit autem cognitionem veritatis, amorem virtutis, & odium iniquitatis: è contra odium, quod terminat ad naturam est malignum, & imperfectum. *Psalm. 138. & in Lucam c. 14. v. 26. in Ioan. c. 15. v. 21. & in Ecclesi. c. 3.* Hinc Propheta dicit: *perfecto odio oderam illos.*

35. *Anima pœnitens se exponit examini Dei, & in viam salutis petit deduci.*

Proba me Deus, & scito cor meum; & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna. Vide

Vide, quod anima gemebunda seipsam exponit examini Dei, & totam vitam suam; petitque à Deo, ut à via iniquitatis ad Christum, qui est via salutis deducatur; & introducatur ad secretum cubiculum mansionis æternæ, ut ibi secure gaudeat, quia in hac solâ viâ invenitur vera securitas. *op. de sept. itin. æternit. d. 7. in fine. & Psal. 138. c. 7. v. 8.*

36. *Maria Virgo videt in speculo æterno omnes vias, & actiones nostras, ideò ad ipsam est confugiendum.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Domine probasti me, & cognovisti me.* Notã, quod si Dei oculis omnia sunt pervia, & bona, & mala: hanc prærogativam concessit Deus B. Virgini, cui datum est videre in speculo æterno omnia, quæ fiunt bona, & mala, hoc enim spectat ad complementum suæ gloriæ, ut docent Theologi, cum sit universalis Advocata hominum: Hinc hoc scientes ad ipsam recurrere debemus, ne propter iniquitates nostras, nos derelinquat; sed ne cesset orare pro nobis, & in nos transfundere affluentiam suæ charitatis: dicamus igitur: Domina probasti me, & cognovisti me, ruinam, & transgressionem meam: copiosa facta est super me misericordia tua, & dilatata super me clementia: imperfectum meum aspexit oculus tuus, & palpebræ tuæ noverunt vias meas: affluentiam desiderij sancti habeamus à Spiritu Sancto, & macula peccati non turpet conscientiam nostram, serenet corda nostra lux misericordiæ tuæ, & recreet nos tuæ pacis dulcedo. *Op. Psalt. B Virg. Psalm. 138.*

37. *Maria immensitas misericordia, & assistentia per totum orbem terrarum se extendit.*

Quo ibo à spiritu tuo? Si ascendero in Cœlum tu illic es. Nota quod ad litteram hæc dicuntur de Dei immensitate, quia ubique est per essentiam. De Maria pariter dicuntur, quæ licet per essentiam non sit ubique, ut Deus, est tamen per assistentiam, intercessionem, custodiam, & charitatem: nam longitudo misericordiæ Mariæ extenditur usque ad novissimum diem invocantibus eam, latitudo ejus replet orbem terrarum sublimitas ejus supernæ civitatis invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem. *Op. specul. B. V. lec. 5. & Op. Psalt. B. V. Psal. 8, & 86.*

38. *Maria Virgo ductrix nostra in viam salutis.*

Etenim illuc manus tua deducet me in viam rectam. Hoc verificatur vere de Maria Virgine, quæ manu, & luce charitatis suæ nos ducit in viam rectam: est enim nostra ductrix in hac via tenebrosa ad patriam. *Op. Psalt. B Virg. Psal. 24. & op. Psal. min. quinq. a.*

39. *Maria stella Maris illuminans noctem, & tenebras vita nostra.*

Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea est, quia tenebræ non obscurabuntur à te; & nox sicut dies illuminabitur. Ecce quid est, quod tenebras vitæ nostræ illuminat: scilicet lux magna, quæ de cœlo est: Hæc est Maria verè stella maris, hæc illuminat noctes, & tenebras nostras. Quid igitur retribuam ô Domina, quæ nobis in tempestatibus, & tenebris hujus mar..., & noctis positis dedisti lucem tam irradiantem? ô certe beata nox, & felix tenebra, & gloriosa ca.. igo, quæ tali stella meruit irradiari, certe hæc nox illuminatio mea in deliciis meis. O gloriosa Virgo, si es stella maris, semper volo esse in hoc mari, ut sis semper stella mea, semper in mari sim perfectæ amaritudinis de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo, intimè compatiendo proximorum miseriis, & vitiis condolendo; semper volo esse in hoc triplici pelago, ut habeam hujus stellæ ducatum *Op. stim. div. amor. p. 3. c. 16. & op. specul. B. Virg. lec. 3.*

40. *Maria illuminavit noctem hujus sæculi, emittendo radium æternum, Iesumque pariendo.*

Et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quænam sunt istæ deliciæ, quæ comitantur hanc illuminationem? Nota, quod Maria est stella illuminans Mundum, quando emisit radium æternum pariendo filium: ergo quisque potest dicere: & nox illuminatio mea in deliciis meis, scilicet conjuncta cum fonte deliciarum Christo Jesu incarnato. *Op. spec. B Virg. lec. 3.*

41. *Maria ducit nos per tenebras hujus vita ad portum salutis.*

Et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quasi dicat: ecce dum inter tempestates, & tenebras, & miserias hujus vitæ navigabam mare hujus Mundi apparuit stella maris Maria, illuminans tenebras, easque in clarissimam lucem convertens; simulque dirigens me ad patriam cœlestem per gratiam filij sui: Hæc est, quæ tres magos duxit ad Christum; hæc est, quæ omnes alios ad gratiam, & gloriam conducit. Ne igitur avertas ô homo oculos tuos à fulgore hujus stellæ, quæ in tenebris hujus vitæ est valde necessaria. *op. specul. B Virg. lec. 3.*

42. *Dies purificationis Mariæ fuit dies illuminationis Mundi facta per oblationem factam à Maria.*

Et nox sicut dies illuminabitur. Et quando accidit hoc? in die purificationis Mariæ: tunc incœpit clarescere dies, & lux divina; quia concurrerunt ad illam oblationem Joseph, Maria, & Puer; scilicet virilis constantia, puritas, & humilitas Mariæ, ut nos invitaret ad similem oblationem. *Psal. 138.*

43. *Pater suscepit oblationem Christi ex utero Matris Mariæ.*

Suscepisti me ex utero matris meæ. Cur ex utero, & non potius ex cruce dicit Christus, quod Pater eum suscepit? quia ad oblationem ab ipso Christo factam de seipso Patri in redemptionem Mundi voluit, ut concurreret partus, & oblatio Mariæ; voluit, inquam, ut Maria generando filium, & offerendo ipsum etiam in cruce expositum, ipsa esset corredemptrix cum ipso humani generis. *Psal. 138.*

44. *In utero B. Virginis præparatus est panis Eucharistiæ.*

Suscepisti me de utero matris meæ. Quid est suscepisti me? suscepisti in oblationem, scilicet in Eucharistia: sed qualem proportionem habet uterus Mariæ cum institutione Eucharistiæ? Nota, quod in utero B. Virginis tamquam in clibano purissimo compactus est panis iste, scilicet corpus Domini Jesu-Christi, & sanguinis, scilicet lac Mariæ præparatus igneque Spiritus sancti coctus, & esibilis redditus; ergo ministerio Mariæ habemus panem vitæ. *Psal.* 138. Nota etiam, quod potest dici, quod iste panis fuit formatus, & compactus in utero B. Virginis, veluti in clibano, sed postea in sartagine passionis, & in craticula, scilicet in ara S. Crucis coctus, & depuratus est. *Psal.* 138.



PSALMUS CXXXIX.

Titulus: In finem Psalmus David.

1. PRIMÒ nota, quod in hoc Psalmo Ecclesia, quæ est corpus Christi, significatum in David, loquitur, & orat ad Deum, ut liberetur à malis, in quibus est involuta. *Psalm.* 139.

2. *Velle liberari à malis est debitum; velle, & posse est felicissimum; nolle, & posse est impium.*

Eripe me ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Nota: hæc orat Ecclesia, & vir fidelis se videns in hoc mundo in societate tot malorum, & impiorum; & licet velle liberari, & non posse sit miserum, tamen ab hoc incipere debet nostra conversio; quia nolle, & posse est impium: in patria verò erit velle, & posse. *Psal.* 139.

3. *Tentatio multiplex à diabolo oboritur.*

Eripe me ab homine malo, à viro iniquo eripe me, qui cogitaverunt. Nota, quod hic innuitur multiplex tentatio à diabolo commota, vel per se, vel per homines suos ministros: tentat enim aliquando ut avis, nempè cum subito volet, & mentem ante deliberationem præoccupat: aliquando ut Leo, cum virtutem nostræ possibilitatis excedit: quandoque ut homo, cum per astutiam fallere nititur: prima est subita: secunda violenta: tertia fraudulenta: & hinc est, quod petit liberari ab homine malo, cum ista tertia sit periculosior. *Psal.* 139. Nota etiam, quod subdit: *qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia, acuerunt ut gladium linguas suas.* Quia callidus hostis perfectos tentat immittendo cogitationes malas, imperfectos susurrando, & clamando; unde à parvis, & minimis incipit, ut ad maxima mala perducat. *Psalm.* 139.

4. *Triplex prælium excitatur à diabolo contra nos.*

Tota die constituebant prælia. Scilicet triplex bellum: de gula, de avaritia & de superbia, contra quæ est abstinentia, liberalitas, & humilitas. *Psal.* 139

5. *Deus sanat suos linguâ canum: diabolus vulnerat lingua serpentum.*

Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum. Vide de quo conqueritur Ecclesia, nempe de iniquis, qui veluti serpentes acuunt linguam suam, veluti gladium acutum, quia diabolus vulnerat homines. E contra Deus sanat per linguam canum, scilicet prædicatorum, & doctorum, invitatque ad osculum reconciliationis paternæ, ad quod tamen non admittitur os serpentinum. *Ser.* 6. *Dom. infra oct. Epiph. & ser.* 3. *Dom.* 2. *post oct. Epiph.*

6. *Bona anima, & corporis qualiter à Deo petenda.*

Custodi me Domine de manu peccatoris. Scilicet diaboli, ad quid petit hanc custodiam? ad hoc ut bona corporis, & animæ non lædantur, sed illæsa conserventur: ad hoc autem requiritur, ut non quærantur temporalia ad voluptatem, ad quam facit superfluitas; virtutes ad ostentationem, ad quam facit impuritas intentionis; & vita æterna ad præsumptionem, ad quam facit elatio mentis: sit ergo oratio pro temporalibus circa solas necessitates restricta, oratio pro virtutibus ab omni impuritate libera: oratio pro vita æterna non præsumens de meritis, sed de Dei misericordia: Hæc est perfecta custodia, quam petit vir justus. *Psalm.* 139.

7. *Diabolus venator animarum.*

Absconderunt superbi laqueos mihi: juxta iter scandalum posuerunt mihi. Ecce quid faciunt dæmones, quorum officium est tendere insidias, & laqueos homini; quod etiam faciunt homines ministri diaboli, & Judæi contra Christum. *Psal.* 79. & 90. Nota autem, quod triplex genus funium tetendit diabolus nobis: primum est quando in parte sensuali motum extendit ad illaqueandum rationalem potentiam: secundum est motus primo primus, & primo secundus, qui non excedit peccatum veniale, sed tamen disponens ad mortale: tertium est consensus deliberatus: sic vita nostra plena est laqueis.

8. *Deus potentia, sapientia & misericordia sua, tamquam alis protegit suos servos.*

Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. Ecce, quod Deus non desit ipsum invocantibus, ut patet in hoc viro justo; nam expertus est, quod Deus sua potentia, sapientia, & bonitate veluti alis obumbravit, & defendit ab æstu tentationum, & ab impetu inimicorum, fovensque ipsum, victoriam ei contulit in die belli. *Psal.* 56. & 139. & *ser.* 3. *Dom. infra oct. Epiph.*

9. *Virtus nominis Jesu sanat nos ab omni infirmitate.*

Domine Deus virtus salutis meæ. Cur appellatur Deus virtus salutis? quia est salvator, & Jesus; & ideò hæc verba ad Jesum-Christum diriguntur, ut indicetur, quod hoc nomen sanat nos ab omni malo. *In Lucam c.* 5. *v.* 17.

10. *Patientia*

10. *Patientia est galea defendens cum capite totum hominem ab ictibus diaboli.*

Obumbrasti caput meum in die belli. Scilicet texisti, & cooperuisti & tegendo defendisti caput in tempore belli: sed qua armatura? Galea patientiæ: hac enim vincuntur hostes, tolerantur adversitates, & victoria obtinetur, ut fecerunt martyres. *Ser. de S. Cæcilia.*

11. *Pugnandum est contra desideria sensualia, & ideò recurrendum est Deo, uti faciebat Propheta dicens.*

Ne tradas me à desiderio meo peccatori. Idest ne permittas me à desideriis sensualitatis vinci, ne tradar in manus diaboli, traditur autem à Deo homo aliquando in potestatem Sathanæ, aliquando in potestatem desideriorum impiorum, aliquando gehennæ: à triplici ergo hac traditione debemus liberationem quærere à Deo.. *Psal.* 139. *&* 118. *c.*8 *v.*9.

12. *Superbia est initium viæ malorum, quod habet initium, sed non finem, cum in circuitu semper eos vertat.*

Caput circuitus eorum labor labiorum ipsorum operiet eos. Nota, quod circuitus potest esse genitivus, & est sensus: caput, scilicet initium viæ illorum malorum est superbia, quæ est caput omnium vitiorum, & in gyrum vertit superbos. *Psal.* 139.

13. Caput malorum est diabolus, qui in circuitu semper vadit quærens quem devoret: unde dicitur, *caput circuitus eorum.* Quia numquam incedit in via recta. *Psal.* 139.

14. *In circuitu impii semper ambulant, numquam quiescentes.*

Caput circuitus eorum. Idest caput est in circuitu semper, numquam quiescens: quia impii semper in labore sunt. quæ ergo requies sperari potest, ubi non est status. *Ecclesi. c.*1. *&* 12.

15. *Non in loquacitate, sed in silentio invenitur rectitudo, pax & tranquillitas.*

Vir linguosus non dirigetur in terra. Sed quisnam dirigetur: silens, non loquax: nam in silentio, non in loquacitate est directio in beatum finem. *Ps.* 139. Ex quibus manifestum fit, quod magna virtus est in custodia linguæ ad possidendam, & conservandam Dei gratiam, & quod maximè religiosi proficere valebunt, si claustrum linguæ custodiant; & è contra facile defluent in malos mores, si in vana verba prorumpant. *Ser. de una S. Virgine & op. regula Novit. c.*7.

16 *Verba sancta mores dirigunt in via salutis: verba vana in ruinam spiritualem anima ducunt.*

Vir linguosus non dirigetur in via, virum injustum mala capient in interitu. Ecce gradus, per quos descenditur ad interitum, nempe loquacitas, & verba vana, istis enim nihil pejus ad destruendos bonos mores, & ad interitum ducendum. E contra verba Dei sunt ignis accendens animam in via recta. *Sermon.* 2. *de S. Laurentio.*

17. *Judicium durissimum faciet Deus de persecutoribus pauperum.*

Cognovi, quia Dominus faciet judicium pauperum. Ecce quid dicit Propheta contra persecutores pauperum: nempè, quia Deus faciet judicium contra ipsos: sed nonne & faciet judicium de cæteris aliis? Sed attende: *in Psal.* 149 *ut faciet in eis judicium conscriptum*, scilicet Deo scribente, & sanctis subscribentibus: ergo durissimum judicium faciet de his miseris. *Psal.* 118. *c.*6. *v.*4.

18. *In Cœlo habitabunt solùm qui justitiam coluerunt in hac vita.*

Veruntamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo Ecce quinam sunt, qui habitabunt in Cœlo in æternum cum Deo: nempè justi: & quinam sunt isti justi? qui justitiam coluerunt in hac vita: hæc enim ordinat hominem ad Deum ad proximum, ad seipsum, qui ergo coluerunt justitiam in opere, quæ docet nemini injuriam facere, omnes diligere, & omnibus benefacere; docet & animam subjicere pœnitentiis, & lamentis, & lachrymis; quibus debentur litteræ quas diabolo dedimus peccando quasi chirographum: docet & rectitudinem habere in voluntate, & nomen Christi confiteri ore: istique habitabunt in Cœlo in æternum cum Deo: ó beata, & fructuosa justitia: beati qui justitiam coluerunt. *Ser.* 1. *in festo omn. sanctor.*

19. *Ad Mariam Virginem orandum, ut nos à laqueis, & fraudibus inimicorum eripiat.*

Eripe me Domine. Ad Deum confugit Propheta, ut eripiat eum à laqueis diaboli: idem & ad Mariam est faciendum: quia ad ipsam spectat nos defendere ab ipsorum fraudibus: ipsa est, quæ constringit vires ejus malignas, & obtundit astutias eorum. Dicamus ergo nos in hoc mari misero inter tot laqueos toto corde Mariæ. Eripe nos Domina ab omni malo, & ab hoste inferni defende nos: contra nos tetendit inimicus arcum suum, & in fraude sua insidiatur nobis: constringe vires ejus malignas, & obtunde potenter astutias ejus: converte iniquitatem ipsius in verticem illius, & in foveam, quam fecit cadat festinanter: nos autem exultemus in servitio tuo, & in tuis laudibus gloriemur. *Opuscul. Psalt. B. Virg. Psal.* 139. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

20. *Beata Virgo Maria custodia silentii conservavit dona sibi à Deo data.*

Vir linguosus non dirigetur in terra. Sed Maria Virgo directa est in terra à Spiritu sancto, ergo nec loquax, nec linguosa fuit, sed perfectissime silentium custodivit; quia legitur in Evangelio tantùm loquuta Angelo nuntianti, Elisabeth prægnanti, & Christo in medio doctorum sedenti, & eidem in nuptiis residenti. *Psalm.* 139.

21. Mariam

ꝛ'. Mariam laudabunt, & laudant in Cœlo omnes juſti, Angeli, & beati; & ideò dicitur. *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo.op. Litan. B. Virg.*



PSALMUS CXL.

Titulus: Pſalmus David.

1. NOTA, quod in hoc Pſalmo Propheta loquitur in Perſona Chriſti, vel membrorum, monens nos clamare ad Deum, ut liberemur à malis.

2. *Multiplex clamor ad Deum fit.*

Domine clamavi ad te exaudi me, intende voci meæ cum clamavero ad te. Nota, quod multiplex clamor ad Deum miſſus legitur in ſacra ſcriptura: nam clamant Angeli in Cœlo ad Deum clamore laudis: clamant peccatores ad Deum peccando, ipſum excitando ad immittendum flagella: clamaverunt filij Iſraël ad Dominum, dum tribularentur; clamavit Moyſes ad Deum clamore orationis, & devotionis; & tali clamore Propheta clamabat ad Deum; invitans ad ſui imitationem ut ad Deum confidenter recurramus oratione, & devotione. *Pſal.* 140.

3. *Quænam oratio dirigatur, & ingrediatur ad Deum, & quænam impeditur.*

Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Nota, quod petit Propheta, ut oratio ejus dirigatur, & intret in conſpectu ſuo, & conſequenter quod non habeat impedimenta ad hunc finem, impedimenta autem ſunt tria, ſcilicet quando oratio eſt timida, timor enim immoderatus impedit ingreſſum orationis, & progreſſum: quando eſt tepida; & ob id licet ingreſſum habeat, non tamen vigorem; & quando eſt temeraria, quia patitur repulſam: contra hæc tria, eſt oratio fidelis, fervens, & humilis: ſicque cœlos penetrabit, nec vacua redire poterit. Nota: addit: *ſicut incenſum:* Quaſi dicat; ſicut incenſi fumus elevatur in altum, ſic & orationem ſuam petit elevari ad Deum; nam thus orationem mittentem odorem bonum ad Deum ſignificat. *ſ.* 48. *&* 118 *c.* 11 *v.* 9. *& ſal* 137 *& op. expoſ. miſſæ c.* 3. *& fer.* 4. *in Epiph. & Pſalm.* 140.

4. Sacrificium in hac vita à ſanctis oblatum dicitur veſpertinum, quia ex ipſo reſultat eis gaudium imperfectum; perfectum autem erit tantum in gloria: unde dicit, *elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Pſal.* 46.

5. *Servi Dei maximam diligentiam debent adhibere ad cuſtodiam oris, & ipſam à Deo in oratione petere principaliter.*

Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiæ. Vide, quod primò petit Propheta à Deo in clamore, & oratione tam ferventer ad Deum immiſſa, nempè cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circumſtantiæ labiis ſuis; ſed nonne natura duo oſtia poſuit linguæ, ſcilicet labiorum, & dentium? quodnam eſt aliud oſtium, quod petendis cuſtodiri? & cor non dicit murum, ſed oſtium? Hoc eſt oſtium continentiæ, ut legit alia littera, ut poſſit aperiri, & claudi, aperiri ad laudes Dei, & confeſſionem peccatorum, & claudi ad verba vana: Hoc enim eſt præcipuum ſtudium ſervorum Dei; cuſtodite os à verbis otioſis, à vaniloquio, à verbis inutilibus, impuris. *Op. de profec. relig. l.* 1. *c.* 31. *& l.* 2 *c.* 11. *&* 37. *& op. comp. Theol. l.* 5. *c.* 34. *& Pſ.* 140.

6. *Oris oſtium debet claudi, & aperiri ſecundùm neceſſitates occurrentes.*

Oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non dicit clauſtrum, vel murum; ut videas, quod aperiendum, & claudendum eſt ſecundum neceſſitates convenientes: debet autem eſſe apertum ad itia, & clauſum ad itia: apertum ad confeſſionem, clauſum ad excuſationem: apertum ad laudem Dei, clauſum ad propriam laudem, apertum ad docendum bonos, clauſum ad docendum obſtinatos; quia non eſt dandum ſanctum canibus. *Pſalm.* 140.

7. *Excuſatio vitioſa in confeſſione diligentiſſimè cavenda.*

Pone Domine cuſtodiam ori meo, ut non declinet cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quænam ſunt iſta verba malitiæ, quæ evitare deſiderat iſte pœnitens? ſunt vanæ excuſationes, quæ à malitioſis fiunt in confeſſione: & hoc vel diminuendo gravitatem peccati, vel confitendo aliqua peccata uni, & alia retinendo, ne videantur multum peccatores: vel potius ſe laudando, quàm accuſando: iſti enim ad laudem potiùs hominum reſpiciunt; quam ad obtinendam veniam peccatorum. *ſer.* 4. *Dom.* 21. *poſt Pentec & ſer.* 2. *Dom.* 11. *poſt Pentec.* Dicit ergo pœnitens toto corde ad Deum: dirige me in veritate, & doce me purè, & perfectè confiteri peccata mea, & ne declinem in verba iſta malitiæ. *ſerm.* 1. *Dom.* 6 *poſt Pentec.*

8. *Qui ore ſe humiliat, corde autem ſuperbit eſt veluti Phariſæus exiens in verba malitia ad excuſandas excuſationes in peccatis.*

Ut ſi dicat ore: ego peccator ſum, in corde tamen ſe non eaſtimans talem: tunc enim vitium palliat ſe ſub pallio virtutis; quia ſuperbus vult videri humilis: & tales ſunt ſimiles illis, qui genuflexi ante Chriſtum, illudebant ei. *in Luc. c.* 14. *verſ.* 18.

9. *Prælati, & Confeſſarij Deum, & proximum diligentes, corripiunt errantes non in furore, ſed in miſericordia.*

Corripiet me juſtus, in miſericordia & increpabit me. Vide quomodò iſte pœnitens deſiderans perfectam confeſſionem ſuorum peccatorum facere, dicit quod correptionem quidem à prælato, & confeſſario recipiet, ſed cum miſericordia; ut inſtruantur Prælati, & Confeſſarij, quod cum ſint cœli influentes in inferiores, non furoris grandinem, ſed imbris dulcedinem ſtillare debent, quando divinam clementiam circa peccatores intuentes, non cum ſeveritatis impetu, ſed blandientis animi affectu mentes corrigunt, & caſtigant. *Op. Eccleſ. Hier. p.* 4 *c.* 34

10. *Alia*

10. *Alia est benedictio Dei, alia Diaboli.*

Corripiet me justus. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quodnam oleum est hoc, quod refugit vir justus? Nota, quod duplex est oleũ, & duplex benedictio: alia est Dei, & sancta, quia benedicuntur pœnitentes correptione piã, ut supra dictum est, & qua consecrantur Deo: aliud est oleum Diaboli, quod est benedictio deceptionis, & adulationis, qua consecrantur peccatores Diabolo, & præparantur igni æterno, qui volunt haberi ut sancti, licet sint impiissimi. *ser.4. Dom. Trinit.*

11. *Christus triumphavit de omnibus potentatibus, & sapientibus Mundi: sic & ipsius sequaces.*

Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt juncti petræ judices eorum. Vult dicere Ecclesia, quod sequendo Christum, licet à principio fuerit vita, & oratio ipsius à Gentilibus, potentibus, & sapientibus contempta, tamen postea ipsis complacita fuit, eo quod juncti fuerunt Christo, qui est petra fundamentalis; judices eorum, scilicet potentes, & sapientes, & ideò Christus triumphavit de inferno, & mundo, & nunc triumphat in Cœlo. *Psal.140.*

12. *Justi in tribulationibus proficiunt: impij ad præcipitium inferni ruunt.*

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, quia ad te Domine, Domine oculi mei, in te speravi, ne auferas animam meam: custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi. Ecce, quod licet justi veluti dissipentur in corpore ab impiis persecutionibus, passionibus, & tormentis, attamen hæc non impediunt quin oculos ad Deum semper elevatos teneant, & in ipsum sperent. E contra impij in tribulationibus non secus infernum, sed ad infernum ruunt, & quia passiones à tribus evenire possunt, scilicet ab ipso homine, à Deo, & à proximo: ab homine sunt pœnitentiæ, & mortificationes corporis, quas debes assumere pro Christo, eique sacrificium tui offerre: à Deo est flagellum correptionis, quod debes suscipere sine murmuratione, sed cum gratiarum actione, à proximo vexationes, quas libenter pro Christo debes sufferre. *Psal.140. & in Lucam c. 9. v.39. & c.19.v.44.* Et nota, quod mali possunt dicere: dissipata sunt ossa nostra secus infernum, quia in hac vita à diabolo dissipantur, & torquentur invidiã, irã, & cæteris vitiis, viuuntque secus infernum, & tandem in infernum detruduntur. *in Lucam c.9.v.39. & c.15.v.13. & c.19.v.44.*

13. *Peccatores cadunt in retiaculo de vitio in vitium: Justi stant, ut postea transeant ad vitam æternam.*

Cadent in retiaculo ejus, singulariter sum ego donec transeam. Ecce comparatio, quam facit Propheta inter peccatores, & justos: nam illi de vitio in vitium præcipitantur: isti singulares sunt, & stantes donec transeant ad Cœlum. Nota etiam, quod hæc verba sunt Christi, quibus se singularem in paupertate profitetur, humilitate, & martyrio: quilibet etiam martyr hæc dicere potest, singulariter ego sum, donec transeam. *Psal.140. & in Thren. c.3.*

14. *Ad Mariam Virginem recurrit pius servulus dicens.*

Domina clamavi ad te exaudi me, intende orationi meæ, & postulationi meæ: dirigatur obsecratio mea veluti incensum coram facie tua, & in tempore serotini sacrificij, & matutini: non declinet cor meum in verbis malignantibus, & nequitiæ cogitatus non subvertant sensum meum: fac me assimire beneplacito cordis, & tuis actionibus conformari; gladio intelligentiæ reverberet cor meum, & igniculo charitatis inflamma mentem meam. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.140.* *Applicatio ad Mariam Virginem.*

PSALMUS CXLI.

Titulus: Intellectus David: Cum esset in spelunca; oratio.

1. NOTA, quod iste Psalmus compositus fuit à David, dum lateret in spelunca, quando quærebatur à Saül, ut ipsum occideret: ejus titulus est oratio, quæ est David, scilicet Christi dum esset in spelunca carnis, vel in membris.

2. *Voce interiori, & exteriori multiplex orationis genus ad Deum funditur.*

Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus &c. effundo &c. Nota, quod dicit, *voce mea*, scilicet vel interiori tantùm, vel etiã exteriori; quia quatuor sunt modi orationum, scilicet obsecratione, oratione, postulatione, & gratiarum actione: primum genus est quando aliquis nõ audet loqui ad Deum: unde recurrit ad sanctos, dicens: S. Petre ora pro me: vel per crucem, & passionem tuam libera me: sic latro bonus expandens manus in cruce obsecravit: sic & Christi extensio in Cruce fuit obsecratio, ut nos moveret ad pœnitentiam: sic illa mulier non audebat tangere fimbriam vestimenti; *Matth.9.* Hæcque obsecratio debet fieri affectu venerando: secundum genus est oratio, quasi oris ratio, quando quis jam audet loqui ad Deum petendo gratias, & hæc fiat affectu puro: tertium genus est postulationis, quando quis confidens de meritis, audet petere præmiũ temporale, vel æternum; & hæc fiat affectu amplo, & lato: quartum genus est gratiarum actio, quando quis exauditur antequam petat, ut in resurrectione Lazari, in qua Christus exauditus est, & tamen non oravit: & hæc fit gratiarum actione: ad hoc genus pauci admittuntur: unde prima tria genera sunt communia omnibus: quartum genus est tantùm perfectorum. *Psal.141.*

3. Perfecta contritio, & tribulatio facit clamare ad Dominum, ut clamabat Propheta, dicens: *Voce mea ad Dominum clamavi, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio. Psal.118. &.10.v.1.*

4. Effundenda est de fonte cordis oratio in conspectu Dei: non verò in conspectu hominum; idest toto corde, & cordis conatu, exemplo Prophetæ, qui dicit: *effundo in conspectu ejus orationem meam. Psal.142.*

5. *Chriſtus effudit pro nobis quinque fontes, & ex ipſis aquas ſalutures, ut nobis, veluti tot obſecrationes, & orationes impetrarent omnia bona.*

Effundo in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio. Nota, quod hæc dicuntur à Chriſto: ſed cur utitur hac metaphora effuſionis, dicens: *effundo*? nonne oratio potius pronunciatur? ſed advertendum, quod hæc dicebat Chriſtus in Cruce, in qua expoſuit quinque fontes ſalutares ſcilicet quinque vulnera & ex ipſis effudit pro nobis orationem ſuam: nam ibi expoſuit fontem miſericordiæ, fontem gratiæ, fontem ſapientiæ, fontem charitatis, & fontem vitæ: à primo emanat aqua remiſſionis ad lavandam culpam; à ſecundo aqua gratiæ ad rigandas bonorum operum plantas aquâ devotionis: à tertio aqua ſapientiæ ad extinguendam ſitim præſentem: à quarto fervens ad excoquendos cibos: à quinto, ſcilicet à latere aqua vitæ, ſcilicet ſacramenta Eccleſiæ: iſtaque ſunt, quæ habent vim orationis pro nobis. *Pſal.* 141.

6. *Diabolus perfectis abſcondit laqueos ſub ſpecie boni.*

In via hac, qua ambulabam abſconderunt laqueum mihi. Cur abſconderunt, & non apertè tenderunt? Nota, quod hic loquitur in perſona perfectorum, quibus diabolus abſcondere ſolet laqueos in via perfectionis; ſed fraudulenter ſub ſpecie boni, ſe transfigurans in Angelum lucis: ſi enim in ſua figura, quæ turpis eſt, appareret, horrerent eum, & fugerent: ſi apertè tentaret reſiſterent ei, & auxilio Dei, ſignoque crucis fugarent eum, & vincerent; & ſic nihil apud eos proficeret: Boni enim quia mundi ſunt, deteſtantur immunda peccata, quia virtuoſi ſunt, viriliter contra omne malum repugnant: venit ergo Sathanas in ſpecie Angeli boni, quem credit à bonis diligi, ut tantò facilius decipiat eos quantò bonus nuncius creditur. Vide autem quali arte tetendit laqueos: primò enim ſola bona proponit, poſtea mixta malis, tandem falſa bona, ſed vera mala. poſtremo cum irretierit eos inſolubiliter, apertè caput venenatum erigit & in aperta peccata eos dejicit; ſicut ſcorpio blandam faciem habet, ſed caudam venenatam, qua occidit: o quanti ſub ſpecie ſpiritualis dilectionis decepti ſunt in converſatione ſpiritualium mulierum ſub ſpecie devotionis; & obtentu orationum! *Op. de profec. relig. l. 2. c. 1.*

7. Chriſtus fuit derelictus ab omnibus notis, & amicis in tempore paſſionis: & ideò bene dicit: *conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Pſal.* 141.

8. *Chriſti virtutes, quas in cruce propalavit non fuerunt agnita.*

Conſiderabam ad dexteram, & non erat qui cognoſceret me. Cur ad dexteram, & non etiam ad ſiniſtram? quia ad dexteram ſunt virtutes, quas mundo propalavit, nec fuerunt agnitæ: inter quas tamen quatuor præcipuè eduxerunt ſecundùm quatuor vulnera, & quatuor brachia crucis, quibus veluti gemmis ſeipſum ornavit: charitas in brachio ſuperiori, à dextris obedientia, à ſiniſtris patientia, in profundo humilitas: & tamen non fuit agnitus ab impiis; imò iſti implèvolebant eum expoliare his gemmis, & veſtibus dum dicebant: *ſi rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce. Pſal.* 111.

9. Chriſtus derelictus eſt auxilio ſuorum amicorum, & conſanguineorum, ut nobis, maximè religioſis exemplum daret deſerere Mundum, & cognatos, & notos, ſi volumus ipſum ſequi ad Crucem unde dicebat: *conſiderabam ad dexteram. in Lucam c. 2. v. 44.*

10. *Alij requirunt animam Chriſti benè, alii malè.*

Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam. Quomodò poterat hoc dicere Chriſtus, cum omnes Judæi ſoliciti eſſent de ejus captione & morte? ſed nota, quod alii requirunt Chriſtum benè, & iſti pauci ſunt: alij malè, ut Iudæi. *In Ioan. c. 8 v. 21. & c. 11. in fine.*

11. *Anima contemplativa toto corde clamat ad Deum, ipſamque ſolùm pro ſua portione vult.*

Clamavi ad te Domine dixi tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium. Nota: hæc dicuntur in perſona animæ contemplativæ, quæ tota in Deum per ſpem fertur in ſolum Deum huncque ſolum in hac, & in alia vita pro ſua portione vult, & deſiderat: & hæc eſt ſecura, & firma electio. *In Lucam c. 10. verſ. 42.*

12. *Portio juſtorum non eſt in hac vitâ, ſed in Cælo: malorum in hac vitâ tantùm.*

Portio mea ſit in terra viventium. Quænam eſt hæc terra? ſed attende, quod triplex portio: alia exterior, alia interior alia ſuperior: prima eſt bonorum fortunæ, quam ſolam eligunt mundani: bonis autem ipſa bene utentibus, eſt bona ſecunda eſt portio gratiæ: tertia gloriæ: has duas ſolum volunt juſti. *Pſal. 118 c. 4 v. 9. & ſer. 4. Dom. ſexag. & in ſap. c. 5.* Chriſtus autem eſt noſtra portio, quia cum ipſo erimus in Paradiſo unde & latroni ait: *hodie mecum eris in Paradiſo*; ſcilicet ego ero tua portio. *Pſal.* 141.

13. *Iuſtorum portio eſt ſolus Deus, & in ipſum dirigunt omnia ſua obſequia.*

Portio mea ſit in terra viventium. Nota, quod hic portio ſumitur pro fine actionum, datque intelligere, quod juſti omnia ſua obſequia in illam cæleſtem beatitudinem, & in Deum dirigunt; nec eis locus vel ſtatus, vel tribulatio impedit hanc directionem: ſic Magi in ſtabulo munera Chriſto offerunt: Centurio Deum fatetur ſub Cruce, latro in Cruce. *Pſal.* 141.

14. *Carcer eſt iſte Mundus verè miſerabilis: cum educitur anima, educitur de carcere in terram viventium, vel in ultum carcerem inferni.*

Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant, donec retribuas mihi. Nota quod hæc dicta ſunt à Chriſto, qui à juſtis in limbo expectabatur. Dicuntur & à viris juſtis, quia bene noverunt hunc mundum eſſe cuſtodiam,

diam,& carcerem fœtentem ; & fœtidum in ingressu,in progressu,& in egressu : ab istoque carcere desiderant exire justi,ut postea ad ingressum perveniant,ubi Beati confiteniur perpetuo Dominum;mali verò de isto carcere exeunt & in alium intrant inferni. *ser.4.Dom.4.quadrag. Psal.142. in sap.cap.9.*

15. *Quinam sint justi expectantes nos ad terram viventium.*

Me expectant justi. Nota,quod quatuor genera justorum inveniuntur,scilicet justi apparentes, qui numero,non merito sunt de Ecclesia:justi putativi, & superficiales , qui corpore tenentur cum filiis Israëi,sed mente fornicantur cum filiabus Moab: Iusti exteriores,& cæremoniales , qui se jactant observare præcepta legis, ut Pharisæus: & justi , qui fidem vivam habent,& sunt Deo amabiles , suntque isti soli , de quibus hic dicitur : *me expectant justi. Psal.141.*

16. *Devotus Mariæ,ut ad Mariam clamet dirigitur in hoc Psalmo.*

Voce mea ad Mariam clamavi , ipsamque humiliter deprecatus sum : effudi in conspectu ejus orationem meam, & dolorem meum ipsi exposui: insidiatur hostis calcaneo meo,ostendit contra me rete suum,adjuva me Domina ne corruam coram eo,fac ut cōteratur sub pedibus meis educ de carcere animam meam,ut confiteatur tibi . & psallat Deo forti in perpetuum.*Op.Psalt.B.Virg.Psal.141.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

17. *Panis vitæ est portio justorum ex terra benedicta,scilicet ex Maria productus.*

*Portio mea in terra viventium.*Sed quid ex terra & quænam portio expectare potest homo nisi frumentum,& panem vitæ?Hunc ex Maria Virgine,quæ est terra benedicta,& vivens habemos *Op. Psalt.min.quinq.3.& op.specul.B.Virg. lec.5.*

18. Maria Virgo educit suos servos de carcere hujus Mundi,& inducit in terram viventium:unde confidenter ad ipsam dicere possunt : educ de custodiâ animam meam,& introduc eam in terram viventium.*Op.Psalt.B.Virg.Psal.141.*



PSALMUS CXLII.

Titulus : Psalmus David, quando persequebatur eum filius suus Absalon.

1. PRimò Nota,quod alluditur ad historiam *in 2.reg.c.15.* positam:sed tamen proprie ad significatum verti debet : nam David Christum,& Ecclesiam ejus significat: Absalon verò Iudam , & persecutores , & motus pravos.Psalmus iste est septimus pœnitentialium, qui ideò sunt septem,quia septem sunt vitia capitalia, quibus Deum offendimus in septimana hujus vitæ , quæ per pœnitentiam diluimus eodem numero : in quibus psalmis incipimus à lachrymis , & in gaudio terminamus , ne quis de veniâ desperet ; quia factum est vespere , & mane dies unus,nempe fit transitus à vespere lachrymarum ad mane gaudij,& ob id intentio hujus psalmi est excitare ad pœnitentiam,& orationem,ut per ipsam terminemus ad lætitiam. *Psal.142.*

2. *Pœnitentis oratio perfecta qualis.*

Domine exaudi orationem meam,auribus percipe obsecrationem meam,in veritate tua exaudi me in tua justitia. Cur iste pœnitens sibi ante oculos proponit veritatem,& justitiam Dei , ut exaudiatur , & non potius misericordiam. Hoc fit,ut pateat,quod homo cognoscens se offendisse divinam majestatem , timens veritatem , & justitiam Dei, excitetur ad pœnitentiam , ut fugiat venturam iram , quam Deus minatur peccatoribus. *In Lucam c.13. v.13.& c.21.v.36.* Dicit autem : exaudi me in tua justitia,non mea,non justitia legis , quæ concedit talionem,oculum pro oculo , & pœnam pro peccato : nec justitia hominis , quia non debet in se confidere;sed in justitia Dei, scilicet hominis ad Deum , & Dei ad hominem agentem pœnitentiam.*Psal.142.*

3. *Pœnitens se cognoscens peccasse in Deum, debet se excitare ad timorem judiciorum Dei.*

Et non intres in judicium cum servo tuo,quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quomodò dicitur, quod in conspectu Dei non justificabitur homo ? ergo justificatio erit impossibilis ? minimè:sed volt dicere , quod nullus homo est qui non peccet, & quod cum justificatio à Dei misericordia pure dependeat,nullus homo seipso, & propria virtute potest justificari : & audiens Christum *Luc.c.13.* dicentem:*erunt novissimi , qui erunt primi* ; scilicet propter superbiam, & primi qui erunt novissimi , scilicet ob humilitatem , ut patet in Juda,qui erat Apostolus Christi , & fuit damnatus,& in latrone,qui fuit salvatus, intendit incutere timorem, & humilitatem ex consideratione divinorum judiciorum , ut sanctis operibus continuè insistamus : & hoc tum quia est difficile justificari in conspectu Domini ob difficultatem in merito,tum quia nulla datur excusatio in conspectu Dei, tum quia necesse est tribulari in hac vita ad evitandum supplicium æternum : ideò legatio ad Deum est mittenda sanctæ orationis , ut nobis impetret remissionem peccatorum. *In Lucam c.13.v.30.& c.14.v.12.* Dic ergo,non intres in judicium cum servo tuo, ideò peto non justitiam, sed pietatem,& misericordiam. *Psal.50.& 134.*

4. *Vtilissimum est animæ oranti aliquando Deum veluti secum ob peccata iratum, adspicere;ita ut nec audire,nec attendere dignetur.*

*Et non intres in judicium cum servo tuo , quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*Quid est hoc,quod dicit hæc anima orans ? hæc verba potius videntur animæ desperatæ?Nonne debet anima orans se ad fiduciam excitare in Deum ? sed nota,quod in oratione, quæ est quædam veluti legatio,quæ ad Dei tribunal mittitur ab anima , aliquando valde utile est sibi ipsi præfigere Deum veluti iratum ob peccata commissa,ut ad timorem & pavorem excitetur , præfigendo sibi Deum sic iratum,ut nec velit audire,nec attendere,nec misericordiam impertiri,sed toto rigore tractare cum anima,quæ Deum offendit ; sed tamen caveat ne

excedenter fe immergat in hoc pavore ; fed poft talem confiderationem ad Deum fe convertat, & ipfum refpiciat pium, & benignum, & dicat fidenter : Non intres in judicium cum fervo tuo. *Op. de prof. religiof. l. 2. c. 67.*

5. *Anima, quæ Deum offendit, indiget confilio, auxilio, & fubfidio; ideò in oratione ad Deum confugiat : ubi de peßimis effectibus peccati mortalis.*

Quia perfecutus eft inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obfcuris ficut mortuos fæculi : anxiatus eft &c. Vide peffimos effectus peccati mortalis, quod folùm, & uncè eft inimicus animæ : nam diaboli perfecutio maxima eft inducere ad peccatum mortale, per ipfum enim humiliat ad terram, & ad terrena animam, & reducit ad profundum mortis : & quia homo in tali ftatu indiget confilio, & directione, auxilio, & fubfidio divino : hinc dicit : *Domine exaudi orationem meam ; quia perfecutus eft inimicus animam meam* ; ideò indigeo confilio tuo ne feducat ; auxilio tuo, quia debiliffimus fum, ad cooperandum, fubfidio tuo, quia fum fragilis ad refiftendum ; nam fi difcernere volumus inter bonum, & malum, decipimur: fi tentamus bonum facere, deficimus, fi conamur malo refiftere, fuperamur. *Pfal 142.*

6. *Chriftus venit nobis porrigere confilium, auxilium, & fubfidium exiftentibus in fepulchris, ficut mortuis fæculi contra miferias peccati.*

Quia perfecutus eft animam meam inimicus. Vide in quales miferias nos induxit peccatum, qui fine confilio, fine auxilio, fine fubfidio fumus. Et quia Deus infinite eft pius ; ideò mifit filium fuum, ut qui eft fapientia Patris, & habitans in hominibus, in homine cum lumine tenebras noftras illuminaret, & nos ignorantes inftrueret per fidem : qui eft Dei virtus ut nos adjuvaret deficientes, nobifcum manens : & qui eft Dei manus, ut eriperet nos periclitantes, protegens noftram fragilitatem. Ad Chriftum igitur noftrum unicum refugium, recurrant peccatores. *Pfalm. 142.*

7. Synagoga mortem tradidit Chrifto, & fepulchro, ut deleretur ejus memoria : unde dicit : *quia perfecutus eft: collocavit me in obfcuris ficut mortuos fæculi.* fcilicet in fepulchro, quafi numquam effet refurrecturus. *In Thren. c. 3.*

8. *In creaturis relucet veftigium Trinitatis.*

In factis manuum tuarum meditabar. Quid eft, quod meditabatur in factis manuum Dei ? ut contéplaretur in his veftigium fanctiffimæ Trinitatis: nempe quia potentiam manifeftat tanta creaturarum immenfitas in multitudine, & magnitudine, per quæ Pater innuitur : fapientiam divinam manifeftat decor in fitu, motu, fpecie, & qualitate, per quæ innuitur Filius : & benignitatem manifeftat utilitas, per quam innuitur Spiritus fanctus. *Pfalm. 142.*

9. *Homo expandens manus in modum crucis ad formam Crucifixi, difponitur ad orationem.*

Expandi manus meas ad te ; velociter exaudi me. Quid eft expandi manus meas ? & ad quam partem ? Hoc in formam crucis, ut cum crucifixo me conformarem, & ut me difponerem ad orationem : & hoc eft, quod diaconus facit cum legit Evangelium, faciens in fronte, in libro, & in pectore Crucem : in fronte, quia non debet erubefcere crucem : in libro, quia debet eam prædicare: in pectore, quia illud quod prædicat, debet fentire, *Pfalm. 142.*

Cur Diaconus facit crucem in fronte, in libro, in pectore, cum canat Evangelium.

10. *Anima fine aqua compunctionis, & devotionis interna eft terra arida non valens producere fructus bonos.*

Anima ficut terra fine aqua tibi : velociter exaudi me. Vide quod anima fine aquâ compunctionis, & lachrymarum eft terra arida, non germen bonorum operum : hocque cognofcens Propheta petit à Domino aquam lachrymabilem compunctionis, & irrigua mentalis devotionis, petit cum inftantia devotæ orationis à Domino, dicens : *velociter exaudi me* : quia defecit fpiritus meus præ ariditate internæ devotionis, & ardore terrenæ affectionis. *Sermon. 1. Domin. fexagef. & ferm. 4. dedicat.*

11. *Vir juftus, & præcipue Sacerdos. & Prædicator debet effe Cœlum expanfum.*

Expandi ad te manus meas: anima ficut terra fine aqua tibi. Cur manus folas extendit, & non etiam cor, & mentem ? expandi manus meas in fignum extenfionis totius corporis, membrorum, & cordis : daturque intelligi, quod jufti, præcipueque Sacerdotes, & Prædicatores debent effe Cœli extenfi per totum, fcilicet manibus, lingua, corde, & mente ; nempè per devotionem ad Deum, per compaffionem ad proximum, doctrina, prædicatione, & fubventione. *Op. Eccle. Hierar. p. 4. c. 5.*

12. *Anima fine aqua gratia Dei eft terra arida ; & ideò petit hanc aquam à Deo, ut fimul cum ipfa fructificet.*

Anima mea ficut terra fine aqua, velociter exaudi me. Nota, quod hæc aqua, quam defiderat vir juftus, ut in terra animæ fuæ infundatur eft gratia Dei, fine qua eft arida, nec poteft aliquid boni fructificare, cum fit terra petrofa : petit autem hanc aquam à Deo, ut fimul cum ipfa fructificet; nam nec voluntas fine aqua gratiæ, nec aqua fine voluntate aliquid producere poteft. *Serm. 4. Dom. fexag.*

13. *Obduratio animæ venit à privatione gratiæ ; ideò hæc à Deo petenda.*

Anima ficut terra fine aqua tibi. Ecce quid eft quod obdurare facit animam : nempè privatio aquæ, fcilicet divinæ gratiæ : & hinc gignitur obduratio cum Deo refpectu devotionis, & cum proximo refpectu compaffionis: petamus igitur à Deo hanc

hanc aquam, ut non fiat seminatio verbi Dei, & bonorum inspiratio super petrosa. *serm. 1. de Evangelist.*

14. *Ad orationem confugiendum ab eo, qui videns subtractam sibi aquam cœlestem, anima ejus arefacta est.*

Anima mea sicut terra sine aqua tibi velociter exaudi me: auditam fac mihi misericordiam tuam. Ecce quale remedium tibi apponitur, ô anima, quæ cares aquâ divinæ gratiæ, quæ vides tibi clausum Cœlum, & subtractum internæ devotionis beneficium? nempè ut confugias ad orationem cum Propheta: dicens: *velociter exaudi me:* oratione enim aufertur impedimentum peccatorum, quæ exsiccare faciunt cor omni devotione. *fer. 4. dedicat. & Psal. 118. c. 10. v. 1.*

15. A Deo petenda est cognitio viæ, per quam est ambulandum ad ipsum Deum: & ideò Vir justus sæpe dicat: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem:* ambulamus enim in morte sine Deo. *Psal. 118. c. 8. v. 12.*

16. *A Deo petenda illuminatio, ne cadat anima in profundum laci per omissionem confessionis.*

Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum: notam fac mihi viam. Nota, quod quatuor sunt, quæ impediunt veram peccatorum confessionem; scilicet magnitudo peccati, existimata excedens misericordiam Dei, superbia, pudor nimius. & delectatio in peccato. Igitur recurrendum est ad Deum, ne anima præcipitet in tali profundo laci, ut fecit Cain, vel Pharisæus, & ne computrescat in stercore peccatorum, & ut dirigatur in via salutis, quæ est recta peccatorum confessio. *Psalm. 145.*

17. *A Dæmonibus quærentibus interitum nostrum, per pœnitentiam liberamur, & orationem.*

Eripe me de inimicis meis Domine: doce me facere voluntatem tuam. Quinam sunt isti inimici, à quibus petit liberari vir justus? isti sunt dæmones, qui animam nostram impugnant quotidie, & continuè, ut ipsam ruere faciant in gehennam; ideò subdit: *doce me facere voluntatem tuam*, in agendo scilicet pœnitentiam, quia per istam vitatur hæc ruina: & hæc obtinetur virtute orationis. *fer. 1. in die Ciner.*

18. *Conformitas voluntatis nostræ ad divinam est majus bonum, quod possit recipere homo.*

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Vide, quod Propheta ordinat omnes suas orationes, & petitiones ad voluntatis divinæ exercitium, conformitatemque suæ voluntatis cum divina & meritò, nam nihil melius, nihil majus, nihil utilius potest nobis conferre etiam summus Pater, quàm tales nos facere, ut ei per omnia placeamus; ex hoc enim sequitur, quod quisque dicere potest: Deus meus es tu: quod Spiritus Dei dirigit animam in terram rectam, & vitam cœlestem; unde continuè petit: *doce me facere voluntatem tuam.* Sed vide quanta sit bonitas Dei in nos: nam nos docuit par Apostolum 1. *Thessal. 4.* quænam sit ejus voluntas, dicens: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*: scilicet, ut à peccatis abstineamus, & sanctificemur, ut in bono exerceamur, ut in utroque confirmemur, & tandem in cœlo glorificemur. *fer. 1. Dom. 2. quadrag. op. de prof. religios. l. 2. c. 61. & Psal. 118 c. 5 v. 4. & c. 8. v. 3.*

19. *Maxima bona inveniuntur in conformitate divinæ voluntatis.*

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Cur prætendit, & petit hoc à Deo? quia sciebat, quod in conformitate voluntatis divinæ stat summa omnium virtutum, & quod nobis plurima, & infinita bona communicantur: Nam facientes voluntatem Dei, à Patre exaudiuntur in necessitate: *Si quis voluntatem Dei facit, hunc Deus exaudit, ait S. Ioan. c. 9.* voluntas autem Dei est, ut Deum timeas, Deum, ac proximum diligas caste, & munde vivas: item isti conjunguntur familiariter Christo, quia appellantur fratres, Matres Dei: à Spiritu Sancto deducuntur in bonitate, unde sequitur: *& spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, scilicet de virtute in virtutem s deducit me ad instar modum Angelos, imò ipsum Christum: illi enim continuè faciunt Dei voluntatem: Et Christus pro nobis fecit voluntatem Patris, ut nos ejus voluntatem faceremus. *serm. 3. Dom. 8. post Pentec.*

20. *Spiritus Sanctus deducit de virtute in virtutem facientes divinam voluntatem.*

Doce me facere voluntatem tuam. Spiritus tuus bonus deducet me. Quo deducet? deducet in via perfectionis de virtute in virtutem usque ad terram viventium, & ad hoc solùm potest perveniri per conformitatem divinæ voluntatis: sic & legitur, qui à Spiritu Sancto fuit deductus in desertum, scilicet in locum perfectionis, & solitudinis. *fer. 10. & 12 in Pentecost. & serm. 2. Dom. 1. quadrag. & op. comp. Theol. l. 1. c. 9. & in sap. c. 10. & in Lucam c. 1. vers. 79.*

21. *Spiritus Sanctus cum Angelis est, qui ducit in Cælum animas, quæ faciunt Dei voluntatem.*

Spiritus tuus bonus deducet. Scilicet Spiritus Sanctus, qui simul cum Angelis ducit in Cœlum facientes ejus voluntatem: ducit autem eas in hac vita, ne cadant, ne titubeant; & deducit in Cœlum ut verificentur. *fer. 1. Dom. post Pentec.*

22. *Alij tribulant corpus, alij animam proximi; suntque scandalosi.*

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam. Sed in quonam potest tribulari anima? quis est, qui possit in animam? mali enim possunt occidere corpus, non animam, ait Christus. Sed attende, quod alij sunt persecutores Corporis; alij animæ; nempè sunt isti qui gratiam Dei conantur tollere à proximo per scandala, & persecutiones malas; & isti sunt pessimi persecutores Christi, & Ecclesiæ; de quibus magis timendum est; quia sunt pejores

crucifixoribus Christi *Psal.118.c.10 v.13. & fer.3. Pom. 1. post octav. Epiphan.3. & sermon.3. Dom. prima, post octav Pasche.* Vide ergo, quod scandalum est maxima persecutio inter cæteras.

23. *Non omnes possunt dicere verè Deo: servus tuus sum ego.*

Servus tuus sum ego. Quis est, qui verè possit dicere servus tuus sum ego? Nonne omnes inficiuntur à peccatis? sed attende, quod qui serviunt ventri, gulæ, sensualitati non possunt hoc verè dicere; sed tantùm qui soli Deo cor suum dant. *in Lucam c.4.v.8.*

24. *Ad Mariam Virginem convertitur oratio hujus Psalmi.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Domina exaudi orationem meam, percipe tuis auribus supplicationem meam; persecutus est malignus vitam meam, deposuit in terra conversationem meam; denigravit me caligine sua, & anxiatus est nimis spiritus meus: ne avertas faciem tuam à me, ut non corruam cum descendentibus in lacum: emitte lucem tuam, & gratiam tuam, & repara denuo vitam meam, & conscientiam meam: *Opuscul. Psalt. B.B.Virg. Psal.142.*

25. *Maria gestavit Christum in Corpore, ut nos ipsum gestaremus in mente faciendo voluntatem Dei, & Mariæ.*

Doce me facere voluntatem tuam: spiritus tuus bonus deducet me. Hoc dicebat Propheta Deo: hoc dicamus nos Mariæ: nam qui facit voluntatem Dei, facit voluntatem Mariæ Virginis, & qui hoc facit, Mater Dei efficitur, quia concipit Christum à Spiritu Sancto per fidem, & amorem, & gestat in utero castitatis spiritualiter, sicut Maria corporaliter; nihil autem tibi prodest, quod Maria Christum pro te gestavit in ventre, nisi tu Christum gestes in mente *fer.3. Dom.8. post Pentec.*



PSALMUS CXLIII.

Titulus: Psalmus David ad Goliam.

1. Nota, quod hic Psalmus agit de eo quod fecit David, quando interfecit Goliam, idest in jactu lapidis, in funda, & lapide, & mysticè loquitur de Christo, qui triumphavit de diabolo in funda, & lapide, scilicet in Ecclesia, ex qua lapides, scilicet viros fortes, & Doctores, & Ministros misit, ut per ipsos percuterentur inimici Ecclesiæ: quinque lapides misit David & quinque verba sunt, quibus triumphavit Christus de hostibus, scilicet verbo comminationis, promissionis, delectationis, imitationis, & orationis. *Psal.143.*

2. *Deus dirigit manus, & digitos suorum servorum in prælio contra inimicos.*

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum. Quomodo dicit, quod ultra manus, etiam digitos docet ad prælium? nonne digiti sunt in manibus? id dicit Propheta, quia per manus intelliguntur operationes bonæ, & per quinque digitos sensuum discussiones & mortificationes: utrumque autem requiritur ad præliandum contra diabolum, scilicet bona operatio, & refrenatio sensuum. *serm.12. in Pentecost.* Nota etiam, quod sicut David vicit Leonem, Ursum, & Goliath, sic nos debemus vincere superbiam, concupiscentiam, & avaritiam. *serm.3. Dom.1. Quadrages.*

3. *In pugnâ, & victoriâ perfectâ contra diabolum quanam sint necessaria.*

Benedictus Deus, qui docet &c. Nota, quod hic innuuntur conditiones necessariæ ad pugnam, & victoriam: scilicet scientia: unde dicit, *qui docet*: fortitudo, unde dicit: *misericordia mea, & refugium*: constantia, unde dicit: *in ipso speravi*; & victoria, unde dicit: *qui subdit populum meum sub me. Ps 143.* Nota etiam, quod dicit: *digitos meos*: qui sunt quinque, quibus triumphavit: nempe arma, scientia, fortitudo, audacia, & perseverantia. *Psalm.143.*

4. *A solo Christo Jesu recognoscenda est victoria inimicorum.*

Misericordia mea, & refugium, susceptor meus, & liberator meus. Vide humilitatem Prophetæ, quia ab ipso Deo; tanquam ab unico liberatore recognoscebat suam victoriam, ut nos instrueret. *In Joan. collat.43.*

5. *In quinque digitis, idest lapidibus, qui sunt quinque vulnera Christi victus est diabolus, ut nos per ipsa, & in virtute nominis Jesu idem faciamus.*

Qui docet manus meas, & digitos meos ad bellum. Nota, quod David dicit, quod manus suas, & digitos docuit Deus, ut per ipsos vinceret Goliam: sed nota quod hoc mysticè à nobis debet intelligi: nam Goliath diabolum significat, qui gladio tentationis carnalis, hasta tentationis spiritualis, & clypeo simulationis bonos homines terrat: Christus verò est & David, idest fideles, manu, & digitis: manu sc. gladio: digitis, scilicet funda, quibus emittuntur lapides, vincit diabolū. Dicitur autem, quod digitis, scilicet quinque, quæ significat quinque vulnera Christi, his triumphamus de diabolo *fer.4. in Circumcis.* Dici etiam potest, quod invocatione devota nominis Jesu triumphum reportat fidelis anima: unde dicebat David: *ego in nomine Domini ad te venio. fer.4. ibid.* unde quinque litteris componitur hoc nomen sanctissimum, & virtuosissimum. *ait S. Bernardinus Senensis.*

6. *Tota Trinitas nobis innotuit per Christum.*

Quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum. Quasi dicat, quid est homo nisi vanitas, & tamen ipsi dedisti notitiam de te: & quomodo? per filium hominis, scilicet per Christum, per quem nobis innotuit tota Trinitas. *Psalm. 143. & in Lucam c.1.v.19.*

7. Homo similis vanitati ob instabilitatem, vacuitatem naturæ, & culpæ: unde hic dicitur: *homo vanitati similis est, dies ejus sicut umbra prætereunt. Eccles.c.1. & 9.*

8. Descen

8. Descensus Verbi in Carnem à sanctis Prophetis desideratus non fuit degradatio divinæ majestatis, sed humanæ naturæ exaltatio: unde dicebat David: *Domine inclina Cœlos tuos, & descende, tange montes. ser. 2. Dom. 10. post Pentec. & op. meditat. vita Christi c. 4.*

9. *Prædicatio Apostolorum, & sanctorum quàm fructuosa.*

Domine inclina Cœlos tuos, & descende, tange montes, & fumigabunt: fulgura, & coruscationes, & dissipabis eos. Nota, quod hic petitur à Deo, ut faciat descendere ad nos Cœlos, scilicet contemplativos, & Apostolos, & sanctos per prædicationem, ut verba secundùm nostram capacitatem accommodent, & per ea illuminent nos, nobiscum cohabitando; unde dicitur: *& descende:* addit: *tange montes*, scilicet superbos incutiendo eis timorem reverentiæ filialis: addit; & fumigabunt per lachrymosam compunctionem, ut excæcationes, & omnes vapores vitiosi deponantur; & tunc fulgura, & coruscationes signorum, & prodigiorum appareant ad prædicationis Evangelicæ confirmationem, ut quos efficacia verbi non movet, miracula confirment, & quos prædicatio ad fidem non movet, saltem ipsa prodigia excitent; quia per hoc dissipabis eos spirituali & felici dissipatione quantum ad vitia & peccata; non ut peccent, sed ut vitam gratiæ recuperent. *Ser. 9. in Pentec. & Psal. 143.*

10. *Verbum Dei est sagitta vulnerans Cor, nisi clypeo obdurationis impediatur.*

Emitte sagittas tuas, & dissipabis eos. Scilicet sagittas verbi tui per prædicationem: quia est sagitta vulnerans cor, nisi clypeo obdurationis à diabolo impediatur. *Ser. 4. Dom. passion.*

11. *Christi adventus in carnem fuit manus Patris nos liberantis à suffocatione miseriæ, & de manu diaboli.*

Emitte manum tuam de alto, & eripe de aquis multis. Nota; hæc verba sunt Prophetæ desiderantis, & petentis adventum Christi in carnem; & ipsum appellat manum Patris; quia per ipsum, tamquam per manum omnia operatus est. Dicit igitur: emitte manum tuam de alto throno, eripe me, & libera me de aquis multis suffocantis miseriæ, & de manu jugulantis potentiæ filiorum alienorum, scilicet superbiæ dæmonum. *Sermon. 3. Dom. 1. Adv. & in sap. c. 11. & 14.*

12. *Gratiam suam dat Deus per Christi vulnera.*

Emitte manum tuam de alto, & libera me. Nota, quod per manum intelligitur Christus, qui ut manus tangit nos per gratiam suam: & hoc facit, ut dicitur, *Cant. 5. Dilectus meus misit manum suam per foramen.* Idest misit gratiam per foramen vulnerum suorum, & præcipuè lateris, ex quo profluunt sacramenta. *In Lucam c. 5. v. 16. & c. 4. v. 6.*

13. *Per aquas salutares baptismi, & lachrymarum liberat nos Deus ab aquis mortiferis.*

Libera me de aquis multis. Nota, quod sunt aquæ malæ, scilicet concupiscentiarum, & sunt bonæ; nempe aqua baptismi, vel lachrymarum, vel martyrii: per has aquas bonas nos liberat Deus ab aquis malis. *Psal. 133.*

14. *Peccatores sunt filii alienorum, scilicet dæmonum.*

Et erue me de manu filiorum alienorum. Qui sunt isti filii alienorum? isti sunt peccatores, qui dicuntur filii alienorum, scilicet dæmonum, & non natura, sed imitatione. *Ser. 2. Dom. 1. post oct. Epiphan.*

15. *Deus sua pietate suis servis, non solùm liberat à pœnis, sed & dat virtutem, & fortitudinem.*

Qui das salutem regibus, qui redemisti David de gladio maligno eripe me. Vide quomodò David fatetur se expertum fuisse Dei benignitatem, qua suos liberat de gladio maligno, scilicet de persecutionibus potentum; sed & dat constantiam, & fortitudinem solvendi omnia. *Psalm. 143. & Psalm. 10. & 26.*

16 Reges sunt, qui sciunt bene regere suas passiones, istisque Deus confert suam salutem, & gratiam: ut hic dicitur: *qui das salutem regibus. Psal. 143.*

17 Servi Dei valde timent gladium malignæ persuasionis: unde David Deo gratias agebat, dicens: *qui redemisti de gladio maligno*: quasi liberatio à persecutione scandalosi viri sit redemptio. *In Ioan. cap. 18. vers. 11.*

18. *Ecclesiæ gloria qualis in novellis plantationibus: Mundi verò qualis in suis.*

Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua: filiæ eorum compositæ. Nota, quod hæc dicuntur de prosperitate malorum, qui cum facultatibus terrenis, abundant successione filiorum, & filiarum, quique gloriantur in fœcunditate, & pulchritudine eorum, sed vana ista est gloria: Ecclesiæ è contra maxima est gloria in novellis suis plantationibus, sontque clerici, maximè novitii religiosi: qui instar plantarum debent de mundo in horto religionis transplantari, ibique in sancto proposito radicari, circumspectione claudi, devotione rigari, confessione purgari, exercitio, & occupatione fodi, & excoli. *Op. diat. salut. tit. 3. c. 1.* *Pro Novitiis religiosis, & Clericis Ecclesiæ.*

19. *Novellæ plantationes Ecclesiæ quales.*

Sicut novellæ plantationes in juventute sua. Nota, quod tria sunt, quæ solent hominibus objici, & ab inimicis Christi objiciuntur Ecclesiæ: scilicet ætas juvenilis in plurimis, qui ad obsequium Christi se conferunt, & ad statum religiosum, secundò peccata aliquorum, in quibus inciderunt, & ali-

quando

quando incidunt:tertiò ſcientia tennis: ſed tameo nbjectio hæc eſt futilis, & vana; nam Chriſtus vocat juvenes, & parvulos ad ſe, nec eſt aliqui, in Mundo, qui non peccet, vel in aliqun non offendat; & qund infirmæ Mundi elegit, ut confundat ſapientes: nam ad jacienda fundamenta fidei nnn elegit Deus verſutias Ariſtotelis, vel Tullij lepores verbnrum laſcivientis elnquentiæ, & faſtu rethnrico conditam eloquentiam, ſed ſimplices, & idiotas, & piſcatores, & hujuſmndi vitns: Iſti ſicut nnvellæ plantationes in juventnte ſua qui fructificaveruot in Eccleſia abundantiſſime. *Pſal.1,3.*

20. *Beatitudo, & felicitas mundanorum falſa: juſtorum vera.*

Promptnaria eorum plena. Oves eorum fætoſa. Non eſt ruina maceriæ: beatum dixerunt Populum, cui hæc ſunt: Beatus Populus, cujus Dominus Deus ejus. Ecce diſcrimen inter felicitatem Mundi, & Mundanorum, & felicitatem juſtorum; nam Mundani cnllocant ſuam beatitudinem in abundantia bonnrum temporalium ſine labnribus & tribulationibus: ſed quia iſti nnn ſunt in Deum divites; idcò hæc ipſnrum beatitudo eſt vana, ſine re, quia ſine Deo, à quo, & in qun eſt omne bonum: Juſti autem etiam ſi exterius ſint pauperes, nudi, mendici, ulceroſi, exoſi hominibus; quia ſunt in Deum divites, abundantes meritis, & nperibus bonis: & hinc dicuntur oves fœtnſæ; ſcilicet fœcundi bonis operibus; ſcilicet dantes Chriſtn lac mundæ affectionis, caſeum bonæ operatinnis, & lanam hnneſtæ cnnverſationis: & de iſtis dicitur: *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. in Lucam c 12. v. 16. & ſerm 1 dom. 1. poſt oct. Paſcha. ſer. 2. in feſto omn. ſanctor. Pſalm. 44. & in Ecclen. proœm.*

21. *Maria eſt, quæ inſtruit ſervos ſuos ad prælium, & virtute ſui nominis de eis triumphat.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos. Hoc dicebat Propheta regius in triompho de Goliâ reportato; hoc & dicere poteſt ſervus Mariæ Virginis: ipſa enim inſtruit, & dirigit ſuos ad prælium, eoſque rnborat contra inimicos: & quia ejus nnmen eſt potentiſſimum contra dæmones, ideò tali virtute veluti fulgure, & cntuſcatione diſſipat illos, mittens jacula ſua, ut illos confundat: dicant ergn, & nrent Mariam ſervi ſui: clarifica de alto manum tuam, & cantent ſervi tui laudem, & glotiam tuam: eleva de terrenis affectionem noſtram; de ſempiternis deliciis refove viſcera nnſtra: concupiſcentiam ſupernorum accende in cordibus noſtris, & de gaudiis Paradiſi velis nos recreare. *Op. Pſal. B. Virg. Pſal. 143. & op. ſpecul. B. Virg. lec. 1.* Nnta etiam quod diximus de Jeſu nomine, qund per quinque litteras ſignificantur quinque lapides David: idem & dicendum de nomine hnc Mariæ.

PSALMUS CXLIV.

Titulus: Laudatio ipſi David.

1. NOTA, qood io præcedenti, & aliis Pſalmis ſupra poſitis egit Propheta de perſecutionibus, ærumnis, pœnitentia Chriſti, & Eccleſiæ: nunc autem ſequuntur ſeptem Pſalmi, qui omnes de laudibus Dei tractant; invitantque nos ad Deum laudandum: ſicut autem ſeptem ſunt Pſalmi pœnitentiales, ſic & ſeptem ſunt præconiales reſpondentes ſeptiformi gratiæ, & dnnis ſpiritus ſancti, & ſeptem apparitionibus poſt reſurrectionem à Chriſtn factis: quarum prima fuit quandn apparuit mulieribus, & factus eſt terræmotus, mouens Spiritum timoris: ſecunda quandn apparuit Petro, in quo ſpiritum pietatis impreſſit; fuit enim opus magnæ pietatis hæc apparitio ſingularis, ei facta; in tertia ſpiritum ſcientiæ impreſſit dnobus diſcipulis euntibus in Emmaus, eis interpretando ſcripturas: in quarta Spiritum fortitudinis, quando januis clauſis intravit ad Diſcipulos, oſtendens eis vulnera, ſicut ſolent in clypeis nſtendi foramina in ſignum fortitudinis: in quinta Spiritum conſilij fruſtra piſcantibus, quibus conſuluit mittere retia in dexteram: in ſexta ſpiritum iotellectus; quia apparens in medio eorum, aperuit ſenſum, ut intelligerent ſcripturas: in ſeptima ſpiritum ſapientiæ, quando in die Aſcenſinnis apparuit rex coronatus à Patre ſuo corona gloriæ, & apparebit in judicio cum ſenatoribus beatis: cum uſque ad illum diem quaſi per ſtultitiam ſalvos fecit in ſe credentes, ſcilicet dum apparuit coronatus à ſynagoga corona ſpinea, & à nobis corona miſeriæ humanitatis. *Pſal 144.*

2. Sicut Deus eſt infinitus in virtute, ſic meretur laudari ſine fine: unde Propheta hoc cognnſcens dicit: *Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum ſæculi: per ſingulos dies benedicam: magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudini ejus non eſt finis. Pſalmo 144. & Opuſcul. compend. Theolog. l. 1. cap. 14.* Notat etiam, quod ab omnibus generationibus laudabitur, dicens: *generatio, & generatio laudabit opera tua*, ideſt omnis generatio. *Pſalmo undecimo.*

3. *Memoria abundantiæ ſuavitatis gloriæ ſi in hac vitâ aufert ſenſus, quid erit in gloriâ?*

Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt, & juſtitia tua exultabunt. Nota, quod dicit memoriam, non fruitionem, quia ſancti cogitantes abundantiam fruitionis Dei, ſnis in Cœln præparatam; ad ſolam ipſius memoriam eructaoe mirabilia, quæ tamen eſt vis ſcintilla, quam capiunt, & ſi hoc quid facient poſtea in illa immenſitate glnriæ, & dulcedinis: io qua habent de viſione Dei in creaturis, in ſeipſa, & in Perſonis divinis? *Pſalmo centeſimo quadrageſimo quarto, ſermon, 11, Pentecoſt.*

4. *Miſericor*

4. *Misericordia Domini suavis est omnibus, & super omnia opera ejus.*

Suavis Dominus, & misericordia ejus super omnia opera ejus. Nota, quod si misericordia Dei est superior omnibus operibus suis, etiam justitiæ, ergo poterit salvare Iudam, & diabolum, quod videtur contra justitiam suam, sed respondeo quod absolutè loquendo potest Deus salvare etiam diabolum, non verò si consideretur secundùm merita, vel demerita. *l.* 2. *d.* 43. *dub.* 7.

5. *Misericordia Dei superexaltat justitiam.*

Suavis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Vide quomodò prædicatur misericordia Dei superexcedens omnes alias virtutes, etiam justitiam: unde si peccator suspectam habet justitiam, ab ejus curia potest appellare ad misericordiæ consistorium, *Opusc. dist. sal. tit.* 7. *cap* 4. *in sapient. cap.* 12 *& cap.* 15.

6. *Exaltatur divina misericordia, ut anima ptissimè de Deo sentiat.*

Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Si hoc est, ergo dilige suavitatem, & misericordiam Dei: ergo anima debet sentire de Deo optimo piissime: hoc autem facies, si ejusdem misericordiam admiraberis, amplexaberis, & benedices, ut summè benignam in nostræ humilitatis, & mortalitatis assumpti nè, ut summè visurosam, in crucis, & mortis perpessione, & ut summè liberalem in Spiritus Sancti donatione, & Sacramentorum institutione, cum seipsum communicaverit in Sacramento Eucharistiæ, quatenus illud Psalmi cantes: *suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. opusc. de regim. anima, & opusc. de profec. relig. l.* 2. *cap.* 22.

7. *Regnum Christi commendatur in hoc Psalmo à quinque prærogativis.*

Gloriam regni tui dicent. Nota, quod hic loquitur de regno Christi & commendatur à quinque prærogativis: prima à potestate, unde dicit: *potentiam tuam loquentur*: secundo à potestatis manifestatione, unde dicitur: *ut notam facerent potentiam*: tertiò à decore, ideò dicit: *gloriam magnificentia regni ejus*: quartò à perpetuitate, ideò dicit: *regnum tuum, regnum omnium sæculorum*: quintò à generali subjectione, unde dicit: *dominatio tua in omni generatione. Psal.* 144. *in sap.* 7. *& in Lucam c.* 1. *v.* 33.

8. *Regni Dei fruitio quanta, & qualis.*

Gloriam regni tui dicent. Nota, quod in istis verbis innuitur magnitudo fruitionis beatorum in Cœlo: unde dicit: *gloriam regni tui dicent:* quid dicent? quod quicquid boni habent reducent in primum principium, & ideò beati erunt in continua laude Dei: addit: *ut notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentia regni tui*: scilicet latitudinem capacitatis incommutabilis, quæ non coarctabitur multitudine possidentium, quia tantùm gaudent beati de bono proximi, quantum de proprio: item addit: *regnum tuum, regnum omnium sæculorum*; idest propter longitudinem æternitatis interminabilis: igitur regnum Dei est sublime majestate: amplum latitudine: item firmum potestate, & perpetuum æternitate: item magnificum decore, jucundum delectabilitate, ordinatum regimine, quia ejus Rex est veritas, ejus lex est charitas, ejus modus est æternitas: item magnificum: ergo hoc regnum non est de hoc mundo, in quo omnia sunt transitoria. *fer.* 4. *Dom.* 14 *post Pentec. & in Ioan. collat.* 81. *& Psal.* 144 *Psalm.* 1 8. *c.* 3. *v.* 15. *in Lucam cap.* 11. *v.* 2. *& cap.* 6. *vers.* 10. *& in Ioan collat.* 84.

9. *Fidelis Dominus in omnibus suis verbis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

Consideranda ista verba ab omnibus; ut unusquisque sciat quod Deus est fidelissimus in omnibus suis verbis, per quæ promisit justis coronam, & impijs pœnam æternam, & ideò fideliter verba sua observabit. *Opuscul. specul. Beat. Virgin. lec.* 9. *Psalm.* 118. *cap.* 9. *vers.* 11. Ergo exultandum de divina providentia irreprehensibili; & in ipsam se totaliter committere debet homo, & non præsumptionis ratiunculis examinanda. *in Lucam cap. decimo, vers.* 20.

10. *Fideles nos esse debemus Christo, qui tam fidelis est nobiscum.*

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Quia talis fuit in redimendo, in defendendo, in custodiendo: dignum igitur est, ut fideles servi simus, cum tam fidelem Dominum habeamus; & tamen proh dolor, plures sunt, qui serviunt Mundo, & diabolo, quam qui serviant Christo: discant isti miseri, quàm fideles sunt canes, & equi Dominis suis, quàm benefici sunt Leones ad suos benefactores, ut videant quantum debeant esse fideles Domino suo. *serm.* 2. *de S. Thoma.*

11. *Quàm sanctus Deus in operibus suis.*

Et sanctus in omnibus operibus suis. Nota, quòd præcipua opera Dei sunt creatio, redemptio, & glorificatio; sanctus igitur est in creatione; quia nullum creavit ad iniquitatem, nec dæmonem, nec hominem: sanctus in redemptione, quia dedit animam suam pro nobis & sanctus in glorificatione. *sermon.* 1. *Dom. Trinit.*

12. *Spes firma in Deum temporalia ministrat : unde hic dicitur.*

Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Ecce quid sequitur ad spem in Deum : scilicet ministratio temporalium necessaria. *Opusc. compend. Theolog. lib. 5. cap. 22.*

13. Religiosi ad arctam paupertatem adstricti non lædunt eam, quærentes aliquando eleemosynas quarumdam rerum in aliqua quantitate, quas non possunt obtinere aliis temporibus; unde dicit Propheta, quod Deus sperantibus in ipsum, dat cibum in tempore opportuno: idest non omni tempore, sed opportuno. *Op. determinat super regulam qu. 7.*

14 *Deus aperit manum suam beneficia conferendo omnibus sine acceptione personarum.*

Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Nota quod dicit Propheta, quod Deus aperit manum suam omni animali : ex quo patet quanta, & qualis bonitas, & providentia Dei nostri, qui cum sit omnium Creator, ea etiam regit, ita ut quibuscumque aperit manum, beneficia conferendo, sine acceptione personarum; nec est aliqua creatura, quæ non ab eo recipiat non solùm esse, sed benè esse, & hæc est benedictio, quam impertitur eis. *Psal. 103. & in Lucam cap. 4. vers. 40.*

15. *Aperit Deus tibi thesaurum suarum gratiarum, ut tu ei aperias thesaurum tui cordis.*

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Quid est hæc apertio manuum Dei, nisi apertio thesaurorum & beneficiorum? istos thesauros Deus aperit ad danda stipendia suis militibus fidelibus; ut tibi exemplum det aperiendi ei tuos thesauros cordis, & animæ, exemplo Magorum. *ser. 10. in regat.*

16. *Aperit Christus manum suam, aperit & Diabolus suam; ille ut impleat benedictione, iste maledictione.*

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Nota, quod Christus aperit manum suam, scilicet thesauros suos, quod fecit in cruce, quando transfixa sunt membra, scilicet manus, & pedes, & latus; ut suorum fidelium pauperiem ditaret, & indeficientibus bonis eos impleret: diabolus è contra aperit thesauros suos suis militibus, scilicet superbis, luxuriosis, avaris, ut eos impleat maledictione. *ser. 10. in regat. & ser. 1. Dom. 18. post Pentecost.*

17. *Solùm in Cælo implebitur benedictione omne animal.*

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Quomodò dicitur omne animal impleri benedictione, si hac tantum capax est homo? benedictio enim hic sumitur pro effectu spirituali? Nota, quod dicitur *omne animal*, scilicet homo, in quo ultra potentiam rationalem, adsunt & animales scilicet concupiscentia, & irascibilis: & quia in hac vita non possunt impleri istæ potentiæ cum mixta sint cum contrariis qualitatibus; ut in rationali est scientia, & ignorantia: in concupiscibili desiderium, & contemptus; in irascibili ira, & lætitia? Ideò repletionem Deus reservat ad aliam vitam, in qua absque restrictione aperit manum beneficentiæ, & implet rationalem luce sapientiæ, concupiscibilem fame justitiæ, & irascibilem summa lætitia, & tranquillitate: tunc enim erit perfecta sapientia, justitia, & lætitia; nec lætitia erit suspecta propter scientiam, nec impura propter justitiam. *Psal. 144.*

18. *Deus prope est invocantibus eum in veritate tantùm.*

Prope est Dominus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Ad quid cum primò dixerit Deum esse prope invocantibus eum; addit postea: *omnibus invocantibus eum in veritate*? ut videas, quod Deus non exaudit omnes ipsum invocantes; sed tantùm invocantes eum in veritate sed quid est invocare eum in veritate? Nota, quod invocare eum in veritate est invocare eum justitia, & in iustitia, scilicet puro corde, amore filiali petendo quæ sint necessaria ad salutem: qui verò invocant eum timore servili, scilicet secundùm vana desideria, non invocant eum in veritate, & hos reijcit Deus. *l. 4. d. 20. part. prima. dubit 2. & l. 1. d. 46. artic. 1. quæstion. 1. corp. in fine.*

19. *Deus quantum est ex se vult omnes salvos fieri.*

Prope est Dominus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Cur sit hæc repetitio, & secundo loco additur invocantibus eum in veritate? ut scias, quod Deus est prope omnibus sine acceptione personarum, & quantum est ex se aperit manus suorum beneficiorum, & gratiarum, voluntate antecedenti: sed tamen proprie quoad executionem tantum dicitur prope inquirentibus, & invocantibus eum in veritate, & justitia, scilicet qui respondet vocationi divinæ efficaci. *l. 1. d. 46. art. 1. quæst. 1. in corp. in fine. & Psalm. 118. vers. 151.*

20. *Deus prope est humilibus, longe à superbis.*

Propè est invocantibus eum in veritate. Quid est invocantibus in veritate? hoc est humilibus, qui se Deo in veritate subijciunt: longe autem à superbis. *Psal. 137.*

21. Oratio familiaritatem cum Deo inducit: unde hic dicitur: *Deus prope est invocantibus eum. ep. de prof. religios. l. 2. c. 66.*

22. *Timentium Deum voluntatem facit Deus.*

Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem &c. Vide qualem bonitatem Deus demonstrat cum voluntatem suam facientibus; nam ipsis velut subditum se constituit in promptitudine hac: vide etiam altitudinem status timentium Deum. *ser. 5. Dom.*

Domin. infra oct. Epiphan. opuſcul. de perfec. vita c.2. & op. comp. Theol.l.2.c.62. & Pſal.118.cap.4. verſ.15.

23. *Deus quantum cuſtodiat diligentes ſe.*

Cuſtodit omnes diligentes ſe, & vias peccatorum diſperdet. Vide quam privilegiatus ſit Deum diligens; nam per dilectionem homo cuſtoditur, diabolus confunditur: certum eſt enim, quod quantum fortius diligimus, tantum contra tentationes diaboli fortiores ſumus. *Ser. 3. Dom. 17. poſt Pent.*

24. *Applicatio ad Mariam Virginem laudandam.*

Exaltabo te Mater Filii Dei, & per ſingulos dies cantabo laudes tuas; generatio, & populi laudabunt opera tua, & miſericordiam tuam inſulæ expectabunt: abundantiam dulcoris tui Angeli eructabunt, & ſuavitatem tuam ſancti pronunciabunt; oculi noſtri ſperant in te Domina; mitte nobis cibum, & eſcam oblectantem; laudationem tuam loquatur lingua mea, & benedicam te in ſæculum ſæculi. *Opuſc. Pſalt. B. Virg. Pſalm. 144.*

25. *Quia fideliſſimus fuit Deus cum Maria; & ipſa fideliſſima fuit cum Deo.*

Fidelis Dominus in verbis ſuis. Si fidelis eſt cum omnibus, ergo & fideliſſimus cum Maria, ergo & Maria fideliſſima fuit cum Deo: ipſa enim fideliſſima mediatrix, veluti Columba extitit inter Deum, & mundum peccatorum diluvio ſubmerſum; & ſaluris antidotum viris, & mulieribus propinavit. *Op. ſpecu. B Virg. lec. 9.*

26. *Ad Mariam convertamus oculos, & preces, ſi volumus eſcam corporis Chriſti obtinere.*

Oculi omnium in te ſperant, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Ecce quid nobis faciendum, cum volumus obtinere eſcam corporis Chriſti dulciſſimam: nempe oculos, & preces convertere debemus ad Mariam tamquam ad Dominam, & Matrem hujus dulciſſimi fructus, & ipſa nobis dabit hanc eſcam, & cibum omni dulcedine refectum. *Opuſcul. Pſalt. Beata Virginis. Pſalm 144.*

27. Quotidie, & toto tempore vitæ noſtræ laudes Beat. Virgin. cantemus: oremuſque ipſam, ut dignetur concedere hanc gratiam: dicamuſque, ut per ſingulos dies cantem laudes tuas, laudationemque tuam loquatur lingua mea, & benedicat te in ſæculum ſæculi: dignare ô Beata Virgo concedere hanc gratiam *Opuſcul. Pſalt. B. Virg. Pſalm. 144.*

PSALMUS CXLV.

Titulus: Alleluia.

1. NOTA, quod Titulus hujus Pſalmi eſt Alleluia, ideſt laudate Dominum; quia in hoc Pſalmo invitatur anima ad laudandum Deum, & ad collocandam omnem ſpem in ipſum, non in homine.

2. *Anima excitat ſe ipſam ad laudandum Deum in hac, & in alia vita.*

Lauda anima mea Dominum. Notet diligenter hæc anima; diligens Deum, & toto corde dicat cum Propheta excitando ſe ad Deum laudandum. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Deum meum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu fuero.* Nota tamen, quod licet in hac vita laus non ſit perfecta, & hoc propter cognitionem imperfectam, corruptionem corporis aggravantis animam, & imperfectam dilectionem, non tamen debet ceſſare à laude Dei, cum ſpe ipſam perfectiſſimo modo continuandi in cœleſti Hieruſalem cum tota curia beata. *Op. ſtim. div. amor. p. 3. c. 20. & Pſalm. 145.*

3. *Spes in Deum firmat animam: ſpes in hominem caduca, & vana.*

Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus: exibit ſpiritus ejus in terram: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Nota, quod Propheta hic inculcat menti noſtræ ſecuritatem, quam vera ſpes in Deum confert, & caducitatem, & fallaciam eorum, qui in hominem confidunt, quia cnim omnia ſunt vana præter Deum, ob idque juvare ſe non valentia; quomodò quod eſt vanum ſuſtentare poteſt aliud vanum? nonne hoc eſt quærere majus præcipitium, & ruinam? numquid non videmus tota die homines ruere & mure deficere? exhibit ſpiritus, ait Propheta, & corpus revertetur in terram, quia incinerabitur, & tunc peribunt omnes cogitationes eorum. *Sermon. 1. de uno Confeſſ. & Pſalm. 145. in Lucam cap. 16. verſ. 2. in ſap. cap. 15. in Lucam cap. 10. verſ. 27.*

4. *Beatus homo dicitur qui meretur adjutorium Dei ſpeciale in morte.*

Beatus cujus Deus Iacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius. Cur ponitur Deus Jacob, & non Iſaac? Nota, quod alludit ad adjutorium, quod dedit Deus Jacob in lucta cum Angelo ne deficeret; tunc enim fecit eum Iſraël, ſcilicet videns Deum; datque intelligere, quod felix eſt ille, qui meretur Deum adjutorem ſuum auxilio ſpeciali in majori lucta, quæ eſt in defectione vitæ. & tempore mortis; quia fiet Iſraël, ſcilicet videns Deum in gloria. *Pſalm. 118. cap. 8. verſ. 2.*

5. *Beatus ſolus proprie qui habitat in Cælo; nam in terra ſemper periculum adeſt.*

Beatus cujus Deus Iacob adjutor eius. Cur non dicitur etiam Deus Eſaü? licèt enim eſſet malus, tamen etiam Deus adjuvat malos? ſed nota, quod per Jacob ſignificatur Eccleſia triumphans, per Eſaü militans: & ſicut Jacob habitabat ut vir ſimplex, & lenis in tabernaculis, Eſaü autem incumbebat venationi foris, dat intelligere, quod ſolùm ſecurus, & perfectè beatus eſt, qui in illa domo habitat, nam foris ſemper vivimus in medio laqueorum, & periculorum. *Pſal.* 145.

6. *Creaturæ ſunt ſcala ad cognitionem potentiæ Dei.*

Qui fecit Cœlum, terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Nota quod hic Propheta te invitat ad conſiderandam potentiam Dei per creaturas, veluti per ſcalam; nam ſicut creaturam ſummam fecit in cœlo; ſcilicet Angelos, ſic in terra fecit extremam, ſcilicet vermiculos; unde quando te lædit ſerpens, muſca: ne dicas diabolus te fecit, ſed aſcende ad cognoſcendam potentiam Dei, quæ relucet etiam in his minimis rebus, quas nullus Imperator poſſet facere: & ſi nunc lædunt homines id eſt propter, & poſt peccatum; & ideò totum à Deo recognoſce. *ſermon. quarto, Dom.* 11. *poſt Pentecoſt. ſapient.c.*11. *ad finem.*

7. *Deus timendus, & amandus oſtenditur.*

Qui cuſtodit veritatem, facit judicium injuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. Quaſi dicat, Deus eſt, qui omnia fecit, & gubernat eadem, ſervans juſtitiam; quia facit judicium injuriam injuſtè patientibus, ergo timendus; dat eſcam eſurientibus, ergo amandus; timeamus ergo Deum, & vindictam relinquamus ipſi Deo, qui per injurias probare nos intendit, qui eſt veritas, & purgare à vitiorum contagio. *ſer.* 1. *Dom.* 2. *Adv. Pſalm.* 118.*cap.*6.*verſ.*10. *& cap.*19. *verſ.*9.

8. *Solùm eſurientibus eſcam ſpiritualem dat Deus; ſcilicet ſuum Corpus, & cibum ſpiritualem.*

Qui dat eſcam eſurientibus. Cur non etiam cæteris? quia eſcam corporis ſui, & cibum ſpiritualem dat deſideranti illum ardenter. *in Lucam c.*22. *verſ.*15.

9. *A Deo accipit pauper carens, neceſſaria: habens ſuperflua non à Deo accipit.*

Dat eſcam eſurientibus. Si hoc, ergo eſurientes à Deo accipiunt, habentes ſuperflua non à Deo hæc accipiunt, ſed à mundo. *Op. de paupert. Chriſti a.*2. *in fine.*

10. *Ordo juſtificationis hic notatur.*

Dominus ſolvit compeditos. Nota, quod hic innuitur ordo juſtificationis peccatoris: nam primò ſolvitur à vinculo peccati, ideò dicit: *Dominus ſolvit compeditos*: Secundò gratia, & virtutibus illuminat: dicit ergo: *Dominus illuminat cæcos*: deinde addit profectum virtutum; & ideò dicit: *Dominus erigit eliſos*: & tandem dabit gloriam: unde dicit: *Dominus diligit juſtos*, quod maximè erit in gloria: declarat poſtea qui ſunt iſti juſti, ſcilicet advenæ, qui non habent hic permanentem Civitatem, & omni ope hujus Mundi deſtituti ſunt, ſed in ſolo Deo ſperantes; unde dicit: *pupillum, & viduam ſuſcipiet*; deinde pœnam malorum; & vias peccatorum diſperdet; ſubdit: *regnabit in ſæcula Dominus Deus*: dicit regnabit, & non regnat; quia in præſenti regnum noſtrum tegitur, ſed in futuro reget nos. *Pſalm.*145. *& opuſc. Diat. tit.*5. *cap.*8. *& in Thren. capit.* 3.

11. *Deus diligit eos, qui ſunt de familia ſua: odit qui ſunt de familia diaboli.*

Dominus diligit juſtos: Dominus cuſtodit advenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet. Ecce qui ſunt, quos Deus diligit, protegit, & ſuſcipit: nempè qui ſunt de ſua familia, ſcilicet juſtos, advenas, viduam, & pupillos: quinam ſint iſti, dictum eſt ſupra; ſed qui ſunt de familia diaboli, ut ſunt peccatores, odit, & diſperdit. *in Ioan.c.*11.*v.*6.

12. *Anima excitat ſeipſam ad laudandam Mariam Virginem.*

Lauda anima mea Dominam: glorificabo eam quamdiu vixero: Et hinc invitantur omnes ad idem faciendum: nolite ceſſare à laudibus Mariæ, & per ſingula momenta recogitare illam. *Op. Pſalt. B.Virg. Pſal.*145. *Applicatio ad Mariam Virginem.*

13. *Non in Principibus, nec in filiis hominum confidendum; ſed in Maria Virgine, maximè in tempore mortis.*

Nolite confidere in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Si in iſtis non eſt ſalus, ubi inveniemus ſalutem? in Maria Virgine, in qua ſola poſt Deum eſt tota noſtra ſpes, ſecuritaſque ſalutis: ſpes inquam, non præmij, ſed auxilij: ſalus, & vita in domo ejus, & in tabernaculo ejus pax, & gloria. *L.*4.*d.*5.*p.*1. *dub.*4. *& Op. Pſalt. Beat. Virg. Pſal.*75. Et ideò ad ipſam recurramus, maxime pro tempore mortis, dicentes: Cum exierit Spiritus meus, Domina, ſit tibi commendatus, & in terra ignota præſta illi ducatum: non conturbent eum culpæ prius commiſſæ, nec inquietent ipſum occurſus malignantis: perduc eum ad portum ſalutarem, ibi præſtoletur ſecure adventum Redemptoris. *Opuſcul. Pſalt. Beat. Virg. Pſalm.*145.

PSALMVS

PSALMUS CXLVI.

Titulus : Alleluia.

1. NOTA, quod invitat denuò Propheta nos ad Deum laudandum, ex hoc quod bonus est Psalmus : laus enim Dei est tota merces.

2. *Laudatio Dei, quæ fit psallendo dignissima, & ideò erit merces nostra in Cœlo.*

Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus. Vide, quod omnes invitantur ad Deum laudandum : adducit rationem, quoniam bonus est psalmus : Sed cur aliam rationem non adducit? quodnam bonum est hoc? Sed attende, quod in hoc verbo dicit quicquid potest dici : dat intelligere, quod Dei laus est dignissima propter immensitatem, dignitatemque objecti divini, propter jucunditatem ipsius laudis quia & Deo, & ipsi laudanti est jucunda, & propter continuationem, nam in præsenti incipit, & nunquam in futuro cessabit. Et nota, quod dicit : *quoniam bonus est Psalmus*, non dicit bona est vox, vel laus vocalis, sed Psalmus, qui est laus Dei, quæ fit ex voce, & corde, & organo, scilicet opere, & ideò laus Dei in Cœlo erit tota merces. *l. 4. d. 49. p. 1. quæst. 5. & in Psal. 114. & 33.*

3. *Idem confirmatur de Psalmo, & laude Dei.*

Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus. Quare bonus est Psalmus? quia continet omne bonum : laudatio enim Dei est dignissimus affectus, qui nascitur ex consideratione divinæ bonitatis, & ex admiratione profunditatis sapientiæ Dei, & ex stupore altitudinis divinæ potentiæ, & immensitate majestatis, quæ de ipso intelligimus, vel ejus operum vestigia colligimus, vel per illuminationem inspirationis internæ, puro mentis intuitu contemplamur : omnia enim quæ de Deo cogitari, vel dici secundùm veritatem possunt, vel sentiri, non nisi laus ipsius sunt, eo quod nihil in Deo sit nisi summe laudabile, admirabile, amabile, & venerandum, & quantò perfectius cognoscitur, tantò verius laudatur, & ardentius amatur; divinæque laudis materia est amplissima; quia tam ipse Deus, quàm omnia ejus opera docent eum super omnia laudabilem esse. Laudare Deum est eum laudabilem cognoscere, & ostendere : & hinc invitantur omnes Creaturæ à Sanctis ad ipsum laudandum, quia omnia opera ejus ostendunt eum laudabilem in se. *op. de profec. religios. l. 2. c. 64.*

4. *Laus Dei jucunda, decoraque quomodò dicitur.*

Deo jucunda, decoraque laudatio. Quomodò dicitur laus Dei ipsi Deo jucunda, decoraque? Nota, quod dicitur hoc aspectu nostri, nempe & secundùm acceptationem divinam, quia ipsam acceptat libenter, & secundùm judicium conscientiæ nostræ, quatenus se conformat laudi divinæ: & hinc dicitur, quod non est speciosa laus in ore peccatoris, quia solùm talis est laus justorum. *l. 4. d. 17. p. 2. a. 1. qu. 4. ad 2.*

5. *Per laudem perfectam Dei ædificatur denuò Hierusalem.*

Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit. Quasi dicat Hierusalem cœlestis dispendium ruinæ angelicæ passa est : sed ad hoc, quod Ecclesia ædificetur, requiruntur duo, scilicet laus Martyrum, & Confessorum : laus Martyrum consistit in patientia ad tolerandum : Confessorum in sapientia ad intelligendum, & benefaciendum : ex his constat Ecclesia. *Psal. 145.*

6. *Officium Christi est congregare : diaboli est disgregare, & disperdere.*

Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones congregabit. Vide quale officium est Christi, ut ædificet Hierusalem : nempe congregare eos, qui erant dispersi, in unum; E contra officium diaboli est dispergere. *In Lucam c. 11. v. 23.*

7. *Laudis Dei, & orationis primus effectus est congregare dispersa, & deordinata.*

Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit. Nota, quod post quam invitavit Propheta ad Deum laudandum, collocat primo loco congregationem, & unionem dispersionum : quid est hoc? hoc dicit, ut videas, quod primus fructus orationis ad Deum, est vires animæ jam dispersas per creaturas, congregare in unum, easque totas figere in unum, verum, & simplicissimum bonum, & transformare eas in quamdam divinæ conformationis, & æternæ stabilitatis similitudinem. *Opuscul. de profec. religios. l. 2. c. 71.*

8. *Christus corde contritos, & vulneratos passione sua, & sanguine, ut bonus medicus, alligat, & sanat.*

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Qui sunt contriti corde, habentes cor contritum, & fractum? sunt existentes in peccato : peccatum enim conterit, frangit, & vulnerat animam; sed Christus, ut medicus, passione sua concurrente etiam contritione nostra alligat vulnus, apponit oleum, & vinum, scilicet virtutem sanguinis sui, & sanat omnes infirmitates, & vulnera nostra : quia est perfectissimus medicus. *Sermon. 3. Domin. 2. post oct. Epiph. & ser. 3. Dom. 12. post Pentec. & in Lucam in proœm. & c. 4. v. 19.*

9. *Omnia disposuit Deus in numero pondere, & mensura.*

Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat. Per hoc patet, quod & stellæ, & cætera omnia sub divina potestate sunt subjecta, tam in esse, quàm in operari, & quod Deus omnia disposuit in numero, pondere, & mensura;

in numero, quia omnia ab uno ſunt in numero: in pondere, quia ab immobili omnia ordinata ſunt propter pondus, & motum: in menſura quia à ſimplici omnia in aliqua ſpecie contenta ſunt. *Pſalm.146.& 8.& 138.*

10. Bonorum nomina à Deo cognita, & ſcripta in libro vitæ: malorum nomina à Deo non cognita per approbationem quia deleta ſunt de libro vitæ. Hinc dicitur hic, quod *numerat multitudinem ſtellarum*, ſcilicet juſtorum, eiſque nomina vocat, ſcilicet per approbationem; non verò impiorum; unde Lazarus juſtus nominatur, non dives malus. *ſer.1.Dom.12.poſt Pentec. & op. de dono ſap. c.10.& Pſal.38.& 138 & ſer.1.de B.Virg.*

11. *Sapientia & virtutis divina magnitudo expenditur.*

Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientia ejus non eſt numerus. Vide quomodò Propheta ex conſideratione creaturarum à Deo factarum in numero, pondere, & menſura, elevat mentem ad contemplationem magnitudinis virtutis, & ſapientiæ Dei, dicens: *magnus Dominus noſter.* Verè magnus, quia intimus eſt cuilibet rei ſcrutator in eſſendo, & ideò non putemus eum abeſſe, cum locum ejus fœdamus: & magna virtus ejus, quia potentiſſimus in agendo: ideò cum mala committimus, non putemus pœnam evadere, cujus imperium deturpavimus: & ſapientiæ ejus non eſt numerus, quia præſentiſſimus in cognoſcendo, & ideò cum committimus turpia non putemus eum ignorare; quia oculis ejus infallibilis ſapientiæ omnia nuda, & aperta ſunt: ut ſi oculos clauſos tenens in ſole, nec te ipſi, ſed ipſum tibi abſcondis. *ſer.1.Dom.4.Adv l.1.d.33. qu.5.& ſer.1.de B.Virg.& op.de dono ſap c.21.& op.ſpecul. B.Virg.lec 5.& in Eccleſ.c.1. & in ſap. c.15.& in Lucam c.9.v.43.*

Præſentia Dei conſideratio ſuadetur.

12. *In Chriſto ſunt theſauri omnium ſcientiarum; & ideò ipſi debent ſubjici omnes ſcientiæ.*

Et ſapientia ejus non eſt numerus. Cur dicitur numerus, & non potius terminus? quia reſpectu objectorum, non adeſt in ſapientia Dei terminus; ſunt enim infinita objecta, quæ cognoſcit Deus; nempè non ſolùm rerum exiſtentium, ſed & poſſibilium. Et quia hæc eadem ſcientia eſt in Chriſto, ideò in ipſo ſunt omnes theſauri ſcientiarum, in ordine ad quam ſcientiam, dicitur: *1. Reg.c.2. recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum eſt, & ipſi præparantur cogitationes*; quaſi dicat, cogitationes humanæ philoſophiæ ſubjiciendæ ſunt ſecundùm dictamen rationis, quemadmodum veterum nullius valoris eſt philoſophia humana; quia Dominus Jeſus Chriſtus eſt Dominus ſcientiarum. *ſer.1.Dom.4 Adv.*

13. *Conſideratio magnificentia Dei, ad ipſam magnificandam humiliatione incitat.*

Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus. Ad quid hæc proponit Propheta? nonne hæc ab omnibus fidelibus noſcuntur? maximè; ſed hæc proponit, ſcilicet magnitudinem, immenſitatemque eſſentiæ, virtutis, & ſapientiæ, ut excitaret animam ſuam ad ipſam magnitudinem Dei magnificandam: ſed quomodò à nobis magnificari poteſt? ipſam collaudando, confitendo, & ipſi ſub ipſa nos ipſos ſubjiciendo per humiliationem; ſic enim magnificavit Deum B.Virgo Maria. *in Luc. c.1.v.47.*

14. *Sicut Deus operiendo cœlum nubibus parat terræ pluviam; ſic ſacram ſcripturam operiendo ænigmatibus, & obſcuritatibus paravit terræ pluviam doctrinæ.*

Qui operit Cœlum nubibus, & parat terræ pluviam. In hoc apparet magnitudo virtutis Dei, dum ad litteram parat terræ pluviam cooperiendo cœlum nubibus: & myſticè id facit cum fidelibus dum præparavit ſacram ſcripturam veluti Cœlum, eamque operuit obſcuritatibus, & figuris, ut per ora Doctorum pararet nobis pluviam multiplicis doctrinæ. *Pſal 146.& in Luc.c 12.v.54.*

15. Providentia Dei uſque ad minima ſe extendit: unde hic dicit Propheta quod, dat Deus jumentis eſcam ipſorum; & quod plus eſt, pullis corvorum; qui licet non paſcantur à Patre, niſi quando emittunt plumas nigras, tamen eos paſcit rore Cœli: & ſi hoc facit cum beſtiis, multò magis cum homine. *in Lucam c.12. v. 6. & 24.& Pſal.146.*

16. *Chriſtus per viam humilitatis voluit incedere ad noſtram inſtructionem.*

Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis? Nota, quod per Equum ſignificatur pompa, & ſuperbia Mundi; & ideò Chriſtus in ingreſſu Hieruſalem ſuper vile jumentum voluit conſcendere, ut per viam humilitatis nos invitaret; quia in hoc beneplacitum eſt ei. *Op. Eccleſ. Hierar.p.2.c.3.& in Lucam c.19 v.35.*

17. *Juſti timorem Dei habent, ſed cum ſpe firma in Deum; & iſtis Deus dat gratiam.*

Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant in miſericordia ejus. Nota, quod timori addit ſpem: ut diſcas, quod timor ſine ſpe eſt vanus, ſpes autem eſt neceſſaria in præſenti cum patientia, & fortitudine: Deus autem ſuis tribulatis tribuit fortitudinem, ut ſuſtineant: patientiam ut reſiſtant, & ſpem, ut expectando ipſum diligant: in his beneplacitum eſt Deo. *Pſal.146. & in Lucam c.11.v.31.*

18. *Quam bonum ſit colere, & laudare Mariam.*

Laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus. Hoc dicitur in ordine ad Deum: hoc & dicitur in ordine ad Mariam, quæ à nobis eſt colenda, & laudanda, quia bonus eſt Pſalmus: quare, & in quo bonus? quia decora, & jucunda eſt ei noſtra laudatio: unde ſi ipſam frequenter ſalutando, & ſerviendo, & orando laudamus, ipſa & nos libenter ſalutat beneficio, & conſolatione, & gratia. *Opuſc. Pſalt. B.Virg. Pſ.146.& op.ſpecul.B.Virg.lec.4.*

Applicatio ad Mariam Virginem.

19. Per

19. *Per Mariam Deus ædificat Hierusalem, reintegrando ruinam Angelorum.*

Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit. Et quando hæc erunt, ô Sancte Propheta? quando adveniet mystica Hierusalem Maria, per quam ædificabitur cœlestis Hierusalem: quia per Mariam elementa renovantur, infirma remediantur, homines salvantur, & Angeli reintegrantur *Op. specul. B. Virg. lec.* 11.

20. Per Mariam sanat Deus contritos corde. Ipsa enim est medica salutis, quæ medetur contritis corde, & resovet eos unguento pietatis. *Op. Psalt. B. Virg Psal.* 146. *& op. specu. B Virg. lec.* 9. *& opusc. Psalt. min. quinqu.* 1.

21. *Solus Deus novit multitudinem stellarum, id est virtutum B. Virginis.*

Qui numerat multitudinem stellarum. Nota, quod per firmamentum intelligitur mysticè B. Virgo Maria; cujus virtutes veluti stellæ sunt innumerabiles, solique Deo notæ, inter quas duæ præcipuæ fuerunt veluti duo luminaria magna, scilicet Virginitas, & humilitas. *fer.* 1 *de B. Virg.*

22. *Magna virtus Domini magis dignoscitur, & extollitur in magnificatione B. Virginis.*

Magnus Dominus, & magna virtus ejus. Nota, quod in productione tot creaturarum, & in gubernatione dignoscitur infinita virtus Dei, sed magis ex magnificentia B. Mariæ Virginis; cujus virtus est magna, & clementia ejus nullum habet finem. *Op. Psalt. B. Virg. Psal.* 146. *& opusc. specul. B. Virg. lec.* 9.

23. *Nulla Creatura magis Deum magnificavit, quàm Maria.*

Magnus Dominus. Ideò à nobis magnificandus est, & laudibus, & præconiis, & subjiciendo nos ipsi per humiliationem: & quia inter omnes creaturas humilior fuit B. Virgo, ergo ipsa super omnes Deum magnificavit, *in Lucam c.* 1. *v.* 47.

PSALMUS CXLVII.

Titulus: Alleluia.

1. NOTA, quod à pluribus additur titulo Alleluia: Aggæi, & Zachariæ: & hoc est, quia ipsi in captivitate Babylonica prophetaverunt, & desideraverunt reædificationem Hierusalem, de qua in hoc Psalmo tractatur; & ideò intitulatur Alleluia: id est laus Dei de hac ædificatione; sed magis de ædificatione spirituali, & acquisitione possessionis cœlestis Hierusalem, ad quam omnes invitantur. *Psal.* 147.

2. *Invitatur anima pro Hierusalem gloriosa animæ præparata in hoc Psalmo.*

Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quasi dicat: lauda Deum tuum, ô anima, & cur? pro cœlesti Hierusalem præparata. Nempè pro securitate intrandi, quia aperta est à Christo; unde dicit: *quia confortavit seras*, id est portas ejus aperuit: item pro glorificatione ideò subdit: *benedixit filiis tuis in te*: item pro sufficientia, & duratione æterna, ideò subdit: *& adipe frumenti satiat te*: item pro provisione necessaria in hoc itinere, quod est in Christo unde subdit: *emittit eloquium suum vehementer. Psal.* 147. Lauda igitur anima Deum tuum, non solùm quia es insignita imagine SS. Trinitatis, sed quia capax facta es tantæ gloriæ. *Op. solil. c.* 1. *& Psal.* 62.

3. *Securitas portarum Paradisi hic exprimitur.*

Quoniam confortavit seras portarum tuarum. Nota quod hoc dicit ad denotandam securitatem paradisi; quia apertis portis à Christo, factæ sunt ferreæ, propter firmitatem, nam extra eas non exit amicus, nec intrat inimicus, ubi nullus deprædator adest, nullus insidiosus, nullus deficiens: magna igitur pax est in hac civitate. Lauda igitur anima Deum tuum; quia benedixit te Deus in ipsa. *fer.* 4. *Dom* 4. *quadrag. ser.* 3. *fer.* 3. *Pascha. & Psal.* 147.

4. *Per duodecim virtutes, tamquam per duodecim portas intratur in Cœlum.*

Quoniam confortavit seras portarum tuarum. Ergone plures sunt portæ cœlestis Hierusalem? Nota, quod dicuntur esse duodecim, ut vidit Joannes Apostolus; istæque sunt quatuor virtutes Cardinales, & tres theologales: quia quatuor virtutes Cardinales divisæ in tres theologicas constituunt numerum duodenarium: quia prudentia debet esse fidelis sperans, & amans, & sic de cæteris; per istas igitur ingreditur anima in Cœlum. *ser.* 7. *Hexaem.*

5. *Pax est terminus hujus vitæ, & initium omnis tranquillitatis in Cœlo.*

Qui posuit fines suos pacem. Nota, quod dicit fines cœlestis patriæ esse pacem: quomodo id verum est? quia pax est, quæ nectit simul triumphantem, & militantem Ecclesiam; quia hæc, sicut fuit consummatio verborum, quæ dixit Christus ad discipulos: *Pax vobis*; sic & erit finis omnium amaritudinum hujus vitæ, & initium omnis tranquillitatis in Cœlo, & postquam plena beatitudine, satiabitur anima, ideò subdit: *& adipe frumenti satiat te*: Pax autem hic intuitur multiplex, scilicet cum Deo, quæ obtinetur, per obedientiam, cum carne per abstinentiam, cum mundo per patientiam. *Psal.* 14. *& in Joan. c.* 10. *in fine: & collat.* 66. *& Psal.* 62.

6. *Ad visionem pacis cælestis ducimur per Christum.*

Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. Nota quod hic per eloquium, & sermonem intelligit verbum incarnatum, quod in hunc mundum misit Deus, ut esset noster dux, & duceret nos per viam hujus vitæ ad illam cœlestem patriam. *In Lucam cap. 1. vers. 79. in psalmum 147 & 18.*

7. Idem est dicere, & facere Dei, ideo dicitur: *velociter currit sermo ejus*; scilicet ad id, ad quod dirigitur. *In Lucam c.7.v.10.*

8. *Studium incipit ab oratione.*

Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. Si hoc est verum; ergo à cœlo venit ejus eloquium, & doctrina, ergo qui vult discere, & in studio maxime Sacræ Theologiæ proficere, ab oratione incipiat. *Psalm. 118. cap. 6. vers. ...*

9. A Deo petendæ & expectandæ inspirationes: dicitur enim hic; *à Cœlo emittit eloquium suum terræ. Psalm. 18.& 118.c.6.v.10.*

10. *Christus in incarnatione qualia prodigia operatus est in peccatores.*

Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit: mittit chrystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? Hæc verba sunt de se obscura, quæ tamen nobis indicant prodigia, quæ operatus est Christus in Ecclesia militante incarnatione sua, ubi notandum, quod illa particula, (*sicut*) ponitur loco (*per*,) & est sensus qui dat nivem per lanam, estque figura prothesẽos paraloge, scilicet propositio pro præpositione; sed quid est dare nivem per lanam? Nota, quod per nivem intelligit frigiditatem peccati, quæ congelat animam; per lanam, quæ est ad usum vestiendi intelligit vestem ad ornatum; vultque dicere, quod Christus peccatores convertit, eisque se vestivit, & ornavit in incarnatione, addit: *nebulam sicut cinerem spargit*: idest nebulosos, & *mittit chrystallum suam sicut buccellas*, idest obstinatos, & duros, sicut Chrystallus, idest resolvit in frusta panis, ut alios pascant per prædicationem; & tali pacto convertit Christus illos, quos vocavit, & prædestinavit Judæos fatuos, Hebræos falsos, & Galileos iniquos per confessionem, per promotionem virtutum, & per ætetnorum contemplationem: talis erat Paulus, qui tamen ante faciem frigoris sui non pótuit sustinere fervorem vocationis Christi, quin converteretur, & Apostolus fieret. *Psal. 47.& 125.*

11. *Qui nebulam sicut cinerem non spargit, non intrabit in Cœlestem Hierusalem.*

Nebulam sicut cinerem spargit. Quid est spargere nebulam sicut cinerem? Nota, quod nebula est vita nostra propter instabilitatem, & fragilitatem; & ideò sicut nebula dissolvitur. Debet ergo homo spargere cinerem in hac nebula, idest meditari frequenter nostram incinerationem futuram; sic enim conversio, & confessio peccatorum inducetur aliquando: alioquin ad cœlestem Hierusalem non perveniemus. *Ser. 2. Cinerum.*

12. *Nebulam per cinerem qui spargit, lixivium ad lavanda peccata facit.*

Nebulam sicut cinerem, idest per cinerem spargit. Idest nebulam in aquam resolvet, aquamque per cinerem sparget; sicque lixivium faciet ad emundandum peccata; nempe aqua contritionis, & memoria incinerationis. *sermon. secundo cinerum.*

13. *Peccatum facit in anima hyemem; contritio, & pœnitentia ver, & æstatem.*

Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit; mittit chrystallum sicut buccellas, ante faciem ejus quis sustinebit, flabit spiritus ejus, & fluent aquæ. Vide quomodò præponitur hic hyems horribilis existens in anima per peccatum; nempe causando nivem, & gelu: quia peccatum infrigidat, & congelat omnes vires animæ: sed tamen omnia resolvuntur per pœnitentiam, & aquam lachrymarum, flante vento Spiritus sancti; & tunc signum est transitus hyemis, quando guttæ glaciei distillant, idest lachrymæ compunctionis emittuntur per oculos: felix igitur est ille, cui flatus Spiritus Dei peccata, tanquam glaciem solvit. *Ser. 4. Dom. infra oct. Nativit.*

14. *Flante vento spiritus sancti solvitur in aquam compunctionis glacies peccatorum.*

Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ. Quis Spiritus? ventus scilicet Spiritus sancti, qui est multiplex, flans scilicet ad intellectum, & ad effectum per sua dona, sicque statim fluunt aquæ, quia omnis glacies peccati resolvitur. *Psal. 147. & in Lucam c. 24. v. 32.*

15. *In Cœlo, & in Ecclesiâ dapifer est Christus ministrans cibos, & Spiritus sanctus pincerna ministrans potum dulcissimum.*

Unde dicitur de Christo: *mittit Chrystallum suam sicut buccellas*, scilicet ministrans escas dulcissimas sui corporis: & de Spiritu sancto: flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ vivæ vivificantes animam. *Opusc. de deno scient. capite quarto & in Psal. 80.*

16. *Maximum beneficium super omnia cæteris nationibus concessa, factum est populo Christiano; & in hoc super cæteros clericis.*

Non fecit taliter omni nationi, & indicia sua non manifestavit eis. Cui nationi? nationi Christianæ, quam de Gentibus ad se vocavit, ut supra enarratum est: maximum quidem beneficium hoc fuit, ut ad cœlestem Hierusalem vocaretur; sed inter omnia, sublimatio facta clericis super laicos, excedit cætera omnia; dum ipsis subjecit & laicos,

laicos, & omnia creata. *Opusc. Eccles. Hierar. part.1.cap.1.*

17. *Per Mariam Virginem Christus construxit muros Hierusalem terrena, & cœlestis; ipsamque tot bonis ditavit.*

Applicatio ad Mariam Virginem. *Lauda Hierusalem Dominum* Et cui quia Christus ipse eam ædificavit in terra, & in cœlo confortavit feras portarum ejus, benedixit filios in ea; ad ipsam vocavit tot sanctos; sed quo medio? Hoc fecit totum Christus, & facit per Mariam Virginem, tanquam suam mediatricem: lauda igitur ô Hierusalem, scilicet Ecclesia militans, & triumphans Dominam Virginem Mariam glorifica illam, ô Sion, quia ipsa est, quæ constituit muros tuos, & benedixit filios tuos; gratia tua te impinguat, pacemque donat terminis tuis: & hoc quia emisit verbum suum altissimus, & virtus ejus obumbravit illam: igitur levemus corda nostra cum manibus ad illam, ut suam influentiam sentiamus: *Op. Psalt. B. Virgin. Psal.147.*

18. *Summum beneficium à Christo nobis factum, ut possimus cognoscere, & salutare Matrem Dei, expenditur.*

Non fecit taliter omni nationi, & judicia non manifestavit eis. Idest sicut fecisti nationi Christianæ: & quid fecisti nobis Domine? ecce quale beneficium, & inter cætera summum, quod judicia sua nobis manifestavit: quænam sunt hæc judicia? judicia, scilicet mysteria suæ fidei, inter quæ hoc est summum, posse cognoscere; quod Jesus habet Matrem talem, quod eam possumus salutare, quod ad ipsam possumus confugere, quod ab ipsa omne bonum possimus accipere: O maximum, & dignissimum beneficium non taliter factum cæteris nationibus! gratias igitur tibi Domine Deus ago, quas possum ex præcordiis meis; qui pro nobis indignis dignatus es nostram assumere naturam, & virginali utero bajulari; & ex ea Virgine nascens lacte nutriri, & ejus imperio subjici, & me indignissimum, omnium sanie fœtidissimum dignatus es tam illustrare, ut sciam te Matrem habere, ut ipsam possim salutare: non enim fecisti taliter omni nationi; & hoc summum beneficium non manifestasti eis. *Op. stim. div. am. p.3.c.16.*

PSALMUS CXLVIII.

Titulus: Alleluia: Aggai, & Zacharia.

1. Nota, quod sicut dictum est supra: Aggæus, & Zacharias prædixerunt ædificationem Hierusalem terrestrem, invitaveruntque omnes Israëlitas ad Deum laudandum pro hoc beneficio: sic spiritualiter hic invitantur omnes creaturæ, & primò Angeli, deinde homines in terra degentes ad Deum laudandum; ot hic incipiamus, & compleamus in Cœlo. Nota etiam, quod dicitur Angelis: Laudate Dominum de Cœlis, non imperando, sed congratulando, quod ipsi continuè laudent Deum. *Psal.148.*

2. *Ex omnibus creaturis justi sumunt occasionem Deum laudandi.*

Laudate Dominum de Cœlis, laudate eum in excelsis. Ad quid hæc dicuntur à Propheta? prætendit fursan imperare habitatoribus cœli, ut Deum laudent? minime: sed hoc dicit, quia sciens beatos incessanter Deum laudare: hinc veluti congratulans, cum eis se associat in laude Dei: nam justus ex omnibus creaturarum figuris, sumit occasionem Deum laudandi. *ser. 18 H. xaem.* Nota igitur, quod hic Psalmista videns rerum omnium varietates, & dispositiones, divinam providentiam, quæ omnium est prima causa, admiratur; & laudat: sumit ex hoc occasionem Deum laudandi, dicens: *laudate eum omnes Angeli ejus*, & sequitur: *quia ipse dixit, & facta sunt, statuit ea in æternum. ser.3. de Angelis & l.4.d.48 a.2.qu.4.*

3. *Anima contemplativa in Deum laudando ascendit super Cœlos.*

Laudate eum Cœli cœlorum. Qui sunt isti Cœli cœlorum? Cœli cœlorum sunt plures Cœli simul involuti; unde ad ipsos contemplatione ascendit anima mysticè: & ad primum cœlum ascendit, dum ad se ipsam redit, & quæ sunt immortalitatis pensat: ad secundum dum incorruptionis gloriam suis meritis comparat: ad tertium est ad æternitatem penna contemplationis volare, & intellectuales oculos radiis ejus infigere: prima regio est Spiritus humani: secunda Angelici, & tertia divinæ *Psal.1 8.*

4. Super firmamentum sunt chrystallini Cœli, qui nomine aquæ explicantur: & in Sacra Scriptura, non quod sint consimiles in natura aquæ elementari, sed ob perspicuitatem formalem, & ob frigiditatem virtualem. *l.2.d.14.p.1.qu.1. & ser. 1. de B.Virgine.*

5. Promissiones Dei semper implentur: unde dicitur hic: *ipse dixit & facta sunt*: unde omnes creaturæ ei subjectæ sunt præter hominem impium. *in Lucam c.4.v.39. Psal.36. & in Ioan. c.5. v.39. & in Lucam c.8 v.31.*

6. Præcepta, & leges Dei sunt æternæ, quæ servabuntur etiam in Cœlo; unde dicitur: *præceptum posuit, & non præteribit ser.13. Hexaem & sap. c.19.*

7. Omnia etiam terrena invitant nos ad Deum laudandum; unde dicit Propheta: *Laudate Dominum de terra, ignis, reges terra. Psal.148. Ecclesiasticus c.1. sap.c. in Lucam c 8.v.14.*

8. Nominis Jesu laus, & fama se extendit ad omnes populos, & ad omne tempus, & locum; unde Propheta hoc attendens dicit: *reges terræ, senes cum junioribus laudate nomen Domini. Op. specul. B Virg. lec.9*

9. Hymnum cantabunt sancti in Cœlo in æternum; unde dicitur: *Hymnus omnibus sanctis ejus.* Hymnus, inquam, scilicet jucunda laudatio sanctitatis, & puritatis in laudem puritatis divinæ. *Psal.118.s.11.v.12.*

10. *Invitantur omnes Creaturæ ad laudandam Mariam.*

Laudate Dominam nostram de cœlis, glorificate eam in excelsis, laudate eā omnes homines, & jumēta, volucres cœli, & pisces maris: laudate eā Sol, & *Applicatio ad Mariam Virginem.*

& luna, ſtellæ, & circuli planetarum: laudare eam Cherubin, & Seraphim, throni, & dominationes, & poteſtates: laudare eam omnes legiones Angelorum: laudare eam omnes ordines ſpirituum ſupernorum. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 148.*

11. *Beata Virgo Maria Cælum Cælorum, & Cælum Chryſtallinum fuit.*

Laudate eum Cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini. Nota hæc myſticè trahimus ad Mariam Virginem; quæ fuit Cœlum Cœlorum, & Cœlum chryſtallinum, quod intelligitur nomine aquarum, quæ ſuper cœlos ſunt. Fuit enim cœlum purliſſimum per eminentiſſimam caſtitatem corporis, & mentis, adeò quod in alios reſtinguit frigus peccati. *ſerm. 1. de B. Virgine.*

PSALMUS CXLIX.

Titulus; Alleluia.

1. NOTA, quod ſupra invitaverat Propheta ad Deum laudandum, quia omnes creaturæ ab eo factæ ſunt: nunc invitat ad ſpecialiorem laudem; nempè ad canticum novum pro novitate facta populo ſuo, ſcilicet pro redemptione, & ſanctificatione.

2. *Non cum lucifero, non cum Adam; ſed cum Chriſto invitamur ad cantandum laudes Dei.*

Canticum Luciferi, Adæ, & Chriſti. *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino omnis terra.* Cur novum? & quodnam eſt hoc canticum novum? & cur non vetus? Nota, quod vetus canticum fuit Luciferi, & Adæ: nam Lucifer alta voce antiphonam inchoavit, dicens: *aſcendam in Cælum, & ero ſimilis altiſſimo:* ſic & Adam, & Eva: in cantu autem Luciferi tres ſunt voces, ſcilicet elationis, ſuggeſtionis, & deſperationis: in cantico Adæ prima vox eſt, quod Diabolo credidit: ſecunda fuit vox conſenſus, & tertia vox excuſationis, unde quia inceperunt ab alto, fuerunt voces diſſonæ, & diſcordes: in cantico Chriſti, qui incipit ab imo, ab humilitate, terminatur ad Cœlum: cantemus ergo cum Chriſto, & non cum Lucifero, canticum novum; quia illud canticum vetus terminet in fletum, iſtud in lætitiam: Beati igitur, qui exultant in rege ſuo, ſcilicet in Chriſto. *Pſal. 149.*

3. *Gaudium quale beatorum ob ſocietatem tot amicorum, & ſanctorum.*

Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Exultabunt, inquam ſancti in gloria ob lætam ſocietatem ſanctorum, maximum enim erit gaudium videre tot amicos ſe ſe amantes, lætabuntur in cubilibus ſuis, ſcilicet intus in propria conſcientia, quæ eſt cubile requiei, & lætitiæ juſtorum. *ſer. 1. de uno ſancto Mart. in Ioan. c. 8. verſ. 19. Pſalm. 145.*

4. *Iuſti tenent in manibus gladium ancipitem*

Exaltationes Dei in faucibus eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Quid eſt gladius anceps? & quid eſt tenere in manibus gladios? Nota, quod verbum Dei eſt gladio ancipiti penetrabilius: hic tenetur in manibus cum per verbum Dei opere impletur bono, ſcilicet per rigorem pœnitentiæ; eodem Cor penetratur, cum compungitur, eodem accingitur cum per ipſum animus luxuriæ coarctatur. *ſer. 3 Dom. infra oct. Nativ. & in Lucam c. 2 v. 35.* Hocque propriè dicitur de bonis prædicatoribus, qui exaltationes Dei portant, non ſolùm in faucibus, prædicando ore verbum Dei; ſed & in manibus ſancto exemplo. *In Luc. c. 10. v. 2.*

5. *Sancti erunt in Iudicio aſſeſſores Iudicis ſupremi.*

Exaltationes Dei in faucibus eorum, & gladij ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam: ad alligandos reges. Per hæc verba datur intelligi, quod beati in gloria Deum laudabunt in corde, & ore, & erunt aſſeſſores ſupremi Judicis, non quidem ad ferendam ſententiam, ſed ad probandam, non ad exhibendam miſericordiam, ſed potius ad ulciſcendam juſtitiam: & hæc erit maxima glória ſanctorum *ſer. de SS. Simone, & Iuda, & in Lucam c. 19. v. 27.*

6. *Aurea ſunt vincula, quibus Chriſtus ligat ſuos; ferrea, quibus diabolus ligat ſuos.*

Ad alligandos reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Ergone ſancti concurrunt ad alligandos homines vinculis ferreis? maxime: ſed attende, quod iſta vincula, quibus Chriſtus, & ſancti verbo ſuo, & præceptis, & tribulationibus ligat ſuos, ſunt quidem ferrea, ſed tamen amore, & amore Dei aurea ſiunt: E contra diabolus ligat ſuos vinculis ferreis, quæ ſemper duriora ſunt. *ſer. 3. Dom. 3. Adv.* Nota autem, quod dicit (*reges*,) quia tales ſunt juſti, quia filij Dei; compedes autem, quibus ligantur ſunt vincula, quæ impediunt hominem, ne eat quò vult, nec faciat quod vult: hocque facit Deus mandatis ſuis, ne ſecundùm deſideria carnis, vel mundi moveatur. *ſer. 3. Dom. 12. poſt Pentec.*

7. *Idem de vinculis, quibus Deus ligat ſuos.*

Ad alligandos reges eorum Nota, quod tria ſunt, quibus homo, vel aliqua res ligatur, vel ſtringitur, ſcilicet funes, clavi lignei, vel ferrei, & gluten: primum aſtringit dure, & fortiter: ſecundùm etiam fortius, & durius: tertium ſuaviter, & ſecurè: his homo ligatur ad Deum: ſcilicet fune, quando tentatur ſæpè, ſed habet in memoria promiſſiones homini factas, & bonum honeſtatis: & hoc fune retinet ſe, ne propoſitum ſuum penitus rumpatur: Clavis Deo adſtringitur, quem timor Dei ligat: talis non timet peccare, ſed ardere; & ideò timore pœnæ declinat à malo: tertio glutine charitatis ligatur, & unus cum Deo efficitur: ſic Chriſtus primò ad columnam ligatus eſt, poſtea crucifixus; tertio glutinoſa unctione aromatum linitus: & ſic non permittit, quod homines in duobus prædictis diu vivant, ſed ungit unctione

ctione misericordiæ suæ,ut resurgaot in novitate Spiritus. *Psal.*149.

8. *Persecutores justorum, maximè pauperum,in judicio judicabuntur ab ipsis justis.*

Vt faciant in eis judicium conscriptum. Quid est facere judicium conscriptum in regibus, & nobilibus? Nota. quod hoc judicium fiet à Christo simul cum justis, quia regibus, & nobilibus fuerunt persecuti:diciturque: *conscriptum*: tum quia est irrevocabile, tum quia fiet à Christo scribente, & sanctis subscribentibus. *Psalm.*118.*c.*1.*v.*4.

9. Gloria justis in via est præstolatio, & prælibatio futurorum bonorum in patria, de qua dicitur. *Gloria hæc est omnibus sanctis.Psal.*118.*c.*4.*v.*8.

Ad Mariam laudandam, & de sua gloria lætandum invitantur omnes Creaturæ.

Applicatio ad Mariam Virginem. Cantate Dominæ nostræ canticum novum; laus ejus in congregatione justorum: lætentur Cœli de gloria ejus, insulæ maris, & totus orbis: aqua, & ignis laudate eam, frigus, & æstus, splendor, & lumen: exultationes ejus in gutture justorum, & laudes ejus in cœtu triumphantium: Civitas Dei jucundare in illa, & pro incolis tuis frequenta illi carmen *Op.Psalt. B.Virg. Psal.*149.

⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜⚜

PSALMUS CL.

Titulus: Alleluia.

1. OTA, quod in hoc Psalmo invitatur omnis congregatio sanctorum ad Deum laudandum ore, & corde; & in hoc terminat omnis Psalmodia, estque complementum omnium laudum.

2. *Quænam faciunt sanctum.*

Laudate Dominum in sanctis ejus. Nota, quod dicitur: *in sanctis ejus*,scilicet tam existentibus in hoc mundo, quàm in cœlis: tria autem faciunt sanctum: victus sobrius,sensus pius, actus justus: primum comprehendit continentiam, castitatem, charitatem,humilitatem, & obedientiam; secundum actus justus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus; nempè rectus per intentionem, discretus per possibilitatis mensuram, & fructuosus ad proximum:sensus pius erit, si mens nostra fortiter in Deum, imploret Dei potentiam, sapientiam,bonitatemque, ut adjuvet nostram infirmitatem,ignorantiam,& infirmitatem. *Psal.*150.

3. *Laudandus Deus in firmamento virtutis collata suis sanctis.*

Laudate Dominum in firmamento virtutis ejus. Scilicet quod tribuit sanctis in Cœlo;nam in terra inest infirmitas in militantibus, quæ est multiplex:unde in hac vitâ semper cum timore, & tremore standum est. *Psal.*150.

4. *Multitudo magnitudinis Dei quænam.*

Laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus. Hæc est quadruplex: nam longitudo in Deo est æternitas, latitudo est charitas, sublimitas, quæ est super omnia: profundum, quia intra omnia est: homo verò Deum laudat, si longitudini respondet perseverantia: si amat inimicum latitudini respondet: si sollicitudinem, & timorem respondet sublimitati,& profundo. *Ps.*150. Nota etiam,quod dicitur. *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*; non secundùm quod in se est magnus, quia impossibile est, sed secundùm quod relucet in suis operibus *ser.*3. *de Angelis.*

5. *Deus quomodò laudandus à nobis in sono tubæ, in Psalterio, & cithara, in timpano, & choro, in chordis, & organo, in cimbalis benesonantibus.*

Nota quod hic multa genera instrumentorum in medium adfert, quæ ad dulcem symphoniam requiruntur: est enim symphonia collectio, & concordia quorumcumque sonorum & significant lætitiam,quæ venit ex concordia animarum: Chorus verò est collectio vocum & verborum in prædicando, & laudando Deum: vult ergo, ut Deum laudemus omnes in unitate concordiæ ore, corde, & opere, & prædicatione seu concordia morum, animorum, & sermonum; hæcque est perfecta laus quàm à nobis exigit Deus *in Lucam c.*1.*v.*5. *& Psal.*45. *&* 61. Dat etiam intelligere, quod omnes creaturæ, licet habeant diversa munera, & opera, tamen omnes ad nutum Creatoris, & voluntati suæ conformantur, & reddunt pulchrum sonum. *Sap.c.*19.*in fine.*

6. *Omnis spiritus laudet Dominum in quocumque loco sit; & in hoc est finis omnium operum.*

Omnis spiritus laudet Dominum. Cur non dicit omnis homo,& Angelus,& creatura; sed tantùm invitat omnem spiritum? & cur non dicit, laudet Dominum in cœlo,vel in terra, vel in Ecclesia? quia primò vult, quod in quocumque loco laudetur Deus,sive in Cœlo sive in terra; nam nusquam est securitas, nec locus facit hominem sanctum; sed homo locum: in Cœlo enim Angelus cecidit: Adam in Paradiso terrestri, & Iudas de schola salvatoris & virtutis: dicit: *omnis spiritus*; quia spiritus est qui cœlestia capit, & sapit.

Et hic est finis, à quo pendet totus discursus hujus libri: qui incœpit à beatitudine; & ideò quia completur per laudem Dei, quam Spiritus quicumque habet ad Deum:unde ante finem pendula sunt omnia, & nusquam locantur; & omnis oratio usque ad finem suspenditur, fini acclamatur,fini responderur, fine judicatur; sed finis omnia concludit,omnia locat, omnia perficit,nempè sola perseverantia accipit bravium. Omnis igitur Spiritus laudet Dominum: ad cujus laudis, & benedictionis exercitium ille nos perducat Dominus Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum Amen dicant Omnia.

7. *Invitantur*

7. *Invitantur omnes spiritus ad laudandam Mariam in Cœlum assumptam.*

Applicatio ad Mariam Virginem. Laudate Dominam in sanctis ejus: laudate eam in virtutibus, & miraculis ejus: laudate eam cœtus Apostolorum, laudate eam chori Patriarcharum, & Prophetarum: laudate eam exercitus Martyrum: laudate eam turmæ doctorum, & Confessorum: laudate eam in collegio virginum, & continentium: laudate eam ordines Anachoretarum, & Monachorum: laudate eam conventus religiosorum omnium: laudate eam omnes incolæ civium supernorum: omnis Spiritus laudet Dominam nostram! ô utinam, & nos mereamur per merita Mariæ Virginis adnumerari inter hos spiritus, qui laudabunt Mariam in sæcula sæculorum!

O utinam cum Beatissima Matre Dei ad Cœlum assumamur; & cum ipsa Deum æternaliter laudemus: Mariæ etenim assumptio (in quo die gloriuso explicit hæc Psalmorum expositio) nobis proponit ejus excellentiam in principatu; nempè quia in Cœlo constituta est Regina Mundi; in quo justi cum ipsa Deum laudant: Regina item Cœli: ubi ipsa cum sanctis non cessat clamare, Sanctus, Sanctus, Sanctus: ad quod officium invitat nos continuè: proponit item nobis potentiam in comitatu; quia ingressa est cœlestem Hierusalem eum comitatu potentium Angelorum, qui cum laudibus, & canticis spiritualibus eam perduxerunt in Cœlum: item proponit opulentiam meritorum in apparatu munerum pretiosorum attulit namque secum aurum infinitum dilectionis Dei, & proximi, gemmas pretiosas virtutum, & donorum, aromata bonorum operum, & exemplorum: Deusque collocavit in manibus suis omnes thesauros miserationum suarum. Aperi ergò ô Beata Virgo Maria manus tuas, & imple nos benedictione tua. *opuscul. Psalter. Beatæ Virginis Psalmo 150. & opuscul. specul. Beatæ Virginis lec. decimatertia.*





INDEX

INDEX
GENERALIS CONCEPTUUM
& Rerum magis notabilium,

QUÆ IN PRIMO ET SECUNDO TOMO GLOSSÆ Seraphicæ continentur, incipientibus à Genesi usque ad Psalmos inclusivè; in quo numerus citatus est marginalis cujusque libri sacræ Scripturæ:

Notandum est quod verb. Gen. indicat Genesis librum: Exod. Exodi: Levit. Levitici: Num Numerorum: Deut. Deuteronomij: Josu. Josue: Judic. Judicum: Ruth: Reg. Regum: Paralip. Paralipomenon: Esdr. Esdræ: Tob. Tobiæ: Judith: Esth. Esther: Job: Psalmorum.

INDEX AUTEM PRO CONCIONATORIBUS, & Concionibus conficiendis, exponetur in ultimi tomi fine super Testamentum novum.

A

Anima

Benedictio,

C

Caro.

tatio

Cibus.

Civitas.

II. *Dei sapientia, & Cognitio.*

III. *Dei potentia, virtus & operatio.*

V I. *Dei misericordia.*

V I I. *Dei Beneficentia, liberalitas, & Patientia.*

VIII. *Deus puniens, Iustus Index.*

Paral.

 totium

Febris

H

primum

Hospitalitas.

Humilitas.

Iudicium universale, & particulare.

Iuramentum.

Iustificatio.

Iustitia, Iustus.

L.

Labor.

Lachryma.V.Fletus:V.Planctus.

Laus : Vide *Dei laudes* : Vide *Psalmus, Hymnus*.

Index Rerum,

Maria Virgo.

I. *Mariæ Nomen.*

II. *Maria figura.*

III. *Mariæ Conceptio Immaculata.*

IV. *Mariæ Nativitas.*

V. *Mariæ Annuntiatio: Conceptio Verbi: in Vtero habens: ejus Maternitas, & Visitatio ad Elizabeth expenditur.*

Mariæ partus, & Christi nativitas: & Purificatio, amissioque filij.

IX. *Mariæ pulchritudo.*

X. *Maria in ordine ad Christum Deum: & ejus dolores in passione Christi.*

XI. *Mariæ assumptio in Cœlum, & ejus gloria.*

XII. *Mariæ Dominium: & in ordine ad Dæmones.*

Index Rerum,

Ordo.

Os : V. *Lingua.*

Ovis.

P

Panis.

Paradisus.

Parens : V. *Pater* : V. *Prelatus.*

Pascha.

Personæ

Princeps: V. *Prælatus*. V. *Superior*.

Prophetia: *Propheta*.

Prosperitas: V. *Consolatio*: V. *Mundus*: V. *Adversitas*: V. *Tribulatio*.

Religio: Religiosus.

Reliquia.

Index Rerum,

Timor.

Tribulatio. V. *Tentatio.* V. *Afflictio.*

Trinitas.

V

Vanitas.

RRr 4 Vespere,

Præceptum: V. Mandatum.

Prædestinatio.

Prædicatio, Prædicator: V. Verbi Dei Prædicator.

Prælatus: V. Superior: V. Princeps: V. Pontifex: V. Episcopus.

Princeps: V. Prælatus. V. Superior.

Prophetia: Propheta.

Prosperitas: V. Consolatio: V. Mundus: V. Adversitas: V. Tribulatio.

Index Rerum,

Reddere

donant,

Superbia.

T

Temperantia.

Templum, V.Ecclesia.

Timor.

Tribulatio. V. Tentatio. V. Afflictio.

Trinitas.

V

Vanitas.

Verbum Dei increatum, & incarnatum.

Verbum divinum Creatum, & prædicatum.

Verbi Dei auditio.

Verbi Dei contemptus.

Verba pura, & impura.

Veritas.

FINIS.



